

43
4 H
10

M · M · S

PARAPHRASIS
IN OMNES S. PAVLI EPISTOLAS,
CVM ADNOTATIONIBVS

Ad Sixtum V. Pont. Opt. Max.

AVCTORE ANTONIO SCAYNO SALODIENSI,
Presbytero, & Sacræ Theologiæ Doctore.

CVM PRIVILEGIIS,
& permiſſu Superiorum.



VENETIIS, MDLXXXIX.
Apud Dominicum Nicolinum.

SIXTO QVINTO
PONT. OPT. MAX.
ANTONIVS SCAYNVS SALODIENSIS
perpetuam fœlicitatem.

CVM multa prudenter ſcripta reliquerit Sanctus Ioannes Chryſoſtomus (Pater Beatiſſime) tum nihil magnificentius, quàm quod ſcriptum fecit in Præfatione in epiſtolas Sancti Pauli, vt ille ſapere, & recte ſentire mihi videatur, qui omni ſtudio, & induſtria in eam curam incumbit, vt plane viri ſapientiſſimi ſententiam aſſequatur. Et enim Doctor iſte eximius, cuius, vt aureum dicendi genus ex eius ore profluxit, ita & ingenium perſpicax fuit & peracutum, hiſce propemodum verbis de Pauli epiſtolis diſſerit. *Beati Pauli epiſtolarum lectionem aſſidue dum auſculto, perque hebdomadas ſingulas bis, ſæpe, ter & quater Sanctorum martyrum memorias celebramus, gaudio exulto, interim tuba illa ſpirituali perfruens; exurgo quidem, & deſiderio incaleſco vocem mihi amicam agnoſcens, & fere præſentem ipſum animo intueri, ac diſſerentem videre videor. Idem tamen præ dolore diſcrucior hoc ipſo, quòd virum hunc non omnes, ſicut par eſt, intelligunt; ita illum nonnulli ignorant, vt ne epiſtolarum quidem eius numerum plane norint. Hoc vero non ignorantia facit, ſed quòd nolint beati huius viri ſcripta in manibus habere. Neque enim nos, quæ ſcimus, ab ingenij bonitate, atque acumine ſcimus; ſed quòd illi nos Viro impenſe affecti, ab illius lectione nunquam diſcedimus.* Nos vero merito, atque optimo iure hoc vnum in votis & optatis habere præcipue deberemus, vt tanti viri doctrina animi noſtri paſcerentur; præſertim cum intelligamus, ipſum, ſingulari Dei immortalis beneficio, vſque ad tertium cœlum raptum, vt Dei Opt. Max. aſpectu perfrueretur: eumdemque a vindice libertatis noſtræ Chriſto Ieſu delectum vas electionis, vt portaret illius nomen, in Gentes, Reges, & filios Iſrael; ac præcipuum Apoſtolum conſtitutum, & peculiarem magiſtrum Gentium, hoc eſt eorum, qui ſegregati erant a populo Hebræo. Cum vero nobis non liceat, vocem illam ſalutarem, & commouentem tubam audire, per quam Chriſtus enunciare electis ſuis verba vitæ æternæ conſtituit, vnde illa Apoſtoli vox ad Corinthios. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* cum iamdiu beatiſſimus ille ſpiritus, vinculis corporis ſolutus, in beatorum contubernium euolauerit, ſeſeq; penitus copulauerit, & coniunxerit cum eo; pro cuius nomine ſanguinem profudit; inflammari ſane, & deſiderio maximo teneri fas eſt legendi, & penitus perſcrutandi epiſtolas a Viro ſanctiſſimo editas, Spiritu ſancto dictante; cum illa contineant myſteria, & arcana diuina, quæ vel maxima immortalis Deus cum hominibus communicanda duxit, & fidei noſtræ auguſtum teſtimonium, & perenne exiſtant propugnaculum. Fuit hic veluti ſtimulus quidam (Pater B.)

a 2 qui &

qui & me pupugit ſæpius,& excitauit,vt me totum penitus darem in lectionem, & ſtudium harum mirabilium epiſtolarum: quo animi ardore accenſus, diem fere nullum prætermiſi; quo vel hanc,vel illam epiſtolam non legerem, atq; animo commentarer,adhibitis græce ſcriptis voluminibus,& latinis receptis ab Eccleſia Apoſtolica Romana, atque mutuo collatis. Quo vero maior huius induſtriæ mihi fructus extaret, ac commodius, quæ illis continentur, aſſequi & introſpicere poſſem, paraphraſi quadam ſapientiſſimi Apoſtoli placita enucleare aggreſſus ſum, adnotatis quibuſdam, & hinc inde collectis & adhibitis, quæ facilius me (quo intendebam) deducerent; ita vt non ſolum quæ in rem eſſent, ex eiſdem epiſtolis exciperem; ſed & ex Act. Apoſt. pleraque delibarem, & ex ſacris Euangelijs decerperem, vt conſentanea diuinis placitis conformarem, cum vnica & ſola ſit veritas euangelicæ doctrinæ. Quod & vt planius obtinerem, adhibendos interpretes, & internuncios diuini eloquij duxi grauiſſimos quoſque, & orthodoxos Patres tam Græcos, quàm Latinos. Multis vero ſuſceptis vigilijs, & exantlatis laboribus, cum iam quaſi ex alto in portum inuehar, ac terram aſpiciam, vbi iactis anchoris conquieſcam, abſolutis commentationibus, & adnotationibus, additis etiam ad vnamquamque epiſtolam argumentis, præpoſitaque copioſa præfatione, quo commodius a quolibet intelligantur, hæc omnia examinanda multorum iudicio commiſi, ac præſertim ijs, qui in ſtudijs diuinarum litterarum multum operæ, & induſtriæ collocarunt. Ex ijs fuit vnus Magiſter Thadæus Guidellius Peruſinus perfunctus ſummo magiſterio in ſodalitate diſciplinæ Auguſtinianæ, cuius eximium ingenium, & exquiſita doctrina, vel eo nomine elucent, quòd tuo iudicio (P.B.) hoc eſt maximo, comprobantur. Fuit etiam ad eandem rem adhibitus Magiſter Laurentius Lauretus Venetus procurator generalis familiæ ſacræ Carmelitanæ, illiuſque lumen & ornamentum, doctrina & eloquentia ſingularis. Acceſſit ad eadem examinanda Magiſter Stephanus Guaraldus Centanus Ordinis Prædicatorum, & hoc tempore Inquiſitor Generalis in ditione Venetorum, quo ille munere & cum ingenio, nec ſine induſtria egregie perfungitur tanta cum laude, vt lynceus eſſe iudicetur,& rerum optimus æſtimator, illiuſque permiſſu & conceſſu mihi fuit poteſtas dandi in vulgus meas haſce elucubrationes, ad quas diuulgandas me amicorum & monita, & cohortationes facile impulerunt. Cum autem in horum ſententiam adductus eſſem, nihil mihi aut antiquius, aut auguſtius, aut rationi magis conſentaneum in mentem venit, quàm vt iſthæc ingenij mei monumenta Principi illi conſecrarem, qui Chriſti perſonam ſuſtinet in terris, cui tanta a Deo eſt permiſſa poteſtas, vt inuictorum Imperatorum, potentiſſimorum Regum, magnarum Rerumpub. auctoritas ex eius pendeat auctoritate, cum vel ſoluendi & ligandi habeat poteſtatem, quam olim contulit Chriſtus S. Petro, & eandem in eius ſucceſſores transfudit; habeatque ius ſtatuendi ſalutaria decreta Spiritus ſancti inſtinctu, quem ſemper Eccleſiæ ſanctæ aſſiſtere confitemur; & cui accepta ferenda ſunt omnia dogmata & placita, quibus Reſpub. Chriſtiana perſtat, eidemque aſcribenda ſit vera interpretatio diuinarum litterarum. Tibi inquam (Siſte V. Pont. Opt. Max.) quem Deo, hominibuſq; conſentientibus ad hunc ampliſſimum dignitatis gradum euectum videmus, ac te diuinitus

huic

huic muneri præpoſitum: quo, tanta ſapientia, integritate, maieſtateq; perfungeris, vt omnes rapias in tui admirationem: nec ſolum veſtigijs ſummorum magnorum Pontificum inſiſtas, ſed ipſe expreſſam & teſtatam relinquas ad omnem poſteritatem egregij, & iuſti imperij imaginem omnibus ſeculis duraturam. Et enim quę tanta dicendi, aut ſcribendi copia extitit vmquam? quod tam diuinum orationis genus? quo quiſquam, non dico complecti, & exornare, ſed perſtringere, & percenſere poſſit res tuas præclare geſtas? & egregia facta, quæ in dies ex pectore iſto ſapientiſſimo, veluti ex vberrimo recte factorum fonte promanant? vt de his laudibus nulla vmquam poſſit conticeſcere vetuſtas? Tua dicta & facta omnium Gentium litteræ & linguæ ad ęternitatem adiungent. Teſtantur tui animi magnitudinem ędificia tam multa Romæ paſſim conſtituta, ac prius abſoluta & perfecta, quàm alij poſſent eadem de re deliberare. Teſtatur ornatus priſtinus inſtauratæ, & denuo exornatæ Vrbis orbis principis. Teſtantur plateæ, vię, aquæductus, aquæ limpidiſsimæ, & ſaluberrimæ magnis impenſis in publicam vtilitatem adductæ. Teſtantur Coloſsi, & pyramides, quas ſingulari artificio collocandas pro templis ampliſsimis curaſti, & ex ſitu & pædore in antiquum ſplendorem vendicaſti, meliori & vſu, & ornatu adhibito. Quæ omnia cum magnis ſumptibus fuerint perfecta, nulla tamen publici ęrarij calamitate, aut detrimento contigerunt. Immo, cum ærarium pene exhauſtum repeririſſes, cum primum pontificiam dignitatem obtinuiſti, illud tu quàtis commodis auxeris, quàm copioſo numero numeratę pecuniæ locupletaueris, eſt clarius, quàm Solis lux; vt vnus & coaceruare in vſus ſalutares, & publicam commoditatem; & expenſas loco & tempore facere ſcias; tam multis damnis publicis ſublatis, incommodis reſarcitis, vtilitatibus importatis; vt quæ recondis, vſui, & commoditati toti Reip. Chriſtianæ ſint futura. Quàm in tuto nauiget Roma, & omnis eccleſiaſtica ditio, quanta quiete, & tranquillitate perfruatur, nemo eſt qui non videat, idemq; ſummis laudibus ad cœlum extollat incredibilem tuam & ſapientiam, & fœlicitatem in omnes tuos diſſeminatam, vt tuæ auctoritati non modo omnia obſequantur, ſed obſecundent; cum intelligant ita votis tuis ſingula quæq; reſpondere, vt vix inieris magiſtratum hunc ſummum pontificium, cum omnes vbique graſſantes exſules, prædones, ſicarios momento citius de medio ſuſtuleris, & priſtinæ quieti ditionem eccleſiaſticam reſtitueris, metu omni ſublato furti, rapinæ, necis; quæ mala, veluti pernicioſiſsima peſtis, per omnes pene angulos peruadebant tanto omnium detrimento & incommodo, vt ne intra vrbis mœnia, & priuatos parietes tuti conſiſtere poſſemus: vt, cum tuæ fœlicitati gratulari, cum omnia tibi accepta ferre debemus; cum tua & vigilantia, & prudentia ſit effectum, vt tranquillum Reip. ſtatum retineamus, incommodis illis remotis, quæ omnia paſsim infeſtabant, vix vt requieſcendi locus tutus relinqueretur. Domuiſti furorem, cohibuiſti licentiam, coercuiſti audaciam, cæcos multorum animi impetus repreſsiſti, atque eo iam vſu & conſuetudine bene agendi homines adduxiſti, vt peccandi locum nullum ſibi eſſe intelligat, qui tuis ſanctiſſimis decretis, & legibus ęquiſſimis parere recuſauerit. Hinc illa vtilitas vel maxima eſt inſecuta, vt ne minimum quidem iraſcendi modum ferendum eſſe cognoſcat, qui a tuis decretis ſeſe diſiungere auſus fuerit, ille autem vitam

tam

tam pacatam & tranquillam traducat, qui ad ęquum & bonum animum induxerit. Vt vero peccandi licentia, & deprauata conſuetudo ſerpit impune, & longius peruadit, niſi coerceatur; ſic hæc ſanctiſſima viuendi ratio ad omnes Italiæ partes permanauit, omnibus vſui & vtilitati fuiſſe prædicatur. Et enim tuum exemplum ſecuti cæteri Principes, quieti ita ſtuduerunt, vt fructum vberrimum eiuſdem conſilij, & iudicij reportarint, pœnas de ſceleratis ſumpſerint, publicæ commoditati conſuluerint, modum in rebus omnibus adhibuerint; vt ex ferrea quadam ętate ad ſeculum aureum nos eſſe tua opera traductos gaudeamus, ſummam Reip. partam quietem, tibi acceptam merito, atq; optimo iure feramus. Adde quæ ad cultum diuinum ſpectant, quæ ita tibi ſunt cordi, vt nihil vmquam habueris antiquius, quàm vt quæ ad ſacras ceremonias attinent, ſuum ſplendorem cumulate conſequantur. Teſtantur hoc reſarcita templa denuo erecta & conſecrata, & inſtaurata, ac præſertim ſeptem illæ baſilicæ toto orbe celeberrimæ ritu pio, & maiorum egregia pietate ſolemnes, quòd & quàm plurimis ſanctorum reliquijs ſint locupletata, cohoneſtataq;, & ſalutaribus indulgentijs aditum ad vitam beatam patefacientibus dotata: atque adeo tu modo ad hanc, modo ad illam cum frequenti Patrum purpuratorum ſenatu aduentas, vt rite facias, & populum tibi commiſſum ad omnem pietatem, & bene agendi inſtitutum inuites. Quid dicam templum illud magnificentiſſimum Principis Apoſtolorum ita in dies incrementa maiora accipere, vt breui ſperemus, illud ſartum tectum, opere perfectum tuo beneficio videre? Quid ędes ampliſſimas Sancti Ioannis Lateranenſis a fundamentis erectas, & abſolutas, & commodo Pontificum Max. & vſui Conciliorum, ſi res aliquando tulerit, vt eo aduocari ſit neceſſe? Quid quòd tam multa alia prudenter cogitaris & perfeceris? in poſtremis non habueris, domicilium egenis & ſtipem colligentibus decernere, ſtabilire, conſtituere? vbi vtriuſq; ſexus inopes perhoſpitaliter diuerſentur, veſtiantur, paſcantur commode: Nec ſolum eorum corpus cibo & potione expleatur; ſed quod maius & ſatius eſt, animus cœleſti, ac ſalutari alimento reficiatur. Quæ cum multi Pont. Max. tentaſſent, vnus Syſtus V. potuit perficere. Quæ vero in pectore iſto tuo ſapientiſsimo verſentur cogitationes, quàm magnificæ, quàm te dignæ, ſi oculis cernere poſſemus, in mirabilem tui prædicationem raperemur. Videmus ſtudium tuum in exterminandis, reſecandiſq; hæreſibus, quibus Reſpub. Chriſtiana miſerabiliter conflictatur. Hinc ille fructus extitit imprimendi ſacrarum litterarum volumina Græce & Latine, & lucubrationes Patrum orthodoxorum, quibus veritas continetur. Hinc erecta bibliotheca magnificentiſsima, in qua innumerabiles libri Vaticanæ bibliothecæ aſſeruentur ab omni hærericorum labe expurgati. Decretus prætérea in hanc commoditatem ſalutarem certus Patrum purpuratorum numerus, quorum arbitrio totum hoc negocium adminiſtratur. Conſtituti in alios vſus ijdem Patres, vt onus ex aliqua parte alleuent, ęgras, & labentes partes fulciant, & quoad poſsint, conſilio & iudicio laboranti Reipub. medicinam faciant: quibus tu & præeſſe auctoritate, & adeſſe animo, & comprobare ſtatuta conſueuiſti. Nec ſolum quæ Romæ gerantur, cognoſcis omnia: ſed minima quæque negocia momento ſuo exigis, æqua trutina perpendes, arbitrio tuo & ſapientia tua moderaris, vt in tui admiratio-

nem

nem omnes rapias: cum videant vnum tam multa ſuſtinere, quibus commouendis vix multi ſufficerent; vt in ſumma poteſtate rerum omnium modum, & moderationem retineas; libellos ſupplices excipias; iuſtis optatis ſatisfacias; ſingula quæque memineris; nomina recorderis; quæ facto opus ſint, cumulatiſſime decernas; excubes animo in eam curam, vt nihil non rectum & æquum conſtituas. Vt iure optimo ad te tantam poteſtatem delatam eſſe omnes prædicent; cum non modo non ſuccumbas oneri, ſed prouinciam alioqui grauiſſimum hilari animo perferas, & ſuſtineas: vt rogandus ſit aſſidue immortalis Deus, vt te diu, & multum, ſaluum & incolumen tueatur, & conſeruet, cum commodis publicis ſalutarem, cum omni Reipub. Chriſtianæ vnicum decus & ornamentum. Quandoquidem tua in omne genus humanum promerita ſuo iure exigant, tibi vt omnes ſecunda omnia optemus; votis & optatis tuis congruentia a Deo impertiri poſtulemus. Ego vero, vt aliquo modo poſſem indicare ſingulare meum, erga auguſtiſſimum nomen tuum, ſtudium, & ſignificationem dare animi optime affecti, haſce meas lucubrationes auctoritati tuæ iſti ſummæ volui conſecrare, vt teſtatum relinquam, quanti ſanctiſſimam tuam hanc virtutem faciam, quantoque obſequio, & pio ſtudio proſequar. Nec vero nunc primum me in tuum patrocinium deuoueo. Sed iamdiu eſt, cum in tua clientela me eſſe gaudeo, & tantis tibi nominibus debeo, & in ære tuo ita ſum, nullo modo vt ſoluendo eſſe me poſſe confidam. Et enim vel illud me ad abſoluendas lucubrationes has meas incitauit, quòd, cum tibi olim inchoata principia oſtendiſſem, non ſolum non improbaſti, ſed vt in eam curam omni ſtudio incumberem, admonuiſti, cum in tuis illis amœnis hortis me ad tuum congreſſum adhibuiſti ſæpius, & tuis dictis ſapientiæ plenis, & reſponſis pectus meum locupletaſti. Quæ cum recordor, oblector ſane, & perfundor gaudio incredibili, & efferor, me ad tuam humanitatem nullas allegationes adhibuiſſe, aditum tuam clementiam mihi pateſeciſſe. Memini (P.B.) ſæpe te pro tua benignitate vicem meam doluiſſe, cum me in anguſtijs rei familiaris poſitum videres, indignumq; tibi videretur, eum, qui omnes ſuas cogitationes & ſtudia ad omnium vtilitatem conuertiſſet, ita omni ſubſidio deſtitutum, vt multa illi deeſſent commoda, quibus ſubleuaretur pro induſtria in honeſtiſſimam exercitationem collocanda. Quòd ſi munus hoc tibi a me oblatum inferius multo ſit maieſtate iſta ſumma tua, cogitare tamen debes (P.B.) in collocandis officijs, non quanti quidque ſit, ſed, qui ſit animus illius, qui offert, ſpectandum; imitaberisque ipſum Deum, cuius ſuſtines perſonam, qui animi affectum magis, quàm rem ipſam exigit & perpendit. Tu ergo (P.B.) excipe hilari qua ſoles fronte ad tuum patrocinium confugientem: & ſi probaueris, vt libere in manus omnium opus hoc meum perueniat, efficies. Te Deus diu & multum toti Reipub. Chriſtianæ tutum & incolumen conſeruet.

Lectori S.

NE *mireris, ſed boni potius conſulas amice & candide lector, quòd ego S. Pauli Apoſtoli epiſtolas paraphraſi exponere ſim aggreſſus. Et enim, cogitaui maximum commodum me ad earum faciliorem intelligentiam allaturum, ſi obſcuritati, qua omni ex parte ſcatent, aliqua ratione occurrerem. Nam, vt ſcriptum reliquit Hyreneus libro tertio contra hæreſes*, Ideo Paulus, *inquit*, obſcurus eſt, quòd hyperbatis frequenter vtitur, propter velocitatem ſermonum, & propter impetum, qui in ipſo eſt ſpiritus. *Huic & Origenes conſentit in præfatione in epiſtolam ad Romanos, inquiens.* Obſcurus eſt Paulus, quòd elocutionibus interdum confuſis, & minime explicatis vtitur. *Paraphraſi autem id me aſſecuturum pro certo exiſtimaui, dum copioſius explicarem, & oratione longiori exprimerem, quæ breuiter & anguſte Apoſtolus enunciaſſet: Nemo enim eſt, qui ignoret, paraphraſim, orationem nimis preſſam & anguſtam, planius aperire & deducere, vt quæ conciſe intertexta ſint, clarius retexantur. Hanc ob cauſam Themiſtius, magni nominis Doctorum ſuffragijs, obtinuit vt clariſſimus interpres diceretur, quòd pleraque Ariſtotelis monumenta paraphraſi comprehenderit; cum idem ille auctor, quòd preſſe, & anguſte multa complectatur, obſcurus & abditus habeatur. Quantum autem in me fuit, in eo elaboraui in hac mea paraphraſi, vt eiſdem paſſibus inſiſterem, quibus recepta monumenta ſacra continentur, vt ab eiſdem vel minime abſcederem, niſi ſi occaſio ſe obtulit, qua, paucis additis, poſſem planius, & apertius epiſtolarum ſententiam complecti. Quoties etiam aliquid abditum magis, & reconditum occurrit, iudicaui rationi conſentaneum eſſe, huic difficultati ſatisfacere additis adnotationibus, propoſitis breuiter varijs expoſitionibus Patrum ac Doctorum præcipuorum. Nec prætermiſi interdum pro mea tenuitate proponere quæ ſentirem, quæque in rem eſſe iudicarem, hauſta illa quidem ex fonte cœleſtis luminis potius quàm vlla mea facultate comparata: Non enim is ſum, qui mihi multum arrogem, & aſſumam; ſed qui omnia Deo accepta referam, & aſcribam, cum hoc vnum ſemper habuerim antiquiſſimum, vt meam imbecillitatem cognoſcerem, animo ſubmiſſo opem diuinam implorarem, vt, lumine diuino illuſtratus, poſſem animo penetrare abdita quæque, & recondita, quæ epiſtolis Sanctiſſimi Apoſtoli comprehenduntur. Illud optans & ſtudens, hiſce meis lucubrationibus, ingenijs ſimplicibus, & pijs vtilitatem aliquam afferre, vt veritas aperte conſtet, etiam ſi interdum non adducum eas quæſtiones, quas ſacri theologi ex abdito eruunt, & expiſcari penitus conantur. Hoc fuit ſtudium meum, hæc ratio conſilij mei: quod ſi tibi probabitur, ſatis mihi tributum a te, optime lector, de impenſo multo meo labore exiſtimabo. Vale.*

ELENCHVS CAPITVM,
quę in Pręfatione continentur.

EXPENDITVR humani generis perditio ſubſequuta ad occaſum primi parentis, & Dei pro eius reparatione prouidentia & immenſa miſericordia. Cap. I.

Diſcrimen exponitur inter ſtatum humani generis ante legem, & poſt legem datam a Deo populo Hebræorum. Cap. ii.

Ante expletum Euangelium, quomodo collata ſalus humano generi intelligebatur. Cap. iii.

Expleta quomodo fuerit per Chriſtum humani generis redemptio. Cap. iiii.

Qualem ſe præſtare habeat, qui per baptiſmum ſit regeneratus. Cap. v.

De præconibus a Chriſto delegatis ad prædicandum Euangelium. Cap. vi.

De munere Apoſtolatus, & Pauli nomine. Cap. vii.

De ſalutatione, quam ſuis epiſtolis propria manu ſcriptam Apoſtolus Paulus apponebat. Cap viii.

De Gratiarum actione appoſita in epiſtolis Pauli. Cap. ix.

Quam ob cauſam Apoſtolus Sanctos, & electos Dei eos appellet, ad ad quos ſcribit, qua ve prudentia ſe gerat in laudando, & redarguendo. Cap. x.

Quo nam modo opera Dei circa electos effari Apoſtolus conſueuerit. Cap. xi.

De diuina prudentia, qua ſe geſſit Apoſtolus in conſeruanda legis veteris dignitate, & tutanda ſimul libertate euangelica. Cap. xii.

De ordine ſeruato ab Apoſtolo in ſuis contexendis epiſtolis. Cap. xiii.

De orationis genere, quo vſus eſt Apoſtolus in ſuis epiſtolis. Cap. xiiii.

De numero epiſtolarum S. Pauli, & cur primum locum epiſtola ad Romanos obtinuerit. Cap. xv.

INDEX RERVM,

QVAE NOTATV DIGNA in Præfatione continentur.

ADAE caro, ob peccatum ſaucitata, vitio concupiſcentiæ infecta eſt, vt hinc in ea habitans anima labem & procliuitatem ad peccandum contraxerit, quod & in poſteros tráſmiſſum eſt. fol. 1. a tergo.
Agnitio peccati originalis quomodo ad Adæ poſteros deuenerit. fol. 1. a tergo.
Damnatum adeo non fuit genus humanum ex delicto primi parentis, vt ad medelam a Deo ſuſcipiendam, aptum eſſe non potuerit. fol. 2.
Deus occluſam numquam viam reliquit homini ad eius gratiam conſequendam. fol. 3.
Eloquentia qualis fuerit Pauli, fol. 10.
Epiſtola ad Romanos in initio continet ſubiectum omnium epiſtolarum. fol. 11.
Epiſtolæ Pauli fere omnes in primis produnt doctrinam dogmatum, mox ea, quę ſpectunt ad vitæ & morum inſtitutionem. fol. 9. a tergo.
Epiſtolæ Pauli cur difficiles cenſeantur. fol. 9. a tergo.
Fomes concupiſcentiæ remanet poſt ſuſceptum baptiſmum ad agonem relictus, fol. 1. a tergo. & fol. 5. a tergo.
Fomiſem cócupiſcétiæ quodam modo dici peccatum, at non proprie eſſe peccatum. fol. 1. a tergo.
Gratia Dei, quam in ſuis epiſtolis ſemper precatur Paulus ijs, ad quos ſcribit, ſummum ac maxime commune bonum continere fol. 7. a tergo.
Gratiarum actione hominem diſponi ad maiora in dies beneficia a Dei bonitate conſequenda. fol. 7. a tergo.
Hominis natura ex peccato primi parentis ſauciata, at non penitus in eo extincta fuit facultas rationis. fol. 2.
Humanum genus numquam proprijs viribus eripi ex illa miſeria poterat, quam contraxerat ex peccato primi parentis. fol. 2.
Iudicium hominum cur dilatum vſque ad extremũ diem vniuerſalis iudicij. fol. 3.
Iuſtitiam non niſi ex gratuita Dei gratia homini conferri, non abſque tamen proprio conſenſu humanæ voluntatis. fol. 5. a tergo. & fol. 6.
Legis veteris ceremonialia inſtituta, in initio Euangelij non ſublata, ſed aliquandiu tolerata fuerunt. fol. 9.
Mala quæcunque ad primos parentes ex eorum delicto peruenere, in ipſorum quoque poſteros influxerunt. fol. 1.
Macula originalis per baptiſmum lauacro regenerationis mundatur. fol. 1. a tergo.
Myſterium incarnationis Verbi quomodo intelligendum, quòd latuerit omne genus creaturarũ, quod poſt Chriſti aduentum, & poſt eius reſurrectioné per Apoſtolos eſt manifeſtatum. fol. 2. a tergo.
Myſterium redemptionis humani generis quo tépore placitum eſt Deo mandare executioni. fol. 2. a tergo.
Myſteriũ Chriſti, ſi quidam forte ignorarunt, quomodo ad ſaluté potuerint peruenire. f. 3. a tergo.
Ordinem, in quo diſpoſitę ſunt Pauli epiſtolæ, rationi temporis, in quo ſcriptæ ſunt, minime congruere, neque inuicem aliqua ratione omnes connecti. fol. 10. a tergo.
Originale peccatum quomodo in poſteros Adæ tranſmiſſum, & qua in re proprie ſit poſitum. fol. 1. a tergo.
Paulus, cur numquam in epiſtolis Sauli nomine ſe nuncuparit. fol. 7.
Paulus in omnibus ſuis epiſtolis illud potiſſimum molitur, vt erroneam Hebræorum exiſtimationem euellat, qui ſibi aſſumerét proprijs viribus per ceremonialia ſeorſum a Dei auxilio poſſe iuſtificari. fol. 9. a tergo.
Peccaſſe dicuntur poſteri in Adam, vt qui potentia in eius carne continerentur ex eadem procreandi, fol. 1.
Peccatum vitiũ concupiſcendi, quomodo dicatur non imputatum ante legem Moyſi. fol. 1.
Præceptum de non concupiſcendo ſapientiſſime propoſitum a Deo. fol. 3. a tergo.
Ratio quædam æquitatis atque pietatis adfuit, qua Deus generis humani miſertus eſt. fol. 2.
Ratio quænam fuerit a Deo inſtituta pro humani generis redemptione. fol. 2.
Redemptio generis humani a Deo facienda, præclarius quam antea in fide Abrahæ eſt manifeſtatá. fol. 3. a tergo.
Sapientes, ſeu philoſóphi, omnium hominum maxime, Dei notitiam per ea quæ facta ſunt, percipere potuerunt. fol. 3.
Teſtamenti veteris myſteria Chriſtum præmonſtrantia poſt eius aduentum, & conſummationem, omnia corruere. fol. 6. a tergo.
Venumdati cur dicti ſunt poſteri Adę ſub eius peccato, fol. 1.
Verbum factum caro, non vt primus homo a Deo factus eſt, nec eo modo vt eius poſteri procreátur, ſed alio quodam nouo modo. fol. 2.
Verbum incarnatum, Chriſtus, quia vnctus in plenitudine Spiritus ſancti, antonomaſtice nunc aptus eſt. fol. 2.
Veritate adueniente, vmbra futurorum debuit ceſſare. fol. 9.

INDEX EORVM, QVAE NOTATV DIGNA

in Adnotationibus continentur.

A

ABORTIVVM, fœtum quomodo ſe nuncupet Apoſtolus Paulus. fol. 92. columna. 1.
Acceptabilis, ſignificatum, folio. 178 columna. 1.
Adam primus, quomodo factus in animam viuentem. fol. 94. c. 1.
Adã nouiſſimus, quomodo in animam viuificãtem. fol. 94. c. 1.
Adam primus quomodo e terra terrenus. fol. 94. c. 2 3.
Adam ſecundus quomodo e cœlo cœleſtis. fol. 94 c. 2. 3.
Adam quomodo nõ ſeductus, qui tamen peccauit. f. 165. c. 2
Admonitionem de his quæ futura ſunt aliquibus poſſe prodeſſe. fol. 164. c 4
Aduentus domini quomodo vt fur in nocte, cum tamen in claritate ſit futurus. fol 152. c 4
Aeterna tẽpora, ſumpta pro antiquis tẽporibus. fol. 176. c. 3
Agon, & certamen in oratione ſuſcipiendum. fol. 59. c. 1.
Allegoricum ſenſum eſſe in ſacra ſcriptura præter litteralem. fol. 82. c. 2
Aliud eſt dicere, quòd Deus prædeſtinet credituros, quia præcognoſcat credituros, quaſi hoc ex cauſa; & aliud eſt ſimpliciter dicere, quòd prædeſtinet credituros. fol. 84. c. 4
Anathema eſſe a Chriſto pro fratribus ſuis, quomodo Paulus intellexerit fol. 46. c. 4
Anathematizaſſe Paulum eos, qui præterquam quod ipſe prædicauerat, prædicarent, quomodo ſit accipiendum. fol. 115. c. 2.
Angeli quomodo ſint adminiſtratorij ſpiritus. fol. 1 4. c. 1
Angelis ex opere operato in eccleſia, multa potuerunt innoteſcere circa Dei myſteria, fol. 138. c. 1
Anima Chriſti ita ſanctificata, vt alias poſſet animas ſanctificare, fol. 15 c. 2
Anima rationalis nuncupata ſpiritus in ſacris litteris, fol. 15. c. 2. fol. 42. c. 3
Anima rationalis ex contactu corporis immundi redditur immunda, fol. 32. c. 3
Animalis, & carnalis hominis, differentia, fol. 70. c. 2
Anteſignani omnium ſunt Apoſtoli in eccleſiæ ſtructura, fol. 137. c. 3
Apoſtatas, & hæreticos ſubdi iuriſdictioni eccleſiæ, fol. 73. colum. 3
Apoſtoli quomodo miniſtri noui teſtamenti non littera ſed ſpiritu, fol. 110. c. 1
Apoſtolis cur dederit Chriſtus poteſtatem tradendi peccatores in manibus ſatanæ, fol. 73. c. 2
Apoſtolus manifeſte ſupponit, teneri hominẽ iuſtum bonis operibus incumbere, vt in dies magis iuſtificetur, f. 54. c. 4
Apoſtolus fidei iaciebat fundamentum, vbi nondum erat prædicatus Chriſtus, ad quos autem erat prædicatus, eos in fide confirmabat, f. 59 c 1
Apoſtolus innuptus fuit, vt colligitur ex eius verbis, fol. 76. colum. 3. 4
Apoſtolus quomodo intellexerit, quòd prophetæ ex parte prophetent, f 88. c. 1
Apoſtolus in quo ſenſu dixerit, ſe non amplius vllum hominum noſſe ſecundum carnem, neque Chriſtum, fol. 103. c. 2. 3
Apoſtolus ſe imperitum ſermone nominat, licet forti polleret eloquentia, folio. 108 columna 3
Apoſtolus Paulus in plumbeis Pontificijs a dextris ponitur, Petrus autem a ſiniſtris, fol. 114. c. 4
Apoſtolus ſcribens Galatis, profitetur ſe nemini velle placere, ſcribens autem Corinthijs ait ſe omnibus placere, fol. 115. c. 3
Apoſtolus inquiens, futurum vas in honorem qui ſe emundauerit, palam ſignificauit, ex parte hominis requiri vt ſtudeat diſcedere ab iniquitate, quod tamen non fit ſine ſpeciali Dei auxilio, fol. 173. c. 3
Apoſtolus Chriſtum Deum eſſe manifeſtauit. fol. 186. c. 4
Apoſtolus quomodo, & de quibus intellexerit, impoſſibile eſſe renouari ad pœnitentiam, fol. 191. c. 2. 3
Ariani redarguuntur, volentes filium tãtummodo eſſe imaginem viſibilem, cum pater ſit inuiſibilis, fol. 148. c. 2
Argumentum, quaſi arguens mentem, fol. 200. c. 2
Arrabo, & pignus differunt, fol. 127. c. 2
Articulus fidei primus, & præcipuus eſt, credere ex nihilo factum eſſe mundum, fol. 201. c. 2
Aſſenſus circa inuiſibilia, anathonomaſtice dictus, fides, fol. 200 c. 4
Auditus ad internam quoque reuelationem alicui factam extenditur, fol. 50. c 4
Auguſtini opinio, quòd Paulus de ſe ipſo illa protulerit in epiſt. ad Rom. ego carnalis, quod odi malum illud facio, & cætera huiuſmodi, fol. 39. c. 3. 4
Auguſtini opinio, quòd Deus prædeſtinat credituros iuxta ipſorum bonas voluntates, fol. 48. c. 4

B

BARNABAM nutrire an conueniat ſacerdoti, fol. 48 c. 1.
Barbarus vnde appareat, qui loquitur lingua peregrina, fol. 89 c. 2. 3
Baptiſmum ſuſcipientes, circumcidi in Chriſto dicuntur, f. 151. c. 1
Baptizari pro mortuis, quomodo ſit intelligendum, folio 93. c. 3. 4.
Belli tria genera, fol. 164. c. 3
Bonum opus quomodo deſideret, qui epiſcopatum deſiderat, fol. 165. c. 4

C

CHARISSIMI Iudæi Deo, & inimici quomodo, fol. 53. c. 3
Caro, non ex ſua natura mala, licet in ipſa habitet peccatum, fol. 38. c. 1
Carni, & ſanguini non acquieſcere, quid ſit, fol. 116. c. 1
Caſus Iudæorum mundo diuitias attulit diuinæ bonitatis, fol. 53. c. 1
Charitas, quæ in hac vita, eadem in alia augebitur, f. 88. c. 2
Charitatẽ, non quærere quæ ſua ſunt, quomodo intelligendum, fol. 88. c. 1
Charitatis maximus ille fructus, cum quis non tantum ſua, ſed etiam quæ ſunt aliorum curet, fol. 140. c. 2
Chirographum quale fuerit deletum per Chriſtum, folio 151. c. 1
Chriſtum poſſe dici natum, plurima docent loca ſacræ ſcripturæ, fol. 14. c 4
Chriſtus quomodo prædeſtinatus, fol. 15. c. 1.
Chriſtus dicitur filius Dei ex duplici natiuitate, fol. 15. c. 2
Chriſtus reſurrexit propter noſtram iuſtificationem quomodo ſit intelligendum, fol. 30. c. 3
Chriſtus, Iudæis per pacta & ſcripturam quaſi per ſtipulationem promiſſus, non ita gentibus, fol. 58. c. 3.
Chriſtus ſine cibi ſuſtentatione degere potuiſſet, & non mori, licet ob redemptionem humani generis his omnibus ſe ſubiecerit, fol. 94 c. 4
Chriſtus quomodo non nouerit peccatum, fol. 103. c. 4
Chriſtus vnica oblatione compleuit opus redemptionis, f. 193. c. 4

Chriſtus quomodo maledictus, fol. 319 columna 3
Chriſtus quomodo formam ſerui acceperit, fol. 141. c. 2. 3
Chriſtus quomodo dictus a Paulo, quòd ſit factus in ſimilitudinem hominum, fol. 141. c. 3
Chriſtus quomodo habitu inuentus vt homo, fol. 141. c. 3
Chriſtus Crucifixus, Dei virtus, & Dei ſapiētia fuit, fo. 66. c. 4
Chriſtus vnde dictus filius hominis, fol. 185. c. 1
Chriſtus quomodo paſſus ſit tentationes, f. 185. c. 4. f. 188. c. 2
Chriſtus quomodo ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, fol. 189. c. 1
Chriſtus quomodo aſſimilatus ipſi Melchiſedech, fol. 192. c. 4. fol. 193. c. 1
Chriſtus quomodo & ſedet & ſtat in cœlis, f. 194. c. 2
Chriſtus miniſter, ſed non vt Angeli, fol. 194. c. 23.
Circuncíſio quomodo proderat, vt dicit Apoſtolus, & cur Iudæis fuerit impoſita, fol. 21. c. 4. fol. 22. c. 1. fol. 29. c. 3. fol. 77. c. 3
Circuncíſio non continet iuſtitiam, ſed teſtimonium iuſtitiæ, fol. 29. c. 4
Circuncíſio omnium legalium obſeruationem inuoluebat, fol. 122. colum. 4
Characteris ſeu figuræ appellatione, cū dicitur quòd filius eſt figura ſubſtantiæ patris, denotatur quòd totā naturam patris in ſubſiſtentem repræſentet, fol. 183. c. 1
Chryſoſtomus præclara tradit de purgatorio, fol. 139. c. 3
Cœcitatem dari a Deo peccatoribus, quomodo ſit intelligendum, fol. 52. c. 4
Cogitare de craſtino, quomodo nō improbandū, fol. 95. c. 4
Cognitio de Deo habita per ea, quæ facta ſunt, magis fuit illuſtrata ex miris operibus, quę Deus fecit in fauorem Hebræorum, ſed multo maior patuit poſt Chriſti aduentum: licet omnis notitia per nos hic habita, ſit ænigmatica, relata, ad notitiam quæ habebitur in patria, fol. 18. c. 2. 3. fol. 67. c. 3
Cognitio peccati habita per legē, & nō abſolutio, fol. 25. c. 1
Cognitum eſſe hominem a Deo, ad ſummum apicem pertinet fœlicitatis, fol. 78. c. 3
Comſiti dicimur in Chriſto & conregnantes, at non combaptizati cum Chriſto, fol. 34. c. 4
Concluſa omnia ſub peccato in ſcriptura, fol. 120. c. 1
Concubitus reddit corpus pollutum, licet pollutio ſanetur per ſacramentum matrimonij, fol. 78. c. 1
Concupiſcit caro aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, fol. 123. c. 1
Confirmatio vſus indulgentiarum, fol. 198. c. 4
Conformes imagini filij Dei erunt electi in humanitate, non in diuinitate, fol. 45. c. 2
Conſcientię tria munera tribuuntur, fol. 21. c. 4
Conſcius ſibi de nullo, non propterea iuſtificatum ſe cenſebis, fol. 72. c. 2
Conſecratio in dies noua per ſacerdotes, ſed non nouæ hoſtiæ, fol. 199. c. 2
Conſuetudo inualuit (Deo ita permittente) apud omnes nationes, vt ab auctoritate & exemplo ſapientū reliqua multitudo penderet & inſtrueretur, fol. 18. c. 2
Corde credere quomodo oporteat & ore cōfiteri, f. 50. c. 2. 3
Corporaliter diuinitatem in Chriſto habitare, varie interpretatur, fol. 150. c. 12
Corpus peccati quale intelligendum, fol. 34. c. 4
Creationem mundi ex biblia optime perſuaderi, fol. 21. columna 3.
Creari omnes homines vniformes, vt non fiant alij boni, & alij mali ex natura, fol. 53. c. 2
Corporis cuiuſque humani propriam materiam in mundo permanere, donec fiat reſurrectio corporum, fol. 95. c. 2
Creatura rationalis quomodo potuerit coinquinari, non ita aliæ res irrationales, fol. 16. c. 1.
Creatura ingemiſcens quæ ſit intelligenda, fol. 43. c. 2. 3
Credere in Deū, ſupponit credere Deo, nō e contra, f. 24. c. 2
Credere nemo poteſt, niſi volens, cùm poſſit homo aliquid agere nolens, fol. 50. c. 3
Crucis gloria fuiſſet euacuata, ſi prædicata ab Apoſtolis per eloquentiam, & ſapientiam humanam, fol. 63. c. 4
Crux Chriſti abhorret lenocinia & ornamenta ſermonis, fol. 65. c. 4. fol. 67. c. 2
Crux Chriſti, & ſi non egens eloquentia, vt magnificetur, magnū tamen eloquentiæ cāpum pręberepoteſt, f. 67. c. 2

D

DEcimas Deo reddere cur conueniat, fol. 193. c. 1
Dæmones Chriſtum Meſſiam venturum agnouerunt, non autem quòd eſſet filius, Deus Verbum de Deo patre, fol. 69. c. 1
Dæmones dicti rectores tenebrarum, fol. 136. c. 2
Dæmones poſſunt præſtare facta, quæ appareant miracula, ſed vere non ſunt, fol. 160. c. 3
Deceptio ſemper præcedit peccatum, licet ſit voluntarium, fol. 37. c. 3. 4
Delictum differt a peccato, fol. 128. c. 3
Deſcriptio fidei, vt dicitur ſubſtantia rerum ſperandarum, ad definitionem materialem pertinet, fol. 200. c. 1
Deſperatio facile cadit in ijs, qui puſillo ſunt animo, fol. 137. c. 3
Deſtinatum & prædeſtinatum eſſe differunt, fol. 14. c. 4
Deum eſſe ingenitum magis hæſitabile, quàm quod ex nihilo omnia fecerit, fol. 101. c. 3
Deum credere eſſe remuneratorem, inſitum eſt homini a natura, fol. 101. c. 4
Deus id proprium habet vt faciat nonnulla, quæ vere facta, ſunt etiam quorumdam factorum aliorum futurorum ſigna, fol. 82. c. 2
Deus ſanctorum ſuorum dictus Deus quomodo, fol. 16. c. 2
Deus omnia in omnibus, quomodo ſit futurus, fol. 93. c. 4
Deus, vt eſt actus puriſſimus, ſic nihil fert miſtum cum duplicitate, fol. 98. c. 1
Deus Chriſtum pro nobis, quomodo peccatum fecerit, fol. 42. c. 1, fol. 103. c. 4
Deus quomodo eligat quos idoneos præuoſcit miniſtros ſibi futuros, fol. 44. c. 3
Deus concluſit omnes in infidelitate, non tamen inijciens propoſitum infidelitatis, fol. 53. c. 3
Deus Iudex iuſtus non opus, ſed laborem reſpicit, fol. 70. c. 3
Deus non omnia in omnibus ita eſt in hoc ſeculo, vt erit in futuro, fol. 127. c. 2
Deus operatur in nobis, & velle & perficere, fol. 142. c. 3
Deus quomodo ſaluator omnium dicatur, ſed maxime fidelium, fol. 168. c. 1
Deus vult ipſi prudenter ſeruiri, ne nimietate debiles efficiamur, & poſtea medicorum ſuffragia requiramus. Ambroſij ſententia, fol. 169. c. 2
Deus aptat multa opera ad captum humanum, fol. 177. c. 1
Deus ſapienti medico aſſimilatus, fol. 193. c. 4
Dictum illud Apoſtoli: qui cum in forma Dei eſſet: varias recepit interpretationes, fol. 140. c. 4. fol. 141. c. 1
Dictum Pauli explicatur, vt compleamus ea, quæ deſunt fidei veſtræ, fol. 156. c. 2
Diem iudicij futurum pro certo ſcimus, & præceſſura ſigna, at quo tempore ignoramus, fol. 159. c. 4
Dies mali quomodo accipiendi, fol. 134. c. 3
Difficultas diluitur, quomodo Deus dilexerit peccatores, cum alibi dictum ſit, odiſti omnes qui operantur iniquitatem, fol. 32. c. 1. 2
Diligentibus Deum num etiam peccata cooperentur in bonum, fol. 44. c. 2
Diſcrimen inter Dei prophetas, & vates prophanos, fol. 86. colum. 1
Diſcrimen inter ſermonem ſcientiæ & ſapientiæ fol. 86. c. 3. fol. 149. c. 3.
Diſcrimen inter deprecationes, orationes, & poſtulationes, fol. 164. c. 2. 3
Diſcrimen inter dormientes & vitam agentes in die iudicij, fol. 157. c. 2
Diſceſſio quæ ſit præuentura Chriſti aduentum fol. 159. c. 4
Docentem falſa, peccatum ſubſequitur, vt non finiatur in ipſo, ſed remanent huius peſtilentis doctrinę ſucceſſores, fol. 169. c. 2
Doctoribus a Paulo prophetæ præponuntur, fol. 86. c. 3
Dogmata fidei quomodo ſint ſtabilienda, fol. 163. c. 4
Donec aduerbium, quomodo ſit accipiendum, fol. 93. c. 1
Dona gratis data quare dicta dona ſpiritualia, fol. 86. c. 1
Donum ſapientiæ quomodo poſſit eſſe ſine charitate, fol. 87. colum. 3
Donum linguarum Apoſtolis ante alia dona collatum, fol. 87. colum. 3.
Donum linguarum pro infidelibus, at donum prophetiæ

pro

pro fidelibus, fol. 90. columna 1.
Ducitur ad Chriſti fidem, ob timorem pœnæ, ob præmij dulcedinem, & ob bonitatis diuinæ excellẽtiã. fol. 51. c. 2

E

ECCLESIA Sancta Romana ſapiẽter & pie inſtituit, ne vxorati ad ſacros ordines admitterentur, fol. 76. c. 2.
Eccleſia in melius multa mutauit ſucceſſiuis temporibus, fol. 193. columna 4.
Electi & ipſi concurrunt pro ſinis eius executione, fol. 52. c. 3.
Electio in filijs Abrahæ ſecundum fidem, & non ſecundum carnem, fol. 47. c. 1.
Electionis verbo, corruptio denotatur præexiſtens in maſſa generis humani, fol. 126. c. 2.
Elementa dicta multis modis, fol. 151. c. 1.
Elementa quare dicta egena, & infirma, fol. 121. c. 3.
Epiſcopis incumbit onus vt ſint etiã doctores, fol. 152. c. 4.
Epiſcopus, vnde dictus, fol. 138. c. 3.
Eraſmus redarguitur perperam ſentiens de ſacramẽto matrimonij, fol. 135. c. 1. 2.
Error dicentium, a nobis eſſe cœptum fidei, a Deo ſupplementum, fol. 100. c. 1.
Error redarguitur dicentium Antichriſtum futurum ſatanã, & non hominem, fol. 139. c. 4.
Error perperã ſentientium de prophetis ex verbis Apoſtoli conuincitur, fol. 182. c. 3.
Euacuandum omnem principatum a Chriſto, quomodo ſit accipiendum, fol. 95. c. 4.
Euangelio confirmato, ſubtraxit ſe Deus a miraculis, & alia per fidei corroboratione ſucceſſerunt, fol. 201. c. 1. 2.
Euangelium auguſtiſſimi facti nuncium antonomaſtice dictum, fol. 14. c. 2.
Euangelium in veteri teſtamento extabat in promiſſis, at in nouo adimpletum, fol. 14. c. 5.
Euangelium idem Dei & Chriſti dictum, fol. 14. c. 3.
Euangelium perfectum, vt ei nihil addi poſſit, cum tamen multa pro Chriſtianorum perfectione, & correctione inſtituta ſint ab Apoſtolis & eius ſucceſſoribus, & in dies inſtitui poſſint, fol. 155. c. 2.
Euangeliũ quomodo dicatur prædicatum in vniuerſa creatura, fol. 148. c. 3.
Eucharistiæ ſacramentum infert ex neceſſitate commemorationem Chriſti paſſionis, fol. 84. c. 4.
Exemplaria lege contenta, cur dicta principia, fol. 196. c. 1.
Exercitatio corporalis quomodo ad modicum vtilis ex verbis Apoſtoli, fol. 168. c. 1.
Exinaniſſe quid importet, fol. 141. c. 1. 3.
Explanatio de Iuſtificatione aduerſus hæreticos, fol. 60. c. 1. 2. 3. 4. fol. 62. c. 1. 2.
Expoſitio verborum, quòd Deus vult omnes ſaluos fieri, fol. 164. c. 4.
Expoſitio verborum: niſi credideritis, non intelligetis, fol. 190. c. 2.
Extaſis quomodo fiat in homine, fol. 100. c. 1.
Extaſis appetitiua non fit ſine cognitione præcedente, fol. 110. c. 1.

F

FACERE detrimentum quomodo Paulus intellexerit, fol. 143. c. 4.
Facultas ſacrificandi bruta animalia cur data Hebræis, fol. 198. c. 2
Feſtorum dies alia ratione celebrantur a Chriſtianis, quàm fieret ab Hebræis, fol. 121. c. 3.
Fide magnifice de Deo cogitare, nõ eſt quid modicum, aut tenue, fol. 29. c. 1.
Fidei alienæ nemo dominari proprie poteſt, fol. 88. c. 2.
Fidei explicita definitio, fol. 201. c. 3.
Fides ex auditu, vt cauſa efficiente inſtrumentali naturali proueniens, ex hoc ſolo non ſubſiſtit, fol. 50. c. 4.
Fides abſque charitate haberi poteſt, ſed mortua, f. 62. c. 3. 4.
Fides initium iuſtificationis tanquam radix, ea quæ rami fructum ferentes, vt non ex operibus radix iuſtitiæ, ſed ex radice iuſtitiæ fructus operum creſcat, fol. 61. c. 4.
Fides quomodo aſſimilata grano ſynapis, fol. 87. c. 4.
Fides quomodo dicta donum Dei, fol. 159. c. 1.
Fides vt ſcutum deſeruit Chriſtiano aduerſus diaboli inſultus, fol. 143. c. 4.
Fides Chriſti quomodo omnibus patens ſit, ſed non omnibus myſteria manifeſta, fol. 194. c. 4.
Fides quomodo dicta eſſentia, ſeu ſubſiſtentia rerũ ſperandarum, fol. 200. c. 1.
Fides conuictio rerum, quæ non videntur, fol. 100. c. 2.
Fides in genere eſt quidam aſſenſus intellectus, fol. 100. c. 3.
Fides quomodo in intellectu tantum, & quomodo ſimul cum voluntate conſiſtat, fol. 200. c. 4.
Fieri ex medio, phraſem eſſe orationis, qua denotatur, rem cœptam duci ad perfectionem, fol. 160. c. 2.
Filius Chriſtus Ieſus, quomodo futurus dicitur ſubiectus Deo patri, fol. 93. c. 3. 4.
Filius quomodo dictus primogenitus omnis creaturæ, fol. 148. c. 2. fol. 183. c. 4.
Filius, vt imago, ſic alia perſona, a patris perſona denotatur, fol. 148. c. 2.
Flamma ignis, quomodo aptata ſpiritibus cœleſtibus, fol. 184. c. 1.
Fornicatio eſt peccatum factum in proprium corpus, cum alia omnia peccata ſint extra corpus, fol. 74. c. 3.
Fornicationem aliud eſſe peccatum ab adulterio ex Apoſtoli verbis, fol. 103. c. 3.
Fundamentum eccleſiæ, vt petra totius machinæ, Chriſtus eſt, Apoſtoli vt columnæ ſuperpoſitæ, Petrus autem Princeps Apoſtolorum petra fuit, Chriſti petræ ſuperpoſita, fol. 70. c. 4.
Fundamentũ Chriſtianiſmi quibus ſit innixum, fol. 191. c. 1.

G

GEMITVS inenarrabiles ipſius ſpiritus, quomodo ſint intelligendi, fol. 100. c. 4.
Gentes non habentes legem, quomodo naturaliter ea quæ ſunt legis, facere potuerunt, fol. 51. c. 1. 2.
Gladius ex vtraque parte anceps, qualis, fol. 188. c. 2.
Gloria viri cur dicta mulier, fol. 83. c. 4.
Gloria quæ in facie Moyſi apparuit, longe inferior gloria baptizatorum in Chriſto, fol. 100. c. 3.
Gradus duplex fidei, explicitus, & implicitus vt hinc ex fide in fidem ſit progreſſus, fol. 17. col. 2. 3.
Gradus cognitionis tres aſſignati, fol. 100. c. 4.
Gratia pro fauore, pro beneuolentia, & pro dono animam afficiente, fol. 29. c. 2.
Gratia Dei quomodo dicta ab Apoſtolo, vita æterna, fol. 35. c. 3.
Gratia data ad menſuram fidei, fol. 152. c. 2.
Græcorum appellatione, apud Apoſtolum, interdum deſignari Græcos diſtinctos a Barbaris, interdum accipi pro omni genere nationum, fol. 16. c. 3.

H

HABITARE Chriſtum in nobis ſecundum intellectum, certo ſcire poſſumus, at non ſecundum affectum, & fidem formatam, niſi aliqua ex coniectura, fol. 122. c. 2.
Hæreſes plurimas iugulari ex verbis Apoſtoli in cap. 2. epiſ. ad Philipp. fol. 142. c. 1.
Hæreſis aſſerentium omnia peccata comburenda, & poſtea damnatos vna cum dæmonibus fore ſaluos, ex verbis Apoſtoli condemnatur, fol. 71. c. 2.
Hæreſis dicentium nihil effici per baptiſmum in mente baptizati, impugnatur ex verbis Apoſtoli, fol. 136. c. 3.
Hæreſis Marcioniſtarum adnexa hæreſi Manichæorum, e ſecta Epicureorum profecta, fol. 172. c. 1.
Hæretici impugnantur perperam ex verbis Apoſtoli deducentes, hominem formaliter non iuſtificari, fol. 29. c. 3.
Hæretici impugnantur perperã deducentes ex verbis Apoſtoli, quòd opera noſtra non ſint meritoria, fol. 43. c. 1.
Hæretici quomodo a malis Catholicis diſtinguãtur, f. 62. c. 4
Hæretici redarguuntur perperam verba Apoſtoli interpretantes circa corpus Chriſti, fol. 196. c. 3.
Hæreticorum impia garrulitas redarguitur, deteſtantiũ pios vſus eccleſiaſticos, qui fiunt per manuum impoſitionem, fol. 171. c. 3.
Hæreticorum falſa interpretatio redarguitur, tollentium a chriſticolis omnem timorẽ circa ſalutem, adeo vt & peccare aſſerant, qui huiuſmodi timore tangatur. f. 171. c. 4.
Hæreticus vnde dicitur, fol. 178. c. 3.
Hiſtoria eſt baſis & fundamentum aliarum omnium intelligentiarum, vt ad illam allegoricus, & omnis alius ſenſus adnitatur, fol. 152. c. 1. 2.

Homini

Homini a Deo conceſſa facultas, per ea quæ facta ſunt, perueniēdi ad aliqualem de Deo cognitionem, f.18.col 51.
Hominem non intelligere malum quod agit, quomodo ſit accipiendum, fol.37 c.4. fol.39.c.1.
Homines natura eſſe filios iræ, quomodo intelligendum, fol.129.c.1.
Homo quomodo venerit in cognitionem peccati, f.38.c.1.
Homo neque ſine fide iuſtificatur, neque iuſtificatus iuſte vitam ageret, niſi fidei adiuncta ſint opera, f.62.c.2
Homo, quomodo foris dictus, & quomodo intus, f.101.c 4
Humana natura fuit habilis reparationi, non angelica, fol.185.c.4
Humanæ naturæ legem vitæ præſcribere, conueniens fuit, fol.39.c.2
Humanitas mactata, a Chriſto offertur in cœlis Deo patri in perpetuum, f.194.c.3

I

Idolis immolata comedere eſt peccatum, f.167.c.4
Idolum nihil eſſe, f.78.c.4
Imago quibus debet conſtare conditionibus ad hoc, vt ſit imago, fol.148.c 2
Immaculati qui intelligantur, & qui ſancti, f.126.c.3
Immortale ſua ex natura, nil, præter ipſum Deum, f.170.c.2
Immortalitatem animæ inter perdifficile, non ſuppoſita corporis reſurrectione, f.92.c.1.
Inſpicitur omnia Deus nuda diuinitate, poſtea incarnatus carne ... impleuit, f.132.c.3
Impoſſibile per legem, hominem iuſtificari, f.41.c.3
Inexcuſabiles qui maxime ſint apud Deum, fol.19.c.4
Infideles traditioni eccleſiaſticæ quo ad ea quæ ſunt fidei, non ſubduntur, fol.73.c.3
Infidelitatis peccatum in voluntate poſitum, f.51.c.2
Infidelem virum per mulierem fidelē ſanctificari, quomodo accipiendum, f.77 c.1.2
Inuestigabiles viæ Dei etiam apud Angelos, f.54 c.1
Iniquitas, peccatum, delictum differunt, f.195.c.1
Iniquus & præuaricator differunt, f.30.c.2
Inſtantia quotidiana quæ vexabat paulum f.108.c.4
Inſtitutum Apoſtolorum, vt in celebratione myſteriorum, fieret memoria pro defunctis, f.139.c.3
Iob quomodo dictus a Deo, quòd adhuc retineret innocētiam, f.23.c 4.f.24.c.1
Ira differt ab indignatione, f.152 c.3
Iudæi ignorarunt Chriſtum eſſe Deum, etiam ſi cognouerunt ipſum eſſe Meſſiam, f.69.c.1
Iudæi reprobati ipſorum culpa, f.51.c.2
Iudæi carnales Meſſiam mundano faſtu ornatum expectabant, f.66.c.2
Iudæis quomodo primus tribuat Apoſtolus in pœnarum & præmiorum retributione, f 20.c.2.3
Iudæis cur impoſitum fuit abſtinere a certis cibis, f.167.c.3
Iudaicæ fabulæ quomodo accipiendæ, f.177.c.2
Iudicabūt ſancti, & homines & dæmones dānatos, f.74.c.2
Iudicium Dei imperſcrutabile circa liberum arbitrium hominis, f 53.c.4
Iudicium quale prohibitū & quale non prohibitū, f.72.c 3
Iuſtificationis omnes cauſæ paucis verbis ab Apoſtolo cōprehenſæ, f.27.c.3.4
Iuſtitia, qua multi iuſti erant coram Deo, ante Chriſti conſummationem occluſa & occulta fuit mundo & diabolo, ac poſtea manifeſtata f.17.c.2
Iuſtitia Dei quomodo dicatur quòd ſeorſum a lege ſit manifeſtata, f.26.c.1
Iuſto non eſſe impoſitam legem quomodo intelligatur, f.21.c.3.f.39.c.1.f.55.c.2.f.163.c 2

L

Lac quomodo diſtinctum a ſolido cibo, fol. 189. c.3.4. fol.190.c.2
Latentia in corde hominis, certo cognoſcere non poteſt homo, non dæmon, non Angelus, f.63.c.2
Latro in cruce bonam eſt confeſſus confeſſionem, vnde & iuſtificatus euaſit, f.62.c.1
Legalia quando vere mortifera effecta ſunt, f.117.c.4
Lex cur in cordibus ſcripta dicatur, f.22.c.2
Lex hominibus perfectiorem peccati cognitionem indidit fol.25.c.1
Lex ex humanis nulla pœnas ſtatuit aduerſus praua concupiſcentes, fol.25.c.2.fol. 38.c.4
Lex prohibendo concupiſcentiam, hominem ad agnitionem perditi ſui ſtatus reuocauit, f.33.c.4
Lex moſaica, vnde dicta lex mortis, & peccati, f.34.c.4
Lex iuſtitiæ non idem, quod iuſtitia legis, f.49.c.3
Lex multis modis accepta in ſcripturis, f.90.c.1
Lex quomodo impoſita ob tranſgreſſionem, f.119.c.4
Lex vnde dicta maceries, f.129.c.3.
Lex ſi data eſſet quæ poſſet iuſtificare, quomodo vere ex lege eſſet iuſtitia, vt ait Apoſtolus, f.120.c.1
Lex moſaica cur inutilis & infirma, f.193.c.3.
Lex moſaica quomodo aſſimilatur lacti, f.193.c.4
Locus inſignis aduerſus ſacramentarios ex verbis Apoſtoli, fol.82.c.1
Locus inſignis ex verbis Apoſtoli aduerſus hæreticos aſſerentes hominem ſola credulitate ſaluari, f.171.c.3
Longanimitas eſt quid aliud a patientia, f.147.c.4
Lutherani impugnantur de hoc quòd nolint opera noſtra vllius eſſe valoris, fol.54.c.1

M

Magiſtratum gerere a Dei pendet prouidentia, non hic vel ille magiſtratus; quum illquæ poteſtates non ſint a Dei electione, vt illas approbet, f.55.c.3
Malum reddere grauius peccatum, quàm illud quod factū eſt primum, f.55.c.1
Mandatum de non concupiſcendo ſanctum, & vtile homini, fol.37.c.4
Manichæi redarguuntur perperam deducentes ex verbis Apoſtoli, quòd Chriſtus veram carnem non habuerit, fol.103.c.3
Manufactum quomodo dicatur corpus, noſtrum, f.100.c.3
Marcion multa diſſecuit ex epiſtola ad Rom. quòd ſuæ obſiſterent hæreſi, f.60.c.1
Mediator quomodo Chriſtus inter Deum & homines, fol.165.c. 1.
Menſura ætatis plenitudinis Chriſti vt intelligenda, fol. 132.col.4
Mentem humanam ex apparentibus ſignis, & omnino aliqua extrinſeca impulſione induci ad fidem de inuiſibilibus ſuſcipiendam, f.200. c.2.3.
Mercenarius quomodo a paſtore diuerſus, f.139.c.2
Merces ſupererogationis a Paulo expectata, vnde pendebat, f.80.c.3.
Miniſtrorum Dei vnum alio non præferendum, quomodo ſit accipiendum, f.70.c.3
Mirabilia videntibus nullum dant laborem, ſicut lac ſine opere dentium manducatur, panem autem perfectionis quibuſdam quaſi dentibus ſpiritualibus oportet molere, fol.68.c.3
Miracula poſt fidem Chriſti confirmatam prætermiſſa a Deo, & aliæ res ſubinductæ ad corroborationem credentium, fol.67.c.4
Miſericordia cur addita in epiſt. ad Timot. & ad Titum, gratiam & ad pacem, f.161.c.4
Modeſtia ſumpta ab Apoſtolo pro moderatione circa omnia, fol.145.c. 1.
Mori hominem quomodo ſtatutum ſit, f.197.c.1
Moriuntur omnes in Adam, in Chriſto autem omnes viuificabuntur in reſurrectione corporum, tam beati, quam damnati, f.33.c.3.f.70.c.3
Mors conſecuta ad peccatum originale in omnibus eſt dominata, f.73.c.2
Mortem omnes homines ſubituros multa teſtantur, fol. 157.col.1.
Mulier licet ſit ſub viri poteſtate, æqualem tamen in actu concubitus habet poteſtatem in corpus viri, vt & vir, in corpus mulieris, f.76.c.1
Munera ab hoſtijs diuerſa, f.194.c.3
Munus prædicandi munere baptizandi longe difficilius, fol.65. col.3
Myſterium Verbi incarnandi ſi abſconditum in Deo, vt ait Apoſtolus, nulli igitur creaturæ patere potuit, niſi cui Deus voluit reuelare, f.131.c.1
Myſterium iniquitatis, quale intelligitur, f.160.c.1

N

Natanael quomodo dictus verus iſraelita, fol.23.col.4. fol.24.columna 1.

Neſtoriani

I N D E X.

Neſtoriani redarguuntur perperam interpretantes verba Apoſtoli,f.185.c.2.
Nomen donatum Chriſto quale fuerit, f.141.c.1.f.195.c.4
Nomine determinato Deus non nominatur,f.127.c.3
Nouatiani ſi hęreſis negantium pœnitentiam poſt baptiſmum,ex verbis Apoſtoli impugnatur,f.144.c.3.f.191.c.4
Nudi & non veſtiti qui intelligantur ab Apoſtolo 2. Cor. c.5. fol.102.c.4.
Nuptias ſimpliciter damnare,aut eſum aliquorum ciborum hæreſis eſt:ſanctum autem eſt, ob maius bonum Deo vouere virginitatem,& a certis cibis ſemper aut certo tempore abſtinere ob corporis caſtigationem, vel ad pœnitentiam abſoluendam,f.167.c.3

O

OBlatio Chriſti quomodo per ipſum facta & quomodo per ſacerdotes habeatur,f.84.c.4
Obſecratione,Dei gratia imploratur,f.145.c.2
Obſeruatio ieiuniorum, dierum feſtorum, & vſus ſacramētorum in tantum habent valorem, in quantum ad Chriſti plenitudine referuntur,f. 150.c.3
Oculi ictus,in quo fiet reſurrectio,vt intelligendus,f.95.c.2
Odor bonus in vitam quomodo bonis erat Apoſtolus, & odor in mortem malis, f.99.c.1.2
Oleaſtrum inſeri in oliuam, & oliuam proferre, eſt contra naturam,f.55.c.2
Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſſe, quomodo ſit accipiendum,f.57. c.3
Opera legis non iuſtificantia quæ ſint dicenda, f.24.c.2.3. fol.143.c. 3
Opera ſine fide nullatenus hominem poſſunt viuificare, fol.61.c.4
Opera noſtra,iuxta meritum,a Deo compenſari,fol.71.c.3
Operibus legis hominem non iuſtificari, & factores legis iuſtificari,quomodo inuicē nō aduerſentur, f 24.c.2.3.4
Operum tria genera:vnum immanens in Chriſti fundamēto. Aliud ſuper Chriſti fundamentum cum impuritate, vt ſit purgandum. Tertium eſt extra fundamentum, quibus homo traditur in mortem æternam, niſi pœnituerit, fol.91.c.3
Oportere eſſe hæreſes & ſcandala, quomodo ſit accipiendum, f.84.c.2.
Opportune,importune,quomodo ſe regere debeat propoſitus animarum,f.174.c.4.f.175.c.1
Orare paſtor debet pro plebe,& plebs pro paſtore, f.133.c.3
Oratio humilem comprehēdit animi eleuationem,f.45.c.2
Oratio quomodo habenda in omni tempore, & ſine intermiſſione,f.36.c.4.f.158.c.1
Orationes etiā pro regibus infidelibus faciendæ, f.164.c.3
Origenes animam rationalem ponit diſtinctam a ſpiritu, fol.16.c.3
Origenes cenſuit cognitionem peccati haberi per legem naturalem, cum homo peruenerit ad ætatem diſcernendi bonum a malo,f.25.c.2.f.38.c.2

P

PAnis in ſacra ſcriptura ſumitur pro omni comeſtibili, fol.161.c.2
Papa non poteſt errare circa fidem, vt poſſit ſtatuere decretum hæreticum,f.117.c 4
Parochi opus exercent ſimile operi Epiſcopi,f.166.c.4
Paſſiones ſanctorum quomodo dictæ Chriſti paſſiones, fol 148.c.4
Paſſuros omnes qui pie viuere volunt quomodo intelligendum,fol.174.c.2
Paſtor differt a mercenario,f.139.c.2
Pater in quo ſenſu ſolus dicatur immortalis,f.163.c 4
Paternitas Dei alia relata ad Verbum, & alia relata ad Angelos & ad homines,f.151.c.2
Paulus diſputationem illam grauiſſimam c.9. ad Rom.de iuſtificatione habuit ad obtundendum præſertim erroneam Iudæorum præſumptionem,qui Dei miſericordiæ nequaquam ſe ſubijciebant ſed proprijs viribus iuſtificari poſſe ſibi aſſumebant: & conſimilem habuit Auguſtinus pugnam aduerſus Pelagianos, f.48.c.3.4
Paulus non diſcors a B. Iacobo circa Abrahæ iuſtificationem,f.29.c.1
Paulus nō diſcors a Iacobo, dum dixit quòd patientia operatur probationem: Iacobus autem quòd probatio fidei operatur patientiam, fol.31.columna 4.
Paulus perfectioribus prędicabat ſapientiam altiſſima myſteria continentem,f.68.c 3
Paulus ait creditum ſibi a Deo Euangelium, quòd ipſum fidelem exiſtimauit,f 150.c.3.f. 163.c.3
Paulus cur nonnullos traderet ſatanæ caſtigandos,f.164.c.1
Pauperes & ignobiles cur facilius in initio fidei ſuſciperent Euangelium,quàm diuites & nobiles,f 67 c.1
Pax Dei quomodo exuperet omnem ſenſum,f.145.c.2
Peccans omnis ignorans eſt,f.196.c.1
Peccator quomodo dicitur tradi a Deo in flagitia,f.18.c.4.
Peccator famoſus & notus eccleſiæ, quomodo deuitandus ex Apoſtoli ſententia,f.73.c.3
Peccatum primi parentis,mundo ex libro Geneſeos manifeſtatum,f 25.c.3
Peccatum quomodo tegi & non imputari dicatur,f.30.c.3 4
Peccatum ex peccato primi parentis contractum a poſteris per propagationem & non per imitationem, f 32.c.3.4
Peccatum mortuum ſine lege quomodo intelligendum, fol.37.c 2.3
Peccatum in carne quomodo dicatur, f 39 c.4
Peccatum quomodo dicatur de peccato damnatū, f.41.c.4
Peccatum eſt fallacia ſub ſpecie boni decipiens hominem. ſol.187.col.1
Peccatum quomodo circunſtans dictum, f.203 c.3
Pelagij vitanda hæreſis nimium arbitrio noſtro tribuentis, & eorum etiam error vitandus, qui vſui arbitrij noſtri & operibus noſtris pro iuſtificatione nullum relinquunt locum,fol. 49.c.1,
Penula Pauli,vel veſtimentum,vel arcula,f.175 c.2
Petrum Romanis primum prædicaſſe, f.16.c.3
Plenitudo legis ex proximi dilectione colligitur,f.55.c.4
Pontificum fidelē quomodo Chriſtus ſe præbuerit,f.186.c.3
Potentia Dei maxima detegitur, quòd homines induxerit ad ſequendum Chriſtum crucifixum,f.65.c.4
Prædeſtinatum & deſtinatum inter ſe differunt,f. 14.c.4
Prædeſtinatum ad aliquid prædeſtinatur,fol.14 c.4.f.44.c. 4. fol.45.c.1.2
Prædicatio Euangelij non abſoluta per totum orbem tempore Apoſtolorum,f.51.c.1.
Præputium aliqui ex Iudæis ſibi conficiebant, f.77. c.3
Præſcientia & prædeſtinatio non ita in Deo diſtinguuntur, vt vna prior & altera ſit poſterior, f.45.c.2
Præſcire ad bonos & ad malos vſurpari,licet præſciti intelligantur damnati ad differentiam prædeſtinatorum, ſol.44. c.4
Præſtantius eſt cognoſci a Deo, quàm Deum cognoſcere, fol.121. c.3
Præuaricatio & inobedientia quomodo inuicē diſtinguantur,f.184.c.4
Philoſophiam non excludi ab Apoſtolo, ſed ſolum illam, quæ eſt inanis,f.150.c.1
preces multum ad ſalutem conferre,f.165.c.1
presbyter vnde dictus,f.158.c.2
prodigia a ſignis differunt,f.58.c.4
propheta dicitur multis modis,f.177.c.1
prophetarum ſcripta poſt Euangelium magis ſunt manifeſtata, fol.15.c.1
prophetia vltra cōſummationem huius ſeculi non erit fol. 88.columna 1
propoſitionem, Ex,ſumi interdum vt dicat temporis poſterioritatem,f.15.c.3
purgatorium expreſſe ſignificatum ab Apoſtolo,f.71. c.2
purgationes nō omnes in lege fiebant per ſanguinem. fol. 196.c.4
prouidentia Dei non mutata ex mutatione multorum in lege moſaica mandatorum,f.193.c.4
prudentia requirit tum rerum cognitionem tum quandam animi inclinationem,ſeu affectionem, f.140.c.3

Q

QVaſi triſtes, dicantur ſancti,& ſemper gaudentes,item & ſicut egentes,f.104.c.2.
Quis credidit auditui noſtro tropus orationis raritatem ſignificans,f.50.c.3

R

RAdix omniū malorum quomodo dicta ſit cupiditas, ſi omnis peccati initium eſt ſuperbia, f.170.c.1

Rapina

INDEX.

Rapina quid ſit, fol. 141. columna 1

Rationes aduerſus hæreticos ſunt adducendæ, vt conuincantur abſurda loqui & opinari, f. 162. c. 4

Regnum Dei & ſi non eſca aut potus vt ait Apoſtolus, non propterea tamen inferendum, quin ſit valde ſalutaris inſtitutum eccleſiæ penes ieiunium, & abſtinere a nonnullis cibis, f. 79. c. 1

Regnum tradi Deo patri a Chriſto quomodo dictum, fol. 92. col. 3. 4

Regnum Dei a carne & ſanguine non poſſideri, quomodo ſit intelligendum, f. 94. c. 4

Rebelles Deo, quare dicti filij diffidentiæ, f. 128. c. 4

Recompēſationem bonorū operum palam innuit Apoſtolus, fol. 153. c. 1

Repellentes bonam conſcientiam, facile circa fidem patiuntur naufragium, f. 164. c. 4

Requies tribus modis accepta, f. 187. c. 2

Reſtitiſſe Paulum in facie Petri, varia eſt interpretatio, fol. 117. col. 3

Reſurrecturos omnes homines, ſed non omnes immutandos, in quo ſenſu accipiendum, f. 95. c. 1

Reſurrexiſſe, quomodo intelligantur illi, quorum corpora exierunt de monumentis, & apparuerunt multis in paſſione Domini, f. 92. c. 3

Reuelatio diſtinguitur a viſione, f. 119. c. 4

S

Sacerdotium vnde dictum, f. 138. c. 4.

Sacra ſcriptura imediate inſtruit homines, aliæ vero ſcientiæ mediate, f. 174. c. 2

Sacramentum latens in Chriſto, per eccleſiam innotuit, fol. 165. columna 4

Sacrificia in lege moſaica plurimis modis facta, f. 198. c. 2

Salutem cur cum metu & tremore operari debemus, fol. 142. col. 2

Sancti qui dicantur, f. 16. c. 2

Sanctificantur cibi per verbum Dei, & orationem, f. 167. c. 4

Sanctorū Pauli & Iacobi de iuſtificatione cōſenſio, f. 62. c. 3

Sapientes mundani, quomodo, & propter quid ſtulti facti ſunt, f. 18. c. 3. 4

Sapientes mundi difficilius quàm rudes & illiterati, in initio Euangelium ſuſcipiebant, f. 67 c. 1

Sapientia proprie conuenit rerum omnium & præcipuarum cognitioni, minus proprie conſuſis artis excellentiæ, fol. 65 c. 4

Sapientia triplici modo ſumpta, f. 66. c. 2

Sapientia quæ ſit reprobata ab Apoſtolo, f. 67 c. 2

Satanas quomodo dicatur obtinere principatū huius mundi, & princeps eſſe poteſtatis aeris huius, f. 128. c. 4

Scientiam deſtruendam poſt hoc ſeculum quomodo ſit accipiendum, fol. 88 c. 1

Sectæ variæ apud Hebræos extiterunt, f. 143. c. 2

Seculum quid importet, f. 182. c. 4

Sepulturam Chriſti ad fidei dogma pertinere, f. 91. c. 4

Seculum nequam, quo in ſenſu dictum ab Apoſtolo, fol. 114. col. 4

Seruire vetuſtati litteræ quomodo intelligendum, f. 37. c. 1

Seruitus vnde prouenerit, f. 136. c. 1

Seruum Ieſu Chriſti qualem ſe profiteretur Paulus, f. 14. c 2

Signum & ſignaculum quomodo ad inuicem ſe habeant, fol 29. c. 3 4

Splendoris appellatione, filij perſona alia a perſona patris denotatur, fol. 182. col. 4

Solem non occidere ſuper iracundiam, quomodo accipiendum, fol. 133 c 2

Sors eſt euentus rerum ſupra captum humani ingenij, ſoli Deo manifeſtus, f. 127. c. 1

Sorte perduci hominem ad ſanctitatem, quomodo ſit accipiendum, fol. 148. columna 2

Spectaculum quomodo factus Paulus Angelis, mundo, & hominibus, fol. 72. columna 4

Spiritualia non exhibenda pro pretio, verumtamen ſtipēdium debetur laboranti, f. 80. c. 2

Spiritualem potum vt biberunt Hebræi, fol. 81. c. 4

Spiritualis quomodo iudicat omnia, f. 69. c. 3

Spiritus ſeruitutis in populo Hebræorum qui nam eſſet, fol. 42. col. 2

Spiritus Dei non ſolum ad beneficium, verum etiam ad vindictam dicitur, f. 42. c. 3

Spiritus etiam dicuntur procellæ & ardoris, vt ſunt venti, fol. 42. c. 4

Spiritus angelici, optima ratione Angeli nuncupati, fol. 183. col. 4

Stimulus ſemper præcedit, mouens animum ſuſcipientis fidem, fol. 67. c. 3

Stimulus carnis datus paulo qui fuerit, f. 111. c. 1. 2

Stipendium peccati quomodo dicta mors, f. 35. c. 3

T

Tempora a momentis diſtincta, f. 176. c. 3

Tentare quid ſit, f. 156. c. 2. f. 186. c. 4

Tentatio humana qualis, f. 82 c. 1

Teſtamentum & legislatio differunt, f. 46. c. 4

Teſtamentum nouum ita dictum quo ad executionem promiſſorum, f. 194 c. 4

Turris ædificata in vinea quid importaret, f. 120. c. 2

V

Verba illa Abacuc, iuſtus ex fide viuit, duplicem recipere interpretationem, f. 17. c 3

Verba illa Apoſtoli ponderanda, quicunque manducauerit panem hunc, f 85. c. 1

Veritas a Deo proueniens alia eſt ſecūdum propheciā prædeſtinationis, & alia ſecundum prophetiam comminationis, f. 23. c. 1. 2

Veritas Euangelij & prophetarum inuicem magis manifeſtata & roborata, f. 60. c. 2

Vir caput mulieris. f. 83 c. 3

Vir cur caput non debet velare, vt mulier, in orando, fol. 83. columna 4

Virtus Dei, qua regit omnia, diuinitas autem, qua implet omnia ex Origine, f. 18. c. 1

Virtus Dei quomodo in infirmitate perficitur, f. 111. c. 2

Viuificanda omnia corpora in Chriſto tam beatorū quàm damnatorum, f. 42. c. 2

Viſio a facie ad faciem quid importet, f. 88. c. 2

Vmbra ab imagine diſtincta, f. 198. c. 1

Voluntarie peccantibus non relinqui amplius hoſtiam, quomodo intelligendum, f. 198. c. 4. f. 199. c. 1

Voluntas in homine, Dei gratia ſit bona, ita tamen vt ſit huiuſmodi voluntas propria hominis, f. 48. c. 2

Voluntas Dei & ſi ſuper omnia, nō tamen ſemper eius bona voluntate & beneplacita & perfecta meremur diſpenſari, fol 54. c. 4

Voluntas noſtra in peccato, & carni & cognitioni coniungimur, f. 129. c. 1

Viduam nolebat Paulus eligi in congregatione fidelium, quæ fuiſſet plurium quàm viri vnius vxor, vnde multo minus eligendus in epiſcopum qui fuerit vir plurium quàm vnius vxoris, niſi ex diſpenſatione ſummi Pontificis Romani, f. 169. c. 1

Vxorati ob duas ductas vxores quomodo irregularitatem contrahant, f. 166. c 1

Vxorato ſi quando collatus eſt epiſcopatus ob penuriam promouendorum, non tamen poſtea ei licuit rei vxoriæ operam dare, f. 166. c. 1.

Z

Zelotypiæ ſtimulo Hebræi poſtremis temporibus ad Dominum conuertentur, f. 51. c. 2

FINIS.

PRÆFATIO GENERALIS AD OMNES S. PAVLI EPISTOLAS.

EXPENDITVR HVMANI GENERIS PERDITIO ſubſequuta ad occaſum primi parentis, & Dei pro eius reparatione prouidentia & immenſa miſericordia. Cap. I.

VT, COMMODIVS (DEO adiuuante) ad intelligentiam Epiſtolarum
S. Pauli dirigamur, operepretium facturos nos exiſtimauimus, ſi
prius accurate miſerandũ illum ſtatum perpẽderimus, in quem con-
cidit genus humanum ex reatu primorum parẽtum; quidque Deus
imperſcrutabili ſua ſapientia ab æterno agere ſubſequentibus ſecu
lis conſtituerit, pro homine ab illa miſeria, in quã inciderat, ſubleuã
do. Illud itaque conſtantiſſime nobis receptum eſt ex hiſtoria Gene- Gene.2.
ſeos, ob ſpretũ mandatum, quod Deus primis parẽtibus impoſuerat,
ne de fructu arboris in Paradiſo deliciarũ præſignatæ veſcerentur, cũ Eua a ſerpente ſedu-
cta, & Adam vxoris illecebris allectus, pomum vetitum deguſtaſſent, ex hac inobedientia
vtrumque in Dei offenſam incidiſſe: ita quidem, vt, tanquam Dei hoſtes, illico e Paradiſo
fuerint eiecti, eosq; ingens ſit ſubſequutus cumulus malorũ. In primis quidẽ (quod omniũ Gene.3.
eſt præcipuum) vt in pœnã eorũ præuaricationis, a Dei fruenda viſione arcerentur. Deinde
vero, vt (qui mortui quo ad animam hinc exiſterent) morti quoque corporeæ ſubderẽtur,
a qua nũquam vendicare ſe poſſent, adeoq; in ipſis corruerit iuſtitia originalis, in qua crea
ti erant, vt anima compos rationis, iure merito ob enarratũ flagitium ſauciata, exinde non
vt antea, & vt humanæ conditionis ordo poſtularet, vim atque dominium in appetitũ irra-
tionalem obtineret. Sed ex aduerſo adeo ſenſuum fomes in homine inualuerit, vt in eius
efferueſcentiam, immoderatasq; propenſiones facile rationem pelliceret, atque traheret:
mẽbraque pariter corporis humani, eiuſmodi ſenſus immoderatis cupiditatibus obſequẽ
tia, contra eandem animę rationem vſque adeo inſurgerent, atque (ita dixerim) inſultarẽt,
vt hinc in omne flagitij genus, quàm facillime homo truderetur. Quæ quidem tam gra-
uium malorum congeries, quam primi noſtri parentes ex flagitio in Deum commiſſo ſubie
re, ad omnes homines, quot quot ab ipſis procreandi erant, trãſmiſſa eſt: ita vt omnes ipſo-
rum poſteri (niſi Deus bonorum omniũ auctor, atque dominus, aliquos ex certo gratiæ ſuę
priuilegio ab hac generali lege vendicaret) iræ filij eſſent naſcituri, nec nõ mortis miſeriæ Ephe.2.
obnoxij, ac ſenſu effrenato, membrorumq; corporis petulãtia grauiter oppreſſi, & irretiti.
Id enim tantummodo abfuit, quòd actus illius, quo Adam, & Eua ſunt præuaricati, nõ ita
participes fuerunt eorũ poſteri, vt ex propria ſinguli voluntate pręuaricatores extiterint;
vt qui, cum nondum nati eſſent, quando primi parentes aduerſus Dei mandatum aberra-
runt, in hoc idem peccatum præbere proprium conſenſum nequiuere: propter quod, & ve Rom.7.
nundati ſub peccato dicuntur. Reliqua vero mala, quæ ad primos parentes ex eorum deli-
cto deuenere, omnia in poſteros quoque influxerunt. Nam, cum ex ſemine Adæ omnes
procreandi forent, idcirco, quando ipſe deliquit, in eo omnes eius poſteros deliquiſſe aſſe-
rendum eſt, ac ſi in vno Adam ſimul omnes homines in eius lumbis extitiſſent, quando ip-
ſe peccauit: vnde totum genus humanum peccans in Adam, vna cum ipſo, culpæ reatu ob-
ſtrictum fuit. Et id quidem Apoſtolus Paulus in epiſtola ad Romanos inſinuauit, inquiens.
[Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in Rom.5.
omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt:] in ipſo ſcilicet Adã in quo
omnes homines eatenus peccaſſe dicitur, quatenus in eius carne omnes poſteri ex eius ſe
mine generandi, potentia quadam continebantur. Ex quo illud ſubſequutum eſt, quòd, ſi-
cut tota caro Adę ob peccatum ſauciata, vitio concupiſcentiæ inſurgentis aduerſus ratio-
nem infecta eſt, vna cum eiuſdem anima labefactata, & procliuitatem ad peccandum ha-
bente, iuſtitia orbata originali: ita quoque tota natura iam infecta humana, atque proprio
cuiuſque parentis concurrente ſemine, ex vno in alium ſucceſſiue, omnes (vti genitos ex

vitio concupiſcentiæ) ita contaminauit, vt ſinguli a primordio conceptionis illam labem, & illud vitium, quod originale peccatum dicitur, contrahant. Vnde emerſit peccatum originale in poſteros tranſmiſſum: quod intelligimus, non illud primum peccatum Adę, cuius actus pertranſijt, poſtquam deliquit tranſgrediens Dei mandatum, in quo propria, & actualis eius culpa fuit. Nam, & ſi inde omnium malorum origo in genus humanum emanarit, attamen macula originalis, quæ ad eius poſteros eſt tranſmiſſa, non conſiſtit formaliter (vt dicunt ſcholæ) in Adæ culpa, ſed in eo damno, & peccato, quod in pœnam primi peccati ſubſequutum eſt, quando in anima Adæ, ob eius tranſgreſſionem, facta diſſolutione illius harmoniæ, in qua conſiſtebat ratio originalis iuſtitiæ, eius loco quædam indiſpoſitio, &
S. Th. Aqui. procliuitas ad peccandum (vt ait Sanctus Thomas) eſt ſubingreſſa; quam animæ filiorum,
in ſec. ſec. q. ſimulatque in corpus immittuntur a Deo, licet puræ, contrahunt, vt ita macula originali af-
82. art. 2. ficiantur: in qua ſemper manent, donec lauacro regenerationis per ſanguinem Ieſu Chriſti in baptiſmo ab hac originali macula mundentur, vt vetus homo pereat, & nouus cum virtutum habitibus induatur, qui placeat Deo.

Sed, & ſi in homine ſanctificato per baptiſmum macula peccati originalis deleatur, attamē, donec viuit in hoc mortali corpore, in ipſo ſemper manet fomes cōcupiſcentiæ in car-
Roman. 8. ne reſidens, qui inſurgit aduerſus rationem. Verumtamen (vt ait Apoſtolus Paulus in epiſtola ad Romanos.) inſurgens concupiſcentia non ineſt ad condemnationē ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu, & ſecundum ſpiritum ambulant, & non ſecundum carnem, vt eius faciāt deſideria: quin ad maiorem eorum coronæ gloriam cedit, ſi ei viriliter reſiſtunt. Et de hoc quidem fomite in carne reſidente (cui inſurgenti aſſenſus non præſtetur, & peccatum ab Apoſtolo nuncupatur, quoniam quiddam malum ſit inſurgens concupiſcentia, in pœnam
Rom. 7. peccati ſubſequuta, & hominem ad peccandum incitans) loquebatur Paulus in epiſtola ad Romanos, dum diceret. [Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum: ſcio enim, quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum.] Idem paulo infra. [Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meę, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis] Nec vero dubitandum eſt, quin fomes concupiſcentiæ in carne reſidens, & inſurgens aduerſus rationem, ſit quodammodo peccatum; quatenus malum eſt quòd concupiſcentia inſurgat aduerſus rationē, cui ſubiecta eſſe deberet, & quòd prouocet hominem ad peccandum: quamuis deinde peccatum, quod culpam concernit, proprie locum non habeat, niſi quando anima auertitur a Deo, & prauis conſentit, atque paret concupiſcentijs.

Cum autem fomes concupiſcentiæ, poſt occaſum primorum parentū, in homine præſto ſemper fuerit, adeo vt prope connatus ad humanam naturam videretur, hinc tempore procedente cæcitas illa genus humanum occupauit, vt pro vitio non dignoſceretur illud, quod erat vitium, nempe vetita, voluntate conſentiente, concupiſcere. Quod peccatum ante legem datam a Deo per manum Moyſi idcirco non imputatum, ideſt non adſcri-
Rom. 5. ptum homini, & mortuum extitiſſe dicitur ab Apoſtolo in epiſtola ad Romanos; quoniam ſcilicet non ita exacte dignoſceretur eſſe peccatum, & adſcribi homini pro peccato, vti cognitum eſt poſt legem a Deo datam populo Hebræorum, in qua expreſſum eſt mandatū
Rom. 7. de non concupiſcendo. Vnde dicebat Apoſtolus: [Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, non concupiſces.] Etenim occaſione accepta huius mandati, peccatum concupiſcentiæ, ad quod anima procliuis ex ipſo fomite redditur, omnem concupiſcentiam operatum eſt in hominibus contra legis mādatum concupiſcentibus, vt ita (vt dicit eodem loco Apoſtolus) peccans peccatum effectum ſit; dum ſcilicet inſultans concupiſcentia (præter vulnus humano generi inflictum ex delicto primi parētis) hos vel illos iterata culpa ex proprio ipſorum reatu contra legis mandatū concupiſcentes interfecit; hincque homines experientes in membris proprijs concupiſcentiam aduerſantem legi Dei, ad agnitionem peccati originalis, ex ſuo effectu, quòd eſſent in iniquitatibus concepti, perducti ſunt.

Ab hac autem tanta calamitate, ſummaque miſeria, in quam ceciderat genus humanū, nullo modo fieri poterat, vt homo proprijs viribus ſe vnquam eriperet. Nam, cum opus eſſet iuſtitiæ diuinæ ſatiſfacere ob offenſam Deo illatam, quæ erat infinita ratione obiecti, (Dei ſcilicet infiniti, in quem commiſſa erat) propterea ab homine virtutis finitæ exiſtēte, ac præſertim Dei hoſte, ob idque Deo minime grato, ea non poterat ſatisfactio proficiſci,

qua

qua Deo ſe reconciliaret, in eiusque gratiam rediret. Verum, cum ex peccato primi parentis, licet ſauciata hominis natura, attamen non penitus extincta fuerit, permanſit (quamuis debilis) facultas illa rationis, qua poſſet dignoſcere peccata, quæ perpetraret, conſcientiaque propria ipſum accuſante admoneri, appetitum carnalem ſub dominio rationis (prout humanæ naturæ ordo poſtulat) a ſe non teneri: dum duci ſe permitteret ad ea agenda, quæ improbata damnataque expeteret ſenſus concupiſcentiæ: vnde incitaretur ad proſpiciendum, nec non ad elaborandum omni ſuo ſtudio, ſi quo modo effrenatum ſenſus appetitum ſub rationis imperio poſſet cohibere. Iuxta illud, quod a Domino Deo dictum fuit ipſi Cain. [Quare iratus es? & cur concidit facies tua? nonne ſi bene egeris recipies? Gen.4. ſi autem male, ſtatim peccatum tuum in foribus aderit? ſed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.] Ex quo etiam colligere licet, non ita damnatum fuiſſe genus humanum ex delicto primi parentis, vt ad medelam ſuſcipiendam, qua Deus in ipſum eſſet vſurus; aptum eſſe non poſſet: dummodo ipſum pœniteret ſuorum peccatorum, & ad implorandam Dei miſericordiam, & ad Dei præcepta ſeruanda animum conuerteret; quæ ſunt, quæ Deus ab his exigit, qui in eius gratiam ſunt reſtituendi. Ad quæ tamen præſtanda nemo ex ſe ipſo aptus eſſe poteſt, niſi prius a Deo vocetur, & Dei ſpeciali auxilio ſit ſuffultus. Quod & ex ſola Dei gratuita gratia, non ex noſtris meritis largitur omnibus ijs, qui inuocant nomen eius; quod, & vt inuocemus, ex eius pariter bonitate pendet, qui vult omnes homines ſal- 1.Timot.2. uos fieri, dummodo ſuis aſſentiant vocationibus.

Iacebat igitur humanum genus (veluti homo ille, qui deſcendens ab Ieruſalem in Ierico Luc.10. incidit in latrones, a quibus expoliatus, vulneribusque confectus ſemiuiuus relictus eſt) hac ſumma miſeria percuſſum, a qua numquam proprijs viribus poterat liberari. At Deus ſumma bonitas, & Pater miſericordiarum, tanquàm verus Samaritanus humani generis miſertus; non paſſus eſt ipſum omnino perditum iri, ſed eius ſaluti proſpicere voluit, atque mederi; cum præſertim ad eius commiſerandum coinciderit ea æquitatis, ſeu pietatis ratio, quòd non propria ſola electione (prout Angeli lapſi ſunt) ſed vafra etiam Diaboli ſuggeſtione, a Dei mandato primi noſtri parentes diſceſſiſſent: quòdque eorum poſteri omnes, non propriæ voluntatis culpa, atque conſenſu, ſed patrum delicto, venundati ſub peccato primorum parentum, in eandem cum patribus ærumnam proſtrati, atque damnati eſſent. Vnde Deus ſibi complacuit, vt, qui gratis venundati erant, gratis quoque redimerentur. Itaque, Eſa.52. quòd ab ęterno in mente diuina erat ordinatum, placuit altiſſimo Deo, vt vna & iuſtitiæ diuinæ ob offenſam ſibi illatam ſatisfieret, & vt ſimul humano generi reſeraretur porta; qua, quicunque Dei miſericordiæ influxum vltroneus ſuſciperet (vt decet hominem in gratiam Dei redeuntem) non ſolum ab omnibus ſibi impreſſis incommodis vendicaretur; verum etiam ad præſtantiſſimam illam fœlicitatem perduceretur, quam nec oculus vidit, nec auris 1. Corin.2 audiuit, neque in cor hominis aſcendit; nempe quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Pro hac autem tam magna, tamque eximia gratia nobis conferenda, a ſapientiſſimo optimoque Deo ea fuit inſtituta ratio: vt eius filius, Verbum ab ęterno genitum, ſecunda perſona in diuinis, coæterna, & coæqualis Patri carnem aſſumeret, vt fieret homo. Non eo autem modo, ſicuti primus homo ex terra, vel ex puluere a Deo creatus eſt: ne- Geneſ.2. que illo etiam ordine, quo reliqui homines, poſt primos parentes, ex propagatione ortum ducunt per ſemen viri, & ſanguinis muliebris coniunctionem: ſed alia quadam noua, mirabili, ac longe præſtantiori via. Hæc nempe fuit, vt de muliere Virgine immaculata, Dei virtute ipſam obumbrante, ex eius ſanguine puriſſimo atque ſanctiſſimo corpus formaret, quod Verbum aſſumpſit, & ita caro factum eſt. Qua in generatione ea Spiritus ſancti plenitudo ad hanc humanitatem acceſſit, vt homo in perſona Verbi aſſumptus, antonomaſtice, ob ſui excellentiam, Chriſtus, ideſt vnctus nuncupatus ſit; idemque cœleſtis homo; vt qui in vtero Virginis, cœlitus, ſola ſcilicet Dei virtute ipſam obumbrante, factus ſit, non tam in animam viuentem, vti primus homo Adam, quàm etiam (vt dicitur in priori epiſtola ad Corinthios) in ſpiritum viuifi- 1.Cor.15. cantem; qualem decebat eſſe humanitatem, quæ diuinæ naturæ in eadem identitate perſonæ vnienda erat. Hanc igitur perſonam, Chriſtum, Deum, ac hominem ſimul exiſtentem ſanctiſſima Trinitas ab ęterno deſtinauit, per quam iuſtitiæ diuinæ ſatiſfaciendo, humanum genus ab ęterna morte redimeretur, aptumque redderetur ad Dei gratiam conſequendam, quod quidem hunc in modum effectum eſt. Nam, dum Chriſtus innocens agnus vltronee peccatorum pondus in ſe ſuſcipiens, victi- Roman.3. mam Deo ſe obtulit; hinc moriens pro peccatis humani generis diuinæ offenſæ, exiſtens,

& ipſe Deus cumulatiſſime ſatisfecit, atque ita, vt homo patiens mortem corpoream, genus humanum redemit ab vtraque morte, tum animæ, tum corporis, cui reſurrectionem ſit collaturus.

Huius autem excelſi operis altiſſimum myſterium, ſummeque arcanum in ſolo Dei conſilio poſitum, latuit omne genus creaturarum: ita quidem, vt neque ſpiritibus cœleſtibus, (nedum inferis) neque hominum alicui exacte, & diſtincte, vti peractum eſt, fuerit vmquam manifeſtum priuſquàm expletum eſt. Quod aperte teſtatur Sanctus Paulus pluribus
1.Corin.2. in locis ſuarum epiſtolarum. Nam ſcribens Corinthijs inquit. [Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram, quam nemo principum huius ſeculi cognouit, ſi enim cognouiſſent, numquam
Ephe. 3. Dominum gloriæ crucifixiſſent.] Et ad Epheſios ſcribens; ait, [prout poteſtis legentes intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti, quod alijs generationibus non eſt agnitum filijs hominum, ſicuti nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius in Prophetis in ſpiritu.] Et paulo poſt. [Mihi enim ſanctorum minimo data eſt gratia hæc in Gentibus, euangelizare ininueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi a ſeculis in Deo, qui omnia creauit, vt innoteſcat nunc principibus, & poteſtatibus in cœleſtibus per eccleſiam multiformis ſapientia Dei, ſecundum præfinitionem
Coloſſ. 1. ſeculorum, quam fecit in Chriſto Ieſu Domino noſtro.] Et ad Coloſſenſes: [Vt impleam verbum Dei, myſterium, quod abſconditum eſt a ſeculis, & generationibus; nunc autem
Theophyl. manifeſtatum eſt ſanctis eius.] Vnde Theophylactus explicans verba illa Apoſtoli prioris
1.Corin. 2. epiſtolæ ad Corinthios. [Sed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt,]
Chryſoſt. homil.7. ad mentem quoque Chryſoſtomi in expoſitione eiuſdem loci, inquit. [Myſterium nominat, quod ſit de Chriſto præconium, quod & ſi hoc ſit nomen ſortitum, myſterium tamen eſt; tum quia vel Angelos ipſos antequàm fieret, latuit; tum quia aliud ipſi ſpectamus, aliud intelligimus.] At vero myſterium hoc in his eſt concluſum, quòd Verbum carnem humanam ſibi aſſumpſit, & in terris ſe viſibilem hominem præſtitit, ac iuxta aliorum hominum conditionem ad humanas miſerias patiendas, famem, ſitim, æſtum, frigus, ac ipſam
Philipp. 2. denique mortem ſeſe aptauit, & conformauit; cum tamen exiſtens in forma Dei (vt qui eſſet & Deus, & non ſolum homo) liber ab omni miſeria, degere, atque conuerſari in terris ſumma cum Dei maieſtate potuiſſet. Hoc ſane myſterium profundiſſimum, & ſi in ſanctis ſcripturis prophetarum fuerat a Deo denunciatum; attamen nulli vmquam creaturæ exacte manifeſtatum eſt, antequàm expleretur, & iuxta diuini conſilij ordinem propalaretur.
Ioan. 10. Quod effectum eſt, poſtquam Chriſtus venit in mundum, ac mortem eſt paſſus, & reſurgens a mortuis, vitam, quæ in eius poſita erat poteſtate, impaſſibilem, atque immortalem reaſſumpſit; per homineſque ſibi delectos Apoſtolos, myſterium hoc maximum manife-
Marc. 16. ſtari, atque prædicari voluit per vniuerſum mundum: tum ipſorum verbo Spiritus ſancti virtute aucto; tum ſignis, atque prodigijs corroborante Deo prædicationem Apoſto-
Ambroſius. lorum. Vnde, & in hanc ſententiam Ambroſius in capit. 9. epiſt. ad Hebræos hæc habet. [Lex Moſaica non præſtitit claram, & apertam filij Dei notitiam: ſed ex buccina Apoſtolorum per omnem terram cœpit Chriſti cognitio paulatim omnibus innoteſcere.] Cuius quidem tanti, ac tam eximij beneficij recordatione, quæ numquam ex animo nobis excidere debet, noſtrum vnuſquiſque ſtupore obrui, atque amore tanti benefactoris liquefieri deberet: dum cogitaret, animoque peruolueret, Dei filium, Verbum Deo coæternum, hominem naſci voluiſſe, & in carne ſibi aſſumpta pro nobis impijs, atque ſibi inimicis mortem turpiſſimam ſubire, vt nos Deo Patri ſua morte reconciliaret: quod
Tit. 3. ſane ſola ſua beneficentia, atque miſericordia effecit, vt ita, & Diuinæ iuſtitiæ pro reatu primorum parentum, & noſtrorum omnium delictorum piaculum fieret; & humanum genus perditum redimeret: dummodo homines & ipſi a Deo vocati, ad Dei miſericordiam confugerent, & peccata præterita deteſtantes, ſe ipſos Deo commendarent, & pro tempore baptiſmum regenerationis ſacramentum ſuſcipientes, in Chriſti meritis maxime ſpem veniæ conſequendæ collocarent. Hoc autem tam eximium, atque admirandum myſterium exequutioni commendare diuinæ illi ſapientiæ placuit, non ſtatim, cum primum homo Dei offenſam incidiſſet; ſed longum poſt temporis interuallum; eo ſane mundi ſtatu, quo multo magis quàm antea percuſſum cæcitate, ac omni morbo ſauciatum iacebat genus humanum, ipſique medico quàm maxime opus erat. Qua vero ratione ſapientiſſimæ illi bonitati placuerit, vt homines ad viam ſalutis reuocarentur, mox explicabimus.

Interim

Interim autem id a nobis prius eſt diligenter perpendendum, clementiſſimum Deum quo-
uis currente ſeculo, antequàm Verbum carnem aſſumeret, occluſam numquam viam tenuiſ-
ſe, qua homo ad eam Dei gratiam ſe aptaret, quæ ex Chriſti meritis humano generi erat
condonanda. Ac primo quidem Deus numquam reliquit genus humanum libro huius
tam præclaræ vniuerſi fabricæ deſtitutum, ex cuius contemplatione, per viſibilia quæ facta
ſunt, ad cognoſcenda inuiſibilia Dei manuduceretur, eſſe ſcilicet ęternam potentiam, atque Rom.1.
diuinitatem, a qua omnia pendent, Deum ipſum rerum omnium conditorem; vt hinc ei,
vt omnipotenti; & ſapienti, ſummoq; bono, atque liberali, omne obſequium, & honorem
præſtari debere intelligeret: eidemque quoniam propter ipſum eſſet, atque conſeruaretur,
gratias ageret, atque vt verum Deum coleret. Nam qui res a Deo creatas, veluti Solem,
atque Lunam, quoniam perpulchræ, atque vtiles ſibi viderentur (in hoc perperam ſe geren-
tes, pro vt ſapientia in huiuſmodi homines inuehitur) colere pro dijs non erubuerunt: Sap.13.14.
quanto igitur magis illos ipſos decebat, qui ex rerum viſibilium intellectione ad Dei ali- & 15.
quam notitiam peruenerunt, id muneris præſtare erga Deum vniuerſorum condito-
rem? Ac propterea illi minime excuſari poſſunt, qui, iuxta dictum ordinem Dei perce-
pta notitia, Deum ipſum, vt Deum non coluerunt, & glorificauerunt, neque eis de benefi-
cijs acceptis gratias egerunt. Huiuſmodi autem Dei notitiam, per ea quæ facta ſunt, cum
omnes homines, quibus ineſt ratio naturalis (vt habet Origenes in comment. epiſt. ad Rom.) Origen. in
aliqualem percipere potuerunt: tum vero illi maxime, qui Sapientes, & Philoſophi nun- cap.1. epiſt.
cupantur, quibus præcipue creaturas mundi, & omnia quæ in eo facta ſunt diſcutere diſci- ad Roman.
plina eſt, & per hæc quæ videntur, ea quæ non videntur, ratione colligere. Qui quidem lib.1.
diuino quodam influxu, ſeu ſplendore ſuffulti (quo Deus ſpeculantem intellectum huma-
num ad veritatem capeſſendam colluſtrat) excelſa Dei opera ſpeculantes, ad Dei noti-
tiam quam diximus, peruenerunt: quorum deinde auctoritate, & exemplo, cæteri qui acie
mentis, atque tam præclara Dei cognitione non pollerent, vti rudiores, ad Deum itidem
venerandum, atque colendum inducerentur. quod quidem in omnibus mundi ſeculis apud
omnes nationes vim ſemper obtinuit, vt a quorumdam paucorum ſapientiorum auctoritate
reliqua multitudo penderet, atque regeretur. Vnde Origenes, iuxta hanc ſententiam pon- Orig. c.1.
derans in comment. 2. cap. epiſt. ad Roman. cur Deus diſtulerit iudicium vſque in extremam Rom. lib.2.
illam diem, inter alia hoc etiam affert: quòd ex malis traditionibus peruerſorum hominum,
vel in philoſophia, vel in lege, tanquam ex ſeminibus in dies contingere poteſt, vt plures ad
peccandum inducantur, quorum peccata, illis impijs, atque hæreticis hominibus vti aucto-
ribus, merito adſcribentur: quemadmodum, & e conuerſo, ex doctrina Apoſtolorum, &
aliorum proborum, & ſanctorum hominum, quotidie vſque in diem iudicij, fructus ſancti-
tatis, & bonorum operum apud plures homines cauſari poſſunt, quæ ad maiorem ſanctorum
gloriam redundabunt. Quare, & quicunque prædictam Dei cognitionem iniqua ratione
poſſederunt, & exercuerunt, non ea vtentes prout debuiſſent; nullatenus excuſandi, ſed
graui pœna plectendi ſunt: tum quòd ipſi perperam ſe geſſerint: tum quòd alios etiam mi-
nus intelligentia valentes ſuo ipſorum exemplo in errores perduxerint. Qui vero per viſi-
bilia a Deo facta, Dei cognitionem adepti, Deum, vt decet coluerunt, ac ſeſe eius omnipo-
tentiæ ſubijcientes, nomen eius in quod ſperarent, inuocauerunt, hi, vt in gratiam Dei re-
dirent, & ſalutem ęternam conſequerentur ex Chriſti inter Deum, & hominem mediatoris
meritis, Deus in arcanis ſui conſilij ſtatuit. Verum ſalutem (aut mauis dicere ſalutis coro-
nam, & præmium) largiri noluit, priuſquàm Chriſti oblatio pro peccatis noſtris eſt conſum-
mata. Proinde pauci admodum extitere, qui cognitionem Dei ex mundi operibus con-
ſecuti, in ea præclare ſe geſſerint. Sed retrorſum innumeri abeuntes, ſuis in cogitationibus
euanuerunt, ſuperbeq; aduerſus Deum ſe gerentes, hinc iure merito in reprobum ſenſum
(Deo ita permittente) ſunt ducti: vt qui creatorem cognitum, non vt Deum colere appro- Rom.1.
bauerint, iuſto Dei iudicio, ad creaturas pro dijs colendas ſeſe conuerterint, omneq; flagitij
genus perpetrarint: & hæc quidem peragentes, quamuis a propria conſcientia accuſati per-
noſcerent, quòd qui contra rectam rationem, atque iuſtitiam Dei ſe gerunt, digni ſunt mor-
te, ac grauiſſimo ſupplicio plectendi ſunt. Et cum homines a primordio generationis filio-
rum Adæ in deterius ſemper ceſſiſſent, ipſorum ſpurciſſimum, atque ſceleſtiſſimum viuendi
genus adeo putuit coram Deo, vt ipſum pœnituerit hominem feciſſe, eumq; propterea cum Gen.6.
vniuerſa carne diluuio aquarum perdiderit, octo exceptis animabus, ipſo Noe cum vxore,
& tribus filijs ſuis, & vxoribus filiorum, quas in arca, Dei nutu, atque conſilio constructa a
Noe (qui gratiam coram Deo, quoniam eum timebat, inuenerat) vna cum animalibus ter-

reſtribus, & volatilibus ex vnaquaque ſpecie maſculis, & fœminis a Noe excerptis, eiusque
curæ demandatis Deus ſaluas eſſe voluit. Diluuioq; elapſo, poſt deletum genus humanum,
& animalium, ijs exceptis, quæ in arca ſeruabantur, ex ijs rurſus multiplicari, tum homines,
tum reliqua animalia cœperunt, vt iterum in omnes partes extenderentur, ac terra ijs ipſis
fuerit repleta.

Mox vero Deus, quamquam eius omnipotentia ex mundi fabrica ante oculos hominum
perpetuo conſpicienda verſaretur, ex qua facile excitari poſſent ad Deum timendum, & ex-
colendum, vti rerum omnium auctorem, & cuius potentiam nulla effugeret creatura, nihi-
lominus tamen (quæ ſumma eſt eius bonitas) familiarius etiam agere cum hominum genere
non dedignatus eſt; quodam modo nobis magis appropinquans, ideſt ad imbecillum noſtri
ſenſus captum ſeſe accommodans, potentiamque ſuam oſtendens multis in operibus, quæ
Deus præſtitit præter rerum ordinem; vt hinc mens humana, quæ aſſueta quotidiano aſpe-
ctui rerum, quæ in mundo ſunt, atque fiunt, hæc vt nimis vſitata (& ſi Dei infinitam poten-
tiam, atque ſapientiam præſeferunt) minus tamen expendit, atque conſiderat, ad Deum co-
gnoſcendum, atque pertimeſcendum nouis quibuſdam argumentis, atque ideo ſibi multum
Geneſ. 12. miris raperetur. Itaque Deus, nactus Abraham virum recta ratione vtentem, Deumque
timentem, cum eum ſibi credentem, & ſuis præceptis obtemperantem eſſet expertus; maio-
rem quoque in eius animum fidem excitauit, dum filium ſibi ſeni promiſſum dono dedit, na-
Geneſ 21. tum ex Sara veteri, atq; ſterili vxore ſua præter rerum ordinem; quem filium deinde Abra-
ham (ita ſibi imponente Domino) mactare in holocauſtum, atque offerre Deo in ſacrificium
non hæſitauit. Quod tamen factum Deus prohibuit, ac tantam in Abraham expertus fi-
dem tanti fecit, vt eam ad iuſtitiam illi adſcripſerit, vere iuſtum ex dono gratiæ ſuæ ipſum
Roman. 4. efficiens: hincque circuncisione in carne præputij ſibi impoſita, & ſemini eius, in ſignaculum
iuſtitiæ, quæ per Chriſtum detegenda erat, (dum ſua morte maculam deſtrueret peccati ori-
ginalis in anima ex fomite carnis contractam) ipſum conſtituit patrem omnium credentium.
Geneſ 22. Atque ita Deus, licet a longe, viam atque ordinem, quo perditum genus humanum vellet
redimere, præclarius quàm antea (quod nobis conſtet) cœpit aperire: dum ex ſemine Abra-
Exod. 19. hæ, ex quo Chriſtus eſſet naſciturus, omnes gentes fore benedicendas illi prædixit; ex ipſoq;
Leuit. 20. eam prolem eduxit, ex qua populus innumerabilis eſt propagatus, veluti arena maris, popu-
lus Hebræorum. Quem ſibi peculiarem factum, atque in loco præcipuo acceptum innume-
ris fauoribus eſt proſequutus: præſertim, dum ei eloquia diuina credidit, pluribusq; ſignis,
atque prodigijs ſuam potentiam patefecit: vt hinc in ipſum ęternum, & verum Deum om-
nem fidem, atque ſpem collocaret, firmamq; conſeruaret. Cum hoc ipſo populo pacta con-
ſtituit, & teſtamenta fecit: quibus bona promittebantur ijs, qui fideles, Deoque obedientes
Sapient. 8. ſe præſtitiſſent: bonaq; propoſita illi adhuc puero populo terrena erant: vt Deus, qui omnia
diſponit ſuauiter, prout poſtulat ſua infinita ſapientia, ex bonis ijs ſenſibilibus, quæ præ ocu-
lis nobis ſemper verſantur, atque ideo facillime ab hominibus expetuntur, ad ſeſe colendum,
illum electum populum alliceret: atque ita paulatim ad altiora, nempe ad ęterna bona expe-
tenda, eademq; a Deo petenda, atque expectanda (quæ per Prophetas etiam illi denunciata
erant) induceret, mediaq; fide ſubleuaret. Huic igitur populo ex Abrahæ ſemine propaga-
to, tandem Deus, duce Moyſe viro mitiſſimo, atq; ſibi gratiſſimo, legem propoſuit, qua præ-
clarius dignoſcerent, quibus actionibus Deo placere poſſent, quibusq; ſimiliter eius iram eſ-
ſent prouocaturi: & vt a flagitijs animum auerterent, & legis nō fierent tranſgreſſores, flagel-
lorum, mortisq; pœna tranſgreſſoribus eſt conſtituta. Inter alia autem legis mandata, illud
Exod. 20. quoque extitit, ne quis res vetitas concupiſceret, earum concupitor peccati reus cenſeretur:
vt qui rem vetitam in corde ſuo iam perpetraſſet. Ex quo quidem mandato in plura, ac
longe etiam maiora peccata homo facilius detruſus eſt. Quandoquidem exurgens hinc pec-
Roman. 7. catum, vires maiores ad homines in ſui dominium trahendos acquiſiuit; vel quòd in vetita
magis ſemper nitantur, vnde magis flagrans concupiſcentia effecta eſt; vel quòd etiam prom-
pta admodum, atque multiformis occaſio ad peccandum ex ipſa ſola vi concupiſcendi præ-
ſto nobis adſit. Hoc autem præceptum Deus ſapientiſſimo conſilio propoſuit: vt hinc po-
pulum illum Hebræorum ſibi electum ad reſipiſcendum commoueret: dum hinc dignoſcere
poſſent, pro lege ſeruanda proprijs viribus non eſſe fidendum, ſed Dei ſe egere gratia, & au-
Galat. 3. xilio, ac propterea ad Dei miſericordiam confugiendum eſſe. Fuit etenim lex pædagogus
hominem erudiens de perdito, & miſero illo ſtatu, in quem ceciderat venundatus ſub pecca-
Roman. 7. to primorum parentum: vt, dum tantam in ſe experiretur concupiſcentiam legi Dei, vel in
corde proprio impreſſa, vel in tabulis lapideis conſcriptæ aduerſantem, ex qua ad ea agenda

ducerctur,

duceretur, quorũ factores mortem mereri digno ſceret; hinc perterritus ad Dei miſericordiã
confugeret. Hinc lex illa populo Hebræorum a Deo propoſita, lex terroris, & lex mortis Exod.19.
nuncupata eſt: tum quòd terrorem ex propoſitis ſupplicijs incuteret, vti etiam in monte Si- Romao.7: 2.Corin. 3.
na cum igne, & clangore terribili lata eſt a Deo: tum quoniam mortem minitaretur ijs, qui
prohibita in lege committere auderent: neq; ipſa lex, ex ſeſe, iuxta litteram, quidpiam aliud 1.Corin.3.
quàm mortem inferret: neque valeret hominem redimere, aut roborare ad legis ſeruanda
mandata. Quæ tamen lex tota ſpiritualis, totaque ſancta eſt: vt quæ, non niſi quæcunque Roman 7. Tit. 1.
ſint iuſta, ſtatuat, quæcunque vera, & Dei ſapientia digna ſunt. Cui quidem legi quicunque
ita adhæſerunt, vt per eam inſtructi ſpem in Deo collocarint, eius auxilium implorantes, hi
in portum ſalutis peruenere.

Diſcrimen exponitur inter ſtatum humani generis ante legem, & poſt legem datam à Deo populo Hebræorum. CAP. II.

EX hactenus enarratis perſpicuum eſſe debet; neminem vnquam, vel ante legem,
vel poſt legem latam, in ſpe conſequendæ ſalutis conſtitiſſe, niſi qui ſe Deo ſub-
diderit, ipſum rerum bonarum omnium auctorem, & remuneratorem creden-
do, & excolendo. Diſcrimen autem, vel maximum extitit inter eos, qui legem
præceſſerunt, & illos qui ſub lege per Moyſem a Deo data conſtituti ſunt. Pri-
mo quidem: quoniam illi priores, (vt generatim de ipſis loquamur, interim reticentes, ſi qua
Deus aliquibus ſpeciatim reuelarit, ſicuti Moyſi, & alijs multis Prophetis) lumine tantum Rom.1.& 2.
adiuti naturali, in Dei aliqualem cognitionem, ex rebus creatis peruenire potuerunt: nec non
eos accuſante, vel defendente propria conſcientia intelligere, quæ nam agenda, quæve fu-
gienda forent: vt hinc illis facultas daretur, viaque pateret ad Deum accedendi: dum crede- Hebr. 11.
rent, & quòd Deus eſt, & quòd ipſum requirentibus ſit remunerator. At poſteriores, qui
legem conſcriptam a Deo, eandemque multis ſignis, atque prodigijs corroboratam accepe-
runt, tum priore via, tum hac poſteriore gaudentes, & Deum cognoſcere, & quæ eius volun-
tati placerent, aut diſplicerent, ex certis eius mandatis longe pręclarius intelligere potuerunt.
Præterea, vnde peccatum originale defluxerit in genus humanum, ipſa praua concupiſcen-
tia, ad quam a primordio natiuitatis anima procliuis redditur ex fomite carnali ob præuari-
cationem primi parentis, latuit maxime poſt diluuium eos, qui legi præceſſerunt: ſi non om-
nes (quia non Noe latuit, non Abraham, & ſimiles) ſaltem in genere fere omnes; vt qui ſe-
cundum naturam tantum ratione vterentur: neque notitiam de creatione primi hominis
haberent; neque peccatum committi exiſtimarent, quòd quiſpiam vetita concupiſceret,
dummodo concupiſcentiam opere non compleret: cum tamen hoc peccatum eſſet in mun-
do, & in initijs poſt Adæ tranſgreſſionem, & ſubſequenti tempore apud nonnullos non la-
tuerit, putari peccatum apud Deum, licet deinde conſuetudo peccandi, vt docet Ambroſius Ambroſius.
in expoſitio. cap. 7. epiſt. ad Roman. id oblieraſſet. Hi autem alij, quibus a Deo data eſt lex,
per legem ipſis propoſitam ex Dei mandato contra concupiſcentiam tradito, & ex libro Ge-
neſeos, quem Moyſes diuino ſpiritu afflatus conſcripſit, tum de creatione, & præuaricatio-
ne primi parentis edocti fuerunt, in quo omnes poſteri peccauerunt: tum vel maxime pra-
uam concupiſcentiam peccatum eſſe dignouerunt, eiusque fomitem in membris noſtris re-
ſidere ad condemnationem, niſi miſericors Deus nobis morte filij ſui ad medelam proſpexiſ-
ſet. Ac denique illis prioribus (exceptis nonnullis, quibus reuelatum eſt) Dei myſteria, aut
omnino incognita, aut vix adumbrata fuerunt. Hebræorum autem populo, vti maxime ac-
cepto apud Deum, ſi non omnino clare explicata, at ſaltem ſub nube reuelata fuerunt ſecre- Roman.3.
ta cœleſtia. Qui etiam, in circunciſione illis impoſita, peculiare ſignum iuſtitiæ conſequen-
dæ apud Deum, iuxta fidem Abrahæ acceperunt; quo etiam ſigno ab alijs nationibus diſtin-
guerentur. Nec non ipſis multiphariam, multisque modis per Prophetas locutus eſt Deus, Hebr.1.
atque futuram ſalutem ſub nube ſaltem denunciauit; vt omnino ex ijs omnibus ſit perſpi-
cuum, Deum, præ omnibus alijs nationibus, populum Iudaicum peculiaribus fauoribus pro-
ſequutum eſſe; ſed hoc præcipuo, atque maximo, quòd de ipſorum gente Saluatorem edu-
xerit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Quemadmodum Abrahæ promiſſum fuerat a Geneſ.22.
Deo, quòd in eius ſemine omnes gentes erant benedicendæ. Et poſtquam Dei Verbum eſt
incarnatum, Chriſtus Deus, & homo, vti promiſſus erat Iudæis, ita quoque ijs ipſis regnum
Dei prius prædicauit: illi vero, ob propriam ipſorum perfidiam, atque auaritiam, infidelitate
obcæcati,

obcæcati, non ſuſcipientes Euangelium Dei, quin Prophetam, & Saluatorem ad ſe miſſum
proſequentes, mortique tradentes, a Dei gratia iure merito ceciderunt: & in eorum locum
Roma. 11. ſuffultæ ſunt gentes ſtultæ, quibus Deus aliquando (pro ſua imperſcrutabili ſapientia) vſu-
Caot. Moy. rus eſt ad emulationem Hebræorum; vt hinc pronocentur ad reſipiſcendum de peccatis eo-
rum, & ad Deum vere cognoſcendum, atque timendum; ſuſcipiantque tandem Chriſtum,
a maioribns ſuis crucifixum, quem ipſorum, vti & cæterorum omnium, Redemptorem, at-
que vnicum agnoſcant atque fateantur Saluatorem.

Ante expletum Euangelium, quomodo collata ſalus humano generi intelligebatur. CAP. III.

EX commemoratis illud, conſtat, nullum aliud nomen ſub cœlo datum hominibus,
Act. 4. in quo oporteat nos ſaluos fieri (prout ſcriptum eſt in Act. Apoſt.) niſi in nomi-
ne Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quando Deus hac vna via, nempe per mortem
filij ſui inter nos, & Deum mediatoris, ab ęterno ſtatuit redimere genus huma-
num. Verum cum & ante legem, & poſt legem datam (quemadmodum iam antea conſtitu-
tum eſt) omnibus qui ſalutem eſſent conſequuturi, neceſſarium fuerit credere in Deum, &
eius omnipotentiæ ſe ſubijcere: hinc quæri poſſe videtur, num etiam ſtatuendum ſit, quòd
ijs omnibus, qui futuri ſint ſalui, pro ſalute conſequenda opns fuerit credere in Ieſum Chri-
ſtum, & ex eius ſanguine ſalutem ſperare; vt omnino in fide venturi Saluatoris, & non aliter
omnes ſub ſpe ſalutis conſeruarentur. Cui quæſtioni ex adducta auctoritate Actuum Apo-
ſtolorum haud dubie ira ſatisfaciendum eſt, quòd quibnſcunque Chriſti myſterium eſt reue-
Matth. 1. latum, ipſum ſcilicet venturum propitiatorem pro peccatis hominum, (quemadmodum Io-
ſeph viro Mariæ Angelus denunciauit, de Virgine Maria eius coniuge puerum naſciturum,
vocandumque Ieſum, quoniam populum ſaluum eſſet facturus a peccatis eorum) hos omnes
oportet in Chriſti merita confidere, & pro ſalute conſequenda eius nomen inuocare, & eius
præcepta ſeruare. At dubium eſt maximum, num omnibus ſalutem conſequuturis, myſte-
rium Chriſti, antequam expletum eſt, fuerit reuelatum; cum præſertim antequam Deus
Abraham alloqueretur, nullum appareat traditum huius myſterij apertum ſignum, quod om-
nibus pateret; & in lege obſcure quoque idipſum propoſitum ſit ſub quibuſdam rerum in-
uolucris, & tegumentis, a longe, & ſub nube quadam ſignificatum. Vnde ad Galat. ſcribens
Galat. 3. Paulus inquit. [Priuſquàm veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi in eam fidem, quæ
reuelanda erat.] cum illud tamen tamquam anchora, ſemper firmum conſtiterit, & ante le-
gem, & poſt legem datam, Deum videlicet eſſe timendum, & ad eius miſericordiam confu-
giendum ab omnibus, qui ſalutem conſequendæ ſtudio tenerentur. Quare ſi in dubio ab ali-
quo verteretur (quando id nobis minus conſtat) quòd non omnibus qui ſalutem eſſent con-
ſequuturi, Chriſti myſterium, antequàm expletum eſt, fuerit manifeſtum: non indignum,
(vt opinor) diuina miſericordia eſſet dicere, Deum ita ſibi complacuiſſe, vt quibus Chriſti
myſterium incognitum fuiſſet, dummodo diuinæ prouidentiæ ſe ſubijcerent, & pie viuentes
nomen eius inuocarent, hi ex ſua ſingulari bonitate ſalui fierent per redemptionem, quam
Chryſoſto. homil. 27. in Matth. Chriſtus oblatione ſui corporis humano generi eſſet obtenturus. Vnde Chryſoſtomus in
hanc ſenrentiam cap. 11. in Matth. ita diſſerit. [Sed magna, inquies, iniuria illis hac ratione
fit, qui ante Aduenrum Chriſti naturæ conceſſerunt. Minime, inquam, poterant enim ho-
mines tunc etiam ipſum non confeſſi ſaluari. Non enim Chriſti, qni nondum venerat, ab
illis cultus petebatur: ſed, vt idolorum cultu ſpreto, vnum Deum conditorem omnium noſce-
rent. Dominus enim, inqnit, Deus tuus Dominus tuus eſt. Idcirco Machabæos, qui ne
legem traderent, mori maluerunt, valde admiramur; pueros quoque illos, alioſque compln-
res apud Iudæos, qui bene, & optime vixerunt, & hanc cognitionis menſuram inuiolatam
conſeruarunt, a quibus nil aliud certum petitum eſt. Nunc antem non ita eſt; ſed neceſſaria
eſt ad ſalutem Chriſti cognitio. Propterea dicebat, ſi non veniſſem, & locutus eis non fuiſ-
ſem, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.] Idem
Chryſoſtomus paulo infra. [Quòd autem qui ante Chriſtum obierunt, ac ideo ipſum non
cognouerunt, ſi ab idolorum cultu receſſerunt; ac Deum ſolum adorarunt, ſi prætetea ho-
Roman. 2. neſte vitam peregerunt, ęterna bona, & beatitudinem adipiſcentur. Paulum rurſus audi.
Gloria, inquit, & honor, & pax omni operanti bonum; Iudæo primum, & Gentili. Vides
aperte retributiones bonorum iſtis repoſitas, & pœnas illis, qui cuncta oppoſita effecerunt.]

Theodoretus quoque in expoſitione prioris epiſt. ad Corinth. circa illa verba cap. 15. [Pri- Theodor.
mitiæ Chriſtus : deinde ij, qui ſunt Chriſti, qui in Aduentum eius crediderunt.] ita habet.
[Chriſti autem non ſolum eos appellat, qui poſt humanam ab eo ſuſceptam naturam in ip-
ſum crediderunt: ſed eos etiam, qui in lege, & ante legem pij fuerunt, & virtute inſignes.]
Et huic quidem dilucidationi conſentire quoque videbuntur (ſi rectè perpendantur)
ea, quæ habentur apud Sanctum Thomam in ſec. ſec. quæſtio. 2. artic. 7. in reſponſione Tho. Aqui.
ad vltim. dum inquit. [Si qui tamen ſaluati fuerunt, quibus reuelatio non fuerit facta, non
fuerunt ſaluati abſque fide mediatoris; quia & ſi non habuerunt fidem explicitam, tamen ha-
buerunt fidem implicitam in diuina prouidentia, credentes Deum liberatorem eſſe homi-
num ſecundum modos ſibi placitos, & ſecundum quòd aliquibus veritatem cognoſcentibus
Spiritus ſanctus reuelaſſet.] Idem etiam in Commentarijs epiſt. ad Heb. cap. 11. lect. 2. quæ- Idem in epiſto. ad Heb.
rens, num hæc duo ſufficiant ad ſalutem, nempe credere quòd Deus eſt, & quòd inquirenti-
bus ipſum ſit remunerator, reſpondet: [quòd poſt peccatum primi parentis nemo potuit ſal-
uari a reatu culpæ originalis per fidem mediatoris; ſed iſta fides diuerſificata eſt, quantum ad
modum credendi ſecundum diuerſitatem temporum, & ſtatuum. Nos autem, quibus eſt
tantum beneficium exhibitum, magis tenemur credere, quàm illi, qui fuerunt ante Aduen-
tum Chriſti: tunc etiam aliqui magis explicite ante legem: quia data fuerunt eis aliqua ſa-
cramenta, quibus quaſi per figuram repræſentabatur Chriſtus. Sed Gentilibus, qui fuerunt
ſaluati, ſufficiebat, quòd crederent Deum eſſe remuneratorem, quæ remuneratio non fuit
niſi per Chriſtum: Vnde implicite credebant in mediatorem.] Ex quibus dictis clare colli-
gitur (quod attinet ad illos homines, qui ante legem extiterunt, de quibus præcipuus ſer-
mo eſt apud Sanctum Thomam) ſat illis fuiſſe ad ſalutem conſequendam, quòd diuinæ pro-
uidentiæ ſe ſubdiderint eo modo, vt antea eſt enarratum. Verum, & illud quoque eſt ad-
uertendum, poſtquam Chriſtus opus humanæ redemptionis conſummauit ſua morte, at-
que reſurrectione a mortuis, Euangeliumque huius tantæ fœlicitatis eſt promulgatum in
omnes terræ partes, omnes (quot quot ſaluti aſpirare ſtudeant) ad quos peruenerit Euange-
lium, ex lege Euangelica (vt antea quoque recenſuimus ex ſententia Chryſoſtomi) teneri,
credere in Ieſum Chriſtum, eumque Saluatorem noſtrum confiteri, & baptiſmum ſuſcipere,
quo per ſanguinem Chriſti peccator ab omnibus mundatur delictis, & ex immundo mun-
dus, & ſanctus, & ex impio fit iuſtus in conſpectu Dei. Hac enim lege obligari omnes, Do-
minus teſtatus eſt apud Matth. dum dixit diſcipulis ſuis. [Euntes in vniuerſum mundum, Matth. 28.
prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui
autem non crediderit, condemnabitur.]

Expleta quomodo fuerit per Chriſtum humani generis redemptio. Cap. IIII.

IAm vero explicatius perpendendum eſt, quæ nam Chriſtus ijs, qui in ipſum crederent, beneficia contulerit, in quibusve rebus, ſeu actionibus ſita ſit ſalus, quam Chriſtus ſuis fidelibus acquiſiuit ſanguine ſuo. Ex delicto igitur primorum parentum (vti antea eſt enarratum) offenſa Deo omnium conditori illata erat, ob quam, tum primi parentes, tum eorum poſteri in Diaboli poteſtatem deuenerant; effecti iræ filij, & Dei hoſtes, in cuius excelſæ maieſtatis conſpectu immundi, atque impij ob peccatum apparebant; quique ex inobedientia in Deum perpetrata, ad peccandum procliues effecti (magis in eos inſultante efferueſcentia concupiſcentiæ, atque fomite membrorum) maiores in dies ſibi ipſis ex ſuperadditis peccatis condemnationem contraxerunt: vt propterea morti corporis tradendi eſſent, grauique ſupplicio plectendi; ſicuti quoque quo ad animam orbatam Dei gratia, quæ eſt eius vita, mortui iam exiſtebant. Vnde quattuor præcipua circa præuaricationem primi noſtri parentis ſunt adnotanda. In primis peccatum ipſum inobedientiæ, quod commiſit Adam; cuius actus pertranſijt, poſtquam deliquit tranſgrediens Dei mandatum. Deinde ſolutio iuſtitiæ originalis in ipſo ad pœnam peccati ſubſequuta; cum hinc appetitus carnalis cornua erigens, a dominio, & ab obedientia animæ rationalis ſe ſubtraxerit, aduerſus ipſam inſurgens, eandemque maculans, & quodam veluti habitu ad peccandum afficiens, vt odibilis Deo redderetur, donec ab hac macula non emundaretur: quæ peccati labes in Adæ poſteros (vti ex vitio genitos concupiſcentiæ) propagauit. Tertio conſiderandum eſt per ſe vitium concupiſcentiæ inſurgentis aduerſus rationem, cui tamen aſſenſus ab homine non præſtetur, ipſe fomes reſidens in membris noſtris,

Ac poſtre-

Ac poſtremo mors corporea in vniuerſum genus humanum ſubſequuta, quam Deus Adæ, ſi
Geneſ. 2. de pomo ei prohibito comediſſet, comminatus erat. Ab hoc itaque miſerrimo ſtatu, cum
nulla arte genus humanum vendicare ſe poſſet, Verbum Dei incarnatum, Chriſtus verus
Roman. 3. Deus, & verus homo, factus pro nobis piaculum, & hoſtia, & vt agnus innocens morti tradi-
tus, omnes credentes in Deum, & eius mandatis obtemperantes; & pro tempore ſacramenta
a Deo inſtituta ſuſcipientes, a gehenna, atque poteſtate Diaboli liberauit, mundans eos a pec-
catis, & Deo Patri reconcilians; ita quidem, vt ipſis peccatum primorum parentum, atque
delicta propria (quorum ipſos pœnituerit) vltra ad condemnationem non adſcribantur; ſed
iuſti coram Deo ſint vere effecti per inhærentem iuſtitiam, quæ e Chriſti meritis in ipſos
emanauit. Quibus etiam, vt regeneratis in nouum hominem, ea dona ex eiuſdem Chriſti
meritis, & ex fide in ipſum ſuſcepta conferuntur; ob quæ fomes quoque concupiſcentiæ in
ipſis reprimitur; adeo vt cum Dei auxilio, quod præſto ſuis fidelibus, ſemper adeſt, poſſint (quod
antea non poterant) carnis paſſionibus inſurgentibus obſiſtere, vt illis non aſſentiant: nec
non membra aduerſus ſpiritum inſurgentia facilius ſub dominio, atque lege rationis contine-
re. Si quidem fomes, ipſa in membris inſerta propenſio ad peccandum, tum ad reminiſcen-
dum miſerum priorem ſtatum noſtrum, de quo erepti Dei miſeratione, gratos erga Deum
nos præſtemus, tum pro exercendis habitibus virtutum, ad maiorem nobis gloriæ coronam
acquirendam, omnibus eſt relictus hominibus: illis exceptis, quos Deus ſuo imperſcrutabili
decreto ita ſanctificauit, vt in peccatum labi non poſſint: vti conſtat de Beatiſſima Virgine
Coloſſ. 2. Maria matre Domini, de Ieremia, atque Ioanne Baptiſta. Chyrographum prætera mortis
ęternæ, quæ ab omnibus hominibus, ob delicta noſtra, expectanda erat, Chriſti meritis de-
letum fuit. Lex vero mortis corporeæ obeundæ, quam etiam Chriſtus vltronee ſubire vo-
luit pro mundi redemptione, nemini fuit condonata, cum ſtatutum ſit omnibus hominibus
Hebr. 9. ſemel mori. Verum ob Chriſti merita id quidem effectum eſt, vt in ipſum credentes, iam vl-
Hebr. 2. tra mortis huius horrore non terreantur, ſicuti antea; vt qui ſpe certi facti ſint, quòd, vt Chri-
1. Cor. 15. ſtus primitiæ dormientium a morte ſurrexit cum corpore glorioſo non amplius moriturus;
ita ipſi quoque per Chriſti ſpiritum viuificantem ſint accepturi vitam ęternam conſimili glo-
ria, atque decore corporis ornatam: quod erit in communi reſurrectione mortuorum, cum
Chriſtus venerit ad iudicandum mundum, cum interim animæ dormientium in Chriſto, in
pace, atque lætitia conquieſcant Dei viſione perfruentes. Quam tantam beatitudinem,
quam ne cogitatione quidem conſequi vlla poteſt mens humana, Chriſtus ſua morte homi-
nibus comparauit. Verum nobis illud exploratum eſſe debet, ad hanc tantam, tamque ma-
gnificam gloriam neminem vmquam deducendum, qui a Deo non vocetur. Qui quidem
2. Petr. 3. ſua immenſa bonitate neminem perire volens, cum velit omnes homines ſaluos fieri, nullos
1. Timot. 2. hac ſuæ vocationis gratia deſtitutos reliquit; quamquam, ſecundum imperſcrutabilis ſuæ ſa-
Ezech. 18. pientiæ decretum, ſæpe alios, præ alijs (vt ſibi libitum fuerit) præſtantioribus donis ad eccle-
ſiæ ędificationem vocare ſoleat; quos etiam nouit ex ſua ſingulari gratuita gratia præclaros ſi-
1. Timot. 1. bi miniſtros futuros: vti conſtat inter cœteros de B. Paulo. Vnde ſcribens ipſe ad Timoth.
inquit. [Gratias ago ei, qui me confortauit in Chriſto Ieſu Domino noſtro, quia fidelem
1. Theſſ. 2. me exiſtimauit ponens in miniſterio.] Et ad Theſſal. [Exhortatio enim noſtra non de errore,
neque de immunditia, neque in dolo: ſed ſicut probati ſumus, vt crederetur nobis Euange-
lium, ita loquimur.] Ad hæc, illud quoque debet eſſe notiſſimum, oportere, vt quot quot
ſalui futuri ſint, & ad Regni cœleſtis gloriam euehendi, Dei vocationem vltronei ſuſcipiant,
eique aſſentiant, prioris iniquæ vitæ inſtituta deteſtantes, ac fide Dei miſericordia ſe ſe ex
corde credentes, eaque a Deo ſperantes, & operantes, quæ in Dei vocatione ipſis credenda,
atque operanda proponuntur: quandoquidem in inuitos, atque incredulos, ex Dei firmiſſi-
Auguſt. de mo decreto, ſalus non confertur. Nam, vti dicit beatus Auguſtinus. [Qui fecit te ſine te,
verb. Apoſt. non iuſtificat te ſine te, Et qui non credit.] (vt dixit Dominus in Euangelio) [iam iudicatus
cap. 4. epiſt. eſt.] Præterea illud etiam diligenter eſt adnotandum, omnibus hominibus id eſſe commune,
ad Rom. Ioann. 3. tam Iudæis, quàm Gentilibus, vt nemo vmquam potuerit, aut poſſit ex ſeſe, ſuiſque viribus,
ac proprijs operibus iuſtitiam conſequi coram Deo, nec ſuis viribus etiam ad eam aſſequen-
dam præparari; ſed opus ſemper fuiſſe, & nunc eſſe, vt vnuſquiſque iuſtitiam, atque ſalutem
ſibi impio exiſtenti comparari pro certo habeat ex Dei gratuita miſericordia. Siquidem (vt
Roman. 3. dicitur in epiſt. ad Roman.) [Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iuſtificati gratis per
gratiam ipſius.] quam propterea ex toto corde implorare debemus, nec non a Deo veniam
petere peccatorum, Chriſtique mediatoris, atque Saluatoris noſtri meritis (quem Deus pro-
poſuit propitiatorem pro peccatis noſtris) omnia quæ nobis condonantur, accepta referre:

in cuius

in cuius morte conſepulti per baptiſmum cum peccatis noſtris, vna cum ipſo reſurgimus, atq; Roman.6.
in nouum hominem, qui Dei ſpiritu ducatur transformamur. Iudæi profectò, ob patrum fi- Ro.3.& 11.
dem Deo chariſſimi extitere, illiſque eloquia Dei fuerunt communicata: ipſis auctor noſtræ ſalutis promiſſus; quique natus illis regnum Dei, Vti ad quos præcipue miſſus erat, prædicauit; doctrina, vitę ſanctitate, mirisque, atque innumeris operibus illum ipſum ſeſe eſſe oſtendens ab ipſis expectandum, atque expectatum filiorum Iſrael Saluatorem. Lex eiſdem conſcripta, præcepta Dei continens, per manum Moyſi data fuit: atque ſignaculum circuncisio- Rom.4.
nis in patre Abraham collatum eſt in ſignum iuſtitiæ, quam ex meritis Saluatoris, in eum credentes eſſent conſecuturi. Verum hæc tanta, tamque præclara dona, quibus populus Iudæorum, præ omnibus nationibus acceptus, atque Deo chariſſimus eſſe ſignificabatur, quamquàm ex ijs excitari vel maxime poterant ad proſpiciendum, vnde nam expectanda ipſis ſalus eſſet: attamen nil eis profuerunt ad ſalutem re ipſa conſequendam, niſi ad hæc eorum quoque propria acceſſit voluntas, qua Deo ſe ſubderent, eiusque auxilio freti (quod ſemper eſt implorandum) ſperarent ab omnibus peccatis poſſe ob Dei miſericordiam mundari, atq; legis præcepta perficere. Gentes autem, quæ, ante Chriſti Aduentum, Deum non habuerunt ſibi ipſis ita appropinquantem vt Iudæi, ſi ex cognitione de Deo rerum omnium conditore percepta, Dei omnipotentiæ ſe ſubdidere, eiusque nomen inuocauere, ac iuxta legem in corde conſcriptam viuere ſtuduere; ipſi quidem, ex immenſa Dei benignitate, id aſſequi potuerunt, vt in Dei gratiam per Chriſti merita reciperentur, atque ſalutem conſequerentur; Quibus tamen nullus patuiſſet aditus, ſi ex proprijs ex operibus id aſſequi poſſe ſibi aſſumpſiſſent, quod a Dei gratuita gratia erat expectandum. Quare hoc manebit firmiſſimum fundamentum, nullum impium peccatis onuſtum, ad ſalutem aſpirare poſſe, niſi Dei benignitate, qui, ob Chriſti merita, peccatori pœnitenti peccata remittere dignetur; dummodo Dei miſericordiam peccator imploret, & ad Chriſti merita confugiat, per quæ nobis peccata ignoſcuntur, atque condonantur.

Qualem ſe præſtare habeat, qui per baptiſmum ſit regeneratus. CAP. V.

HIS verò ita conſtitutis, iam explicandum eſt, qualem deinde ſe præſtare debeat, qui ex baptiſmate ſuſcepto mundus a peccatis, & innocens ſit effectus coram Deo. Quod ſane non aliunde, quàm ex Chriſto, & eius eccleſiæ doctrina, atq; præceptis petendum eſt. Nam, vt teſtatur B. Paulus in epiſt. ad Titum. [Ap- Tit.2.
paruit gratia Dei Saluatoris noſtri erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria ſobrie, ac pie, & iuſte viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem, & Aduentum magni Dei Saluatoris noſtri.] Ex quibus Apoſtoli verbis perſpicuum eſt, ei, qui Chriſti ſanguine ſit redemptus, totis viribus elaborandum, vt Dei auxilio ſuffultus (quod aſſiduis precibus eſt implorandum) receptam ſanctitatem non modo ſeruare, verum etiam augere ſtudeat; vt qui iuſtus eſt, magis etiam iuſtificetur. Abſtinendum eſt igitur (vt ſobrie, Apoc.22.
ac iuſte viuamus iuxta præceptum Dei) non ſolum a prauis cupiditatibus, & turpibus operationibus (quibus, ex potu, cibo, & luxuria tum animus, tum corpus coinquinatur, & conſpurcatur, & contra dogmata itur Euangelica) & ab iniuſtis factis, quibus proximus lædatur; verum etiam corpus ieiunio, & alia caſtigatione eſt in ſeruitutem redigendum; eaque omnia præclara opera exercenda ſunt erga omnes; quæ, ſi omittantur, qui omiſerit, gratiam Dei amittit; hincq; gehennæ pœna plectendus erit. Quemadmodum teſtatus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus in Euangelio apud Matth. ediſſerens de iudicio per filium hominis exer- Matth.25.
cendo penes opera miſericordiæ erga proximum expleta, vel omiſſa. Quarum rerum agendarum nemo eſt, dum hac vita mortali viuit, cui quotidianæ innumeræque occaſiones præſto non adſint. De pietate autem præſtanda erga Deum Saluatorem noſtrum, non eſt vt dicamus quantopere, ei, qui ad Chriſti militiam ſit adſcriptus, ſit neceſſarium, vt ſumma cum religione Deum colat ſuis omnibus viribus; adeo vt propter Dei gloriam, ſi occaſio id poſtulet, vel libentiſſime etiam eligat vitam cum morte ſummo ſupplicio coniuncta commutare. Fidei autem homo Chriſtianus, verus Chriſti ſeruus, in omnibus ſuis cogitationibus, & operibus inniti ſemper debet; per quam, tum præſentis, tum futuræ vitæ omnem ſpem ſuam collocet in Deo, atque adeo firmam ipſam teneat, vt ab illa nullius rei, vel amore, vel timore vnquam diuellatur; alacri ſimul animo expectans Aduentum gloriæ magni Dei Saluatoris noſtri: cuius immenſam erga ſe charitatem perpendens, ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & ex omnibus viribus ſuis, ipſum diligere curabit in dies, magis, & magis.

Ad quæ

Ad quæ omnia præſtanda Dei auxilium ſemper paratum habebit, ſi ſe fidelem erga Deum præſtabit; & frequentans ſecundum ordinem ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſacramenta, a Chriſto ad medelam animarum inſtituta; & gratiarum actionibus, atque obſecrationibus nuſpiam intermiſſis, Dei gratiam per Ieſum Chriſtum humiliter poſtulauerit, quæ numquam deeſt inuocantibus Deum ex vero corde. Atque ita fiet, vt inter Dei filios receptus, hæreditate Regni cœleſtis per Chriſtum vna cum Chriſto potiatur.

De Præconibus a Chriſto delegatis ad prædicandum Euangelium. CAP. VI.

HVIVS autem tam auguſti, atque fœliciſſimi humanæ redemptionis euentus, quam Deus Abrahæ, Moyſi, Dauid, alijſque ſanctis viris, atque Prophetis denunciauerat, Chriſtus, ex illis hominibus, qui ipſum ſequuti erant, dum eſſet in hac carne mortali, delegit Apoſtolos, quibus Euangelium hoc prædicandum demandauit in omnes terræ partes. Poſt eius autem mortem, atque reſurre-
Act.13. ctionem a mortuis, & ad cœlos aſcenſum, Paulus, qui, & Saulus appellabatur, Hebræus de Tribu Beniamin, a Chriſto vocatus eſt ad Apoſtolatum, vt ſibi vas eſſet electionis ad portandum nomen eius præcipue inter Gentes, earum doctor, atque prædicator conſtitutus: ille in-
Act.9. quam Paulus, qui antea perſecutor fuerat eccleſiæ Dei, & ſpirans minarum, & cœdis aduerſus Diſcipulos Domini, vt eos de medio tolleret. Qui quidem in eorum oppugnationem progrediens, ex itinere, quod recta tenebat in Damaſcum ad perſequutionem complendam, a Ieſu Nazareno cæcitate percuſſus oculorum, ad reſipiſcendum mente, & ad voluntatem permutandam, diuina quadam inſuetaque virtute eſt excitatus. Qui huius iniquitatis idcirco
1.Timot.1. a Deo miſericordiam ſe conſecutum aſſeruit ſcribens ad Timot. quoniam ignorans in incredulitate id facinus perpetraſſet. Non enim beatus Paulus (vt illi Iudæi, qui necis Domini fuere auctores, ad id liuore & auaritia inducti, de bonis operibus, quæ optima, & irreprehenſibilia eſſe dignoſcebant, ipſum calumniantes, atque perſequentes) conſimili peruerſitate, atque malitia obcæcatus fidem Chriſti, eiuſque ſectatores perſequebatur. Sed Dei Opt. Max. legem zelans, quam quodammodo irritam fieri, & aboleri ex Chriſti doctrina rumor erat: nondum intelligens, quo nam pacto Chriſtus legem non ſoluiſſet, ſed adimpleſſet: Idcirco zelo zelans, tanquàm furijs agitatus, in euerſionem fidei Chriſtianæ incitatus ibat: cum tamen fide Chriſti (vt ipſe poſtea miſericordiam conſecutus, & ad Euangelium conuerſus,
Roman.3. ſæpius in epiſtolis ſuis teſtatus eſt) non tollatur lex: quinimmo ſtabiliatur, atque confirmetur. Tollitur quidem legis vmbra, poſtquam aduenit Chriſtus, qui in lege deſignatus erat. Vnde ex veteri Teſtamento iure merito ea omnia corruere, quæ Chriſti Aduentum, Mortem, & Reſurrectionem, & alia eius myſteria præfigurabant: quemadmodum decebat, vt, re adue-
1.Cor.10. niente, ſignum rei aboleretur. Siquidem (vti dicitur in epiſt. ad Corinth.) omnia Hebræorum populo in figura contingebant. Vas igitur electionis Dei gratia effectus Paulus, commiſſum ſibi Euangelium per innumeras orbis terræ partes Gentibus prædicauit. Idem etiam varias de fide Chriſti, atque lege Euangelica conſcripſit epiſtolas: quæ non ſolum iis, ad quos ſunt conſcriptæ, per vtiles extitere ad ſalutem: verum etiam omnibus ſeculis eaſdem, dum adueniat dies domini, dies vniuerſalis iudicij, magno vſui, & adiumento omnibus tum fuiſ-
Chryſoſt. lib.4 de Sacerdot. ſe, tum futuras pro comperto habendum eſt: vt teſtatur Chryſoſtomus in lib.4. de Sacerdotio; tam etſi ob ſapientiam, quam Deus beato Paulo communicauit, nonnulla in ijs ipſis,
2.Petr.3. intellectu difficilia exiſtant: quæ (vt inquit Sanctus Petrus) indocti, & inſtabiles deprauant, ſicuti & cœteras ſcripturas ad ipſorum condemnationem.

De munere Apoſtolatus, & Pauli nomine. CAP. VII.

QVAPROPTER, vt facilior adhuc (Deo adiuuante) ac planior intellectui pateat via ad omnes B. Pauli Epiſtolas percipiendas, quædam alia veluti generalia capita præmittemus. Inter quæ hoc erit primum: conſueuiſſe Apoſtolum in Epiſtolis ſuis proprium nomen apponere, eidemque fere ſemper adiungere mu-
Roman.1. nus Apoſtolatus, vt patet ex epiſtola ad Roman. quam hunc in modum exorditur. [Paulus
1 Corin. 1. ſeruus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus.] & ex duabus illis ad Corinth. quarum eſt hoc ini-
2. Corin.1. tium. [Paulus vocatus Apoſtolus Ieſu Chriſti.] & ex alijs, quas hunc in modum fere omnes contexit: illa excepta, quam ſcripſit Hebræis, in qua reticuit tum proprium nomen, tum Apoſtolatus munus ob eam admodum rationabilem cauſam, quæ proprio loco erit perpendenda.

Itaque,

Itaque, quod attinet ad aſſignatam inſcriptionem, illud in primis adnotandum eſt, de mune-
re Apoſtolatus a B. Paulo fieri commemorationem, partim, vt moneat Lectorem, idcirco
prædicationis officio ſeſe fungi, quoniam id ſibi demandatum eſſet a Deo, vt neceſſitas ſibi
incumberet id muneris obeundi, alioquin, væ ſibi (vt ſcribit Corinth.) niſi prædicaſſet Dei 1.Corin.9.
Euangelium: partim etiam, vt propalata hunc in modum in frontiſpitio epiſtolarum auctori-
tate a Deo ſibi collata, eo magis vnumquemq; vrgeret ad ea omnia credenda, & obſeruanda,
quæ in ijs ipſis Epiſtolis, Dei ſpiritu, atq; mandato conſcriptis denunciantur: cum præſertim
nō deeſſent homines iniqui, pſeudo Apoſtoli, maxime ex Iudæis, qui omnibus artibus detra-
here auctoritati B. Pauli conabantur. Quamobrem etiam interdum (ſicuti in epiſtola ad Co- 2.Cor.12.
rin. & in illa ad Gal. & alibi) ob zelum ſalutis animarum, quo eximius hic Chriſti Apoſtolus Galat.2.
mirifice angebatur, coactus eſt auctoritatem a Deo ſibi collatam, veram, ſinceram, ac mini-
me proprio iudicio ſibi aſſumptam, pluribus argumentis comprobare. Id enim plurimi in-
tereſſe adiudicabat, ad inducendas, confirmandasque Gentes in obſequium, atque obedien-
tiam ſuæ prædicationis. Et hæc quidem quo ad Apoſtolatus aſſignationem.

Nomen autem appoſitum, eſt, Paulus, non Saulus; quo etiam nomine appellabatur, vt pa-
tet ex Act. Apoſtolorum. [Saulus autem qui, & Paulus.] Cur autem Saulus, vel Paulus no- Act.13
minaretur, certi nil conſtat: quamquam de vtroque nomine variæ, & admodum elegantes a
nonnullis excogitatæ fuerint interpretationes: quas interim omittentes, hæc tantummodo
animaduertemus. Difficile defendi poſſe (quod adnotauit Origenes in calce ſuæ præfatio- Orig.
nis in epiſtolam ad Romanos) quòd a Sergio Paulo, qui per Apoſtolum ad fidem conuerſus
eſt, nomen Pauli, quaſi debellator triumphans, ſibi aſſumpſerit: cum hoc nomine nuncupa-
retur, priuſquàm Sergium ad Chriſti fidem induxiſſet; vt perſpicuum eſt ex loco citato ex
Act. Apoſtolorum. Illud autem eſt certum, nuſpiam in Epiſtolis Apoſtoli noſtri nomen
Sauli reperiri: quod ſemper reticuit, eo forte conſilio, vt hinc patefaceret, quàm graui ani-
mo ferret eam iniuriam, quam Chriſto intulerat, eius eccleſiæ perſecutor exiſtens. Cuius
criminis, ſub nomine, Sauli a Ieſu Nazareno accuſatus fuerat, cum ipſum ita eſt alloquutus.
[Saule Saule, quid me perſequeris?] Idque præſertim, quòd hoc ipſum nomen, Saul, præſefe- Act.9.
rat hominem inquietum, vt adnotauit Ambroſius; aut ſuperbum, & elatum, ſicut Auguſti- Ambroſius.
nus, & Hieronymus interpretati ſunt. Quòd ſi nec Moyſes, nec poſteriores Prophetæ, neq; Auguſt.
Euangeliſtæ ſcriptis ſuis proprium nomen appoſuerunt, id minime mirum eſſe debet; quum Hieron.
illi (vt Chryſoſtomus adnotauit). omnibus ſcriberent: & ſæpe ijs, qui erant præſentes: hic Chryſoſto.
autem certis perſonis, & abſentibus litteras daret. Quod etiam Theophylactus animaduertit. homil. 1.
Vnde ob hanc cauſam, alij quoque Apoſtoli epiſtolis ſuis nomen proprium appoſuere: vt no- ad Rom.
tum eſt de epiſtolis B. Petri, Iudæ, & Iacobi, & de duabus illis poſtremis B. Ioannis. Theophyl.

De ſalutatione, quam ſuis epiſtolis propria manu ſcriptam Apoſtolus Paulus apponebat. CAP. VIII.

ILLVD etiam diligenter eſt adnotandum, B. Paulum propria manu epiſtolas ſuas
non ſcripſiſſe, ſed eas dictando græco idiomate contextas (illa excepta quam ſcri-
pſit Hebræis) aliena manu in illis ſcribendis vſum fuiſſe: vnde illud in calce epiſt.
ad Romanos. [Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi epiſtolam.] præter illas tamen ad Roman.16.
Galatas, & ad Philemonem, quas propria manu ſcripſit, prout ex vtraque epiſtola colligitur:
dum inquit in illa ad Gal. [Videte qualibus litteris ſcripſi vobis mea manu.] Et in ea ad Phil. Galat 6.
[Ego Paulus ſcripſi mea manu.] Conſueuiſſe autem ſalutationem in omnibus apponere ſua Ad Philem.
manu ſcriptam, ipſe teſtatur in calce epiſtolæ ad Theſſal. dum inquit. [Salutatio mea manu 2.Theſſ.3.
Pauli, quod eſt ſignum in omni epiſtola: ita ſcribo. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum
omnibus vobis. Amen.] Qua quidem ſalutationis formula vtebatur non ſolum in fine,
verum etiam in initio ſuarum epiſtolarum: vbi quoque exacta magis, ac numquam varia
reperitur ijs verbis expreſſa ſalutatio. [Gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro, &
Domino noſtro Ieſu Chriſto.] Cui ſalutationi in epiſtolis ad Timotheum, & ad Titum,
ad gratiam, & pacem, adiunxit etiam miſericordiam, ob eam nimirum cauſam, quam
deinde ſubijciemus. Nunc autem illud in primis occurrit aduertendum, beatum Apoſto-
lum eo conſilio in epiſtolis ſuis conſueuiſſe, ſalutationem apponere ſua manu ſcriptam; vt
hinc aſſumptos ad Chriſti fidem, de epiſtolis, quas illis conſcriberet, certos atque cautos red-
deret, ne ab alienis ſub nomine Pauli ſcriptis, ſeducerentur. Poteſt autem, & rationabiliter

exiſtimari, ꝙ non ſolum in fine, verum etiam in initio epiſtolarum ſalutationem prædictam propria manu conſcriberet: cum præſertim formula ſalutationis firmior, quo ad verba ordinemq; verborum, in initio quàm in fine ſeruetur: ita enim fiebat, vt & certiores quoq; epiſtolæ redderentur, ac multo magis Pauli eſſe dignoſcerentur. Verum, vtcumque ſit, ſalutatio in initio epiſtolarum appoſita ita præclara eſt, vt ad ea, quæ in ipſa continentur, nil præterea ab homine optari poſſit, cui adſit, tum gratia, tum pax a Deo, quarũ vtrãmq; precatur B.Paulus illis omnibus, ad quos ſcribit. In primis enim hac dictione, gratia, ſummum, ac maxime commune bonum denotatur: nempe ea omnia precari, quæ Deo placent, & ſint grata. Siquidem gratia, & ſola ſua liberalitate Deus facit, fecitq; quæcunque ſibi ſunt placita: gratia ſua noſtri miſeretur, dum nobis delicta ignoſcit: gratia ſua nobis fert auxilium, ac varia dona confert: gratia nos ſua caros habet, dum, gratia ſua ſuffulti, tales nos erga ipſum præſtamus, vt eius gratiam obtineamus: id ipſum eſt, vt mundi, & ſancti per ipſum effecti; ei pla-
Chryſoſt. homil 14 in epiſt. ad Hebr. ceamus. Etenim (vt adnotauit Chryſoſtomus in calce epiſt. ad Heb.) [Gratia eſt remiſſio, & purgatio peccatorum, animi puritas, & participatio Spiritus ſancti, quæ ſeruabitur in nobis, ſi bene vixerimus ad eius normam, aliter euolabit a nobis.] Huic deinde gratiæ diuinæ, pa-
Ioann. 14. cem adiungit Apoſtolus in ſua ſalutatione, & iure merito. Quandoquidem qui Dei gratia fruuntur, pacem etiam a Deo obtinent; non qualem dat mundus falſam, & plenam miſerijs, quæ mundanam pacem ſubſequuntur; ſed veram pacem, illam nempe conſcientiæ ſecuritatem, atque animi tranquillitatem, qua nil carius, aut amabilius contingere poteſt homini in hac vita; quam deinde, poſt mortem hanc temporariam, pax, & quies ęterna conſequitur ab omni contrarietate ſeiuncta. Hæc igitur eſt formula ſalutationis, quam a Deo Patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto precatur Apoſtolus illis omnibus, ad quos ſcribit. Ex quo colligitur, erroneam eſſe eorum opinionem, qui cenſuerunt aliquid in eius epiſtolis addendum pro expleta ſalutatione, quæ ex aſſignatis verbis præclare comprehenditur. Quod inſinuauit etiam Chryſoſtomus in poſteriori epiſt. ad Theſſal. inquiens. [Salutationem vero vocat pre-
Chryſoſt. 2. Theſſ. homil. 14. cationem.] Idem paulo poſt, inquit. [Ab ea vero cœperat, & rurſus in eadem deſijt.] Ijs verbis, illud idem innuens Chryſoſtomus, quod a nobis dictum eſt antea: eandem ſalutatio-
Oecumen. nem apponi; & initio, & in fine epiſtolarum. Oecumenius quoq; in initio epiſtolæ ad Rom. animaduertit, hæc verba. [Paulus Apoſtolus omnibus, qui eſtis Romæ dilectis Dei, vocatis ſanctis, gratia vobis, & pax:] tantumdem valere, ac ſi dicatur: [quidam cuidam ſalutem.] Scribens autem B.Paulus Timotheo, & Tito, qui erant epiſcopi eccleſiarum, ad gratiam & pacem, adiunxit etiam miſericordiam, ita inquiens. [Gratia & miſericordia, & pax a Deo Patre:]
Chryſoſt. in epiſt. vel Tit. in homil. 1. vt hinc innueret (quemadmodum in epiſt. ad Titum adnotauit Chryſoſtomus) Dei peculiari miſericordia illos indigere, qui curam gerunt animarum, ac de aliena ſalute rationem ſunt reddituri. Verum, quod ad hanc eandem attinet ſalutationem, & id quoq; adnotare non erit (vt opinor) indignum Chriſtiana pietate: nempe, in ea comprehendi ſanctiſſimam Trinitatem: tum Deum Patrem in ijs verbis: [Gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro:] tum filium, cum ſubiungitur; [& Domino noſtro Ieſu Chriſto:] qui, & Deus, & homo eſt, ac Dei filius: tum Spiritum ſanctum in illis alijs verbis: [Gratia vobis, & pax.] hæc enim, vt dona ſunt ex Dei charitate prouenientia, Spiritum ſanctum denotant, tertiam perſonam in diuinis. Siquidem Spiritus ſanctus, peculiari nomine, donorum largitor nuncupatur: quamquam æque omnia proficiſcantur a tota Trinitate, quæcunque particulari quodam ſignificatu a ſingula quauis perſona facta eſſe dicantur.

De gratiarum actione appoſita in epiſtolis Pauli. CAP. IX.

ILLVD etiam eſt obſeruandum, ab Apoſtolo noſtro, in omnibus ferme epiſtolis, ad ſalutationem ſubiungi quoque gratiarum actionem: quod agit pio ſane, atque ſapienti conſilio, hinc inſtruens fideles, vt mentis noſtræ ad Deum ea ſit prima eleuatio, qua gratos nos exhibeamus diuinæ maieſtati: cui, quòd ſimus atque viuamus, quòd optemus bona, quòd oremus, & quæcunque nobis inſunt bona, accepta referre debemus: atque ideo eidem omnipotenti Deo de collatis nobis beneficijs gratias agere: vt hinc diſponamur ad alia quoque maiora ab eius bonitate obtinen-
Machab. 2. da, cum apud Deum animi noſtri gratitudo, quàm maxime ſit accepta. Hinc apud Ma-
Chryſoſt. homil. 2. in epiſt. ad Roman. chabeos legitur. [De magnis periculis a Deo liberati magnifice gratias agimus ipſi.] Et Chryſoſtomus in epiſtola ad Romanos agens de gratiarum actione hæc ſubiecit. [Gratiarum actio animam ab inuidentiæ, ac malignitatis morbo liberat, ac Deum magis alli-

cit ad amandum,quos grato erga ſe animo eſſe cognouit.] Ijs verbis Chryſoſtomus ſignifi-
cans, Deum ab ęterno ita ſibi complacuiſſe, vt,qui beneficiorum in ipſos collatorum gratos
ſe præſtarent, hos maioribus etiam in dies beneficijs afficeret: non quòd Deus (vti nos con-
ſueuimus) ita a nobis alliciatur ad aliquid agēdum,tanquam nos illi cauſa ſimus, vt quidpiam
agat; quando actionum ſuarum, & liberæ eius voluntatis nulla poteſt eſſe cauſa,& ipſe ſit pe-
nitus immutabilis: ſed humanos mores in hoc ſequutus eſt Chryſoſtomus, vt hinc homines
ad Deo gratias agendas de beneficijs acceptis magis etiam alliceret. Formula autem, qua
vtitur Apoſtolus in explicanda gratiarum actione ferme huiuſmodi eſt,qualis legitur in epi-
ſtola ad Rom. dum inquit. [Primum quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum pro
omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo.] Et in priori ad Cor. ait.
[Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto, quòd Rom. 1.
in omnibus diuites facti eſtis in illo.] Quo genere orationis vſus eſt quoque in epiſt. ad Phi- 1. Corin. 1.
lipp. in illa ad Coloſſ. in vtraque ad Theſſal. in ſec. ad Timot. in illa ad Tit. & in ea quoque ad
Philem. Ab hac autem orationis forma diſceſſit in poſteriori epiſtola ad Corinr. dum tranſtu-
lit gratiarum actionem ad Dei benedictionem hunc in mundum. [Benedictus Deus,& pater
Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum,& Deus totius conſolationis.] Qua for- 2. Corin. 1.
mula vſus eſt quoq; in epiſt. ad Eph. inquiens. [Benedictus Deus, & pater Domini noſtri Ieſu
Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto.] Quam-
quam in eodem cap. paucis interiectis,ſubiunxit etiam apertam gratiarum actionem hunc in Epheſ. 1.
modum. [Propterea, & ego audiens fidem veſtram, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & dilectionem
in omnes ſanctos: non ceſſo gratias agere pro vobis memoriam veſtri faciens in orationibus
meis.] In epiſtola autem ad Gal. Quoniam illos,tanquam collabentes a fide,grauiter erat re- Epheſ. 1.
prehēſurus, vtramq; reticuit orationis formam, quæ ad gratiarum actionem ſpectare poſſet.
Sicuti etiam in prima ad Timot. vtpote qui in ea normam eſſet traditurus,qua ſe gereret Epi-
ſcopus in regimine eccleſiæ. In ea autem epiſtola,quam ſcripſit Hebræis,reticens Apoſtolus
noſter proprium nomen, & munus Apoſtolatus,ſalutationem quoq; prætermiſit: nec non &
gratiarum actionem ob eas rationabiles cauſas, quæ in expoſitione illius epiſtolæ erunt per-
pendendæ. Interim autem & hoc ipſum aduertendum occurrit, in gratiarum actione fere
ſemper ab Apoſtolo donū aliquod commemorari,quod Deus impertierit ijs,ad quos ſcribit,
quibus alia etiam dona cumulatius ſuperaddi a Deo precatur: id agens eo ſapienti conſilio,
vt,beneuolis huncin modum ſibi redditis auditoribus,ex ipſorum commēdatione,tutius de-
inde vbi contingat,eorumdem crimīnationes agere poſſit. Quod diligenter adnotauit Chry-
ſoſtomus in epiſt. ad Coloſſ. dum ait. [Et poſtquam in quibus oportebat, eos laudauit, tum
demum,& reprehenſionem inſtituit. hoc enim vbiq; facit: ſi quando quibuſdam ſcripturus
habet quidem quod reprehendat, habet vero etiam quod laudet, primum laudat: deinde ad Chryſoſt.
taxanda vitia deſcendit: primum enim auditorem ſibi familiarem, & beneuolum reddit,atq; homil. 2. in
ita reprehenſionem omni ſuſpitione liberat; & declarat ſe per omnia quidem laudare, & epiſt. ad Co-
commendare malle, neceſſario tamen in eos carpendi ſermones induci, & cogi.] loſſ.

Quam ob cauſam Apoſtolus ſanctos, & iuſtos, & electos Dei eos appellet, ad quos ſcribit, quave prudentia ſe gerat in laudando, & redarguendo. CAP. X.

CONSVEVIT etiam beatus Paulus ita agere cum ijs ad quos ſcribit, vt eos appellet iuſtos, & electos, tanquam qui futuri eſſent tales vſque ad ſeculi conſummationem: id agens, vel quoniam ex reuelatione prænoſceret, qui nam futuri eſſent ſalui: vel quòd hinc magis excitari,atq; extimulari poſſent fideles ad eam innocentiam conſeruandam, quam per baptiſmi lauacrum ſuſcepiſſent. Quam ob cauſam eos quoque ſanctos appellat, vt qui per regenerationem mundati ab omni macula pernoſcere habeant, ad ſanctitatē ſe vocatos eſſe: ac proinde in eadem ſe conſeruare debere, Dei auxilio inhærentes. Cumq; in multorum congregatione fidelium, partim boni, partim alij a recta ſemita declinantes reperirentur; hinc Apoſtolus ea ſe prudentia geſſit in ſuis epiſtolis, vt modo omnes commendare, modo omnes incuſare videatur: modo non omnes, ſed aliquos vel laudet, vel vituperet: id agens eo prudenti conſilio, vt declinantes a recta via erigat,& bonos commonefaciat, vt ſi ſtent, videant ne cadant, quam ſcribendi rationem potiſſimum obſeruauit in vtraque epiſtola ad Corinthios.

Quo nam modo opera Dei circa electos effari Apoſtolus conſueuerit. CAP. XI.

EFFARI quoque Dei opera, vt puta circa electos,& alia huiuſmodi, frequenter ita conſueuit B.Apoſtolus, ac ſi forent conſummata, ad finemq; perducta; tam & ſi adhuc fierent, & agenda forent: idipſum diuino conſilio agens; vt qui præ oculis mentis id ſemper haberet, apud Deum nihil eſſe non præſens, eiusque ſcientiæ nil eſſe futurum. Quare cognoſcens in Deum omnia referri debere; ſicuti & ab ipſo omnia dependent, ad modum præſcientiæ diuinæ conceptiones quoque ſuas
Ephef.2. effari conſueuerat. Quemadmodum in epiſt.ad Eph.dum ait. [Et cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, cuius gratia eſtis ſaluati, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu.] Quod tamen non dum expletum erat, cum adhuc in hac
Coloſſ. 1. vita eſſent ij, de quibus hæc loquitur. Et in epiſt, ad Coloſſ. [Gratias agens Deo, & Patri,
Philipp.4. qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum.] Et in illa ad Philipp. [Etiam rogo, & te germane compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio, quorum nomina ſunt in libro vitæ,] & alia huiuſmodi plurima in eius epiſtolis inueniuntur.

De Diuina prudentia, qua ſe geſſit Apoſtolus in conſeruanda legis veteris dignitate, & tutanda ſimul libertate Euangelica. CAP. XII.

ILLVD etiam diligenter eſt animaduertendum, Hebræos, qui fidem Chriſti perſequebantur, nulli vmquam Apoſtolorum tam grauiter infenſos, atque aduerſatos fuiſſe, quemadmodum B.Paulo; tanquam ei, qui, cum prius eccleſiæ Chriſti vehemens oppugnator extitiſſet, eiuſdem poſtea acerrimus defenſor eſſet effectus, ac præco grauiſſimus illius libertatis, qua Chriſtus fideles ab oneribus legis vendicarat; hanc ipſam libertatem Paulus longe etiam liberius prædicans præ ce-
Galat.2. teris omnibus Apoſtolis: vt patet ex epiſt.ad Gal. In qua, huius rei cauſa, aſſerit ſe Antiochiæ in faciem Petri reſtitiſſe, propterea quòd ex ſimulatione abominandi cibos, quibus Gentiles veſcerentur, abſtinens ab illis in conſpectu Iudæorum, hac ratione Gentes induceret ad Iudaiſmum. Quapropter Iudæi eo odio aduerſus Paulum exarſerunt, vt inſidias necis illi tenderent; neque ab inceptis deſtiterint, donec ipſum, coram Præſide Romano accuſatum, in vincula, atq; in carcerem tandem perduxerint. Nimirum, vt qui nimis grauiter ferrent, quòd qui prius perſequebatur Chriſti Euangelium, mox tam nauiter illud prædicaret. Quandoquidem ex auctoritate tanti viri in lege peritiſſimi, qui palinodiam tam præclaram priſtinæ ſuæ perſecutionis faceret, vllo abſque timore Scribarum atque Phariſæorum, excitari quàm maxime poterant homines ad Chriſti fidem ſuſcipiendam, quam Iudæi peruerſi tantopere
Chryſoſt. homil. 25. in poſter. epiſt.ad Roman. oderant. Vnde Chryſoſtomus in poſteriori epiſtola ad Corint. de hoc agens, inquit. [Ipſi enim maxime inſidiabantur Iudæi, quoniam maxime omnium illos confundebat: & maximũ inſaniæ argumentum videbatur, quòd tam repente ſe auerterat: vnde graui bello eum vrgebant.] De hac autem tam graui perſecutione ſibi facta ab Hebræis mirũ in modum Paulus angebatur, & excruciabatur: tum dolens interitum ſuæ gentis, quorum ſalutem mirifice zelabat, vt qui erga omnes flagraret ardore immenſæ charitatis; tum illud timens quàm maxime, ne opera aduerſariorum (qui ſe in Apoſtolos transformabant, quo facilius, quod moliebantur, perficerent ad Satanæ exemplum, qui ſe in Angelum lucis ad deceptionem homi-
2.Cor.11. num transfigurat) fideles a vera Chriſti fide ſeducerentur, atque ita obex ſuæ prædicationi, & Chriſti Euangelio poneretur, quod Iudæi omni conatu euertere tentabant: vt patet ex ijs,
Oecumen. quæ habentur in ſcholio Oecumenij in præfationibus epiſt.ad Rom. vbi dicitur. [In veterum comment. inuentum eſſe, quòd ſacerdotes, & ſcribę, & ſeniores, qui Ieroſolymis inhabitabãt, exaratas litteras ad omnes nationes tranſmiſerunt Iudæis, vbicunq; terrarum diſperſi eſſent, Chriſti doctrinam calumniantes, tanquam a Deo alienam, atq; epiſtolis admonebãt, ne illam ſuſciperent.] Quare rem magni momenti, ac plenam difficultate, atq; periculo aggrediebantur ij, qui, primis illis temporibus, Chriſti Euangelium prædicabant. Lex enim aderat a Deo ſumma ſolemnitate per manum Moyſi populo illi Hebræorum per multas annorum centurias ante tradita: in qua cum nati Iudæi, ac iuxta eius inſtituta educati eſſent, quæ mordicus tenere profitebantur; difficile admodum (cum præſertim eſſet ille populus duræ ceruicis) induci poterant, vt ab obſeruatione legis ne latum quidem (vt aiunt) vnguem diſcederent.

Quin

Quin funeſto odio excandeſcebant aduerſus illos omnes, quos aliqua ex parte legis auctori-
tati detrahere exiſtimarent, non aſſequentes veritatem, quam Apoſtoli Chriſti prædicabant.
Hinc itaque legis auctoritas B. Paulum mirifice vrgebat, ne offendiculum afferre Iudæis
ex ſua prædicatione videretur. Illinc Chriſti libertatem, ipſamquemet veritatem propa-
lare tenebatur. Aderant hinc Hebræi admodum difficiles, qui a legis inſtitutionibus dimo-
uerentur: illinc Gentes a Deo peculiari cura Paulo commendatæ, quarū ratio, & cura quàm
maxime habenda erat, ne onere legis indebite grauarentur; ne ve ipſis imponeretur (quod
pſeudo Apoſtoli totis viribus conabantur) ad ſalutem omnino opus eſſe legis facere inſtitu-
ta: videlicet, circuncisionem ſuſcipere; dies, & anni tempora obſeruare; a communibus cibis
tanquam immundis abſtinere; lauacra, & ſanctificationes illas carnales in lege præceptas
exercere, de quibus eſt ſermo in epiſtola ad Hebræos: tanquam hæc omnia ad ſalutem fo- Hebr. 9.
rent neceſſaria: hincque Gentes inducerentur ad credendum, ſine omnimoda legis obſerua-
tione ſaluos fieri non poſſe credentes in Chriſtum per eius ſanguinis effuſionem: cuius ta-
men ſola virtute anima fidelis, deteſtans peccata, ab omni macula mundatur, atque in Dei
gratiam, vt innocens, atque ſancta reuocatur. Hinc Sanctus Apoſtolus in ſuis ſcribendis
epiſtolis oculatiſſimum ſe præbet, ne quid detrimenti fideles patiantur ex Hebræorum im-
poſtura, qui eos a vera fide abducere ſemper machinabantur, turpiter Chriſti ſanguini de-
trahentes. Idcirco pluribus in locis agit Apoſtolus in ſuis epiſtolis de lege, illam ſane ſemper
venerans, ac totam ſpiritualem prædicans, vt quæ iuxta ſpiritum Dei fuerit conſcripta, &
conſtituta. Verum a lege ea tollit, quæ poſt Chriſti conſummationem merito erant auferen-
da, ne vlterius progrederentur, aut obſeruarentur ritus illi, cæremoniæ, ac ſacrificia, quæ po-
pulo illi Iudaico a Deo præcepta erant, ad ſignificandum ſalutem a Chriſto illis peruentu-
ram, ob eius futurum iuge ſacrificium. Neque vero dubium eſſe debet, qui aduieniente veri-
tate, vmbra bonorum futurorum ceſſare debuerit. Chriſti ſiquidem aduentu, morte, reſur-
rectione, & eiuſdem ad cœlos aſcenſu, impleta, atq; perfecta ſunt ea omnia, quæ in lege erant
propoſita ad hæc ipſa ſignificanda. Vnde & ipſe Dominus in Euangelio dixit. [Nolite puta- Matth. 5.
re, quoniam ego veni ſoluere legem, aut Prophetas, non veni ſoluere, ſed adimplere.] Itaque
poſt Chriſti conſummationem, vltra obſeruandæ non erant ſignificationes illæ in lege præ-
ceptæ, quarum obſeruatione, quæ erant ſignificata, tollerentur, tāquam non dum adueniſſent,
aut impleta non fuiſſent. Cum tamen Chriſtus ſit finis legis, vt habetur in epiſt. ad Rom. per Roma. 10.
quem ſolum iuſtificatio, & perfecta ſanctificatio obtinetur: non autem per munera, & hoſtias,
quæ in lege veteri offerebantur: quæ, vt dicit Apoſtolus in epiſt. ad Hebræos. [Non poterant Hebr. 9.
iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem.] Idcirco qui per ſanguinem Chriſti regene-
rati ſunt, morientes peccato per baptiſmum, ſicuti vltra non ſubijciuntur Moſaicæ legi, nem-
pe non peccatis in ea prohibitis, non morti ob peccata ibi comminatæ, vt dicitur in epiſt. ad
Rom. ita quoq; immunes, & liberi redduntur ab omni onere legali obſeruando: a circunciſio- Roman. 6.
ne, a baptiſmatibus carnalibus, ab obſeruatione dierum, & menſium, ab eſu ciborum immun-
dorum; quæ omnia populo illi ad exercendam præſertim religionem, & obedientiam erga
Deum fuerunt ad tempus impoſita; vt ita ſub lege cuſtodirentur, concluſi (vti dicitur in epiſ.
ad Gal.) in eam fidem, quæ reuelanda erat in Chriſti Aduentu, qui ſua morte ſaluos fecit cre- Galat. 3.
dentes in ipſum. Verumtamen rationem quoque habuit B. Paulus Hebræorum, qui ad Chriſti
fidem conuertebantur, vti & cæteri quoque fecerunt Apoſtoli: ne illico per ſuſceptionem fi-
dei Chriſtianæ, inueterata illa inſtituta veteris legis penitus antiquarentur: cum id Hebręi in
legis obſeruatione nati, & educati, difficillime ferre poſſent. Quare in gratiā quoq; Hebræorū
B. Paulus Ieroſolymis ſe purificauit iuxta ritum legis. Et lyſtris Timotheum circuncidit, quo- Act. 21.
niā ſciebāt, ꝙ pater eius eſſet Gentilis, vt circuncisioni a Deo Hebræis præceptę idipſum con- Act. 16.
donaretur: non ꝙ ex ea ſalus homini contingeret, quæ ex ſolo mediatore Chriſto erat expe-
ctanda: in quo neq; circunciſio, neq; præputium aliquid valet: quamuis ante Chriſti conſum-
mationem pro tempore ab Hebræis circunciſio foret obſeruanda, vt quæ præcepta a Deo il- Galat. 6.
lis eſſet. Quamobrem etiam in primo concilio habito a Sanctis Apoſtolis, inter alia, id quo- Act. 15.
que decretum eſt; vt Gentes a contaminationibus ſimulacrorum, a ſanguine, & a ſuffocatis
abſtinerent: ne ex horum eſu id conſpicientes Iudæi, conuerſi ad Chriſti Euangelium, con-
turbarentur: ſed id ita tamen ſtatutum eſt, vt, poſt Euangelium cumulate propalatum,
ſubſequenti tempore, hæc omnia fuerint antiquata, & ſublata ab eccleſia Dei; quod
non primo illo tempore faciendum erat; vt Synagoga (iuxta dictum Auguſtini) ad Auguſt. ad Hier. epiſt. 19.
tumulum cum honore deduceretur. Quæ omnia conſilio Spiritus ſancti peracta ſunt
ſecundum immenſam Dei ſapientiam, qui omnia agit, & ſuauiter diſponit. Hæc igi-

tur, quæ legem concernunt, vti antiquata, ſæpe numero ijs in epiſtolis pertractat Apoſtolus. Sed illud potiſſimum prædicat, atque conatur, vt eam penitus eradicet erroneam exiſtimationem, qua paſſim Hebræi temeritate adducti ſibi aſſumebant, poſſe ex lege per ſemetipſos ſalutem conſequi ſeorſum a fide, & a miſericordia, & auxilio Dei. Aduerſus quos Apoſtolus grauiter inuehitur, palam docens, per legem, ac legis iuſtitiam neminem corã Deo poſſe iuſtificari: idque præſertim agit in eorum gratiam, qui fidem Chriſti ſuſcepiſſent: ne pſeudo Apoſtolorum opera a veritate Euangelij ſeducerentur ſub quadam ſimulata ſpecie
Galat. 3. ſanctitatis, quam ex lege petendã hoſtes illi Euangelij profiterentur. Lex ſiquidem, vt Pædagogus exiſtens, qui populum illum erudiret, ad litteram præſcribit, quæ ſint agenda, aut fugienda: vt puta, quòd Deus eſt colendus ex toto corde, ex omni anima, & ex omni mente, & ex omnibus viribus noſtris, & proximus itidem diligendus, vt nos ipſi; nec non quòd vetita non ſint concupiſcenda, ne dum committenda. Verum ipſa lex non affert ſpiritum, atque
Hebr. 7. virtutem, qua ſecundum iuſtitiam Dei hæc abſolui poſſint, cum lex nihil ducat ad perfectum. Sed ad omnia perficienda eſt nobis neceſſaria gratia Dei, quam nobis Chriſtus ſuo ſanguine acquiſiuit, vt ita in Dei amicitiam iuſti, & ſancti effecti deducamur.

De ordine ſeruato ab Apoſtolo in ſuis contexendis epiſtolis. CAP. XIII.

IN contexendis autem epiſtolis eum fere ſemper ordinem obſeruat B. Paulus, vt primo loco tractet ea, quæ attinent ad dogmata, & ad doctrinam fidei Chriſtianæ: mox vero agat de morum inſtitutione, ea præcepta tradens, quæ decent vere ſanctum Chriſticolam: licet etiam interdum, cum id occaſio poſtulat, dogmatibus admiſceat præcepta, & admonitiones de vita recte inſtituenda. Qua methodo ſacroſancta quoq; Chriſtianæ religionis concilia peragi ſolent: dum in ijs ea in primis præcipiuntur, atque diſcutiuntur, quæ concernunt ſanctam, atque catholicam doctrinam. Deinde vero agitur de reformatione, qua diſciplinæ Chriſtianæ ratio, atque norma inſti-
Theophyl. tuatur, & conſeruetur. Vnde Theophylactus (cui conſentiunt etiam commentaria Chryſoſtomi, & Theodoreti) in initio cap. 12. epiſt. ad Rom. ita habet. [Poſtquam ſatis eſt ſermoni dogmatico immoratus, ad moralem procedit.] & hunc ordinem fere ſemper Apoſtolus obſeruat; licet interdum alterum cum altero ſermonem permiſceat.] Quemadmodum ab ipſo
Chryſoſto. homil. 43. factum eſt in priori epiſt. ad Corinth. vt etiam obſeruauit Chryſoſtomus in homil. 43. in expoſitione illius epiſtolę; dicens, præter morem aliarum epiſtolarum, Paulum in fine, poſt dogmatum traditionem, nihil in genere de moribus cum Corinthijs agere; ſed ſolum de eleemoſina, eo quòd multa antea intermiſcuerit ad recte vitæ inſtitutionem attinentia.

De orationis genere quo vſus eſt Apoſtolus in ſuis epiſtolis. CAP. XIIII.

ORATIONIS autem genus, quo vt plurimum vtitur Apoſtolus in ſuis epiſtolis, conciſam admodum habet elocutionem, dum multas inuicem ſententias connectit, ac periodum alteram cum alia complicat: vnde ſuſpenſa admodum membrorum congeries, & longa hyperbato ſubobſcuram reddit totam ſtructuram orationis: quam obſcuritatem non mediocriter etiam augent frequentiſſimæ, quę paſſim inſeruntur phraſes Hebraicæ idiomati Græco minus accommodatæ: quo idiomate omnes has epiſtolas
Iren. lib. 3. cap. 7. dictauit, illa excepta, quam ſcripſit Hebræis, vt ante etiam animaduertimus. Hinc Ireneus lib. 3. aduerſus hæreſes. c. 7. [Ideo, inquit, [Paulus obſcurus eſt, quoniam hyperbatis frequen-
Origen. in præfa. epiſt. ad Rom. ter vtitur propter velocitatẽ ſermonũ, & propter impetum, qui in ipſo eſt ſpiritus.] Et Orig. in præfat. epiſt. ad Rom. [Obſcurus, inquit, eſt Paulus, ꝙ elocutionibus interdum confuſis, & minime explicatis vtitur.] Quamobrem opus eſt ſtudio non vulgari, quo ſingulæ quæque diuini huius Apoſtoli ſententiæ perpendantur: nec non animaduertatur, quid vnicuique propoſitioni reſpondeat, vt principalis ſcopi præcipua quoque concluſio colligatur. Phraſes itidem, quæ ſapiunt Hebraicam elocutionem, quàm diligenter animaduertendæ ſunt, & ſingula quæque verba examinanda, vt quæ vbiq; habeantur admodum prægnantia, diuiniſſimosq; ſenſus continentia. Copioſiſſimi ſiquidem rerum ditiorum conceptus in os B. Pauli a Spiritu ſancto immittebantur, qui etiam copioſiſſimi ex eius ore, dum prædicaret, dumve dictaret
1. Cor. 11. Chryſoſt. homil. 3. in epi. ad Heb. epiſtolas, effluebant: in quibus cum totus mente atque cogitatione eſſet poſitus, nil mirum, ſi elaboratæ orationi minus operam nauaret, vt hinc imperitum ſermonis aliquando ſe nominarit. Et (vt dixit Chryſoſtomus in epiſt. ad Heb.) [Iſte mos erat Apoſtolo, vt non magnam

verborum haberet rationem.] F. Oecumenius etiã in epi. ad Philip. c. 3. inquit. [Non erat curæ Occumen.
S. Paulo de elegantia, & proprietate græcorum verborum, ſed ſolũ intẽdebat ſignificare, quod
proponitur.] Neque vero abſq; prouido Spiritus ſancti conſilio factum eſt, vt cum B. Paulus
ex dono linguarum, quod obtinebat, idiomate græco Gentes alloqueretur, ad quas deſigna-
tus erat Apoſtolus, minus tamen docta, atque ornata oratione vteretur, id ipſum Spiritu ſan-
cto ita ſtatuente, ne ex perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis pendere cenſeretur vis ſuæ
prædicationis; atque ita (vt ipſe ſcribit Corinthijs) euacuaretur Crux Chriſti, ſuaq; propria 1. Corin. 1.
laude fraudaretur: ex qua ſola tamen cruce, ſeu Chriſti morte in cruce ſuſcepta pendet ſalus
humani generis; nec non omnis Apoſtolorum prouentus quem fecerunt animarum, per dona
Spiritus ſancti diuinitus ipſis ex Chriſti meritis collata: quibus, & non humanæ ſapientiæ ver-
bis, Apoſtolorum innixa erat prædicatio, ſignis atque prodigijs a Deo confirmara, atque ro-
borata. Epiſtola autem illa quam habemus conſcriptam ad Hebręos, vt quæ materna lingua
hebræa ab Apoſtolo fuerit contexta, omnium ſuarum epiſtolarum elegantiſſima cenſetur,
quam deinde ex hebræa Sanctus Lucas Græcam fecit.

Sed quamquam Paulo (vti dictum eſt) curæ non eſſet de elegantia, ac proprietate græco-
rum verborum, vt qui phraſi hebraica ad græcum idioma minus accommoda orationem
contexens, ſuam hinc in vſum ſermonis ſæpenumero hyperbata, & antipodâta, & ſollecíſmos
intermiſceret: attamen haud dubitandum eſt, quin robore eloquentiæ plurimum valuerit.
Quemadmodum Chryſoſtomus in lib. 4. de Sacerdotio longa, & pulcherrima digreſſione Chryſoſt.
patefecit: docens, Apoſtolum noſtrum (iuxta ea quæ de ſeipſo ſcribit Corinthijs, q̃ oratione, lib. 4. de Sacerdotio.
at non ſcientia eſſet idiota) a peregrinæ quidem, & prophanæ eloquentiæ præſtigijs abhor- 2. Cor. 11.
ruiſſe, vt quæ ſuperuacanea, & vana adiudicaret: at non ea forti eloquentia caruiſſe, qua ex
ſimplici, ac nuda rerum verborumque compoſitione fidei Chriſtianæ dogmata diligenter ex-
cuteret, atque ſtabiliret. Non ea, qua captiuam duceret omnem cogitationem ad obedien- 2. Cor. 10.
dum Chriſto. Non ea, qua conſilia, celſitudinemque omnem aduerſus Dei cogitationem
ſeſe extollentem demoliretur. Non ne ipſe, ob fortem eius ſermonem, poſt ſuam conuer-
ſionem in Ieruſalem profectus, Græcos ſua acri diſputatione ſupplantauit? vt propterea non Act. 9.
ferentes vincentem, ipſum occidere voluerint? Non ne & prius in Damaſco Iudæos, qui ibi
incolerent, confudit? vt ideo cum victor vi dicendi euaſiſſet, in Tarſum fuerit relegatus? de Act. 9.
aduerſarijs non quidem ob miracula, quæ nondum ab ipſo edita erant, ſed eloquentia victo-
riam reportans? ſed & cum in Lycaoniam perueniſſet, non ne Lycaones Paulum, Mercurium
exiſtimarunt? Nam quòd Barnabam, & Paulum Deos eſſe crederent, id a ſignis editis fiebat.
Quòd autem Paulum Mercurium eſſe vellent, id non a ſignis; ſed ab eloquentia, vt inquit Act. 14.
Chryſoſtomus, naſcebatur. Et cui mirum, aut dubium eſſe debet, quòd Paulus eſſet in ſer-
mone potens, cum vas eſſet electionis, in quo Chriſtus (in quo omnes theſauri ſapientiæ, & Coloſſ. 2.
ſcientiæ ſunt abſconditi) loqueretur? Eius vero admirabiles epiſtolæ quam non redolent 2. Cor. 11.
vim fortis eloquentiæ? quas, & eius aduerſarij graues, & fortes eſſe fatebantur? Qui etiam 2. Cor. 10.
ad exactiorem & efficaciorem quandam ſuarum conceptionum explicationem, verba exco-
gitauit; voces, præter vſitatas earum ſignificationes, ſæpenumero vſurpans: vt docet Grego- Greg. Nyſſ.
rius Nyſſenus, examinans dictum illud Apoſtoli ad Corinthios. [Tunc, & ipſe filius ſubij- 1. Cor. 15.
cietur ei.] Vbi inter alia hæc habet. [Scit enim magni Pauli ſapientia libere vti verbis ad id,
quod ſibi videtur, & propriæ cogitationis connexione adaptat verborum ſignificationes,
etiam ſi ad aliquas alias mentis conceptiones vſum dictionum ferat conſuetudo.] Et affert
Gregorius ex his vocibus nonnullas, vt eſt illa inter alias. [exinaniuit ſemetipſum;] Græ- Philipp. 2.
cæ ἐκένωσε. Et alibi. [Gloriationem meam nemo exaniet, ſeu euacuabit.] Item, [exinanita 1. Corin. 9.
eſt fides.] Et hæc alia, [cupiens vos:] per quod indicat habitum dilectionis. Et vt illa locu- Rom. 4.
tio, cum volens oſtendere charitatem a faſtu, & ſuperbia alienam, dixit, illam, [non agere Philipp. 1.
perperam.] Et vt illa alia, cum innueret litigioſam, & ad vlciſcendum propenſam conten-
tionem, ab hoc verbo, erhyteias ſignificauit; cum tamen (vt inquit Gregorius) omnibus ſit
manifeſtum, quòd ex lanificio nominatur erhytos, & quod in lanam confertur ſtudium, no-
mine erhyteias ſolet ſignificari. Vnde concludit, quòd Paulus ethymologiam iubens vale-
re, per quas vult dictiones, quem vult ſenſum oſtendit. Quemadmodum, & in epiſt. ad Gal. Galat. 4.
Animaduertere poſſumus, vocem hanc [ſemen] in plurium numero ab ipſo poſitam fuiſſe:
[non dicit, & ſeminibus quaſi in vno.] quum tamen ſemen pro poſteritate accipiatur, &
numquam plurium numero explicetur; ipſe autem ſic vſurpauit, vt ſignificantius patefaceret,
a Chriſto ſolo, qui eſt ex ſemine Dauid, futuram benedictionem in poſteros Abrahæ propa-
gandam. Sed & illud hoc loco ſilentio non eſt prætereundum, Apoſtolum Paulum aliquan-

do ex Græcis ſcriptoribus aliquos perlegiſſe, cum ex ijs nonnullos in ſuarum ſententiarum
Act 17. adducat approbationem. Veluti in Act. apud Athenienſes in Areopago ediſſerens de ara
ipſorum, in qua ſcriptum erat; [ignoto Deo,] & illis denuncians Deum, quem ignorantes
colerent, eum eſſe qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, qui & non longe abeſt ab
vnoquoque noſtrum; hæc deinde ſubiunxit. [In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus,
ſicut & quidam veſtrorum Poetarum dixerunt: ipſius enim & genus ſumus:] Ijs verbis Ara-
tum Poetam huius ſententiæ auctorem, & alios quoſdam ex Græcis Poetis ſignificans. Idem
Tit. 1. in epiſt. ad Titum naturam, & mores Cretenſium deſcribens, ad comprobanda quę de ipſis
diceret, ipſorum Poetam adduxit teſtem, nempe Epimenidem, inquiens. [Dixit quidem ex
illis proprius illorum Propheta. Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri:
teſtimonium hoc verum eſt.]

De numero Epiſtolarum Sancti Pauli, & cur primum locum Epiſtola ad Romanos obtinuerit. CAP. XV.

DEcem autem, & quattuor ſunt epiſtolæ, quas iampridem S. Catholica Eccle-
ſia Romana recepit vt canonicas B. Pauli, quæ in hunc ordinem ſunt diſpoſitæ.
Prima eſt ad Roman. Duæ ſequentes ad Corinth. Quarta ad Galat. Quinta ad
Epheſ. Sexta ad Philipp. Septima ad Coloſſ. Octaua, & nona ad Theſſal. De-
cima, & vndecima ad Timotheum. Duodecima ad Titum. Tertiadecima ad
Philemonem. Quartadecima, & poſtrema ad Hebræos. Non eſt autem exiſtimandum, ꝙ
hunc ordinem in Biblijs obtinuerint, tanquam ratio temporis ſit ſeruata, in quo ſingulæ ſint
Chryſoſt. conſcriptæ. Nam (vt diligenter adnotauit Chryſoſtomus in proœmio epiſt. ad Rom.) ex ver-
bis Apoſtoli clare colligitur, epiſtolam ad Rom. ab ipſo ſcriptam fuiſſe poſt illas ad Corinth.
Roman. 15. Nam ſcribens Rom. hæc habet. [Nunc igitur proficiſcor in Ieruſalem miniſtrare ſanctis: pro-
bauerunt enim Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes ſanctos, qui
1. Cor. 15. ſunt in Ieruſalem.] Scribens autem Corint. inquit. [Quod ſi dignum fuerit, vt ego eam, me-
cum ibunt.] de ijs loquens, qui eo pecunias deportandas colligebant. Vnde liquet cũ Apo-
ſtolus ſcribat Corint. hanc ſuam peregrinationem incertam fuiſſe (dum autem Romanis, con-
ſtitutum iam illi fuiſſe de profectione) quòd hoc indicat epiſt. ad Rom. ſcriptam fuiſſe poſt il-
las ad Corint. Verum & epiſtolas ad Theſſal. Idem Chryſoſtomus cenſet ſcriptas fuiſſe ante
1. Theſſ. 4. illas ad Corint. Quod ex ijs conijcit. Nam ſcribens Apoſtolus ad Theſſal. inquit. [De cha-
ritare autem fraternitatis nõ neceſſe habemus ſcribere vobis: ipſi enim vos a Deo didiciſtis,
2. Corin. 9. vt diligatis inuicem: etenim illud facitis in omnes fratres in vniuerſa Macedonia.] Corinthijs
autem ita ſcribit: [Scio enim promptum animum veſtrũ, pro quo de vobis glorior apud Ma-
cedonas, quoniã & Achaia parata eſt ab anno præterito: & veſtra ęmulatio prouocauit plu-
rimos.] Ex quibus verbis patet. Apoſtolum manifeſtare Corinthijs ea, quæ iam ſcripſiſſet
Theſſalonicenſibus. Vnde ſequitur, quòd epiſtola ad Roman. ſcripta fuerit, tum poſt illas ad
Corinth. tum etiam poſt illas ad Theſſal. Quod autem epiſtola ad Rom. præceſſerit nonnul-
lis alijs, quæ Romæ datæ fuerunt, hunc in modum docet Chryſoſtomus: Nam, cum Paulus
Roman. 1. ſcripſit Romanis, nondum Vrbem viſerat, vt eius verba teſtantur, dum inquit. [Deſidero
Philipp. 4. enim videre vos, vt aliquid vobis impertiar gratiæ ſpiritualis.] In epiſtola autem ad Philipp.
dum inquit. [Salutant vos omnes ſancti, maxime qui ex Cęſaris domo ſunt:] manifeſte indi-
Hebr. 13. cat, hanc epiſtolã Romæ datam eſſe. quod pariter colligitur de illa ad Hebræos, dum ait. [Sa-
lutant vos de Italia fratres.] Secundam quoque ad Timoth. Romæ ſcriptam miſit, quæ iudi-
2 Timot. 4. cio Chryſoſtomi poſtrema eſt omniũ epiſtolarũ B. Pauli: quod colligitur ex illis verbis. [Ego
enim iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat.] Romæ autem Apoſtolum e viuis de-
Ad Philem. ceſſiſſe omnibus liquet. Illa quoq; ad Philem. ſub extremam ſenectam Apoſtoli ſcriptã fuiſſe
colligit idem Chryſoſtomus ex illis verbis. [Nempe Paulus ſenex, nunc autem vinctus Ieſu
Coloſſ. 4. Chriſti.] & hanc præceſſiſſe illi ad Coloſſ. ex hac coniectura deducit Chryſoſtomus, quo-
niam in fine epiſtolæ ad Coloſſ. ita habet Apoſtolus. [De omnibus rebus meis certiores vos
faciet Thychicus, quẽ miſi vna cũ Oneſimo chariſſimo, & dilecto fratre.] Is autem Oneſimus
eſt, per quem compoſuit epiſ. ad Philem. cui illũ dimiſit, cum illius fuiſſet ſeruus, & ab ipſo au-
fugiſſet. De epiſt. etiam ad Gal. cenſet Chryſoſtomus, ꝙ ſcripta fuerit ante illã ad Rom. huius
Theodor. autem ſuæ opinionis nullã affert probationem. Theodoretus quoq; in præfat. epiſt. ad Rom.
ſupponens quattuordecim eſſe epiſt. B. Pauli de ipſis ait. [Quem autem habent in libris ordi-
nem,

nem, eum minime ab eo factum eſſe exiſtimo: ſed quemadmodum ſacros quidem pſalmos diuinus Dauid ſuſcepra ſancti Spiritus operatione conſcripſit, eos autem quidam alij poſtea, vt voluerunt, inter ſe concinnarunt; & ſpiritalem quidem bonum odorem emittunt, ſed temporis ordinem non habent: ita etiam has epiſtolas Apoſtolicas fuiſſe compoſitas inueniri poteſt.] Vnde poſtea Theodoretus pluribus verbis oſtendit, vti & Chryſoſtomus, quæ nam harum epiſtolarum priori tempore fuerint cõſcriptæ, & quæ poſteriori. Statuendum eſt igitur ex dictis, quòd epiſtolæ S. Pauli non eum ordinem in libris ſint conſecutæ, qui reſpondeat rationi temporis, in quo ſingulæ ſcriptæ ſunt. An autem is ordo, quem obtinuerunt, rerum tractationibus conueniat, quarum alia, primum, alia poſteriorem locum poſtularet, id minime perſpicuum eſt, & fortaſſis non facile eſt aſſignare rationem, ob quam inuicem connectantur. Illud vero paſſim ab omnibus receptum eſt, inter omnes has epiſtolas, præcipuas atque primarias eſſe, tum illam ad Roman. tum illam, quæ ſcripta eſt ad Hebræos, cum hæ (præ cœteris) illam præſeferant maximam ſapientiam, quam Deus, teſtimonio B. Petri, Paulo 2. Petr. 4. communicauit. Vnde etiam ex vtraque maximæ emergunt difficultates circa dogmata fidei, quas indocti, & inſtabiles deprauant. Et perdifficilis eſt epiſt. ad Rom. (vt habet Orig. Origen. in præfa. epiſ. ad Roman. in eius præfatione) quoniam in ipſa mouentur multæ quæſtiones, quibus inhærentes hæretici, libertatem liberi arbitrij deſtruere conantur.

CVR autem epiſtola ad Hebræos in poſtremo loco ab omnibus alijs fuerit poſita, alibi erit diſcutiendum. Nunc perpendendum eſt, quas ob cauſas illa ad Roman. primum in ordine locum ſit ſortita, tam & ſi ſcripta fuerit poſterius a nonnullis alijs. Id igitur optima ratione, atque prouido conſilio factum eſſe cenſendum eſt: tum propter Vrbis dignitatem, vt ex hoc etiam honoraretur, quæ vniuerſo orbi præerat, & Imperij ſceptra tenebat; tum φ hinc ſignificaret Spiritus ſanctus, in Vrbe Roma, vniuerſalis Eccleſiæ Dei primatum eſſe futurum, a qua omnes aliæ particulares eccleſiæ, lumen catholicæ doctrinæ, & inſtitutiones vitæ Chriſtianæ eſſent ſuſcepturæ. Accedit quòd in initio huius epiſtolę ad Rom. (quod in nulla alia epiſtola Pauli factum eſſe conſpicitur) materia, ſeu ſubiectum vniuerſale proponitur, de quo agitur in omnibus epiſtolis. Nempe Euangelium Dei de filio ſuo: qui hoc eodem loco deſcribitur, tum quo ad humanitatem, tum quo ad diuinitatem: nec non Paulus ſe Apoſtolum declarat, & ſegregatum ab alijs Apoſtolis in Euangelium Dei, quod alibi non enunciauit: Ita enim epiſtolam exorditur. [Paulus ſeruus Ieſu Chriſti vocatus Apoſtolus, ſegre- Roman. 1. gatus in Euangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis, &c.] Sed & primum locum ſibi dignitas epiſtolæ ex hoc capite vendicauit: quoniam (vt adnotauit Theodoretus) continet omnis generis Theodor. in præfat. epiſt. ad Ro. doctrinam, & accuratam, copioſamque dogmatum pertractationem. Sed præſertim (addamus nos) dogma de iuſtificatione: cuius doctrina magno vſui eſſet futura, non ſolum ijs, quibus epiſtola data erat, verum etiam alijs omnibus hominibus, dum currunt huius mundi ſecula. Verum & illud addi poteſt, quòd Apoſtolus in hac epiſtola ad Rom. complectitur vniuerſum humani generis ſtatum; tum eorum, qui ante legem Moyſi fuerunt: tum eorum, qui ſub lege vixerunt: tum eorum denique, ad quos poſtrema huius ſeculi tempora deuenerunt poſt Chriſti Euangelium, in quo huius mundi conſummatio eſt finem habitura. Qua in re eximia Dei bonitas, ſummaque prouidentia detegitur, cum ſaluti humani generis ita conſuluerit, vt ipſum in nullo vmquam ſtatu temporis deſtitutum reliquerit illis opportunis ſtimulis, atq; adiumentis, quibus excitari poſſent homines ad religionem, & pietatem erga Deum excolendam, atq; hinc, ex Dei miſericordia, veniam ſperare ſuorum delictorum, quę omnia ex epiſtolæ enarratione apparebunt, nec non ex eiuſdem argumento, quod nunc ſubijciemus.

ARGVMENTVM, SEV EPITOME
Epiſtolæ B. Pauli ad Rom. Cap. XVI.

HVIVS autem Epiſtolæ ad Rom. argumentum, quod præcipuum tractet Apoſtolus, id eſſe videtur, vt doceat, quo nam modo homo ex impio fiat iuſtus, & amicus Dei; ac poſtquam iuſtus effectus ſit, qualem deinde ſe præſtare debeat erga Deum, & erga proximum. Quare totius quoque epiſtolæ, duæ præcipuæ erunt partes. Altera complectitur tractatum iuſtificationis. Altera formam exhibet viuendi, quam ſequi debeat quicunque in gratiam Dei iam redierit. Iuſtificationis autem opus ita tractat Apoſtolus, vt partim aperiat, quæ nam a Deo proueniant primo motore iuſtificationis, eiusdemque perfectore pro impio iuſtificando; partim etiam doceat, quid ab homine exigatur pro reconciliatione, atque Dei gratia conſequenda. Itaque, quod attinet ad Deum, hoc iacet fundamentum (quod ex primo ac tertio cap. epiſtolæ deſumitur: Chriſtum crucifixum, eam eſſe potentiam, per quam Deus ſaluum fieri uoluit genus humanum, conſtituens Chriſtum, hoſtiam, atque piaculum pro peccatis noſtris diluendis, quæ omnibus ſeculis ab Adæ præuaricatione indelebilia manebant, neque ſine dei auxilio deleri vnquam poterant. Id autem hunc in modum effectum eſſe eodem tertio cap. epiſt. docet Apoſtolus. Nam Chriſtus mortem ſubiens pro peccatis noſtris, iuſtitiam Dei mundo propalauit, oſtendens quàm ſit ſcelerum iuſtus vindex Deus; quando in proprio filio, non niſi per eius ſanguinem, noſtrorum peccatorum culpam deleri voluit, atque ita de offenſa illata iuſtitiæ diuinæ ſatisfieri. Ex cuius deinde ſatisfactione promeruit ſibi Chriſtus ab eadem iuſtitia Dei, vt hominibus, pro quibus pœnas luit, peccata condonarentur; atque ita erepti per eius mortem ab iniquitatibus præteritis, iuſti coram Deo efficerentur, eadem iuſtitia nobis inhærente, quam nobis Chriſtus ſuo ſanguine comparauit. Verum quos nam homines (vt aliud caput aperiatur, quod attinet ad opus noſtræ iuſtificationis) conſtituit Deus participes fore gratiæ ſuæ, atque Chriſti meritorum? Non omnes profecto: ſed illos duntaxat, qui ex fide in fidem (vt tangitur in primo cap.) ſeſe deuouerint Deo ad eius gratiam percipiendam. Id ipſum autem eſt; quòd ei, qui iuſtus coram Deo fieri velit, vt Dei gratia illi communicetur, opus eſſe, vt præcedente quodam actu intellectus & voluntatis, in primis credat in Deum, rerum omnium, atque iuſtificationis ex ſua gratia effectorem: ac conſequenter, ex hac fide, in fidem vlterius procedendo, credat in Ieſum Chriſtum conſtitutum a Deo propitiatorem, atque redemptorem noſtrum. Quod nil aliud eſt, quàm Dei omnipotentiæ ſe ſubijcere, eiusque nomen atque miſericordiam inuocare; nec non agnoſcere, atque fateri, neminem noſtrum ex ſe ipſo, ac proprijs viribus de offenſis Deo illatis, eius maieſtati poſſe ſatisfacere; atque ideo ad ſatisfactorem, eumdemque noſtrum interceſſorem Ieſum Chriſtum confugiendum: cui, quicunque ex corde ſe crediderit, gratiam Dei præuenientem ſuſcipiendo, & pœnitendo de peccatis, & ſacrum baptiſma ſuſcipiendo, eiusque ſectando mandata, ſaluus erit: quando ita eſt decretum atque voluntas Dei,
Eſther ca. xiij. vt qui ita ſe geſſerint, ſalui fiant: cuius quidem volontati nil aduerſari, aut reſiſtere valet. Hoc ipſumque idem
Rom. 9. eſt cum eo, quod habetur in Euang. apud B. Ioannem, dum inquit. Quot quot autem receperunt eum, de-
Ioan. j. dit eis poteſtatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius. Quòd autem pro ſalute conſequenda ex
Abac. 2. parte hominis, fides erga Deum (vti ſuppoſitum eſt) requiratur, præter auctoritatem, ex Abacuc Propheta ſumptam, qua iuſtum ex fide viuere declaratur; ratione quoque ex oppoſito deducta comprobat Apoſtolus: dum incredulos omnes, vti iniuſte ſe gerentes erga Deum, a iuſta Dei ira perdi, atque in condemnationem tradi in primo & ſecundo cap. epiſt. longa oratione demonſtrat. In qua (veluti digrediens) omnes vrget homines ad reſipiſcendum de peccatis eorum, quibus deliquiſſe ipſorum culpa cuncti redarguuntur, vel a lege ſcripta, vel a propria conſcientia: ſed illi præcipue, qui, præ alijs, veritatis lumen præclarius ſunt conſecuti. Huiusque digreſſionis illud demum eſt caput, vt pro confeſſo accipiatur, nullo poſito diſcrimine inter Iudaicum Populum atque Gentilem (quanquam nonnullis in rebus præcellat Iudæus Gentili) omnes nos, ſiue Iudæos, ſiue Gentiles comprehenſos eſſe ſub peccato primi parentis: ex quo, cum totum genus humanum in Dei offenſam inciderit; idcirco ex ſe ipſo nequaquam in Dei gratiam redire poteſt, vel ſi omnia legis opera in vnum coeant, præſtoque ad ſit ipſa circumciſio in carne facta. ſed omnino vnicuique, qui ſe ſaluum velit, opus eſſe, vt ad Dei miſericordiam confugiat, quam, ſua deteſtando peccata, imploret media fide in Chriſto noſtro Redemptore collocata. Quod maxime compertum nobis eſſe debere, exemplo illuſtris illius viri, atque Deo cariſſimi Abrahæ oſtenditur: Qui
Genes. 15. (vt teſtatur ſcriptura) non ex operibus, ſed ex fide, quam viuam erga Deum habuit, iuſtitiam apud Deum eſt conſecutus. Iis igitur duabus partibus abſolui opus noſtræ iuſtificationis palam facit Apoſtolus. Quarum altera reſpicit, tum Deum, tum Chriſtum: Deum, vt primum motorem, Chriſtum autem vt mediatorem iuſtificationis. Altera vero hominem iuſtificandum: cui tamen nihil adeſſe poteſt, quod a Dei benignitate atq; largita-
Philipp. 2. te, & a Chriſti meritis non pendeat: quando & velle nos ea quæ ex Dei ſunt voluntate, ad noſtramque conferunt ſalutem, non adeſt nobis niſi a Deo vocante ac miſerante, nosque ad hanc ſalutarem voluntatem habendam ſuis ſtimulis commouente; hoc eſt, gratia ſua nos præueniente, quã nos ſponte ſuſcipiamus. Has vero duas iuſtificationis partes per vniuerſam epiſtolam coniunctim ſemper tractat Apoſtolus: & iure merito, vt quæ ſeiunctim ſubſiſtere nequeant. Quandoquidem neque Deus iuſtitiam ſuam vult conferre in nolentem, inuitum, & incredulum; neque homo ſine Dei gratia, quam imploret, nec abſque Chriſto mediatore, in quem confidat, conſequi illam va-

lam valet. Iuſtificationis deinde eſſentiam, atque vtilitatem apertius explicans Apoſtolus, docet hanc ipſam eſſe einſmodi, vt per eam quàm plurima bona conſequàmur: quæ cap. 5. & alijs ſubſequentibus perſequitur: ſimul etiam clarius detegens mala illa, quæ ex præuaricatione primi parentis humano generi contigere: vt ex horum inſpectione, quæ dona nobis a Chriſto prouenerunt, longe etiam præclarius conſpiciantur, & ad Deum pie, atque caſte colendum iuſtorum animi vehementius accendantur. In primis enim, qui per fidem ſunt iuſtificati, Rom. 5. pacem apud Deum obtinent, cuius prius erant inimici: ac in ſpe gloriantur eternæ Dei gloriæ potiundæ; ad hanc ſpem vel maxime erecti, & excitati a Dei eximia illa charitate in cordibus iuſtorum diffuſa per ſpiritum ſanctum illis communicatum, quæ teſtata, ac maxime perſpecta eſt ex mirifico illo opere, quod Deus præſtitit tradendo Ieſum Chriſtum filium ſuum ad mortem pro nobis impijs, atque ſibi inimicis. Præterea, iuſtificati in Chriſto, hoc præclaro bono gaudent: vt patientes, atque fortes euadant ad res omnes aduerſas ferendas: vt non ſolum ob tribulationes non ſuccumbant; verum etiam ob eaſdem glorientur, quas illis contingat pati pro nomine Ieſu Chriſti: cum hinc, ad Dei gloriam fruendam ſe peruenturos, ſpe certa foueantur ob merita Ieſu Chriſti. Per quem (vti omnes in Adam ex ipſius primi parentis delicto peccantes in mortem inciderunt, a qua numquam vendicare ſe poterat genus humanum) ita quoque (vt exponitur eodem 5. cap.) per Chriſti mortem reconciliatio apud Deum cum ſpe gloriæ Dei potiundæ in vita æterna collata eſt illis: qui credentes, vt decet in Chriſtum, ipſumq; amantes, & propria peccata deteſtantes, per eius ſanguinẽ, ad iuſtitiam lauacro regenerationis reuocantur: ita quidem, vt longe maius, atque præclarius donum illud eſſe colligatur, quod iuſtis hominibus ex Chriſti meritis per Dei gratiam emanauit; quàm fuerit illud malum, quod per Adam ex eius præuaricatione in humani generis condemnationem eſt propagatum. Adhac, iuſtificati per fidem Ieſu Chriſti id aſſequuntur (quod exponitur cap. 6. Epiſt.) vt per baptiſmum conſepulti peccato, vna cum Chriſto, (in quo vetus homo crucifixus eſt,) ad eam vitæ nouitatem reſurgant, vt in ipſis non amplius regnet corpus peccati, ipſe ſcilicet fomes concupiſcentiæ ex propagatione ipſius Adæ emanans, per quam prius fecerant carnis deſideria; hincque in mortem tradebantur; ſed mortui ita exiſtentes peccato, legis minis mortem æternam minitantis vltra non ſubijciuntur; ſed ab eius iugo liberi facti ſunt ob Chriſti merita; pro cuius morte peccatum ex origine ductum deſtructum eſt. Hæcque Apoſtolus. 7. Cap. epiſt. docet exemplo mulieris, quæ ex viri morte ſoluta eſt a iugo legis. Et quamquam fomes, ipſa ad peccandum propenſio, adhuc reſtet in membris hominum iuſtorum, vt hinc multæ paſſiones excitentur in corpore aduerſus ſanctorum voluntatem; attamen in ipſis non eſt iſte relictus fomes (vt docet Apoſtolus 8. cap.) ad condemnationem, prout antea ad viuum, vigensque peccatum originale conſequebatur, ſuoque ſub imperio impios detinebat; ſed ad agonem, exercitationemque virtutum; cum regenerati per fidem in ſanguine Chriſti. per eius gratiam poſſint, quod antea non licebat, adimplere legis mandatum vetita non concupiſcendi. Ac denique ex iuſtificatione, homo iuſtus eximia illa ſpe imbuitur, quæ omnibus in anguſtijs roboratur, atque ſuſtentatur; fore tandem aliquando, vt corpora hæc noſtra, animæ domicilia, poſt mortem, ſeiunctionem ſcilicet animæ a corpore, vna cum huius orbis partibus commutata, in formam præclariſſimam non amplius commutandam, in communi reſurrectione mortuorum, per Chriſti ſpiritum viuificantem, immortalem, & penitus impaſſibilem, atque glorioſam vitam conſequantur; quæ fruentur electi in regno Dei, vt cohæredes Ieſu Chriſti, per quem illis tam magna, atque eximia contingent bona. Hincque hanc tantam in carne a nobis minime perſcrutabilem fælicitatem, ad quam iuſtus homo ſecundum iuſtitiam Dei eſt perducendus, ita ſtabilem, ex infallibili decreto Dei docet Apoſtolus eſſe futuram, vt nil poſſit eſſe aduerſum, quo aut fruſtrari, aut impediri queat. Omnipotens ſiquidam Deus in arcanis ſuæ ſapientiſſimæ prouidentiæ, cui omnia futura ab æterno ſunt conſpicua, ac ſi eſſent præſentia, ita ſtatuit: vt, quicunque ex hominibus conformes in hac vita fierent imagini filij ſui, eius ſpiritu viuificati, einſdem quoque filij imagini glorificatæ conformes poſt hanc vitam efficerentur; in hocque ſtatu abſque vlla mobilitate perpetuo permanerent; ita præordinans, atque prædeſtinans illa diuina ſapientia: vt, qui Chriſti filij ſui veſtigia ſectarentur, hi ad gloriam ſui regni, ad æternam nempe beatitudinem (ad quam nullus hominum proprijs viribus aſpirare vnquam poterat) infallibiter perducerentur; idque ex ſua gratuita benignitate atq; gratia; quæ eoſdem etiam præclaris proſequitur fauoribus ſuæ vocationis: non quidem nolentes, ſed volentes, atq; ſibi obſequentes: ita eos ad ſe alliciens, atque perducens, ac libere trahens, vt iuſtos efficiat; ac tales effectos gloria tandem æterna coronet. Cui quidem æterno Dei decreto nil eſt, quod aduerſari queat, quin ita perpetuo impermutabiles permaneant electi Dei: quandoquidem, qui ita ſtatuit Deus, eſt omnium Dominus, & ſuper omnia potens eſt. Quæ omnia diuinis ſententijs perſequitur 8. cap. epiſt. diuinus Apoſtolus.

CVm autem ab hac tanta fælicitate conſequenda exploſa fuerit (ipſorum culpa) natio Hebræorum, id minime hac in epiſtola ſilentio Apoſtolus voluit præterire: ſed commemorauit, non abſq; tamen ſumma ſui exacerbatione doloris: docens Iudæos, ex irreuocabili Dei verbo, reprobos fuiſſe declaratos in vniuerſum: non illos tamen, qui viua fide Deo adhæſerint. Quod eo conſilio egit diuinus Apoſtolus, vt hinc omnes commonefaceret homines, ne quis ſibi quidpiam aſſumeret, neue ſuperbe circa ſalutem ſe gereret: ſed qui ſtat, ſicuti gratia Dei ſtat, ita quoque cautus ſit ne cadat: quod contingit illis omnibus, qui præceptis Dei non obtemperant. Ac ſimul hoc in eodem tractatu oſtendit Apoſtolus, Hebræos, ob ipſorum infidelitatem, a Dei gratia excidiſſe, & Gentiles in eorum locum eſſe ſuſceptos: illos omnes ex Dei miſericordia vocatos, qui verbum Dei audierunt, ac Chriſti fidem ſuſceperunt: Futurumque poſtremis huius ſeculi temporibus (quod, vt myſterium quoddam diuinum Apoſtolus aperit.) vt Iudæi ex Gentium ſalute prouocati, recedentes ab infidelitate, in Dei gratiam iterum recipiantur. Hincque hanc ſtatuit Apoſtolus ſententiam, Deum ſub infidelitate omnes comprehendiſſe, vt omnium miſereatur, imperſcrutabilique altiſſima ſua ſapientia circa genus humanum ea operari, quæ ipſius gloria digna

ſunt;

*ſunt, ita quidem (quod certe eſt mirabile atque humanæ menti penitus incomprehenſibile) vt, ſeruata hominibus
arbitrij libertate, ex ipſorum quorumdam caſu atque delictis, alios, qui prius eſſent perditi, in ſalutis portum
perducat, eaque omnia agat, quæ ſuæ ſunt placita voluntati. Et hæc quidem perſequitur Apoſtolus cap. 9. &
10. & 11. huius Epiſtolæ. In quibus illud ſemper vrget, vt eam ex animo hominum euellat erroneam opinio-
nem, qua, ex proprijs operibus iuſtificari ſe poſſe ſibi quis aſſumat; in quem errorem præcipue Iudæi lapſi ſunt.
Incredulos autem omnes iuſto Dei iudicio mulctari, debet nobis eſſe pro comperto: propterea quòd, ſi digni ſunt
ſupplicio, qui faciunt iniquitates, certe illi maximam merentur condemnationem, qui, quum lumen a Deo verita-
tis cognoſcendæ obtinuerint. & illam ſint aſſequuti; ei tamen, vt decet, non aſſentiunt; Deum non colunt, ne-
que eius obſeruant præcepta; quamquam iuſtiſſima eſſe cognoſcant, a ſuperbia, & a nefarijs cupiditatibus ſedu-*
Roman. 1. *cti. Qua quidem cæcitate, & iniuſtitia in 1. cap. Epiſt. docet Apoſtolus, ex veteribus illos præcipue deprehen-
ſos, qui, cum ex rerum viſibilium contemplatione inuiſibilia Dei aliqua cognitione attigiſſent, nempe æternam
eius potentiam atque diuinitatem; ex quo intelligere potuerunt, Deum rebus omnibus longe excelſiorem omni
obſeruantia eſſe glorificandum; ipſum tamen, vt Deum, non coluerunt: ſed ambitioni propriæ obſequentes, ac
ſuis inanibus ſyllogiſmis atque quæſtionibus euaneſcentes, longe a Deo receſſerunt; in improbumque ſenſum du-
cti (ipſorum culpa) creatas res pro dijs coluerunt, omniaque flagitiorum genera perpetrarunt, vel cognoſcentes,
morte dignos eſſe omnes illos, qui talia peragerent. Verum, & Iudæi (vt in hac eadem epiſtola ſæpius tangit
Apoſtolus, ſed præcipue cap. ſecundo) maioris etiam iniquitatis redarguuntur: qui in peculiarem atque fauora-
bilem populum recepti a Deo, quamquam ex lege illis propropoſita, innumeriſque præclariſſimis ſtimulis laceſſiti
fuerint, ad Dei potentiam, bonitatem, atque ſapientiam præclarius dignoſcendam, hincqae extimulati ad Deum
magis timendum, atque colendum; nihilominus tamen duritia cordis laborantes ob ipſorum faſtum, atque ne-
farias cupiditates, a Deo, ab eiaſque mandatis longe receſſerunt. Ac propterea iure a Dei gratia reiecti, lon-
ge maiorem condemnationem ſibi contraxerunt, quàm illi priores, qui huius mundi fabricæ tantummodo con-*
Hebr. 1. *templatores extiterunt. Qaemadmodum etiam (ſicuti teſtatur Apoſtolus in epiſt. ad Hebræos) longe etiam
acerbiori ſupplicio, quàm Hebræi, plectendi erunt omnes illi; qui, poſt publicatum Euangelium, atque verita-
tem agnitam, non ſub nube, qualem Iudæi habuerunt, ſed diſtinctiſſime perceptam, contra Dei præcepta vltro
ierunt, conculcantes filium Dei, & eius ſanguinem pollutum ducentes, in quo prius ſanctificati ſunt, & ſpiritus
gratiæ contumeliam fecerint. Hæc itaque ſunt in ſumma, quæ B. Apoſtolus agens de hominis iuſtificatione per-
ſequitur vſque ad caput. 11. epiſt. incluſiue. In hac autem tractatione quàmappoſite inſerens nonnullas quæ-
ſtiones, quas etiam diſſoluit. Inter quas illa prima eſt cap. tertio permota exuerbis illis Daniticis,* vt iuſtifice-
Pſal. 50. ris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. *Num Deus iniuſtas, qui homines condemnet de iniquitate,
per quam Dei iuſtitia commendatur? cum mendacium noſtrum in Dei gloriam cedat? Cui quæſtioni reſpondet
Apoſtolus, docens, nos omnes iniquitatibus obſtrictos eſſe: atque ideo ſub peccato conſtitutos, iuſto Dei iudicio
ſubdi, vti nocentes atque peccatores. In cap. autem 4. ad eam quæſtionem:* quid igitur Abraham eſt conſequu-
tus in carne, ſi ex lege non iuſtificatur omnis caro? *hunc in modum ſatisfacit; quod Abraham ex fide, quam
habuit erga Deum, circunciſionem accepit in carne; illam quidem in ſignum eius iuſtitiæ, quæ ex Chriſti meritis
ſibi condonabatur, quæ, quodammodo latitans in circunciſione, in Chriſti aduentu patefacienda, maximeque il-*
Hebr. 7. *luſtris reddenda erat. Nam ex lege, quæ nihil ducit ad perſectum, non poterat Abraham conſequi iuſtitiam
ſecundum Deum. In qua lege aliquales quidem carnales, atqae mundanæ habebantur iuſtificationes; at non ſpi-
ritualis haberi illa poterat iuſtificatio, quæ per lauacrum ſanguinis Chriſti obtinenda erat; per quam ſolam, ab
ipſo toto corpore peccati emundari hominis conſcientia poteſt, ab omnibus illis delictis, a quibus (vt dicitur in*
Act. 13. *Act. Apoſtolorum) non potuerunt iuſtificari Iudæi in lege Moyſi. In cap. vero. 6. ad eam quæſtionem inde
excitatam, quoniam probatum erat, gratiam Dei ſupra peccatum abundaſſe, vnde magis etiam peccandum
videbatur, vt & in nobis magis gratia Dei augeretur, ita ſatisfacit Apoſtolus: oſtendens quòd qui mortuus eſt
cum Chriſto (cuius mortis ſignum datur in baptiſmi ſaceptione, dum immergimur in aqua, ſimul ita morientes
peccato, a qao etiam emundamur) idem debet, quemadmodum Chriſtus ex mortuis reſurrexit, & ipſe quoque
ad nouam vitam reſurgere, a peccatis penitus alienam. Ad illam denique maximam difficaltatem. 9. cap. ex
illis verbis ortam, quòd Deus, quorum vult, miſeretur, & quos vult indurat, ex qaibus inferri uidebatur, arbi-
trio noſtro nullum eſſe locum; ea reſponſione ſatisfacit, Apoſtolus, qua omnes ſibi præſumentes coerceat, eam-
que in notitiam ducat, vt ſateri quiſqae debeat, ex Dei bonitate, quidquid ſit, ſe eſſe: Figuliqae exemplo, ad-
uerſas quem vaſa ab ipſo in ignominiam conſtructa non habent quid effari poſſint, quoniam ita ſint compoſita;
docet nos Dei voluntati humiliter ſabicij debere, nec noſtris ex meritis aliquid nobis aſſumere; cum ex eius vo-
luntate vniuerſi pendeamus: cum tamen Deus (vt ibidem oſtendit Apoſtolus) in vaſa miſericordiæ, quæ extol-
lit in honorem, ſuam exerceat benignitatem, in vaſaque ignominiæ tolerantiam, expectans vt ad pœnitentiam
reuocentur: ita quidem, vt tandem ab Apoſtolo concludatur, neminem a Deo niſi iuſto iudicio, vt incredulum,
condemnari; ac neminem pariter ſine gratia, ac ſine propria cuiuſque viua fide ad ſalutem deduci.*

*In reliqua vero parte epiſt. a cap. 12. & infra, aormam viuendi perſcribit, quam ſequi debeant, qui
iam ſint iuſtificati, & in dei gratiam recepti. Cuius tractatus hæc eſt ſumma; vt exhibeant propria corpora
hoſtiam Deo viuentem, ſanctam, obſequium rationabile præſtantes, ita quidem, vt hac ſancta religione Deum
colentes, eo deducantur, vt poſſint dignoſcere, nec non, Deo adiuuante, ea omnia præſtare, quæ bona ſint, atque
perfecta iuxta Dei voluntatem. Inter ipſos autem eam obſeruent mutuam charitatem qua nullum mutuum of-
ficij genas inuicem deſideretur; ſed ſtudeat vnuſquiſque, iaxta dona gratiæ a Deo accepta, ſincere, & ex cha-
ritate præſtare ea propria munera, ad quæ ſit vocatus. Abſit longe ab ipſis omnis maleuolentia, & liuor. ſu-*

perbe

perbe non ſapiant, nec ſibi aſſumant: offenſusque in lędentem beneficia conferat: ſubdantur vltronei poteſtatibus a Deo pro regimine gentium conſtitutis. Nemini quicquam debeant, niſi vt inuicem ſe diligant: dilectionis opera perficiant; & deſideria carnis longe a ſe faciant. Nequaquam inuicem ſeſe mordeant, aut iudicent: non infirmi in fide valentes innebantur; nec ij in infirmos criſtas erigant. Sed qui ſunt firmiores, ac fortiores in fide, dent operam, vt ſuſtineant infirmos, caueantque ne vllum illis inferant ſcandalum, aut offendiculum: quin eorum infirmitatem ſubleuent, & ferant ęquo animo, vt eos in fide reddant firmiores; prout, & Chriſtus improperia portauit, vt nos redimeret a peccatis. Denique eos hortatur, vt, vnanimes, vno ore collaudent Deum ob ſummam illam miſericordiam, quæ ad ſalutem ipſos perduxit. Poſtremo repetens illud, de quo meminerat in initio Epiſtolæ, deſiderio ſe teneri maximo illos viſendi, illud denunciat, propediem ſperare ad illos ſe acceſſurum; atque interim, quadam nonnullorum ſanctorum facta commendatione, multisque hinc inde ſalutationibus memoratis, epiſtolam claudit. Roman. 1.

Quod autem Beatus Apoſtolus ad hanc ſcribendam Romanis epiſtolam inde fuerit inductus (quemadmodum Patres viri ſanctiſſimi, atque doctiſſimi docuere) vt diſſenſiones componeret, quæ ortæ erant inter Chriſtianos Gentiles, & eos, qui erant ex circuncisione, eo quod alij alijs præſtare in Chriſti Euangelio inuicem contenderent; id optime tractatui epiſtolæ cohærere videtur. In qua Beatus Paulus (quod præcipue conſpicitur in capite ſecundo) tum Gentes, tum Iudæos peccatis onuſtos fuiſſe declarat; ac propterea neminem ſibi aſſumere debere, in potioribus, præ altero eſſe penes gratiam Dei; qui ex ſua gratuita benignitate, non cuiuſpiam meritis, perditorum omnium hominum, tam Iudæorum, quàm Gentilium (vti omnium eſt Deus) miſertus eſt: illorum nempe omnium, qui fide ſibi adhæſerunt. Siquidem vnus eſt Deus Iudæorum, & Gentilium, qui iuſtificat circuncisionem ex fide, & præputium per fidem, vt dicitur in hac eadem epiſtola ad Romanos. Verum, & illud etiam dici poteſt, ſanctum Apoſtolum, ad ſcribendam hanc Romanis Epiſtolam, ex eo maxime inductum fuiſſe, vt eos tutos; atque confirmatos in fide conſeruaret a ſeductoribus Iudæis, & a pſeudo Apoſtolis; qui Chriſti Euangelium, vbique locorum euertere conabantur: illam hæreſim diſſeminantes, quòd ad iuſtitiam, & conſequenter ad ſalutem, nemo poſſet peruenire ſine operibus legis. Etenim id ſuadent, quæ prope finem Epiſtolæ ſcripta ſunt, dum inquit Apoſtolus. Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis: huiuſmodi enim Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium; veſtra enim obedientia in omni loco diuulgata eſt: gaudeo igitur in vobis; ſed volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo. *Vnde exiſtimandum, quòd præcipue ob id ipſum, tam egregiam de iuſtificatione diſputationem in hac Epiſtola contexerit. Quam (& illud addi poteſt) eo conſilio fuiſſe conſcriptam a ſanctiſſimo Viro, vt & ſaluti quoque Iudæorum deſeruiret. Vnde & Theodoretus in ſuis comment. ſuper cap. vndecimo huius Epiſtolæ, inquit: Apoſtolum duo moliri, vt & Gentibus faſtum, ac ſupercilium detrahat, & vti timeant, efficiant; & Iudæos ad paternæ hæreditatis ſocietatem conuertat.*

Roman 3. Rom. 16. Theodor.

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM Ad Romanos. Caput Primum.

PAVLVS ſeruus Ieſu Chriſti, vocatus ad Apoſtolatum, ſegregatus ab alijs Apoſtolis in Euangelium Dei (quod ante denunciauerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de filio ſuo; quo ad carnem, ortum ducente ex ſemine, ac ſtirpe regia Dauidis; quo autem ad ſpiritum ſanctificationis, quem in plenitudine accepit, conſtituto per æternam prædeſtinationem filio Dei, æquali in potentia Patri) poſt reſurrectionem a mortuis Ieſu Chriſti domini noſtri; per quem accepimus gratiam Dei, & munus Apoſtolatus ad perducendas omnes gentes in obedientiam fidei pro Chriſti nomine magnificando: e quorum numero eſtis & vos, vocati in conſortium fidelium Ieſu Chriſti. Omnibus qui Romæ degunt, vocatis ad ſanctitatem, gratia vobis, & pax adſit a Deo Patre noſtro, & domino Ieſu Chriſto. Primo quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis; quòd fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo. Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo, in Euangelio filij ſui propalando, quòd ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis; obſecrans, ſi quo modo tandem aliquando proſperum iter nanciſcar veniendi ad vos in voluntate Dei.* Nolo autem vos ignorare fratres, quòd ſępe propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum vſque adhuc; vt in vobis quoq; aliquem fructum habeam, ſicuti & in cęteris nationibus: Gręcis, ſiquidem, & Barbaris (nempe ſapientibus, & inſipientibus) debitor ſum: ita, (quantum in me eſt) paratus ſum vobis quoque, qui Romæ eſtis, euangelizare verbum Dei. Neque enim is ſum ego, quem ſuppudeat Euangelium Chriſti, prout neminem ſuppudere debet. Quandoquidem Chriſtus potentia illa eſt, qua Deus ſalutem operatur in omnes, qui credunt in nomine eius. In primis quidem in Iudæum, vt cui etiam primo eſt promiſſa ſalus: ſed & in omnē cuiusvis gentis hominem. Etenim iuſtitia Dei, tam illa, qua ſe iuſtum oſtendit, quàm ea, quæ iuſtificat omnes homines, quotquot iuſti, atque ita ſalui fiunt, in Chriſto Ieſu Redemptore noſtro reuelatur, ac manifeſtatur nobis ex fide in fidem: dum ſcilicet ex fide, quam oportet nos primo habere in Deum, hinc ducimur in fidem Ieſu Chriſti ad ſaluandum nos miſſi; in quem etiam credere oportet, vt ſalutem ſecundum iuſtitiam Dei conſequamur: prout in hanc ſententiam ſcriptum eſt ab Abacuc Propheta, dum dixit; iuſtus autem ex fide viuit. Cuius veritatis hoc etiam maximum extat argumētum ex oppoſito deductum. Nam e cœlo reuelatur iuſta Dei ira, & condemnatio aduerſus omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum; qui veritatem agnitam in iniuſtitia detinent, non ea vtentes vt decet, ſed abutentes. Siquidem, quod de Deo cognoſci ab homine poteſt lumine naturæ; id nonnullis redditum eſt manifeſtum; Deo lumen ipſis afferente, atque veritatem propalante. Etenim quę ſunt inuiſibilia Dei (ęterna ſcilicet eius potentia, atque diuinitas) ex mundo creato, ab ipſa mundi creatura rationali, per ea quæ facta ſunt intellecta, ac (tanquam in ſpeculo in rebus creatis relucentia) conſpiciuntur; vt hunc in modum Dei cognitio nonnullis hominibus innotuerit. Quare & inexcuſabiles ſunt hi omnes, quibus tam pręclara Dei cognitio eſt cōmunicata; propterea ꝙ, cum Deum cognouiſſent, ipſum tamen, vt Deū, nō glorificauerūt, neq; ei rerum omnium cōditori, vt par erat, gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, proprijs ratiocinationibus inhærentes. ac de proprio ingenio ſibi placentes, tumidi effecti, atq; ſuperbi, idcirco a vera Dei cognitione longe receſſerunt; inſipiensq; cor eorum, atque mens adeo eſt obcœcata; vt, qui ſe prædicarent ſapientes, in eam ſtultitiā deuenerint, vt incorruptibilis Dei gloriam commutarint in imaginem hominis corruptibilis, & volucrum, & quadrupedum, atque ſerpentium. Quamobrem merito relinquens illos Deus inhiantes in deſideria cordium ipſorum, tradidit eos, ac labi iuſto furoris ſui iudicio permiſit in eam immūditiam, vt propria ipſorum corpora dedecorarint; ij nempe, qui Dei veritatem in falſitatem cōmutarunt, quiq; coluerunt, ac ſeruierūt creaturæ; omiſſo, atq; neglecto Creatore, qui eſt benedictus in ſecula. Amen. Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ; ita quidem, vt ex maxima illa ingratitudine, & iniuſtitia, qua Deum cognitū nō ſunt venerati; infinita propemodū in genus humanū peruenerint mala; quorū (vti præcipui auctores) ideo quā maxime plectendi ſunt. Siquidē fęminæ eorū immutauerunt naturalem vſum in eum, qui eſt contra naturā. Similiter autem & maſculi, relicto naturali vſu fęminæ, exarſerunt inuicē in mutua ipſorū appetentia, mares in maribus turpitudinem perpetientes; atq; ita in ſeipſis eam recipientes mercedē, quæ ſtultum illorum errorem decebat. Et ſicut non approbauerunt venerari Deum in ea notitia, quam de eo acceperant; ita quoque Deus tradidit illos in reprobum ſenſum, inhiantes ad perpetranda, quæ minime conueniunt: relinquens ipſos repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitiæ, plenos itidem inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate; ſuſurrones effectos, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus inobedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia. Qui quidem agnoſcentes iuſtitiam Dei, non intellexerunt, neque perpenderunt, quòd qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolum illi, qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.

* Opto enim videre vos, vt & vobis aliquid communicem gratiæ ſpiritualis, ad confirmandos vos in Euāg. id ipſum eſt, conſolari me vna vobiſcū ob mutuam quę in nobis eſt meam, & veſtrā fidem.

Tex·vul-

Tex. vulgatæ editionis.

Pavlvs ſeruus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium Dei (quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis) de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri, per quem accepimus gratiam, & Apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine eius, in quibus eſtis & vos vocati Ieſu Chriſti, omnibus qui ſunt Romæ, dilectis Dei, vocatis ſanctis, gratia vobis, & pax a Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Primum quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo. Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo in Euangelio filij eius, quòd ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis, obſecrans ſi quomodo tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Deſidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos, id eſt, ſimul conſolari in vobis per eam, quę inuicem eſt, fidem veſtram, atque meam. Nolo autem vos ignorare fratres, quia ſæpe propoſui venire ad vos; (& prohibitus ſum vſq; adhuc) vt aliquem fructum habeam in vobis, ſicut & in cæteris Gentibus. Græcis ac Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum. Ita (quod in me) promptum eſt, & vobis qui Romæ eſtis, euangelizare. Non enim erubeſco Euangelium. Virtus enim Dei eſt, in ſalutem omni credenti, Iudæo primum, & Græco. Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt: Iuſtus autem ex fide viuit. Reuelatur enim ira Dei de cælo, ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent: quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim ipſius, a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas: ita vt ſint inexcuſabiles. Quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, nec gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes ſe enim eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis, qui commutauerunt voluntatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſeruierunt creaturę potius, quàm creatori, qui eſt benedictus in ſecula. Amen. Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominię. Nam fœminę eorum immutauerunt naturalem vſum, in eum vſum qui eſt contra naturam; ſimiliter autem, & maſculi relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis inuicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem (quam oportuit) erroris ſui in ſemetipſis recipientes. Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt: repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia. Qui cum iuſtitiam Dei cognouiſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.

ADNOTATIONES.

Servvs *Ieſu Chriſti*. Non coactè A
inſeruiens more mancipij, cui ignota Ioann. 15.
ſit voluntas Domini; ſed qui, cum vere
ſe liberũ agnoſcat ereptum a morte
gehennæ, atque poteſtate diaboli, filij
Dei, veri liberatoris opera, eiuſdem exemplo, (qui Ioann. 13.
venit in hunc mundum non miniſtrari, ſed miniſtrare)
Dei altiſſimi gloriæ, ac Chriſti nomini inſer- Matth. 20.
uire ſtudeat, iuſtitiæ veræ effectus ſeruus; quam tamen
nemo niſi libera voluntate pręſtare poteſt. Talem
ſe Chriſti ſeruum Apoſtolus Paulus profitetur. Roman. 6.

B *Euangelium Dei*, id eſt, bonum, fauſtumque nuncium, quod ſane nulla vnquam de re tam fœlix contigit, quàm quòd genus humanum perditum ob peccatum primi parẽtis e manibus diaboli, Chriſto Dei filio mediatore, redimendum foret, & ad incomprehenſibilem Dei gloriam perducendũ. Vnde iure merito huius tam auguſti facti nuncium, antonomaſtice, euangelium eſt nũcupatum. Quod quidem apud patres in veteri Teſtamento (dum illis hæc tanta futura bona promittebantur, & per Prophetas denunciabantur in ſcripturis ſanctis) extabat in promiſſis, quæ mox adimplenda erãt: adeo quòd tunc temporis quoque erat Euangelium, ſed de futuris rebus. Quod Apoſtolus in initio huius
epiſtolæ inſinuauit; dum inquit: *Segregatus in Euã-* Roman. 1.
gelium Dei, quod ante promiſerat per prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis; hac voce vſus προεπηγγείλατο, pro eô, quod eſt, ante denunciauerat, & euangelizauerat, & promiſerat. Quòd autem Prophetæ teſtati ſint, quæ de Chriſto futura erant, aperuit
Lucas in Actis Apoſtolorum, dicens: *Huic omnes* Act. 10.
Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Verum, poſtquam promiſſa facta patribus, in Chriſti Aduentu, & in mortis eius conſummatione, atque reſurrectione expleta ſunt; hinc etiam conſummatum eſt, atque perfectum redditum Euangelium; quod per Apoſtolos, Chriſti teſtes a Deo pręordinatos, eſt publicatum in omnes terræ partes; ita tamen, vt promiſſis olim factis patribus in veteri Teſtamento, ac vaticinijs prophetarum, nouum hoc, id eſt, conſummatum, atque expletum Euangelium vndequaq; reſpondeat: Quod Apoſtolus in calce huius epiſtolæ inſinuauit, inquiens.
Ei autem, qui potens eſt vos confirmare, iuxta Euan- Rom. 16.
gelium meum, & prædicationem Ieſu Chriſti ſecundum reuelationem myſterij temporibus ęternis taciti, (quod nunc patefactum eſt per ſcripturas prophetarũ) ſecundum præceptum ęterni Dei ad obedientiam fidei in cunctis gentibus cogniti. Hoc idem etiam B. Petrus

1.Petr.1. teſtatus eſt in vtraque ſua epiſtola, dum inquit in
prima. *De qua ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt
Prophetæ, qui de ſutura in vobis gratia prophetarunt,
ſcrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis
ſpiritus Chriſti, prænuncians eas, quæ ſunt in Chriſto
paſſiones, & poſteriores glorias, quibus reuelatum eſt;
quia non ſemetipſis, vobis autem miniſtrabant ea, quæ
nunc nunciata ſunt vobis per eos, qui euangelizauerunt*
2.Petr.1. *vobis.* Et in ſecunda epiſtola ita ait. *Et hanc vocem
nos audiuimus de cœlo allatam, cum eſſemus cum ipſo
in monte ſancto, & habemus firmiorem propheticum
ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ
ardenti in caliginoſo loco.* Ex quibus verbis clare etiã
colligitur, poſt Chriſti conſummationem, ſcripta
prophetarum, quę prius fuerant obſcura, per Apo-
ſtolos fuiſſe detecta, atque manifeſtata, ita quidem,
vt quę prius ſub nube denunciata fuerant a prophe-
tis, explicatius deinde, vt iam confecta, per ipſos
Apoſtolos fuerint prędicata, & ſignis, atque prodi-
gijs, ac viſibilibus Spiritus ſancti donis diuinitus
emiſſis confirmata: Appellat autem Apoſtolus,
Euangelium Dei, quod paulo poſt, *Euangeliũ Chriſti*
quoque nominat. Dei quidem, quoniam ex decre-
to ſanctę Trinitatis effectum eſt; vt Verbum, ſecun-
da perſona in diuinis, humanã carnem aſſumeret,
ac mortem obeundo redimeret genus humanum.
Chriſti autem idem appellatur Euangelium; vt qui
huius tam eximij beneplaciti diuini executor, atque
conſummator extiterit, hoſtiam ſeſe offerens Patri
Ioan.10. pro redemptione mundi: qui cum dixerit. *Ego, &
Orig. lib. 1. Pater vnum ſumus.* Idcirco (vt adnotauit Origenes
c.1. ad Ro- in expoſitione huius epiſtolę) idem Euangelium, &
man. Dei, & Chriſti dici debet.

C *De filio ſuo.* Res & ſubiectũ (vt dicũt ſcholę)
de quo agitur in Euangelio, eſt filius Dei, Chriſtus
Deus, & homo, qui & ſecundum carnem, & ſecun-
dum ſpiritum, ſeu animam rationalem hunc in mo
dum deſcribi videtur ab Apoſtolo: Vt, quod attinet
ad carnem, dicatur eam accepiſſe ex ſemine Dauid;
nempe, ex ſanguine immaculato Virginis Mariæ
ortum ducentis e regia ſtirpe Dauidica: quo autem
ad animam rationalem (quam Apoſtolus *ſpiritum
ſanctificationis* nuncupat) id eſt, ſanctum, ſeu ſan-
ctificantem ſpiritum, (qui immaculatę illi carni in
plenitudine acceſſit, Dei virtute Virginem obum-
brante, & fœtum educente, ac ſanctiſſimam animã
immittente) eum generationis ſuę terminum, ſeu
finem eſt conſequutus, vt filius Dei hinc conſtitue-
retur, ęqualis patri in potentia: dum ſcilicet ſanctiſ-
ſima hęc humanitas coniuncta eſt Verbi diuinitati
in vna eademque perſona. Quod & apud Lucam
Luc. 1. Angelus beatæ Virgini denunciauerat, inquiens,
*Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi
obumbrabit tibi; ideoque, & quod naſcetur ex te ſan-
ctum, vocabitur filius Dei.* Quod etiam aperuit Do-
minus apud Ioan. dum de ſe ipſo loquens, dixit Iu-
Ioann.10. deis: *Quem pater ſanctificauit, & miſit in mundum,
vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi, filius Dei ſum?*
Quod autem attinet ad dictionem illam, *factus eſt*,
appoſita videtur, vt hinc intelligeremus, ꝙ Chri-
ſtus non habuit generationem corporis ex conimi-
ſtione ſeminis virilis facta cum ſanguine muliebri,
vt cœteri ſolent homines: cum ſolum ſanguis Virgi-
nis in eius generatione concurrerit, in quem Dei
virtus, per Spiritum ſanctum, operata eſt fœtum.
Verumtamen & natum Chriſtum dici poſſe, quàm
plurima docent ſacræ ſcripturæ loca. Nã apud Luc. Luc.1.
dicitur. *Ideoque, & quod naſcetur ex te ſanctum, vo-
cabitur filius Dei.* Et apud Matth. *Noli timere ac-* Matth.1.
*cipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum
eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Et apud eumdem. *Cum er-* Matth.2.
go natus eſſet Ieſus in Bethleem. Item apud Ioan. Ioann.18.
Ego in hoc natus ſum. Quibus in locis omnibus vox
græca habetur ſumpta ab ipſo verbo γίνομαι, vti
etiam in hoc loco. Illis autem verbis, *ſecundum ſpi-
ritum ſanctificationis*, denotatur gratiæ plenitudo,
quæ Chriſti animæ a Deo collata eſt, vt non ſolum
ipſe ſanctus eſſet, ſed alios quoque poſſet ſanctifi-
care; iuxta illud apud Ioan. *Et de plenitudine eius* Ioann.1.
nos omnes accepimus: vt, quemadmodũ ex eo quòd
factus eſt in ſpiritum viuificantem (vt habetur in
epiſt. ad Corin.) hinc obtinuit a patre, vt alios poſſet 1.Corin.15.
viuificare, quoniam dedit ei pater habere vitam in
ſemetipſo, vt dicit Chriſtus in Euang. apud Ioan.
Similiter quoque ita ſanctus factus eſt, vt & alios
poſſet ſanctificare. Quod & Origenes hunc locum Orig. lib.1.
exponens animaduertit, inquiens: *Sanctificationis* c.1. ad Ro-
vero ſpiritus dicitur ex hoc, quòd præbet omnibus ſan- man.
ctitatem. Quod vero attinet ad illa verba: *præde-
ſtinatus filius Dei in virtute*: adnotãdum græce legi,
ἐν δυνάμει, id eſt, in potentia; & ideo *virtutem* hoc
loco ſumi pro potentia, vt opponitur imbecillitati;
ad ſignificandum, quòd nõ, ſicuti contingit de alijs
ſanctis, qui per adoptionem euadunt filij Dei, ita
quoque euenerit de Chriſto. Siquidem ipſe in
humanitate aſſumpta naturalis eſt filius. Dei
coæqualis Patri in potentia; vt ita identitas ſubſtan-
tiæ diuinæ in ipſo ſubſiſteret, prout in patre, ita &
in filio. Quam explicationem ſequutus eſt Orig. Orig. lib.1.
inquiens: *Etenim, cum dixiſſet filium Dei, non ſuper-* c.1. ad Ro-
flue addidit, in virtute, indicans per hoc, quod ſubſtan- man.
*tia filius ſit ſecundum ſpiritum ſanctificationis; Chri-
ſtus enim Dei virtus, & Dei ſapientia dicitur.* Verum
in hac dictione inſiſtendũ eſt; *qui prædeſtinatus eſt*.
Græce ὁρισθέντος: quod Græci fere omnes interpre-
tantur, pro eo, quod eſt dicere, qui declaratus eſt
filius Dei. Origenes autem agnoſcit lectionem *no-* Orig. lib.1.
ſtri interpretis quam redarguere conatur ex hoc ip- c.1. ad Ro-
ſo; quòd non conueniat dicere de eo quod ſemper man.
eſt, ipſum præſciri, aut prædeſtinari: quoniam hæ
voces ijs tantum rebus cõueniant, quæ futuræ ſunt.
Ideo diſtinguit inter prædeſtinatum, & deſtinatum;
eo quòd prædeſtinatum dicatur id, quod nondum
eſt, ſed futurum eſt: deſtinatum vero id, quod ſem-
per eſt. Vnde inquit: *Recte dici poſſe, Chriſtum, qui
eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem, fuiſſe præde-
ſtinatum; ſecundum autem ſpiritum ſanctificationis
in virtute filium Dei deſtinatum dici poſſe; ſed non
prædeſtinatum.* Ex quo apparet, Origenem ac-
cipere ſpiritum ſanctificationis pro æterna ſan-
ctitate Trinitatis: iuxta quam ſanctitatem, Ver-
bum deſtinatum eſt, eſſe filium Dei: non quòd ali-
quando non fuerit, ſed quoniam ſemper fuit. Et
hæc ſingularis eſt Origenis intelligentia. Verum,
quod

quod attinet ad humanitatem Chriſti, concors eſt
Aug. in lib. de prædeſt. ſanct. c. 15. Origenis ſententia cum Auguſtino, qui in libro de
prædeſt. ſanct. inquit. *Prædeſtinatus eſt ergo Ieſus, vt*
qui futurus erat ſecundum carnem filius Dauid, eſſet
tamen in virtute filius Dei ſecundum ſpiritum ſancti-
ficationis; quia natus eſt de Spiritu ſancto ex Maria
Idem in Io. tract. 105. *Virgine*. Idem in tract. ſuper Euág. Ioan. *Recte quip-*
pe dicitur, non prædeſtinatus ſecundum id, quod eſt
verbum Dei, Deus apud Deum: vt quid enim prædeſti-
naretur cum iam eſſet, quod erat ſine termino, ſempi-
ternus. Illud autem prædeſtinatum erat, quod nondum
erat; vt ſic ſuo tempore fieret; ſicut ante omnia tem-
pora prædeſtinatum erat, vt fieret. Ex his inferri po-
teſt, quòd, quemadmodum, ex ſententia Origenis,
& Auguſtini, recte dicitur, Chriſtum fuiſſe præde-
ſtinatum, vt ex ſemine Dauid carnalem generatio-
nem acciperet, quod in tempore factum eſt. Ita
quoque recte dici poſſe, Chriſtum, ex receptione
ſpiritus ſanctificationis, prædeſtinatum fuiſſe, vt cõ-
ſtitueretur filius Dei per vnionem humanitatis ad
Verbum, quod in tempore factum eſt. Vnde no-
ſtri Interpretis lectio, quæ eſt. *Qui prædeſtinatus eſt*
filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis.
Theophyl. Iuxta hunc ſenſum, optime quadrabit. Theophy-
lactus autem locum hunc ita interpretatur: Quòd
Chriſtus fuit oſtenſus, confirmatus, & indicatus filius
Dei; tum in virtute ex potentia ſignorum, quæ facie-
bat; tum per ſpiritum ſanctificationis ex ſpiritu, per
quem credentes ſanctos efficeret; tum & a mortuis re-
Theodor. *ſurgendo*. Theodoretus vero ait: *Qui ſecundum car-*
nem filius Dauid dictus eſt: definitus, & demonſtratus
eſt filius Dei per potentiam, quæ a ſancto Spiritu exer-
Ambroſius. *cebatur, poſtquam Chriſtus a mortuis reſurrexit.* Am-
broſius, inquit, Chriſtum latentem in carne præde-
ſtinatum eſſe, vt manifeſtaretur eſſe filius Dei in vir-
tute reſurgendi: ita enim habet. *Hic ergo, qui incar-*
natus, quid eſſet, latebat, tunc prædeſtinatus eſt, ſecun-
dum ſpiritum ſanctificationis, in virtute manifeſtari
filius Dei, cum reſurgit a mortuis. Sunt etiam qui
interpretantur, Chriſtum declaratum eſſe filiũ Dei
per Spiritum ſanctum, cum dictum eſt de eo. *Hic*
Matth. 3. *eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*
Act. 10. Verum illud occurrit adnotãdum dici in Act. Apo-
ſtolorum. Quòd Chriſtus *conſtitutus eſt a Deo iu-*
dex viuorum, & mortuorum. Vbi in Cod. Græco ſic
habetur, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ ὡρισμένος quod verbum in-
terpres ibi vertit: *conſtitutus eſt*. rem ſignificans
determinatam; quæ (facta in tempore) cum futura
erat, prędeſtinata quoq; dici poterat. Verum adji-
ciendum quid aliud ad illud, *qui prædeſtinatus eſt*,
nempe, vt eſſet filius Dei. Nam quod prædeſtina-
tum eſt, ad aliquid prędeſtinatum eſſe intelligitur,
Roman. 8. quemadmodum infra dicitur. *Quos præſciuit, &*
prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui. Igitur,
qui ſecundum carnem factus, ſeu natus eſt ex ſemi-
ne Dauid, etiam prædeſtinatus eſt, vt firmiter, iuxta
ſpiritum ſanctificationis, quo eius beata anima fuit
repleta, fieret filius Dei, ęqualis in potentia Patri:
& id quidem per vnionem humanitatis factam ad
perſonam Verbi. Quoniam autem Chriſtus duas
obtinuit naturas in vnius perſonæ ſuppoſito; de ip-
ſo dici poſſe videtur, quòd filius Dei exiſtat ex du-
plici natiuitate: quarum altera eſt ęterna, qua Ver-
bum, Deus de Deo, genitum eſt ex vtero Patris, nul-
la re extrinſecus accedente: Altera vero eſt tempo-
ralis, quatenus formatus eſt homo ex ſanguine mu-
lieris, abſque ſemine virili, operante Dei virtute in
ipſum Virginis ſanguinem; cui humanitati Verbũ
eſt vnitum; dum humanam hanc ſanctiſſimam na-
turam in ſua aſſumpſit perſona. Hinc enim etiam
natiuitatem, iuxta carnem, a Deo Patre prodijſſe
agnoſcit, & teſtatur Oecumenius in epiſt. ad Hebr. Oecumen. in 1. capit. in epiſt. ad Hebr.
in interpretatione illorum verborum: *hodie genui*
te: dum inquit: *hanc eſſe ſecundum carnem recentem*
natiuitatem: etenim patris beneplacito natus eſt; Spi-
ritus ſanctus, inquit Angelus; *ſuperueniet in te, &*
virtus altiſſimi obumbrabit tibi.

Reſtat conſiderandum circa illa verba: *De filio*
Dei, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid. Num, pro filio
Dei, intelligendum ſit Verbum, ſecunda perſona in
diuinis, filius vnigenitus ab ęterno, & ante ſecula,
Deus de Deo, de quo deinde dicatur; quòd factus
eſt ei ex ſemine Dauid ſecũdum carnem, quam aſ-
ſumpſit, iuxta illud apud Ioan. *Et Verbum caro fa-* Ioann. 1.
ctum eſt. de qua carne, ſeu homine formato, poſtea
ſubiungatur, quòd ſit conſtitutus ſecundum ęternã
prædeſtinationem filius Dei (non enim ad Verbũ,
filium Dei vnigenitum, id aptari poſſe videtur, vt
filius Dei, vti eſt Verbum, ita dicatur prædeſtinatus;
declaratus, aut cõſtitutus filius Dei, quoniam idem
fieri idem ipſum diceretur, quod non conuenit)
An vero interpretandum eſt illud: *de filio Dei*, hoc
eſt, de eo filio, qui ſubſequenter deſcribitur: nempe,
qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem;
& ſecundum ſpiritum ſanctificationis cõſtitutus eſt
filius Dei, ęqualis in potentia patri per vnionem ad
perſonam Verbi: ſane ſtatuendum videtur, vtramq;
expoſitionem Apoſtoli verbis optime accommo-
dari poſſe; ac priorem quidem difficiliorem eſſe;
magis autem facilem poſteriorem.

Verum, ad dilucidiorem quoque huius contex-
tus interpretationem, animaduertimus verba illa.
Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem.
accipi a nõnullis pro tota humanitate Chriſti, cor-
pus, & animã cõplectente, nihil explicãtibus de eius
anima rationali, q̃ deforis venit a Deo creata. Vnde
ꝑdicta verba. *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecũ-*
dum carnem. Poſſunt interpretari, ꝙ Chriſtus aſſum-
pſerit carnem ex ſemine Dauid, quatenus eius cor-
pus vitale formatum eſt ex ſanguine puriſſimo bea-
tiſſimæ Virginis Mariæ, virtute Dei ipſam obum-
brante, atque fœtum educente. Illa autem verba,
ſecundum ſpiritum ſanctificationis, intelligi poſſunt
de anima rationali, quę creata, & immiſſa fuit a Deo
in corpus dominicum pro totius humanitatis com-
plemento. Quam quidem animam rationalem ſpi-
ritum nuncupari in ſacris litteris, eſt perſpicuum, ſi-
enti in priori epiſt. ad Theſſal. *Vt integer ſpiritus* 1. Theſſ. 5.
veſter, & anima, & corpus ſine querela in Aduentu
Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur. Anima autẽ ratio-
nalis Chriſti, eatenus ſpiritus ſanctificationis dicta
eſt ab Apoſtolo, quatenus ita ſanctificata eſt, vt poſſit
alias quoq; animas humanas ſanctificare, iuxta illud
apud Ioã. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus;* Ioann. 1.

quemadmodum etiam factus in ſpiritum viuificantem (vt dicitur in epiſt. ad Corint.) poteſtatem obtinuit, vt non ſolum ſe ipſum, verum & alios poſſet viuificare; quamquam deinde corpus quod ſuſceperat, egens pabulo, noluerit viuificare, ſed ipſum reliquerit, vt, iuxta morem humanum, per animales potentias vegetandi, & nutriendi cibis ſuſtẽtaretur, ac morti denique traderetur ob mundi redemptionem. Qui vero (ſicut Origenes) interpretantur per *ſpiritum ſanctificationis*, ęternam ſanctitatem Trinitatis, & Deitatis, hoc videntur incommodum ſubire, quòd inconcinne, ſeu ſuperuacanee ab Apoſtolo dictum videretur, quòd Chriſtus *ſecundum ſpiritum ſanctificationis*, hoc eſt, ſecundum ęternam ſanctitatem deitatis ſit declaratus filius Dei; & ita ex deitate Dei filius oſtenſus. Accedit quòd dictum illud Domini iam antea adductum apud Ioan. *Quem pater ſanctificauit, & miſit in mundum, vos dicitis quia blaſphemas, quia dixi, filius Dei ſum*, non poteſt, iuxta diuinitatem, Verbi perſonæ accommodari, cum ſanctificatio hæc, & miſſio ſit in tẽpore facta, ſanctitas autem Verbi eſt ęterna. Vnde ad Chriſtum, ad eius nempę humanitatem aptanda eſt iſta miſſio, & ſanctificatio; ob quam conſequenter filium Dei ſe dixit; ita vt ob ſanctitatem ei a Deo attributã, Dei filius deuenerit, conſtitutusq; ſit ęqualis Patri in potentia, vt dicitur in hoc loco, quando hæc tam præclara, atque ſancta humanitas adiuncta fuit Verbi diuinitati in eadem perſona, vti explicauimus.

1.Cor.15. Ioan. 10.

D *Ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti*. Ita connecti poſſe Apoſtoli verba cenſemus, vt ad illa, PAVLVS *ſeruus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium Dei*, his alijs per parentheſim interiectis. (*Quod ante promiſerat per prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis*) *de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis*; hæc alia coniungantur; *ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti*; vt hanc interpretationem inferamus, quam etiam Aymon hunc locum interpretans innuit: Apoſtolum his verbis ſignificare tempus, quo vocatus eſt ad Apoſtolatum, & ſegregatus ab alijs Apoſtolis ad prædicandum Euangelium Dei; quod vtique effectum eſt poſt Chriſti reſurrectionem, vt conſtat ex Actis Apoſt. Neque vero negotium, aut difficultatem nobis facere debet hæc præpoſitio, *ex*, quæ interdum accipitur pro cauſa materiali & formali, prout dicimus, hominem compoſitum eſſe ex corpore, & ex anima; interdum pro efficiente, vt communiter accipitur in hoc loco; quaſi vero in eum quoque ſenſum non vſurpetur, vt deſignet quandam temporis poſterioritatem, quemadmodum apud Cicer. in Philipp. dum inquit; *Ex eo die, quo in ędem telluris conuocati ſumus*. Et apud Virg. *Ex illo fluere, ac retro ſublapſa referri*. Et apud Græcos hoc idem eſt perſpicuũ, nã illud eſt vulgatũ, ἐξ ἀρίστου παρέσομαι; id eſt, poſt prandium adero: Item illud ἐξ νυκτῶν ἄνεμοι χαλεποί, ideſt, *poſt noctes venti difficiles*: & apud Ariſt. in 5. lib. primæ ſuæ philoſophiæ numerantem ſignificata, prædictæ propoſitionis hæc habetur: *Vno etiam modo dicitur ex, poſt quod tempore aliquid eſt*. Hoc itaque hunc in modum conſtituto, facilis, vti & vera apparere poteſt interpretatio, quam innuimus: nempe dici hoc loco a beato Paulo, quòd ipſe fuit vocatus ad Apoſtolatum, & ſegregatus in Euangelium Dei poſt reſurrectionem Ieſu Chriſti. Quorum quidem verborum dilucidatio, ſi alium in modum inuicem contexantur, perobſcura, & admodum difficilis redditur. Perpendatur, quæſo, quàm variæ circa hunc contextum interpretationes afferantur; & quibus difficultatibus harum nonnullæ vrgeantur; quàm impropriè, & incõcinne inuicem cohæreant hi varij, & diuerſi modi dicendi, ἐν δυνάμει, id eſt, in virtute: κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, id eſt, ſecundum ſpiritum ſanctificationis: item ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, ex reſurrectione mortuorum; quibus tamen omnibus formulis locutionis, tanquam ex vno fonte demonſtrationis, placet nonnullis ab Apoſtolo exponi, quomodo Chriſtus ſit declaratus filius Dei; tum ex potentia ſignorum; tum ex Spiritu ſancto in credentes immiſſo; tum ex eius a mortuis reſurrectione; cum tamen vſus loquendi, ad id explicandum, vnam, eandemque phraſeos rationem in omnibus ijs particulis expoſcere videretur. Accedit & illa locutionis cacofonia, ſi ita coniungantur verba, vti coguntur coniungere prædicto modo interpretantes. *De filio ſuo, qui factus eſt ei ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti*. Quibus videtur ſignificari, quòd alius ſit filius Dei, & alius Ieſus Chriſtus. Quam quidem difficultatem agnoſcens Auguſtinus in Tract. Pſal. 67. inquit, huiuſmodi locutionem difficile inueniri in Teſtamento nouo; ſed non in veteri, de quo nonnulla affert exempla; inter quæ eſt illud ex Pentat. *Fecit Moyſes illud, ſicut præcepit Dominus Moyſi*: vbi apparet, quaſi de alio Moyſe eſſe ſermonem; cum dicitur, *fecit Moyſes*; & de alio; cum ſubiungitur, *ſicut præcepit Dominus Moyſi*. Ita hoc in loco, dum dicit Apoſtolus. *De filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti*: videtur ſic loqui, tanquam alius ſit filius Dei, qui factus eſt ex ſemine Dauid; & alius Ieſus Chriſtus, qui reſurrexit a mortuis, cum tamen ſit vnus, & idẽ. Hęc Auguſtinus. Sunt autem (inter quos Origenes) qui hæc verba, *ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti*, accommodant ad reſurrectionem mortuorum, qui pertinent ad Chriſtum, & non ad ipſam Chriſti reſurrectionem. Poſtremo, pro corroboranda priori explicatione, illud quoque occurrit perpendendum, quòd cum beatus Paulus non fuiſſet ex collegio Apoſtolorum, quos Chriſtus ſibi delegerat, cum degeret in hac vita; ſed poſt reſurrectionem aſſumptus fuerit a Chriſto, & ſegregatus ab alijs Apoſtolis in prædicatione Euangelij; Ideo admodũ conueniens erat, vt qui ſe Apoſtolum Chriſti nominaret in ſuis epiſtolis, itidem hoc ipſum etiam denunciaſſet, ſe, poſt Chriſti reſurrectionem, ad hoc munus delectum fuiſſe: quod in hac tantum

Aymon. Act. 9. Auguſt. in Pſal 67. Orig. lib. 1. c. 1. ad Rom.

epiſt.

epiſt. ad Romanos factum eſſe comperimus, ſi adductam interpretationem ſequamur; vt ob hanc quoque cauſam, non abſque Spiritus ſancti prouido conſilio factum eſſe dicendum ſit; vt hæc epiſtola, licet poſterior tempore ab alijs nonnullis, primum tamen locum inter omnes obtinuerit.

E *Vocatis ſanctis*. Vt clarius dignoſcatur, quid ſanctitas importet, eius oppoſitum eſt perpendendum: quemadmodum etiam Apoſtolus in epiſtola ad Hebr. cum dixiſſet: *Talis enim decebat, vt nobis eſſet pontifex ſanctus;* deinde, vt ſignificantius nobis explicaret Chriſti ſanctitatem, has ſubiunxit voces priuatiuas: *innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus;* & id quidem merito: quando, quæ ad Deum pertinent, aptius per negationem, quàm per affirmationem a nobis percipiantur. Oppoſitum igitur ſanctitatis videtur eſſe, immundum, impurum, coinquinatum, & in labe conſtitutum: quæ de ſola creatura rationali, tam angelica, quàm humana, vere, ac proprie dici videntur: idque ipſorum culpa. Nam omnis creatura, quatenus eſt a Deo, bona eſt: iuxta illud Geneſ. *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat; & erant valde bona*. Et Paulus ad Timoth. inquit. *Omnis creatura Dei bona eſt*. Et infra: *Scio & confido in Domino Ieſu, quia nihil eſt commune per ipſum, niſi ei, qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt*. Et, quamquam Deus populo Hebræorum, eſum nonnullarum rerum, veluti porci, leporis prohibuerit; attamen non id illis præcepit, quoniam res illæ eſſent vere immundæ: ſed vt ipſos hac ratione in ſuam obedientiam coerceret, & ex ſimilitudine rerum prohibitarum a vitijs auocaret; nec non ab alijs Nationibus Deum ignorantibus, ſegregatos eſſe Iudæos oſtenderet per hæc diſcrimina præceptorum. Creatura autem rationalis, quæ producta eſt a Deo nobilior, & excellentior omnibus alijs creaturis, cum, in primordio ſuę creationis, liberam in ſua natura voluntatem, eamque rectam obtinuerit, qua apud Deum vel mereri, vel demereri poſſet; hęc labi, hęc coinquinari potuit; ſi volens auerteret ſe a Deo; atq; ita a recto illo, atq; bono naturæ ſtatu, in quo Deus illam cóſtituerat. Hinc ex angelica natura, quicunque ſpiritui ſuperbiæ adhęrẽtes, aduerſus Deum cornua erigere ſunt auſi, vti præuaricatores a recto ſtatu, mente polluti, atque coinquinati facti ſunt; eaque tam pertinaci voluntate, vt in priſtinum puritatis ſtatum numquã amplius ſint vendicandi. Homo quoque rectus a Deo creatus eſt; vt eius voluntas, ex vi diuinæ rationis, qua præditus eſt, Dei mandatis obediens eſſet; rationique ſenſuum appetitus ſubderetur; & appetitui corporis membra pariter obſequerentur: quo in ſtatu, ſi ſe integrum conſeruaſſet (prout poterat, Deo ſemper ad eius auxilium præſto exiſtẽte) Deo gratus permanſiſſet, atque beatior tandem euaſiſſet. Sed, quando relictus in manibus conſilij ſui, vt ſuã voluntatem exercẽs debitum Deo obſequium pręſtaret, diaboli ſuggeſtione dereliquit factorem ſuũ, eius mandato non obtemperando, illico impurus effectus eſt, ac macula, & labe coinquinatus ob peccatum, quo anima rationalis conſpurcatur, maculatur, atque immunda redditur, & vna cum ipſa totum corpus; ita quidem, vt hinc, auerſa exiſtente hominis anima a Deo, non amplius eius imperio appetitus ſenſitiuus ſubderetur; ſed odibilis facta Deo, in effrenatum ſit prolapſa appetitum; & in membrorum corporis petulantiam, atque diſſonãtiam inciderit, in ſummamque illam infœlicitatem, a qua exurgere ex ſeſe numquã poterat homo. Verum, quoniam genus humanum venundatum erat ſub peccato primi parentis ex inſidijs diaboli, hinc Deus, qui fons eſt miſericordiarũ, per Ieſum Chriſtum filium ſuum, iam antea ex Apoſtoli verbis deſcriptum, quem morti tradidit pro diluendis peccatis noſtris, viam aperuit, qua, cum deteſtatione peccatorum, ad purum, atque innocentem, & immaculatum vitę ſtatum, Deoque placentem homo reſtitueretur. Quod aſſequitur, dũ credit in Ieſum Chriſtum, & ſuorum mandatorum ſectatorem ſe profitens, lauacro tingitur ſancti baptiſmatis: ita enim virtute ſanguinis Chriſti emundatur ab omni labe, & macula; & mundus, ac ſanctus efficitur coram Deo. Huiuſmodi igitur ſunt ſancti, quos Apoſtolus hic nominat, adiecto illo verbo, *vocatis ſanctis:* vt eos, qui hanc tantam Dei gratiam conſequuti ſint, admoneret, vt in hac munditia & ſanctitate, ad quam ſunt vocati, ſe cõſeruent; illud pro certo habentes, quòd (vt ſcriptum eſt in Apoc.) nihil coinquinatum poteſt introire in regnum Dei.

F *Deo meo*. Vt notat Chryſoſtomus in epiſtola prima ad Corinth. Mos loquendi eſt, frequentiſſimus apud Prophetas, qui Deum colere profitẽtur: ſicuti eſt illud in Pſal. *Nam & ipſe Deus meus, & ſalutaris meus*. Et alibi: *Deus, Deus meus ad te de luce vigilo*. Idque diuinę voluntati etiam conſonum eſt, vt Deus dicatur ſanctorum ſuorum Deus: ſicuti habetur in epi. ad Heb. *Ideo nõ confunditur Deus vocari Deus eorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob*. Ac Deus quidẽ eſt ſuper omnes, vt animaduertit Aug. in lib. de ouib. vt non ita ſit vnius, quin ſit etiam aliorum Deus, vt dicitur etiam infra; *An Iudæorum Deus tantum? non ne & Gentium?* Nec vero propterea diuiſibilis eſt Deus, ſed indiuiſibilis; prout & vox pluribus communicata, eſt indiuiſibilis. Animaduertit autem Auguſtinus loco citato, quòd non niſi, qui in eum credit, & eum diligit, audet ſic dicere: iuxta illud in Pſal. *Beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius*. Qua vero charitate flagraret Beatus Paulus erga Chriſtum, cum quo vt eſſet, cupiebat diſſolui; omnibus eſt perſpicuum: vnde confidenter Deum, Deum ſuum appellare potuit.

G *Cui ſeruio in ſpiritu meo*. Origenes hunc locum interpretans ait. *Adorare Deum quis poteſt in ſpiritu, ſed ſine affectu: deſeruire vero eius eſt, quem conſtringit affectus:* Deſeruire autem ſe Deo, dicit Apoſtolus (ſecundum Origenem) in ſpiritu; quoniam non in corpore, non in anima, ſed in meliori ſui parte, nempe in ſpiritu deſeruiret. Nam hæc tria eſſe in homine deſignat Apoſtolus ad Theſſal. cum dicit: *Vt integrum corpus noſtrum, & anima, & ſpiritus in die Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruentur*. Sed Origenes in expoſitione illorum verborum, *ſecundum ſpiritum ſanctificationis*. Vbi hanc eandem

affert

Margin notes (in order): Hebr. 7. — Geneſ. 1. — 1. Timot. 4. — Rom. 14. — Roman. 7. — Apoc. 21. — Chryſoſt. homil. 2. — Pſal. 61. — Pſal. 62. — Hebr. 11. — Auguſt. in lib. de ouibus. c. 16. — Roman. 3. — Pſal. 39. — Philipp 1. — Orig. lib. 1. c. 1. ad Roman. — 1. Theſſ. 5.

affert diuiſionem corporis, animæ, atque ſpiritus; videtur accipere animam pro anima rationali diſtincta a ſpiritu; cum ipſam conſtituat mediam inter ſpiritum, & carnem, dicens: *Quòd poteſt ſe iungere vel ſpiritui, vnde homines fiunt ſpirituales: vel carni, vnde fiunt carnales;* Cum tamen ſpiritus cenſeatur idem eſſe cum mente, & anima rationali; vt
Greg. Nyſſ. cõmunis eſt Doctorum ſententia; & maxime Gregorij Nyſſeni, qui (vt refert Theoph. in ſuis commẽtarijs in epiſt. ad Theſſ. ſupponens hominem admiſtum ex omni anima, ea, quæ plantis ineſt, ipſa ſenſibili, &, intellectuali) ita exponit locum. *Cum ſpiritum dixit Apoſtolus, profectò intellectiuam expræſſit: cum animam, ſenſibilitatem ipſam: cum corpus vitam nobis ineſſe oſtendit, quæ & in plantis competitur.*
Theodor. Theodoretus autem ita explicat; *In ſpiritu meo;* Id eſt, *In gratia, quæ data eſt mihi.* Sed (ſicut
1. Cor. 15. alibi dicit Apoſtolus) *Gratia dei mecum:* Ita & ſpiritui ex parte hominis ſumpti, gratia dei ſimul erat iuncta in Apoſtolo; vt ita ſeruiret Deo, ſpiritu ſuo; non obſequens deſiderijs carnalibus; non ore, ac labijs, prout qui Deum labijs honorant, cor autem eorum longe eſt; ſed corde, ac ſincero mentis affectu; a quo procedit omnis bona atque Deo accepta operatio, veraque latria.

H *Ad confirmandos vos.* De hac animorum confirmatione in fide, de qua hoc loco eſt ſermo, meminit quoque Apoſt. in calce epiſt. dum inquit;
Rom. 16. *Ei autem, qui potens eſt vos confirmare.* Vt ita principio epiſtolæ finis quoque reſpondeat. Et magni ſane momenti eſt (cum per multas tribulationes oporteat nos ingredi regnum Dei.) vt fideles ſe ſe mutua cohortatione confirment: quod præſertim in illo primo tempore naſcentis eccleſiæ expetendum erat in illis grauiſſimis perſecutionibus, quæ omni ex parte aduerſus Chriſtianos ſæuiebant.
Theodor. Adnotat autem Theodoretus, ex eo quòd primus Romanis Magnus Petrus doctrinam euangelicam prædicauerat, ideo neceſſario intuliſſe Paulum, *Ad confirmados vos;* Vti illos, apud quos opus non erat iacere fundamentum fidei, quam iam ſuſceperant: ſed in ea quidem confirmandi erant.

I *Gręcis & barbaris:* Iudęos reijcit, vt qui deſtinatus eſſet Apoſtolus ad Gẽtes, tã ad Græcos, quàm ad barbaros: per hos, intelligẽs Gentes rudiores, & inſipientes; per Græcos autem intelligens ſapientes; qui operam nauarent philoſophię, ac moribus mãſuetioribus eſſent prædití. Omnibus igitur his impromiſcue vt prædicaret Euangelium, ſe teneri profitetur Apoſtolus. Alibi vero in ſuis epiſt. Gręcos accipit pro omni gente diſtincta a populo Hebræorum, ſicuti etiam apud Ioan. *Numquid in di-*
Ioan. 7. *ſperſionem Gentium iturus eſt, & docturus Gentes:* Vbi vox ἑλλήνας apponitur complectens non ſolum Græcos, verum etiam alias omnes nationes, ſecluſis Hebræis.

K *Virtus enim dei eſt:* Græce δύναμις, id eſt, *Potentia;* cum tamen, & uirtus conuerti poſſit, quatenus vim quandam denotat, vt dictum eſt antea. Virtus igitur Dei, hoc eſt res, qua Deus ſuam exercet virtutem, atque potentiam in conferenda ſalute credentibus in ipſum, eſt Chriſti Euangelium, illa annunciatio, quæ fit de Chriſto noſtrò Saluatore, in quem oportet credere, qui ſaluus eſſe velit. Vel (quando Euangelium eatenus vim habet conferendæ ſalutis, quatenus in ipſo continetur functio legationis Chriſti, per quam ſalus acquiritur) ita etiam interpretari licet: quòd Chriſtus eſt ipſa virtus, atque potentia dei, per quam ſalus confertur credentibus in ipſum. Hoc enim idem habetur in epiſt. ad Corint. dum dicitur. *Ipſis autem* 1. Corin. 1.
uocatis Iudæis, atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem, ſcilicet prędicamus: quam interpretationem inſinuauit etiam S. Thomas. Neque vero diſſimulan- Tho. Aqui.
dum eſt, hoc loco impropriè quodam modo dici; quòd Euangelium ſit virtus dei, pro eo, ac ſi dicatur; Euangelij doctrinam aſſerere, ac promulgare dei virtutem. Dei autem potentia opus fuit pro ſubleuando homine a miſeria, in quã ruerat ob peccatũ; cũ maius opus ſit ex impium iuſtificare, quàm creare iuſtum, vel mundum, vt dixit Auguſtinus in tract. 72. Euang. ſuper Ioan. inquiens: *Minus eſſe* Auguſt. in
operam iuſtitiæ prædicare, quod fecit Chriſtus, præ- Ioan. tract.
ter nos; quàm impios iuſtificare, quod ita facit in no- 72.
bis, vt faciamus & nos.

L *Iudæo primum, & Græco:* Præponitur Iudæus, vti populus ille, cui Saluator, ob Deo cariſſimos patres, fuerat promiſſus; ad quos etiam venit, & quibus primo fuit prædicatum Euangelium a Chriſto, & ab Apoſtolis. Sed nõ ſolum Iudęo, uerum etiam Græco: cum Deus idem ſit non ſolum Iudæorum, verum etiam Gentium, vt dicitur infra. Græcorum Roman. 3.
autem appellatione, hoc in loco Apoſtolus intelligit omnes alias nationes ſeiunctas ab Hebręis, nomen barbarorum, vt odioſum, iam dimittens. Ori- Orig. lib. 1.
genes autem animaduertit, hoc in loco Apoſtolum c. 1. ad Ro.
vti ueriore diſtinctione, quàm Græci vterentur: qui omne genus hominum in Græcam nationem, & barbaram diſtinguebant; ſupponentes quòd alię nationes (ab ipſis) eſſent barbarę; vt quę ſine legibus viuerent. Ac conuenientius (inquit Origines) Apoſtolus priori loco poſuit Iudęos; vt qui ante Gręcos legibus viuere cęperint, & eas a Deo ſumpſerint; poſtea Græcos, ac poſtremo loco barbaros.

M *Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem.* Quemadmodum uerba illa pręcedentia: *Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti;* referri poterant (ſicut explicauimus) tum ad Euangelium Chriſti, tum ad ipſum met Chriſtum; ita & hęc alia: *Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide &c.* Et communiter quidem ad Euangelium referuntur, licet alij aliter verba coniungant. Quidam enim ita interpretantur. Iuſtitia Dei, id eſt, illa iuſtitia, quę eſt fide in fidem, patefit in Euangelio. Nonnulli alij ſic: Iuſtitia Dei, quę prius erat tecta in lege, & prophetis; retegitur, & palam prędicatur, edoceturque in Euangelio: quod contingit hominibus *Ex fide in fidem.* Quę verba varias quoque paſſa ſunt interpretationes. Aliqui enim ſic intellexerunt. *Ex fide, in fidem,* Ideſt, ex fide cuiuſque ętatis; iuxta illam phraſim, ex ęuo in ęuum; vt per omnes ętates & generationes idem proceſſus fidei ſupponatur. Origenes autem ita interpretatus eſt: quod Orig. lib. 1. ad Rom.

iuſtitia,

iuſtitia, quæ in lege tecta velabatur, reuelatur ijs,
qui ex fide ueteris teſtamenti, ueniunt ad fidem
Theodor. noſtri Euangelij: Theodoretus vero ſic. *Oportet*
(inquit) *credere prophetis, & per illos duci ad fidem*
Euangelij, Ant. *Qui ſic credis Chriſto ſuſcipiens gra-*
tiam baptiſmatis; per hæc ducitur vt credat futuris bo-
nis; vt puta, mortuorum reſurrectioni, & vitæ æter-
Theophyl. *næ, & regno cælorum*. Theophylactus, *Ex fide in*
fidem (inquit) *Vt ſicut de virtute in virtutem fit pro-*
ceſſus, ita fiat progreſſus ex inchoata fide ad perfectio-
Ambr. *rem fidem*. Ambroſius: *Ex fide* (inquit) *Dei pro-*
Auguſt. lib. *mouentis, in fidem hominis credentis*. Auguſtinus
de ſpirit. & etiam conſimilem ſequutus interpretationem in
litt. c. 11. lib. de ſpiritu & littera: *Reuelatur* (inquit) *Iuſtitia*
Dei ex fide annunciantium in fidem obedientium.

Cum autem & ad Chriſtum hæc eadem verba
referri poſſe ſuppoſuerimus, quòd in ipſo reuela-
tur Iuſtitia Dei ex fide in fidem; id quomodo ſe ha-
beat iuxta hanc ſuppoſitionem, explicandum eſt.
Et vt omnia clariora reddantur; perpendendum,
quo nam modo probetur illa prior ſententia, quòd
Chriſtus ſit uirtus Dei in ſalutem omni credenti:
hanc enim probari ab Apoſtolo ſupponendum eſt
in ijs alijs verbis. *Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur*
ex fide in fidem; ſicut ſcriptum eſt; iuſtus autem
ex fide uiuit. Probationis igitur ratio ex verbis
Apoſtoli ita conſtrui poſſe videtur, ut ſit hunc in
modum ratiocinatio. In Chriſto reuelatur (vt ex-
pleta per ipſum) Iuſtitia Dei, quæ eſt ſecundum fi-
dem, ita ut per ipſum homo iuſtus fiat (& hæc erit
minor ſyllogiſmi propoſitio) cui ſubiungenda hæc
alia maior: quicunque Iuſtitiam Dei, quæ eſt ſe-
cundum fidem, obtinet, is ad ſalutem ducitur: vn-
de ſequitur concluſio, quòd, qui per Chriſtum iu-
ſtus ſecundum fidem effectus eſt, ad ſalutem de-
ducatur. Apoſtolus autem in maiori propoſitione
ſimul intulit eiuſdem probationem, ponens au-
ctoritatem Abacuc prophetæ: quòd iuſtus ex fide
viuit, & ita ſalutem obtinet. Vnde apparet probata
illa prior ſententia, quòd Chriſtus eſt virtus Dei in
ſalutem omni credenti; cum ſit mediator Iuſtitiæ
fidei, per quam ſalus acquiritur. Id autem hunc
in modum effectum eſt. Nam, Chriſtus ſua mor-
te factus propitiatio pro peccatis noſtris, miniſter
fuit eius Iuſtitiæ, per quam ex impijs, & filijs iræ,
in Dei gratiam reconciliãtur illi omnes, qui, fide in
Chriſti ſanguine collocata, ad Dei miſericordiam
confugiunt, ac per baptiſmum ſimul cum Chriſto
commorientes peccato, per infuſionem ſancti Spi-
ritus in nouum hominem mutantur, vt iuſti deue-
niant apud Deum: ac tales exiſtentes, habiles red-
duntur ad vitam æternam conſequendam: quam
Deus in arcanis ſui conſilij ſtatuit largiri ijs, qui (vt
Roman. 8. dicitur infra) cõformes imagini fillij ſui p bona ope-
ra ſe præſtiterint in hac vita. Dũ autẽ Apoſtolus no-
minat iuſtitiã Dei, id affert ad diſtinctionẽ propriæ
Iuſtitiæ humanæ, quæ apud Deum pro iuſtitia non
habetur, nec per eam iuſtificatur impius: ob quam
tamen Iudęi plurimum gloriabantur, ſibi aſſumen-
tes ex proprijs viribus poſſe iuſtificari: quorum
erroneam arrogantiam ſæpius in hac epiſtola, & in
alijs, Apoſtolus pluribus argumentis repercutit, at-
que demolitur: Vnde infra de hac iuſtitia Dei, ad Roman. 3.
differentiam Iuſtitiæ legalis, loquens ait. *Nunc au-*
tem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata a le-
ge, & prophetis, iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chri-
ſti; quæ cum dictis hoc loco optime conueniunt.
Verum ibi non ſolum eſt ſermo de iuſtitia Dei, qua
homo iuſtificatur; verum etiam de illa, qua Deus
iuſtus oſtenditur, dum dicitur: *Ad oſtenſionem*
iuſtitiæ ſuæ in hoc tempore, vt ſit ipſe iuſtus, & iuſti-
ficans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti: Hic autem
ſolum fit mentio de iuſtitia Dei, qua homo iuſtifi-
catur. Per illam uero orationis formam, qua uſus
eſt Apoſtolus inquiens; *In eo reuelatur*; Inſinuauit,
quòd prius quàm Chriſtus aduenıſſet, ſuaque lega-
tione perfunctus eſſet, hoſtiam ſeſe offerẽs Deo Pa-
tri pro expiatione peccatorum, iuſtitia illa, per quã
plurimi ex Patribus ueteris teſtamenti iuſti erant
apud Deũ, in uirtute futuræ Chriſti paſſionis, hęc in-
terim occulta & occluſa manebat mũdo & diabo-
lo, cũ adhuc in carcere ſpiritus illi detinerent, a cœli
ianua excluſi, & a uiſione Dei: Quæ deinde, poſt
Chriſti aduentũ, & eius mortis conſummationẽ (vt
abſoluta, & completa) manifeſtata eſt tunc, cum
Sanctorum illorum Patrum ſpiritus, poſt Chriſti
deſcenſum ad inferos, e carcere erepti vna cum
Chriſto ad Dei uiſionem perfruendam euolarunt. Orig. lib 4.
Id quippe Origines ſenſiſſe videtur in expoſitione c. 4. ad Ro.
verborum illorum cap. 4. huius epiſtolæ, in quibus
eſt ſermo de circunciſione, quam accepit Abraham
in ſignaculum iuſtitiæ fidei, dum ait: *Circunciſio-*
nẽ ſignaculũ fuiſſe iuſtitiæ, in quo claudebatur iuſtitia
ad tempus, quæ ſuo tempore, adueniente Chriſto, eſſet
patefacienda. In Chriſto igitur reuelatur, atque
conſummata eſſe conſpicitur (vti etiam perfecte
obtinetur) iuſtitia illa, per quam homo, ex impio,
fit iuſtus apud Deum: quod, quando non niſi per
fidem obtinetur, ideo dictum eſt ab Apoſtolo, ip-
ſam reuelari *Ex fide in fidem*: Non enim reuela-
retur hæc iuſtitia Dei, qua homines fiunt iuſti, niſi
in hominibus eadem plantaretur, & compleretur.
Quod quidem ſuccedit non ex operibus iuſtitiæ,
quæ ab impijs proficiſci non poſſunt, ſed ex fide
in Chriſtum collocata; quæ tamen exigit, vt impius
uocatus a Deo, ultronee gratiam uocationis ſuſci-
piens, ad Dei auxilium, & miſericordiam confu-
giat, & peccatorum ſuorum pænitendo, ſacro ba-
ptiſmate inſigniatur, ita ad Chriſti ſeſe deuouens
militiam; quibus in actis, hominis cõuerſi bona, at-
que propenſa in Deum detegitur voluntas, obſe-
quium, & ſacrificium Deo gratiſſimum. Dum au-
tem dicit Apoſtolus *Ex fide in fidem*; Hinc forte
voluit innuere duplicem in fide gradum: tum illum
magis generalem, nec plene explicitum, quo pri-
mum fit acceſſus ad Deum, credendo, quia *eſt*,
& requirentibus ſe remunerator eſt, Vt dicitur in Hebr. 11
epiſt. ad Hebræos: tum illum alium magis ex pli-
citum gradũ fidei, in quo etiam primus clauditur cũ
hac adiectione, ut credamus in Ieſum Chriſtum me-
diatorem nobis, pro noſtra ſalute, a Deo conſtitutũ:
ob cuius ſanguinem Deo reconciliamur, & coram
ipſo iuſti efficimur. Ad quam quidem fidem plu-
ra alia myſteria fidei, ut puta de Chriſti diuinitate,

ac de

ac de ſanctæ Trinitatis unitate, atque perſonarum diſtinctione, paulatim reuelata ſuerunt, iuxta immenſam Dei ſapientiam, qui omnia diſponit ſuauiter. Et cum primus gradus fidei præcedere habeat, credendi ſcilicet in Deum, deinde ſubſeqoitur fidei gradus credendi in Chriſtum mediatorem noſtrum: ideo *Ex fide in fidem*, reuelari iuſtitiam Dei in Chriſto dictum eſt. Et quoniam in hoc explicito gradu fidei, qui dirigitur in Chriſtum mediatorem, iocluditur neceſſario ille alius gradus magis generalis fidei quo in Deum creditur, abſque quo ſecundus non exiſteret; ideo de ſola fide Ieſu Chriſti, uti completa, ac primum gradum etiam includente, ſæpe Apoſtolus Paulus habet ſermonẽ in ſuis epiſtolis; ſicuti apparet in loco ante citato, Roman.3. dum dicit; *Nunc autem iuſtitia Dei ſine lege manifeſtata eſt, teſtificata a lege, & prophetis, iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti*, Quod in hac eadem epiſtola, & in alijs epiſtolis a Paulo, & ab alijs Apoſtolis ſępius factitatum obſeruari poteſt: idque ad oſtendendum, quòd perfecta fidei conſummatio compleatur in credeotibus in Chriſtum, vti inter nos & Deum mediatorem, & redemptorem noſtrum, Et quidem de explicata hac fide in Chriſto cõſummata locutus eſſe videtur Apoſtolus in epiſt. Gal.3. ad Gal. dum dicit; *prius autem quàm veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat*. Licet enim per legem, cuius finis eſt Roman.10. Chriſtus (vt dicitur infra) ſignificaretur redemptio, quæ futura erat per Meſſiam; attamen qualis ea eſſet, non dum plaoe perſpicuum erat; ſicuti innotuit poſt Chriſti conſummationem: cuius fides per Apoſtolos eſt publicata, atque ſignis, & prodigijs illuſtrata, vt omnibus deinde factum ſit notum, opus eſſe, vt qui ſalui eſſe uelint, credant in Ieſum Chriſtum, per quem ſolum recoociliamur, & habemus acceſſum ad thronum Dei.

Quod autem attinet ad illam anctoritatem Abacuc prophetæ. *Iuſtus ex fide uiuit*; Græci legunt, *viuet*; Et cum duplicem habere poſſit interpretationem. Alteram, qoòd iuſtus uiuit ex fide, & ex fide ſuſtentatur, quod veriſſimum eſt; cum ſine Hebr.11. fide impoſſibile ſit placere Deo. Alterã autẽ, quòd qui iuſtus eſt ex fide, is viuet, & ſaluus erit; Hæc accõmodatior propoſito Apoſtoli eſſe uidetur: qui intendit manifeſtare, quòd ſalus per Chriſtum conſertur credentibus in eum; & quòd iuſtitia Dei ab impijs acquiritur per fidem, & non ex proprijs operibus, quæ ab impijs iuſta procedere nequiuere: licet homo, diuinam ſuſcipiens vocationem, numquam ſine deteſtatione peccatorum, & abſque propria animi ad Deum conuerſione cum propoſito ſeruandæ legis Euangelicæ iuſtificetur. Cui expoſitioni conſentire videntur, quæ ſcripta ſunt in epiſt. Gal.3. ad Gala. vbi dicitur. *Quoniam autem ex lege nemo iuſtificatur apud Deum, patet: quoniam iuſtus ex fide viuit*: Vbi apparet, diſtingui iuſtitiam, quæ eſt ſecundum fidem, ab ea quæ ſit ſecundum legem; & Hierony. ibi Hieronymus indicat hæc uerba Abacuc ita diſtingui poſſe: *Iuſtus ex fide*, deinde ſubdantur: *viuet*; vt ſit ſenſus, qui uere iuſtus eſt, non ex operibus legis, ſed ex fide, is uicturus eſt. Neque uero ex adducta auctoritate inferendũ, quòd ab homine iuſto opera non exigantur; tanquam ſolum per fidem viuere habeat. Sed id quidem ex ea colligitur, quòd opera ſine fide nullius poſſuot eſſe naloris: quemadmodum neque ſioe fide impurus iuſtificari poteſt apud Deum. Sed & ſecundum poſteriorem interpretationem, id tantum ſonat adducta auctoritas prophetæ; quòd qui iuſtus eſt ex fide (ad differentiam iuſtitiæ legalis) is vitam ſit habiturus apud Deum.

N *Reuelatur enim ira Dei de cœlo*: Quòd credentibus, & non alijs ſalus conferatur, præter auctoritatem inductam ex Abacuc propheta, probat quoque Apoſtolus argumento deducto ex oppoſito: Nam, inquit, e cœlo reuelatur ira Dei in condemnationem eorum, qui veritatẽ agnitam in iniuſtitia detinent, quatenus ſcilicet Deo non adhærent, neque prouidentiæ ſe ſubmittunt diuinæ, Deum, (vt decet) nequaquam neneraotes; quamquam id ſibi faciendum præclare agnoſcere potuerint: quin gloriam Creatori debitam ad creaturas transferentes, quod eſt flagitium extremæ iniuſtitiæ, atque impietatis hominum non credentium in Deum, ac ſi Deum eſſe non cenſerent; Qnibus quidem malis doo illa genera hominum laborarunt, de quibus Sap.15. eſt ſermo in libro ſapientiæ: tum illi, qui dedita opera negligeotes attendere operibus Dei, ipſum propterea non cognoſcunt, & ad creaturas adorandas abſque ratione ſe conuertuot, impie ſe gerentes; tum & illi alij quàm maxime; qui attendentes operibus Dei, & ex ijs potentes agnoſcere Deum omnium dominum, ſpecioſiorem rebus omnibus exiſtentem; nihilominus tamen ad res creatas cultum, & obſequium conuerterunt: in hoc non ſolum impie, verum etiam iniuſte ſe gerentes; vt qui veritatem agnitam, pro ut decens erat, non obſeruarunt, Deũ glorificantes; ſed ei res creatas prætulerunt. De ira autem Dei, qua explicatur iuſta eius condemnatio, emanans in delinquentes (non quòd irę aut alterius cuiuſpiam paſſionis Deus ſit capax) ſecundum præſens tempus loquitur Apoſtolus, ſic inquiens: *Ira enim Dei reuelatur*. Quod propterea agit, vt nobis ſignificaret, hanc iram Dei perpetuis diebus exerceri aduerſus impios, & iniuſtos: adeo quòd, quemadmodum in ſeculis præcedentibus, in diluuio illo inducto ſuper totum orbem, in conflagratione terræ ſodomorum; in ſubuerſione exercitus Pharaonis, in proſtratione tot millium de populo Iſraelitico in eremo; in Ieruſalem deſolatione, & (in ętate huic noſtræ proximiori) in depopulatione Græcorum miſerorum, & nationum Orientalium, quę a vera Chriſti fide defecerunt; atque in tot alijs hominum generibus, tum Chriſtianorum, tum aliorum, aduerſus horum omnium impietatẽ iuſta Dei apparuit ira: Ita quoque quotidie inſpici poteſt; & in perpetuum ſemper apparebit Dei uindicatio aduerſus hominum infidelitatem, atque impietatem; donec, ſuperueniente vniuerſali iudicio, impij, & iniuſti homines io æternam tradentur condemnationem. Dictum autem illud, *Quod e cœlo reuelatur Dei ira*, deſeruit ad oſtendendum, quòd nil niſi ex Dei uoluntate

luntate

luntate hic eueniat: & ad innnendum etiam, plurimas Dei vltiones aduerſus impios eſſe eiuſmodi; vt, dum præter conſuetum ordinem ſuccedunt, hinc præclarius intelligant hom:nes, quòd a mann, & a certa quadam Dei ſpeciali prouidentia procedunt, ad terrorem malorum, & ad admonitionem bono-
Reg.3.c.18. rum: veluti, cum, ad Heliæ preces, ignis vltor cœleſtis iniuriæ, e cœlo deſcendens conſumpſit illos pſeudo Prophetas.

O *Quia quod notum eſt Dei*. Canſam aperit Apoſtolus, ob qnam ira Dei ſit excitata aduerſus eos, qui veritaté detinent in iniuſtitia; nempe, quoniam quod notum eſt Dei, illis innotuit, Deo ipſis manifeſtante: neque vero Deum ab ipſis cognitum, vt decebat, glorificauerunt; & ita veritatem in iniuſtitia detinuerunt. At inquies, quid de Deo cogno-
1.Ioan.4. ſci poteſt, ſi Deum nemo vidit vmquam? Dirimit ex parte quæſtionem Apoſtolos inquiens; quòd inuiſibilia Dei, intellecta per ea quæ facta ſunt, conſpicinntur. Vnde, ſi inuiſibilia, certe quatenus ſunt inuiſibilia, non comprehendnntur ab homine. Verum, quod poteſt notum eſſe homini in hac vita de Deo, iuxta ordinem creaturarum, hoc ipſum eſt; quòd contemplans homo opera, quæ ſunt extra Deum, ipſas ſcilicet creaturas, in ipſis conſpicit quodam modo inuiſibilia Dei, quatenus creaturæ ſuum creatorem aliqualiter repręſentant: quemad-
Sapien. 13. modum habetur in lib. Sap. dum dicitur. *A magnitudine enim ſpeciei, & creatura, cognoſcibiliter poterit creator horum videri*. Dicit antem *cognoſcibiliter*, quoniam ſimpliciter non poteſt a nobis videri; ſed quadam tantum attingi cognitione Deus in quodã ſpeculo, & in ęnigmate. Ex creatura igitur vniuerſi, ex ijs oper.bus, quæ conſpiciuntur in hac mundi fabrica, homo ducitur ad intelligenda inuiſibilia Dei. Et quæ nam ſunt hęc? nempe, inter alia, ſempiterna eius potentia, atque diuinitas, quas eſſe indicant res creatæ: quando, niſi eſſet ęterna potentia, atqne diuinitas ſemper manens, neqne conſtitutus eſſet, neque conſeruaretur mundus. Virtus
Orig. lib. 1. c. 1. in epiſt. ad Roman. autem Dei, ſeu potentia (vt inquit Origenes) eſt, qua regit omnia; Diuinitas autem, qua replet omnia. Inter autem inuiſibilia Dei, connumerantur, Dei bonitas, ſapientia, & eſſentia; omittitur autem a nonnullis interpretibus ęterna Dei virtus, ſeu potentia, & diuinitas; quaſi vero hæc inter Dei inuiſibilia non eſſent adnumeranda; de quibus tamen ſolis hoc loco mentio habetur ab Apoſtolo: forte, vti de notionibus illis, quibus Dei eſſentia quàm maxime (vt poteſt a nobis) explicetur. At quibus præſertim hominibus hæc innoteſcunt? ipſis nimi-
Orig. ibidẽ. rum præcipue ſapiennibus, (vt inquit Origenes) illis ſane, qui ſua ingenia conferunt ad contemplandas res a Deo creatas. Quod Deus reliquit in ho-
Act. 17. minis liberam facultatem; iuxta ea, quæ Apoſtolus diſſerebat apud Athenienſes in Areopago, dum diceret. *Fecit ex vno omne genus hominum inhabitare ſuper vniuerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, ſi forte attrectent eum, & inueniant, quamuis non longe ſit a quoque noſtrum; in ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus*. Sed cum dicat Apoſtolus, *quòd notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis*; non ignorandum, græce legi γνωστὸν, quod aliqui vertunt *cognoſcibile*; noſtra autem translatio habet *notum*; & admodum conuenienter, cum Apoſtolus hinc voluerit ſignificare, quòd in ipſo vniuerſo, tanquam in ſpeculo elucet, ac firma manet Dei cognitio, iuxta
illud. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum* Pſalm. 18.
eius annunciat firmamentum. Hæc antem in illis hominibus eſt manifeſtata cognitio, quibus Deus dator omnium bonorum, manifeſtauit eam. Manifeſtationem autem hunc in modum procedere ſup-
ponendum eſt. Nam Deus, qui illuminat omnem Ioan. 1.
hominem venientem in hunc mundum, ſuo lumine ſemper præſto adeſt ijs, qui Dei opera contemplannr, virtutem, ac robur eorum intellectui conferens, quo in prædictam Dei cognitionem perducuntur. Vnde Apoſtolus inquit. *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis, Deus enim illis manifeſtauit*. Siquidem abſq; Dei præſentia nihil aut ſit, aut ſubſiſtere valet. Et quãuis non omnes idem aſſequantur, vt ordinem vniuerſi ita præclara cognitione comprehendant, vt faciunt qui aſſiduis contemplationibus res creatas perpendunt, ac forte vi ingenij alios antecellunt, & diuino ſimul adiuti ſunt lumine; attamen nemo ferme gentium eſt, qni hunc pręclarum cœli ornatum, & mira totius naturæ opera conſpiciens, per eam, quæ omnibus ineſt ratio naturalis, excitari aliquo ſtimulo non poſſit ad Deum opificem tam magnificæ fabricę admirandum, atq; excolendum; ſiquidem (vt iam dictum eſt.) *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum*. Accedit, quòd Deo ita prouidente factũ eſt, vt perpetuis temporibus hæc apud omnes nationes conſuetudo innaluerit, vt quorundam paucorum exemplo, & auctoritate, qui alijs ſapientia præſtarent, reliqua populi multitudo penderet, atque regeretur. Quocirca, quemadmodum in lege veteri aderant Rabini legis Doctores, quibus curæ erat plebem circa legis ordinationes inſtituere; ita quoque illnrum hominum, quibus Deus ſe manifeſtauit per rerum creaturarum contemplationem, munus erat, alios non verſantes in ijs ſtudijs de Deo colendo edocere: Quod non præſtantes, vel potius in animis puſillorum ſuo exemplo errores inducẽtes; idcirco de hoc flagitio,
& non ſolum de proprijs prauis operibus, vt dici- Romans.
tur infra, pœnas maximas ſunt daturi.

Hæc igitur in ſumma eſt illa notitia, quæ ab intellectu humano ex contemplatione ſenſibilium creaturarum de Deo obtineri poteſt; Deo ſeſe, (vt dictum eſt) manifeſtante. Cui cognitioni, ſi, qui eam adepti ſunt, illud etiam adiunxiſſent, vt debita gloria Deum venerati eſſent rerum omnium conditorem, non euaneſcentes in proprijs cogitationibus, Dei miſericordiam opportuno tempore ad ipſorum ſalutem eſſent experti. Verum Deus præter hanc in mundi fabrica, tanquam in quodam ſpeculo ſemper elucentem de ſua diuinitate notitiam, familiarius etiam agens cum humano genere, in dies ad ſeſe manifeſtandum multa mira pręſtitit præter rerum ordinem naturalem, quibus humani oculi non eſſent aſſueti. Sed præcipue, peculiari

quodam

quodam modo, electo ſibi populo Hebræorum, ſapientiam, atque potentiam ſuam manifeſtauit, cum in plurimis alijs factis, cum in illis præcipue, (Exodi 9.) quæ geſſit aduerſus Pharaonem. De quo dicit Scriptura, *quia in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuerſa terra.* Poſterioribus autem temporibus, in Chriſti filij ſui miſſione, quàm maxime ſeſe Deus propalauit mundo. Nam, vt dixit Dominus (Ioan. 18.) coram Pontio Pilato; *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* Ipſe quidem ignorantiæ tenebras de mundo fugauit, dum in verbo ſuo eam patefecit potentiam; qua, vel Deum ipſum eſſe, vel ſaltem, in ipſo, Deum ineſſe rebus omnibus dominantem omnes luce ipſa clarius dignoſcere potuerunt. Dum conſpicerent ventos, & maria, & omnia elementa eius verbo obedire; ſanari per ipſum omnes languores; cęcos a natiuitate viſum recipere; & mortuos ad vitã reuocari; hominumque abſconditas in cordium cauernis cogitationes omnes, ipſius oculis nudas, & apertas eſſe; in quo ſcientiam, quam Deus ſolus habet, præſeferebat. Bonitas quoque, ac Dei immenſa miſericordiã per ipſum eſt manifeſtata, quando Deus Chriſtum filium ſuum tradidit pro mundi redemptione. Nec non iuſtitia Dei per ipſum eſt detecta, quando Chriſti morte Deus de peccatis noſtris in proprio filio pœnas ſumpſit, vt diuinæ iuſtitiæ offenſæ ob peccata hominum ſatisfieret. Sed & Chriſtus de futuro iudicio vniuerſali, & de reſurrectione mortuorum, genus humanum longe certius, reddidit, & Spiritu ſancto e cœlis dimiſſo, multa myſteria (vt illud præcipuum, & altiſſimum ſanctiſſimæ Trinitatis) hominum mentibus reuelauit. Quæ tamen omnia adumbrant, & non exacte explicant inuiſibilia Dei; adeo quòd omnis cognitio, quæ in hac vita mortali communicata eſt homini, ſi comparetur illi notitiæ, quam ſancti, & electi ad gloriam peruẽti, de Deo obtinent, eſt quædam vmbra, (1. Cor. 13.) prout dixit Apoſtolus ſcribens Corin. *Videmus nunc per ſpeculum in enigmate; tunc autem facie ad faciem.* (1. Ioan. 3.) Et Ioan. Apoſtolus, dum inquit. *Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.*

(Theodor.) P *Euanuerũt in cogitationibus ſuis.* Theodoretus. *Stultas, inquit, cogitationes ſecuti ſunt, & infidelitatis tenebras ſua ſponte ſuſceperunt.* (Theophyl.) Theophylactus cauſam ait aſſignari ab Apoſtolo, cur in tantam ſint prolapſi veſaniam, vt ex ſapientibus, quos ſe prædicarent, ſtulti facti ſint; quoniam ſcilicet opinationibus quibuſdam omnia permiſcuerunt, cum vellẽt in figura, qui caret figura, & in corpore, qui ſit incorporeus, mente concipere. Vnde vani deprehenſi ſunt. In quam ſententiam in expoſitione huius (Origen.) loci habet quoque Orig. quòd *qui agnouerunt Deum, mox per cogitationum ſuarum vanitatem, dum formas, & imagines requirunt in Deo, in ſemetipſis imaginem Dei perdiderunt*, (Auguſt. in Io. tract. 14.) Auguſtinus vero in ſerm. de verb. Euang. colligit: *Quoniam ſe dixerunt ſapientes, & donum Dei ſibi tribuerunt; ideo ex ſuperbia ſtulti facti ſunt; hoc enim meruerunt.* Vnde dicendum, quòd propter ſuperbiam, qua tumidi facti ſunt, & quoniam præſumpſerunt ſuis opinationibus, atque ſyllogiſmis Dei potentiam ſtatuere, hinc in ſtultitiam prolapſi ſunt, vt euanuerint; id eſt, vani, & ſupervacanei facti ſunt; fruſtrati ſcilicet ſuis cogitationibus; vt quum ſapientiam ſibi aſſumerẽt, ſtulti ſint facti, & in infinita genera malorum inciderint; quæ lõga oratione Apoſtolus hoc loco proſequitur, de quibus eſt ſermo in libro Sapientiæ, (Sapien. 14.) ex quo multa, quæ in hoc capite habentur, deſumpta ſunt ab Apoſtolo.

Q *Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.* Si ita eſt, (inquit Origenes) ergo non culpandi homines, ſi mala perpetrant, Deo ipſos tradente ad (Orig. lib. 1. c. 1. ad Ro.) hæc; Nam inquit. *Quomodo enim iuſtum erit, eum, qui traditur, quamuis pro peccatis tradatur, tamen ad concupiſcentias tradi, & ad hoc tradi, vt immunditijs, & concupiſcentijs afficiat corpus ſuum? ſicuti enim ei qui tenebris traditur ad pœnam, imputari non poteſt, quòd in obſcuro ſit; & qui igni traditur, culpari pro hoc ipſo non poteſt, cur vratur: ita qui traduntur deſiderijs, & immunditijs, vt contumelijs afficiant corpora ſua; non digne videbitur imputari, ſi in deſiderijs, & immunditijs poſiti, corpora ſua contumelijs maculent.* Cui dubitationi, plurimis interiectis, hanc tandem videtur Origenes dare reſponſionem: quòd, cum homo libero ſuo arbitrio derelinquit habitum virtutum, ingrediuntur vitia, quibus ſua culpa traditur, quoniam carnis concupiſcentijs adhæret. Auguſtinus autem in tract. pſal. 13. inquit: (Auguſt. in tract. pſ. 13.) *Quia fuerunt ſuperbi, & ingrati, digni habiti ſunt, qui traderentur in concupiſcentijs cordis eorum: quorundam enim peccatorum perpetrandorum facilitas, pœna eſt aliorum præcedentium.* Communis autem eſt interpretum expoſitio, ꝙ Deus tradat peccatores in reprobum ſenſum, vt faciant quæ non decent, quoniam ipſos ita merentes deſerit, gratiam illis ſuam non communicando. Et ſane Deus, vt habet Beatus Iacobus, (Iac. 1.) intentator eſt malorum; ſed relinquens peccatores inhiantes in propria ipſorum praua deſideria, ex quibus in alias, & alias iniquitates ſe præcipitant, id iuſte facit; quando ipſi hac praua voluntate feruntur, quam non impedit, aut tollit Deus, ne humanam diſſoluat naturam, quam creauit liberam. Atque ideo dicitur Deus tradere peccatores in flagitia, quoniam permittit illos ſuo libero arbitrio vtentes in peccata cadere, in quæ voluntarie ſe tradunt: & ob id quoque, quoniã in perpetrandis facinoribus operationes quædam concurrunt, quæ non fierent ſine Dei aſſiſtentia; veluti manum mouere in rapiendo aliena, vel in occidendo hominem: rebus ſiquidem omnibus, ſingulisque hominũ operationibus præſto ſemper adeſt Deus. Sed hoc tamen magnum eſt diſcrimen inter bona, & mala hominum opera, quòd bonorum operum Deus auctor, & promotor eſt; non cogens tamen, ſed prouocans, inuitans, & alliciens hominem ad ea libere, & ſponte ſua facienda, ad quæ ſimul concurrit cum ſua gratia Deus. In prauis autem operibus præit in homine mala volũtas, inhians ex ſeſe ad malum; cui voluntati non obſiſtens Deus; id cõfert, vt ſua aſſiſtentia, quæ viget vbique, peccator inclinet, prout vult, ad peragenda mala, quæ animi ſui pra-

ſui prauitate conceperit, & perpetrare ſtatuerit; quæ ſane abſque Dei permiſſu peccator non perficeret, quemadmodum neque omnino ſubſiſteret. Vnde vbi dixiſſet Apoſtolus: *Et ſicut non probauerunt habere Deum in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant quæ non decent:* poſtea ſubiunxit, *plenos omni iniquitate, & malitia, &c.* Ad denotandum, quòd eos tradidit in reprobum ſenſum plenos iam exiſtentes omni iniquitate; quaſi obſecundans Deus ipſorum prauæ voluntati ad mala inhianti. Ex quo maxime accommodata cognoſcitur vulgata noſtri interpretis verſio, qui in accuſandi caſu ita conuertit: *repletos omni iniquitate, & malitia*, prout, & græca lectio eandem in accuſatiuo locutionem retinet.

R *Qui cum iuſtitiam Dei cognouiſſent.* Variat hic lectio gręca a latina noſtri iterpretis: gręca enim ita habet: *οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ ἐπιγνόντες, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες, ἄξιοι θανάτου εἰσίν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι*, id eſt: *qui quidem cognita Dei iuſtitia, quòd qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolum ea faciunt, verum etiam conſentiunt facientibus.* Iuxta quam lectionem perſpicuũ eſt ſupponi, quòd qui ſceleribus, & vitijs prędictis obnixij ſunt, & contaminati, agnoſcunt dignos eſſe morte eos, qui talia agunt; & nihilominus tamen id agnoſcentes, nou ſolum ipſi faciũt mala, verum etiam cooſentiunt illis, qui eadem perpetrant; quoniam alios minus intelligentes, ſua auctoritate, & exemplo inducant ad eadem mala perpetranda: vel

Theodor. quoniam (vt inquit Theodoretus, adhærens prædictæ lectioni) *facientibus, & laudes contexunt, quod eſt deploratiſſimæ, & obſtinatiſſimæ malitiæ;* ſicuti infirmitatis eſt labi in peccata; ſed tamen illa, non quaſi recte facta comprobare. Interpretis autem lectio ita habet. *Qui cum iuſtitiam Dei cognouiſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Vbi apparet ſupponi, quòd qui perpetrant prędicta ſcelera, non intellexerunt, quòd digni ſunt morte, tum ſacientes illa, tum conſentientes facientibus. Et quamuis videantur hęc inuicem aduerſari, quòd qui cognoſcunt iuſtitiam, ſeu id, qnod iuſtum eſt apud Deum (nam gręce legitur *δικαίωμα*, quod Ariſt. in lib. quinto Ethic. iuſtum appellat) non intelligant, quòd qui talia perpetrant, digni ſunt morte, quando hęc eſt iuſtitia Dei, ſeu iuſta Dei conſtitutio, vt huiuſmodi ſceleſti homines morte puniautur: attamen (ſecundùm Ambroſium) dicendum eſt noo intelligi a nonnullis, quòd prędicta ſcelera ſunt digna morte: quoniam non ponant in animo, non aciem mentis in idipſum intendant, oppreſſi a prauis ſuis deſiderijs.

Ambr. c. 5. ita enim Ambroſius vulgatam ſequens lectionem habet. *Hi Dei notitiam cognoſcentes per legem naturæ (ſciuerunt enim hęc Deo diſplicere) ſed hoc in animo ponere noluerunt.* Cui expoſitioni fauere quo-

Sap. 14. que videntur, quę ſcripta ſunt in lib. Sapientię, vbi dicitur: *Dum enim confidunt in idolis, quę ſine anima ſunt, male iurantes noceri ſe non ſperant.* Item ibidem: *ſed & in magno verſantes inſcitiæ bello, tot & tam megna mala pacem appellant.* Illud autem, q non ſolum qui ea faciunt, digni ſunt morte, ſed etiam qui conſentiunt facientibus; iuxta hanc interpretationem, eum ſenſum habet, quòd & agentes dicta ſcelera, & eis conſentientes, pariter digni ſunt morte; iuxta illud vulgatum: agentes, & conſentientes pari pœna puniuntur.

PARAPHRASIS. CAP. II.

QVAPROPTER nulla excuſatione tueri te potes o homo, quicunque iudicas, vti cognitor veritatis; in quo enim iudicas alterum, te ipſum condemnas, eadem enim agis, quę mala eſſe iudicas. Scimus autem, quòd Dei iudicium (quod falli minime poteſt) eſt ſecundum veritatem aduerſus omnes illos, qui talia agunt. Illud autem tibi ſuades o homo, qui iudicas & condemnas aliorum ſcelera, & eadem committis, quòd effugies iudiciũ Dei? An vero diuitias bonitatis eius, & ſuſtinentiæ, & longanimitatis contemnis? ignorans quòd benignitas Dei eo tendit, vt te ad pœnitentiam inducat? Tu vero ſecundum duritiem tuam, & impœnitens cor tuum, theſaurum tibi accumulas irę, in die illa; irę, & vindicationi pręſcripta, in qua in vniuerſum genus humanum reuelabitur iuſtum Dei iudicium, qui reddet vnicuique ſecundum opera propria; ijs quidem collaturus vitam ęternam, qui ſecundum tolerantiam boni operis, gloriam, & honorem, & immortalitatem quęrunt: ſicuti contentioſis, qui non acquieſcunt veritati, parent autem iniquitati, expectanda eſt merito Dei indignatio, & ira, tribulatio, & anguſtia, quę manent omnem animam hominis operantis malum: Iudęi quidem primo, atq; pręcipue, vt cui, prę alijs, maior Dei cognitio, & bonitas prius eſt communicata; ſed & Gręci, id eſt, cuiusvis gentis hominum: gloria autem, & honor, & pax expectanda ab vnoquoque, qui bona operatur; in primis quidem a Iudęo, ſed & a Gręco, & cuiusvis gentis homine. Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum, quin vnicuique, iuxta propria opera, retributionem ſit daturus. Quicunque enim ſine lege a Deo ipſis pręſcripta peccauerunt, etiam ſine legis onere peribunt. Et quicunq; ſub lege poſiti, in ea peccauerunt; ijdem etiã, iuxta ea, quę ipſis pręſcripta ſunt in lege, iudicabuntur. Non enim qui legis tantummodo ſunt auditores, ij iuſti ſunt apud Deum: ſed qui ſunt factores legis, ij iuſtificabuntur. Etenim, quando Gentes, quę legem a Deo in ſcriptis traditam non habuerunt, natura duce, perfecerunt quę legis ſunt; ipſam quidem legem prędictam non habentes, ſibi ipſis exiſtunt lex, pręſeferentes in cordibus proprijs conſcriptum habere opus legis, quod ſectentur, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, nec nõ cuiusvis cogitationibus inter ſe alternatim, vel accuſantibus, vel defendentibus, vt neminem tam bona, quàm mala quę fecerit, latere poſſint in die illa, cum Deus abſcõdita hominum iudicabit, iuxta Euangelium meum per Ieſum Chriſtum mihi prędicandum demandatum. Si autem tu Iudęus, qui quoniam alijs Gentibus pręcellis religione, hinc

D Iudęus

Iudæus cognominaris, & quieſcis in lege, vagari nõ coactus ad perdiſcendam veram viam Domini, & gloriaris in Deo, vt qui tibi excelſiora bona præſtiterit, quàm alijs nationibus, noriſque, quod ipſi eſt beneplacitum, ac diſcernis, probaſque præſtantiora, vt inſtructus a lege, hincque tibi perſuades, & aſſumis ducem te eſſe cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris ignorantiæ verſantur, eruditorem inſipientium, & magiſtrum infantium, vt qui formam obtineas cognitionis, ac veritatis ex lege. Tu igitur, qui tot, ac tam præclaris a Deo donatus es beneficijs, qualem tandem te ipſum præſtas? Qui igitur alium doces, te ipſum non inſtruis? Qui prædicas non eſſe furandum, tu furaris? Qui dicis non eſſe mœchandum, mecharis? Qui abominaris idola, ſacrilegium committis? Qui que gloriaris, ac te ipſum magnificas propter legem acceptam a Deo, trãſgreſſione legis Deum inhonoras? Nomen enim Dei (vt ſcriptum eſt apud Eſaiam) propter vos apud Gentes blaſphematur, quod praua perpetratis, qui forma optime viuendi alijs eſſe deberetis. Etenim ipſa circuncisio in carne facta prodeſt, ſi legem obſeruas; ſi autem es præuaricator legis, circuncisio tua præputium effecta eſt. Si igitur præputium iuſta legis dogmata obſeruauerit; non ne præputium ei pro circunciſione reputabitur? atque ita vir obtinẽs præputij naturam, legem adimplens, atque perficiens, iudex tui euadet, qui iuxta litteram, atque circunciſionem præuaricator legis deprehenderis. Non enim ex eo, quod extrinſecus apparet, fit vt Iudæus ſit quiſpiam, qualis vere eſſe debet; neque in eo, quod conſpicitur in carne mutilata, poſita eſt vera circuncisio; ſed qui iuxta veram rationem latentis animi vitam tranſigit, is vere Iudæus cenſendus eſt; ipſaque cordis (ex quo omnia tum bona, tum mala procedunt) vera circunciſio ſtatuẽda eſt; quæ, non iuxta litteram, ac verba legis in carne perficitur: ſed ſecundum ſpiritum indecentia abhorrentem conſummatur: cui veræ circunciſioni laus quoq; a Deo emanat, qui intima cordis ſcrutatur; & non ab hominibus, quorũ iudicia (vt quę conſpiciãt tm̃ ea, quæ extrinſecus apparẽt) labi facile poſſunt.

Editio vulgata.

Ropter quod inexcuſabilis es o homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, te ipſum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas. Scimus enim, quoniam iudicium Dei eſt ſecundum veritatem in eos qui talia agunt. Exiſtimas autem o homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius. Iis quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt vitam æternam; ijs autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio, tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum, & Græci; gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco; non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum. Quicunque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt, & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quę legis ſunt, faciunt: eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium, in die, cum iudicabit Deus occulta hominum, ſecundum Euangelium meum per Ieſum Chriſtum. Si autem tu Iudæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo, & noſti voluntatem eius, & probas vtiliora inſtructus per legem, confidis te ipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ, & veritatis in lege. Qui ergo alium doces, teipſum non doces? qui prædicas non furandũ, furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, ſacrilegium facis? qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras? (Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter Gentes, ſicut ſcriptum eſt.) Circunciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues: ſi autem præuaricator legis ſis, circunciſio tua præputium facta eſt. Si igitur præputium iuſtitias legis cuſtodiat: nonne præputium illius in circunciſionem reputabitur? & iudicabit id, quod ex natura eſt præputium, legem conſummans, te, qui per litteram, & circunciſionem præuaricator legis es? Non enim qui in manifeſto, Iudæus eſt, neque quæ in manifeſto, in carne, eſt circunciſio; ſed qui in abſcondito, Iudæus eſt, & circunciſio cordis, in ſpiritu, non littera: cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.

ADNOTATIONES.

Ropter *quod inexcuſabilis es o homo, omnis qui iudicas.* Auguſtinus in Epiſt. ad Sixtum præsbiterum, *illos ſcriptura dicit inexcuſabiles, quos non latet veritas, & in eis perſeuerat iniquitas.* Quales ſunt, quos hic taxat Apoſtolus, quoniam optime dignoſcentes, quæ non eſſent agenda, attamen ea perpetrant; vnde omnino ſunt inexcuſabiles. Quæ ſententia (vti inquit Origenes) ad eos maxime pertinet, qui præſunt iudicijs populorum. Vnde percutit illos omnes, qui præclarius, quàm alij, agnoſcentes veritatem, non tamen ſecũdum eam ambulant, ſed peruerſe ſe gerunt: tum illos, qui lumine naturali, (iuxta dicta in capite præcedenti) alios antecelluerunt in notitia veritatis; tum illos, qui in lege Moſaica cæteris intellectiores extiterunt; velut erant Rabini; de quibus eſt ſermo in hoc capite: tum illos denique, qui adamuſſim legem Euangelicam iam propalatam ſecũdum omnia dogmata tenent, vti ſunt præſtantes Theologi. Quocirca & varij etiam gradus aderunt punitio-

A

Auguſt. ad Sixt Præsb. epiſt.105.

Orig. lib.2. c.2. ad Roman.

nitio-

nitionis; adeo quòd non ita grauiter ſunt plectendi, qui contra veritatem lumine tantum naturali agnitam peccauerunt; vti illi, qui, præter hanc notitiã, ex lege quoq; illis diuinitus data per Moyſem, quam Iudæi acceperunt, vberius quoque lumẽ veritatis accipientes, ac Dei voluntatem præclarius agnoſcẽtes, nihilominus tamen vltronei contra diuina præcepta ierint. Sed maximam illi (inter omnes) punitionem patientur, qui poſt publicatum Euangelium, poſtque ſuſceptam fidem Chriſti, ac Dei notitiam habitam, non mutam illam quidem, vti ante legem, neque vmbratilem, ſicuti in lege veteri, ſed claram, & apertam, nihilominus tamen
Hebr. 10. filiũ Dei (vt dicit Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos) conculcauerint, ac ſanguinem teſtamenti pollutum duxerint, in quo ſanctificati ſint, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerint. Quod etiam inſinuaſſe
1. Petr. 4. B. Petrus videtur dum dixit: *tempus eſt vt incipiat iudicium a domo Dei:* quaſi innuens, quòd grauius exercebitur iudicium cum ijs, qui familiarius quodam modo Deum cognouerint, quàm cum alijs. Vnde cenſendum eſt, hanc epiſtolam non ſolum Romanis, ſed cuique hominum nationi ſcriptam fuiſſe; cum per ipſam vniuerſo generi humano teſtetur Apoſtolus, nullo vnquam tempore, vel ante legem, vel ſub lege, ac multo minus poſt publicatum Euangelium, eam defuiſſe notitiam, qua dignoſci potuit, quæ agenda, vel quæ fugienda forent; vt propterea nemo ſe poſſit excuſare ignorantiæ prætextu ab illis operibus malis, quæ volens perpetrarit: quãdo (vt dixit Apoſtolus in hoc cap.) vniuſcuiuſque propria conſcientia aduerſus vnumquemq; ſit reclamatura, ipſumq; condemnatura; ea tamen lege, vt in vnoquoq; ſtatu temporis, quicunq; maiorem notitiam veritatis obtinuerint, ac ſimul deliquerint; maiori quoque ſupplicio ſint puniendi.

B *Iudicium Dei eſt ſecundum veritatem.* Solus
Orig. lib. 2. ca. 2. ad Ro. Deus (vt inquit Origenes) nouit quæ fiunt ab homine, & qua mente, ita vt nil ipſum lateat. Vnde Dei iudicium abſolute eſt ſecundum veritatem, hominum autem iudicium fallax eſt, cum ipſis multa poſſint eſſe abſcondita, vnde a recto Iudicio promẽdo longe aberrare poſſunt.

Theod. C *Theſaurizas tibi iram:* Vt ait Theodoretus, nullum noſtrũ vel dictũ, vel factũ eſt obliuioni mandatũ; vnde boni operatores cõgerunt ſibi theſaurũ bonorũ operum; mali autẽ malorum in die illa; quando Deus iudicabit mundum; prout quiſque geſſerit vel bona, vel mala.

D *Qui reddet vnicuique ſecundum opera eius:* Hoc
Matt. idem dixit dominus apud Matt. *Filius enim hominis venturus eſt in gloria patris ſui cum Angelis ſuis; & reddet vnicuique ſecundum opera eius:* vt hinc intelligamus, nullum eſſe genus hominum, quorum actiones, vti profectæ ab eius libero arbitrio, non ſint perpendendæ, & iuxta diuinum iudicium vel condemnandæ, vel cohoneſtandæ. *His quidem, qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & immortalitatem quærunt, vitam æternam.*
Oecum. Ambr. Duplicem interpretationem hęc verba receperunt, alteram, quæ eſt in Comment. Oecumenij & Ambroſij; nempe, quòd Deus reddet gloriam, & honorem, & incorruptionem ijs, qui quærunt vitam æternam. cui expoſitioni fauere uidentur, quæ Paulò poſt ſubduntur; *Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum.* Alteram ſequitur Chryſoſtomus, Theophylactus, & Origenes, quòd Deus reddet vitam æternam ijs, qui quærunt gloriam, & honorem, & incorruptionem. cui interpretationi magis etiam aptari videntur verba grçca quæ ita habẽt; *τοῖς μὲν καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ δόξαν καὶ τιμὴν, καὶ ἀφθαρσίαν ζητοῦσι ζωὴν αἰώνιον* vbi apparet, articulũ ipſum, τοῖς, cõiungi huic dictioni ζητοῦσι: & iter hęc, includi hęc alia verba, *per ſuſtinentiam boni operis, gloriam, & honorem, & immortalitatem:* vt hinc inſinuetur, quòd quærentibus gloriam, & honorem, & immortalitatem per ſuſtinentiam boni operis, Deus eſt largiturus vitam ęternam. Neque uero refert, quòd poſtea promittantur ex Apoſtoli uerbis, gloria, & honor, & pax omni operanti bonum. ſiquidem hęc omnia ſimul manent cum vita ęterna, vt vbi hęc ſint, pręſto ſit & illa; & e conuerſo. Vnde utraque expoſitio, Apoſtoli propoſito admodum eſt accommodata. Chryſ. Orig. Theoph.

E *Iudæi primum, & Græci.* Gręcus hic intelligitur cuiuſvis nationis homo, ſeiunctus a Iudęo, qui legẽ a Deo ſcriptam habuit. Et de utroq; genere hominum tum Iudęorum, tum Gręcorum, ſeu Gentium loquitur Apoſtolus (ſecundum Theodoretum) ſeorſum a lege Euangelica; vti de illis, qui Theodor. nondum Chriſti fidem ſuſcepiſſent: iuxta quam, (vt dicitur in epiſtola ad Gal.) non eſt diſcrimen Gal. 3. inter Iudęum, & Gręcum, ſed omnes vnum ſunt in Chriſto. Primas autem tradit Apoſtolus Iudęo, tum in damnatione, tum in remuneratione. Et Chryſoſtomus, hunc locum interpretans, animaduertit comparationem hic haberi inter Iudęum Chry. ho. 5. lege ſcripta cumulatum, & inter Gentilem nõ idolatram, ſed recta ratione vtentem; qualis fuit Iob, Melchiſedech, & Niniuitę: nulla interim de Euangelio habita mentione, Quòd ſi non eſt excuſabilis Gentilis, (vt inquit Chryſoſtomus) qui, cum eum, & creatura, & cogitationes inducerent, melior tamen non euaſit, multo minus Iudęus, redditur excuſabilis; qui, pręter hęc, legis quoque doctrinã obtinuit, & tamẽ perperam ſe geſſit. Vnde multo maiori pœna plectendus erit Iudęus malorum perpetrator, q̃ Gentilis: iuxta illud dictũ domini de Iudęis apud Mat. ꝙ tolerabilius erit Sodomę in die Matt. 11. iudicij, quàm eis. Verũ & e cõuerſo, iuxta hãc Chryſoſt. interpretationẽ, videretur quoq; dicendũ, quòd Iudęus comparatus Gentili in operatione bonorum operum, potiores ſit obtenturus partes in regno Dei, quàm Gentilis. Quod videtur Apoſtolus inſinuare: qui cum prius dixiſſet, *Tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum: Iudæi primum, & Græci.* poſtea de retributione bonorum operum ediſſerens, ita ſubiunxit. *Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudęo primum, & Græco.* Accedit, quòd ſicut Iudęus perperam ſe gerens, magis plectendus erit, quàm Gentilis, ita quoque bene operans Iudęus maiori gloria ornandus videtur quàm Gen-

tilis, tum, quoniam, vt magis inſtructus de Dei beneplacitis, maiora etiam obſequia aptus erat præſtare Deo quàm Gentilis; tum etiam quoniam arctiori vinculo, legis obſeruatione inſeruiens Deo, hinc quoque, ex Dei beneplacito, magis mereri apud Deum poterat: quemadmodum etiam ex communi Theologorum ſententiis, opus magis meritorium præſtari ab eo cenſetur, qui ex uoto aut ieiunat, aut pſalterium recitat ob actum obligationis, cui voluntarie ſe ſubiecit; quàm ab eo, qui, citra huiuſmodi obligationem, & uotum, hęc eadem pręſtet. Vnde dicit Apoſtolus in hoc capite, quòd circunſio prodeſt, ſi lex ſeruetur. Hęc enim obedientia, in pręceptis etiam ceremonialibus ſeruandis, accedens ad mandatum diligendi Deum, & proximum, vt lex ſtatuit, gratiorem quoque poterat reddere Deo Iudęum, quàm Gentilem, qui ab eiuſmodi obligatione legis ſolutus, Deum ſimplici tantum quadam bonitate diligeret, neque proximum lęderet. Quemadmodum etiam per legem Euangelicam, longe etiam perfectiora pręcepta a Chriſto fidelibus ſuis, ſunt iniuncta; quorum obſeruator iure merito maiorem coronæ gloriam a iuſto iudice Deo expectabit. Neq; enim illud ignotum eſt, quòd qui omnia ſua bona diſtribuerit pauperibus, & Chriſtum ſit ſequutus, is potiorem apud Chriſtum manſionem obtinebit: quam alij, qui hæc non præſtiterint: idemque maiori etiam gloria ornabitur, ſi ei contigerit, pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum etiam effundere: pro vt illud quoque conſtat, quòd paruuli, qui deceſſerint cum baptiſmo abſq; ulla propriorum operum functione, non ea laureola decorabuntur, qua illi, qui legitime propria virtute certauerint aduerſus diaboli, mundi, & carnis tentationes. Quæ beatorum, vel damnatorum diſcrimina, citra omnem perſonarum acceptionem, ſtatuentur a Deo iuſto iudice in illa die, qua vniuerſus mundus eſt iudicandus, ita vt melioribus melior quoque retributio reddatur; peioribus autem grauior pariter condemnatio.

F *Quicunque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt.* Cum dicat hoc loco Apoſtolus, quòd, qui ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt, & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur; hoc fauet præhabitæ expoſitioni; in qua dictum eſt, Iudæo primas tribui, præ Gentili, tam in condemnatione, quàm in retributione operum. ſiquidem, dum dicitur quòd qui ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt, hinc innuitur quòd nulla multa his ſit iniungenda propter legem non ſeruatam, quam ſoli Iudęi acceperunt ſcriptam per
Gr. Schol. manum Moyſi; atque ita mitius (vt dicunt Græca ſcholia) cum illis agetur, qui legem hanc non habuerunt, quàm cum Iudęis, qui grauiori ſupplicio plectendi erunt: vti illi, quibus per legem maior Dei cognitio fuit communicata; vnde maiori etiã bonorum retributione donandi, qui legis obſeruauerint mandata. Verum oritur difficultas, ex eo, quòd dicat Apoſtolus, quòd qui peccauerunt ſine lege, peribunt; illi autem qui in lege peccauerunt,
Augu. in pſ. per legem iudicabuntur; quaſi vero hi non eſſent
52. Con. 25. perituri. Vnde Auguſtinus in tract. pſ. 1 8. impugnat illorum interpretationem, qui cenſebant, peccantes in lege fore iudicandos, quaſi non perituros, ſed purgandos tantum per ignem: iuxta ea, quæ habentur in Epiſt. ad Corint. de igne purgatorio. At 1. Cor 3.
inquit ipſe: *Si Iudęi extra fundamentum fidei extitere, vt qui non crediderunt Chriſto, quomodo iuxta dicta in loco citato ad Corint. non peribunt? ſi non ędificauerunt ſuper fundamentum, quod eſt Chriſtus? & quomodo verum eſſet dictum a domino apud Matt.* Matt. 11.
quòd mitius agetur cum ſodomitis, quàm cum Iudęis? Et illud. *Quod habetur apud Luc. quòd ſeruus neſciens* Luc. 12.
voluntatem domini, & facit digna plagis, vapulabit pauca; ſeruus autem qui ſcit uoluntatem domini, & facit digna plagis, vapulabit multa. Et in hanc eandẽ ſententiam plura habet Auguſtinus in lib. de Gra. & lib. arbit. Aliqui, inter quos Theophylactus, ex- Theophyl.
plicãs hanc vocem, *iudicabuntur;* inquit; *id eſt, condẽnabuntur;* iuxta illud apud Ioan. & *qui mala egerunt, ibunt in reſurrectionem iudicij,* per quod certe Ioan. 5.
condemnabuntur. & ſane, ſi propter peccata tradendi ſunt morti Gentiles, ergo etiam qui in lege peccauerunt, poſiti ſub lege Moyſi, & in ea iudicati, morti tradendi erunt: ſed diſtrictius iudicium cum his agendum eſt ad typum legis, vt inquit Origenes. Nam cum Iudęis penes ipſorum dicta; Orig. lib. 2.
facta, vel cogitata res agetur tanquam in foro, vt c 2. ad Romano.
inquit Theophylactus, iuxta legem acceptam, quæ Theophyl.
ſtabit contra ipſos; vt ita grauioribus ſupplicijs ſint plectendi, quàm illi, qui legem hanc ſcriptam non habuerunt.

G *Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* Hanc Apoſtoli ſententiam Chryſoſtomus & Theophylactus referunt Chryſoſt.
ad legem Moyſi, & ad ſolos Iudęos; vt qui ſuppo- Theophyl.
nant fieri hoc loco comparationem inter Gentes viuentes ſine legę ſcripta, & Iudęos gloriantes de hac lege. Verum quæ ſubiungit Apoſtolus de Gentilibus, qui non habentes eiuſmodi legem, & facientes naturaliter ea, quæ legis ſunt, ſibi ipſis ſunt lex, & oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ipſorum, facile inſinuant eandem ſententiã Gentilibus quoq; accõmodari, vt factores legis & ipſi eſſe dicantur. Cui expoſitioni videtur adhęſiſſe Augu- Aug. lib. de
ſtinus in lib. de ſpiritu, & littera: vbi diſputans circa ſp. & lit. ca.
verba Apoſtoli, hanc poſt longum tractatum affert 24.
interpretationem; quòd Gentes, quę dicuntur ab Apoſtolo, quòd faciunt ea, quę legis ſunt, & opus legis ſcriptum habent in cordibus ſuis, poſſunt eſſe illæ, quę pertinent ad nouum Teſtamentum: de quibus apud Ieremiam dictum eſt a Domino, leges Ierem. 31.
ſe ſcripturum in cordibus eorum. Neque vero, ait, Hebr. 11.
inconueniens eſſe, quòd ij dicantur ab Apoſtolo facere naturaliter ea, quæ legis ſunt, & non ſpiritu Dei, non gratia, non fide: *Nam per ſpiritum gratiæ* (inquit Aug.) *imago Dei, in qua naturaliter facti ſumus, inſtauratur in nobis, ſanando vitium, quod eſt in nobis contra naturam; quo ſanato, atque ita reparata natura per gratiam, qui talis erit; poterit dici, quòd naturaliter, hoc eſt, ſecundum naturalem priſtinum rectum ſtatum, in quo homo creatus eſt, agat, quæ ſunt legis.* Idem etiam in loco citato eandem ſententiam accommodat Gentibus, quas impias

ſupponit,

ſupponit, & non veraciter, iuſteq; colentes Deum verum; quorum aliqua opera talia extitiſſe aoimaduertit; vt (iuxta iuſtitiæ regulam) non vituperanda, ſed potius laudãda forent quodam modo; ſed non abſolute, ſi diſcutiantur, quo fine ſint facta. Hæc Auguſtious. Verum quòd de Gentibus, quibus nondum eſſet reuelatũ Euangelium, hoc loco Apoſtoli ſit ſermo, teſtatur omnes interpretes, & Apoſtoli verba id inſinuant: cum dicit, *Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter faciunt, quæ legis ſunt*. Vnde proprie intelliguntur illi, qui lumine naturali id agunt: ſiquidem, ob vitium contractum ex peccato primi parentis, noo ita in anima humana deleta eſt imago Dei, quin io ea ſcriptum remaneat, quid aut agere, aut cauere conueniat. Et cum hæc Apoſtoli enunciatio; *Si Gentes naturaliter faciunt ea, quæ legis ſunt, ipſi ſibi ſunt lex*, ſit abſoluta, & non ad aliquid limitans opera Gentium, quin ad regulam legis expleantur: Idcirco exactius conſiderandum eſt, quonam modo de Gentibus, quibus oondũ eſſet reuelatum Euangelium, vere hoc dici potuerit, quòd legis factores eſſent, aut eſſe potuerint. Perpendenda ſuot igitur, quæ leguntur apud Luc. de illo legis perito, qui tentans Dominum, dixit ei. *Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo? at ille dixit ad eum, in lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis? ille reſpondens dixit: diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex tota mente tua, & proximum tuum, ſicut te ipſum; dixitq; illi, recte reſpondiſti: hæc fac, & viues*. Ex his igitur patet, ꝙ factores legis ſunt, qui Deum & proximum diligunt: qui autem hæc præſtiterit, omnia alia præcepta legis adimplebit, non faciendo mala, neque illicita concupiſcendo. Atqui, cum lumine naturali (prout in cap. 1. explicauimus eſt) Deus cognoſci poſſit ab homine, quòd ſit diligendus, & a natura pariter ſit ea inſita cognitio in anima rationali, vt quæ quiſque ſibi velit, eadem præſtare habeat erga proximum ſuum (quod & hoc loco Apoſtolus inſinuauit ioquiens, *Ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium*:) Hinc igitur inferẽdum, quòd ad Deum diligendum, & proximum (ſicoti lex ſcripta præſcribit) induci homines, ex communi gratiæ diuioæ influxu, naturali lumine potuerunt; cui qui obſequentes extitiſſent, a Deo auxilio quoque ſpeciali ſuffulti fuiſſent, vt hæc præſtare poſſent. Siquidem benigous eſt Deus, & ita ſalutis noſtræ ſtudioſus, vt ad ſupponeodam nobis manum miſericordię ſuæ ſit, fueritq; ſemper paratus, nuſpiam hominem deſtituens auxilio opportuno; dummodo noſtram nos voluntatem alacriter ei offeramus: quod potiſſimum ex eo patuit, quãdo filium ſuum morti tradidit pro redemptione noſtra.

Eph. 2. At (inquiet aliquis) qui fieri poteſt (cum omnes naſcamur filij iræ) vt ex operibus noſtris gratiam Dei promereamur? Cui dubitationi reſpondentes dicimus; quòd Deum diligere, vti lex præcipit, id ipſum ſupponit, hominem accedentem ad Deum, & eius prouidentiæ ſe ſubmittentem: quod dum facit, iam vt in Deum credat oportet; ac Dei pariter auxilium imploret: Vnde fides præcedit, quam Deus acceptat, & adſcribit ad iuſtitiam; vt qui propitius ſit omnibus, qui quærunt, & inuocant nomen eios: omnis enim quicunque innocauerit nomen domini ſaluus erit; vt dicitur apud Ioel. Vnde, Ioel. 2. cum dixit Apoſtolus, quòd factores legis iuſtificabuntur, ſuppoſuit hominem habentem fidem in Deum: iuxta quam fidem legis præcepta impleantur, vt ita conſummatam iuſtitiam ſuppoſoerit; fidem nempe, quæ per dilectionem operatur: ſicut etiam B. Iacobus intellexit, dum dixit. *Eſtote factores verbi, & non auditores tantum*: Et Auguſtinus hunc locum ad eundem ſenſum explicauit in lib. de ſpiritu, & littera: vbi concludit, factores legis iuſtificari, vt qui prius ex fide ſint iuſtificati: qui deinde adimplendo legis mandata, magis adhuc iuſtificantur: iuxta illud Apoc. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc*: Concludendom eſt igitur, quòd Gentes, quibus nondum reuelatum eſſet Euangelium, potuerunt, duce natura (noo abſque tamen ſpeciali Dei auxilio) quæ legis ſunt facere: vt qui ſibi ipſis eſſent lex, quam in cordibus ſcriptam haberent, & obſeruare ſtuderent. Vnde iuſti cenſendi fuiſſent, ſi tales ſe præſtitiſſent, qualis fuit Noe, Melchiſadech, Iob, & Niniuitę: quibus tamen Dei recoociliatio non niſi per gratiam Dei, & per merita Ieſu Chriſti explicite, vel implicite cogniti condonata fuit; quod neceſſe eſt omnibus, qui ſalui ſint futuri. Quòd ſi dominus diceos per Ierem. Ierem. 18. ſcripturum ſe legem in cordibus hominum, inſinuauit legem Euangelicam, quam credeotes in Ieſum Chriſtum eſſent ſuſcepturi; id in eam ſententiam dictum eſſe cenſendum eſt, vt oſtenderet, ꝙ per dona Spiritus Sancti diffuſurus eſſet io cordibus hominum charitatem, qua ex corde ſibi inſeruirent: a qua lege aberant longe quàm plurimi ex Iudæis; de quibus iure dici potuit, quòd eſſent legis auditores, & non factores. Qui autem ſtuduerunt ducti lumine naturali (nõ ſine tamen Dei auxilio, quod ſemper eſt paratum ijs, qui inuocant oomen eius) Deum colere, & proximum diligere, in ipſorũ cordibus legem Dei eatenus conſcriptam fuiſſe dicendum eſt, quatenus animum adhibuerunt, & cor promptum habuerunt ad ea implenda, quę ex lege naturali ipſis præſcribebantur, aut agenda, aut omittenda. Intereſt autem plurimum inter priorem, atque poſteriorẽ hominum ſtatum. Quoniam ante cõſummatã Chriſti paſſionem, & reſurrectionem, & ante publicatum Euangelium, vtique non ea omnia dona, oeque tam inſignia, aut diuinæ cognitionis, aut Spiritus Sãcti animos fideliom corroborantis communiter cordibus hominum infundebantur, quæ poſt Chriſti conſummationem credentibos in ipſum ſunt communicata. Dicitur autem lex ſcripta in cordibus: quoniam (vt exponit Origenes) rationalis animæ virtus cor ſolet Orig. lib. 2. c. 2. ad Roman. appellari. idque propterea quòd vis animæ maxime viget in corde, vt dicunt Philoſophi.

Iac. 1.

Auguſt. lib. de ſpi. & lit. cap. 24.

Apoc. 22.

Luc. 10.

Quòd autem attinet ad dictum Apoſtoli, quòd Gentes facientes quæ legis ſunt, habeot ſcriptum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

opus legis in cordibus eorum; id intelligendnm eſt quo ad mandata legis, quibus præcipitur vt Deus diligatur, ac proximus; non autem quo ad illa cerimonialia, quæ continebant circuncifiooem, ſacrificia, lauacra, dierum atque ciborum obſeruationem, & alia huius generis, quæ certe in cordibus Gentilium ſcripta oon erant, neque eſſe poterant; cum ex ſpeciali iure poſitino Hebræis tãtummodo impoſita fuerint a Deo; & non penderent ex lege naturali, quæ communis eſt omnibus hominibus.

Quòd autem ſub futurum tempus dictnm ſit, ꝙ factores legis iuſtificabũtur; hinc ſignificatur quòd ad bona opera conſequitur iuſtificatio, ſeu iuſtificationis combrobatio. Aut etiam inſinuatur dies iu- Roman. 2. dicij vniuerſalis; io qua (vt dictum eſt antea) reddet Deus vnicuique iuxta opera ſua: & tunc præclarius conſtabit de vniuſcuiuſq; iuſtificatione, & ſanctitate. Vnde & ad Corint. ſcribeos Apoſtolus 1. Cor. 4. inquit. *Nolite ante tempus iudicare, quo ad vſque veniat dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique a Deo:* ad quam diem etiam pertinet 1. Theſſ. 5. illud ad Theſſ. *Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela in aduentu domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur.* Cum vero dictum ſit ab Apoſtolo, ꝙ factores legis iuſtificabuntur, ſupponendum eſt, ipſum intellexiſſe; quòd iuſtificentur apud Deum; ſicuti prius dixerat, quòd auditores legis non ſunt iuſti apud Deum, vt ſermo vtrobique ſit ſibi coo formis, pertioens ad iuſtitiam, quæ apud Deum commendatur. Dubitatio autem illa oon mediocris, quæ exurgit ex eo, quòd hæc ſententia, *factores legis iuſtificabuntur*, aduerſantem habere videatur illam aliam ſequentis capitis, quòd ex *operibus legis non iuſtificabitur omnis caro*, commodius infra diſcutietur.

H *Gentes, quæ legem non habent*; nempe ſcriptá, illam Moyſi, quæ ipſis non fuit tradita; non tamen ſunt ſine lege, quæ ſcripta eſt in cordibus cuiuſque; qua cognoſcitur, tum quòd Deo eſt adhęrendum cum omni veneratione; tum quòd proximo oon eſt inferendum malum, quo quiſque carere cupiat; ſed bonum, quod quiſque ſibi cupit. & quicunque hanc legem obſeruant; ipſi ſibi ſunt lex: propterea quòd ipſi met ſibi præſcribunt hanc rectam viuendi rationem, quæ a lege præcipitur; ſicuti nolentibus bene viuere, lex ſcripta imponitur, vt timore pœnę coerceantur a malo. Quibus autem lex extrinſecus imminet, atque præcipit, eoſq; a peccatis coercet ſuppliciorum minis; ij non ſunt ſibi ipſis lex; cum ex proprio propoſito a recta viuendi ratione abhorreant; ſed ipſis (vti dicitur in Epiſt. ad 1. Tim. 1. Tim.) poſita eſt lex; quoniam ſunt præuaricatores, & malefactores. Non eſt autem ad hunc modum poſita lex iuſto, vt qui non recedit a malo ob metum pœnarum, vti malefactores; ſed, quoniam ita decet agere, ideo ſtatuit apud ſe recte viuere, & incedere iuſte apud Deum. Cum autem teſtetur Apoſtolus, legem prædictam naturaliter ineſſe hominibus, & quòd ex teſtimonio proprię conſcientiæ vnuſquiſque & accuſari, & defendi poteſt de omnibus, quæ aut bene, aut male geſſerit, hinc colligi poteſt, in quoque ſtatu mundi homines potuiſſe vel condemnationem ſibi mereri, ſi perperam ſe geſſerint contra inſitam legem oaturalem in cordibus cuiuſque ſcriptam; vel etiam iuxta hanc legem naturalem bene ſe gerentes, præparari ad gratiam Dei ſuſcipiendam; dum ſe ſubijcerent Diuinæ prouidẽtiæ, quæ bonã in homine mentem numquam deſtitutam relinquit opportuno auxilio. Conſcientia autem, de qua eſt ſermo, ex ipſamet inſita lege pendet; dum per eam conſcius ſibi redditur homo vi rationis, qua præditus eſt, quòd vel bene, vel male egerit. Vt enim (inquit Origenes) *Conſcientia ſpiritus eſt, vt pædagogus, & rector animæ ſociatus, vt eam de melioribus doceat.* Orig. lib. 2. c. 2. ad Roman. Tria autem munera conſcientiæ tribuuntur. Vnum, vt per ipſam oobis rememorantem cognoſcamus quæ geſta ſint a nobis; Vode filij Iacob in Aegipto poſt Gen. 42. annos viginti duos, tanquam ſibi ipſis conſcij, rememorati ſunt facinoris, quod commiſerant vendendo Ioſeph fratrem ſuum Iſmaelitis. Alterum, vt diſcernamus quid nam ſit faciendum, vel omittendum. Tertium autem, vt iudicemus quid bene, quidue male a nobis ſit ſactum.

I *Cum iudicabit Deus occulta hominum ſecundum Euangelium meum per Ieſum Chriſtum.* Sunt qui lectionem ita ordinandam cenſent, quòd Deus iudicabit abſcondita in cordibus hominum per Ieſum Chriſtum, vtpote eum, cui omne iudicium dedit Ioan. 5. pater: quod & ſi certiſſimum ſit, attamen Theophylactus, Theophyl. noo mutata ſerie verborum, ſic eſt ea interpretatus: *ſecundum Euangelium meum per Ieſum Chriſtum*, id eſt, ſecundum Euangelium per Ieſum Chriſtum mihi demandatum.

K *Circunciſio quidem prodeſt*. Perſeuerat Apoſtolus in conſideratione ſtatus legalis ſeorſum a lege Euangelica, vt palam faciat, quòd extrinſecæ obſeruationes legis, inter quas primum locum tenet circuncifio, non proſunt ad iuſtificandum hominem, niſi lex ſeruetur, iuxta præcepta diligendi Deum, & proximum. Vnde dicit, quòd circunciſio prodeſt, ſi ſit coniuncta obſeruationi legis. Et ſane prodeſt, ob obedientiam hinc præſtitam Deo; dum Iudæus, iuxta mandatum Dei, pateretur mutilationem io carne præputij: non autem quòd opus hoc circunciſionis ex ſeſe poſſet hominem iuſtificare, cum id ſolum obtineatur per Chriſti fidem charitati coniunctam, vt dicitur in epiſt. ad Galat. *Nam in Chri-* Gal. 5. *ſto Ieſu, neque circunciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur:* Hæc autem fides ex Chriſti mandato apud Matth. *qui* Matt. vlt. *crediderit, & baptizatus fuerit, &c.* ſupponit baptiſmi gratiam conferentis ſuſceptionem. Et hæc reſpondent ijs, quæ habentur in hoc cap. dum inquit Apoſtolus; quòd circunciſio, *quæ eſt in manifeſto*, in ipſa ſcilicet carne, non eſt vera circunciſio; ſed illa, quæ eſt cordis circunciſio ad ſpiritum attinens, non ad litteram legis; quæ carnalem præcipit circunciſiooem, vt per hanc innuatur ſpiritualis in corde circunciſio, quam Deus a Iudæis exigebat. Nam (vt inquit Origenes) circunciſio, cui ſubnectitur vniuerſæ legis obſeruatio, vt dicitur in epiſt. Orig. lib. 2. c. 2. ad Roman.

ad

[Gal.5.] ad Galat. pręcepta Iudęis ad diſcernendum hunc populum ab alijs, ſignificabat illis pręcipue amputationem vitiorum, quam habere oportebat, vt Deo grati eſſent; ſed id tamen non niſi ob fidem Chriſti conſequi poterant: cuius fidei ſignaculum erat circuncifio facta in carne, ad ſignificandum, (vt ait [Aug.tract. Pſal.75.] Auguſt. in tract. pſalm.75.) circuncifionem cordis propter fidem habendam in Chriſto; cum verus Iudæus ſit, qui corde obtinet circuncifionem, vt hoc loco habet Apoſtolus, & loco citato declarat Auguſtinus. Iudæus enim populus electus effectus eſt ex circuncifione, quæ illi impoſita fuit ad ſignificandam liberationem per Chriſtum faciendam in ijs (qui credunt in eum) a macula originali ex delicto primi parentis in genus humanum propagata; idque per carnis præputij mutilationem innuitur. [Tho.Aqui.] Vnde Sanctus Thomas in quęſt.70. 3.par.ſummæ, artic.4.concludit, quòd *in circuncifione conferebatur gratia, non ex virtute circuncifionis, ſed ex virtute fidei paſſionis Chriſti, cuius ſignum erat circuncifio, ita ſcilicet quòd homo, qui accipiebat circuncifionem, profitebatur ſe ſuſcipere talem fidem, vel adultus pro ſe, vel alius pro paruulis*. Et ſubiungit, Abraham ſuſcepiſſe ſignum circuncifionis, ſignaculum iuſtitię fidei; vt ait Apoſtolus infra. *Quia ſcilicet iuſtitia erat ex fide ſignificata, non ex circuncifione ſignificante*. Nomen autem Iudęi, a Iuda vno ex filijs Iacob proceſſit; de cuius Tribu fuit Rex Dauid: poſt quem, reprobato Saul, continuauit ex eadem ſtirpe Iudę regnum Iudęorum vſque ad Aduentum Meſſię, ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius regnum manet in ęternum.

PARAPHRASIS. CAP. III.

QVA igitur in re præcellit Iudæus alijs nationibus? aut quæ vtilitas ex circuncifione ei emanauit? Multa quidem per omnem modum; ſed præcipue in hoc apparet, quòd genti Iudęorum credita ſunt eloquia Dei, quibus ſane illuſtrius cæteris nationibus dignoſcere potuerunt, & quę ipſis a Deo promiſſa, expectãda, & quę agenda forent pro Dei explenda voluntate. Quid enim, ſi quidam illorum non crediderunt? numquid propterea eorum infidelitas Dei fidem, atque promiſſa euacuauit? Abſit vt hoc dicamus. Sed ſit Deus verax, omnis autem homo mendax, quiſquis audet iudicio contendere cum Deo; ſicut ſcriptum eſt in Pſalmis; vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicatis. Atqui, ſi iniuſtitia noſtra Dei iuſtitiam commendat, eamq; illuſtrem reddit, quid ad quæſtionem hinc exurgentem, dicemus? Cenſendus ne Deus iniuſtus, qui in humanum genus ſęuiat ex delictis noſtris, per quę iuſtitia ſua commendatur? Abſit hoc: Alioquin, ſi Deus iniuſtus, quo modo iudicabit mundum, quem ſuppoſuimus ab ipſo fore iudicandum? Verum quod attigi, id feci ad alienam hominis ſententiam referens, quaſi ita ratiocinantis; ſi Dei veritas ex meo mendacio in ſui maiorem abundant gloriam, quid adhuc ego, vt peccati reus, condemnor? quin potius, cur animum non conuertimus ad facienda mala, vt nobis deindè cumulatiora perueniant bona? ſicuti huius eſſe nos ſententiæ, perperam, ac falſo diſſeminant nonnulli, qui pœnas condignas dabunt huius diffamationis, quam aduerſus nos diuulgant. Sed ad rem noſtrã: quid igitur de Iudęorum pręſtantia eſt aſſerendum? num antecellimus nos Iudęi reliquis Gentibus? dico, & ſi in multis, at non tamen omnino, & vndequaque alijs pręſtamus. Nam omnes tum Iudęos, tum cęteros cuiuſcunque Gentis homines iam ante cauſati ſumus ſub peccato eſſe, vt venundatos ex peccato primi parentis: quemadmodum in pſalmis ſcriptum eſt, quia non eſt iuſtus, neque vnus; non eſt intelligens, aut requirens Deum; omnes declinauerunt; ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum; ſepulchrum patens eſt guttur eorum; linguis ſuis doloſe agebãt: venenum aſpidis ſub labijs eorum; quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt; veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Et apud Eſaiam: Contritio, & infœlicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt; non eſt timor Dei ante oculos eorum. Atqui hæc habentur in lege, in veteri teſtamento. Scimus autem, quòd quęcunque lex loquitur, illis loquitur, qui ſub lege ſunt; vt hinc omne os obſtruatur, & totus mundus, vti peccati reus, ſubditus reddatur Deo, ad cuius miſericordiam confugere oportet non ſolum Gentilem, verum etiam Iudæum: quandoquidem ex operibus legis non iuſtificabitur vniuerſa caro apud Deum. Etenim per ipſam legem habetur cognitio peccati, cui omnes ex origine ſumus obnoxij; ſolutio autẽ a peccato, per legem non habetur. Nunc autem ſeorſum a lege tradita Iudęis, iuſtitia Dei eſt manifeſtata, de qua lex, & prophetę teſtimonium præbuere; illa, inquam, iuſtitia fidei, quę media fide, quam habere oportet in Ieſum Chriſtum, extenditur in ſalutem ad omnes, & etiam ſuper omnes, qui credunt in eum. Non enim eſt diſtinctio perſonarum apud Deum: omnes enim peccauerunt, & egent dono, & gratia, quam Deus largitur ad gloriam ſuam; dum omnes gratis iuſtificantur ipſius gratia, per redemptionem factam in Chriſto Ieſu: quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtẽſionem iuſtitię ſuæ, propter remiſſionem delictorum; in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuę, vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti. Vbi igitur eſt gloriatio tua o Iudęe? certe excluſa eſt, ac vana declarata. Sed per quam legem? per illã ne, quę operum lex dicitur? Nequaquam; cum per hanc, ſine fide Chriſti, iuſtitia coram Deo non obtineatur. Inanis igitur gloriatio Iudęorum per legem illam conſtituitur, quæ ſui fundamentum habet fidem; ſine qua, nec qui ſub lege eſt poſitus Iudęus, nec qui ſolutus eſt a lege, Gentilis, placere Deo vnquã poteſt. Hinc igitur concludimus, hominem fide iuſtificari ſeorſum ab operibus legis. An Deus eſt tantum Iudæorum? non nè & Gentium idem eſt Deus? vtique & Gentium: quę ſeorſum ab operibus legis, cui ſubditæ non ſunt, iuſtificabuntur. Siquidem

dem vnus eſt Deus, qui iuſtificat, tum circunciſos ex fide, quam circunciſi habere debent cōiunctam circunciſioni illis pręceptæ; ita quidem, vt ex virtute fidei iuſtitia ipſis conferatur; tum etiam præputiatos per fidem, vti eam, per quam, in Gentes ſolutas a lege, ſeorſum ab omni adminiculo operis legalis, fit iuſtitiæ collatio. Legem ergo deſtruimus, & abrogamus per fidem? Abſit hoc: quinimmo hac ratione legem firmamus, atque ſtabilimus.

Editio vulgata.

QVID ergo amplius Iudæo eſt? aut quę vtilitas circunciſionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei. Quid enim ſi quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Abſit. Eſt autem Deus verax: omnis autem homo mendax, ſicut ſcriptum eſt: Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Si autem iniquitas noſtra iuſtitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus eſt Deus, qui infert iram? (ſecundum hominem dico.) Abſit; alioquin, quomodo iudicabit Deus hunc mundum? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit, in gloriam ipſius: quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor, & non (ſicut blaſphemamur, & ſicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, vt veniant bona? quorum damnatio iuſta eſt. Quid ergo? pręcellimus eos? Nequaquam. Cauſati enim ſumus Iudęos, & Græcos, omnes ſub peccato eſſe, ſicut ſcriptum eſt: Quia non eſt iuſtus quiſquam, non eſt intelligens, non eſt requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant. Venenum aſpidum ſub labijs eorum. Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt. Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Contritio, & infælicitas in vijs eorum: & viam pacis non cognouerunt. Non eſt timor Dei ante oculos eorum. Scimus autem, quoniam quęcunque lex loquitur, ijs qui in lege ſunt, loquitur: vt omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt: teſtificata a lege, & Prophetis. Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti, in omnes, & ſuper omnes qui credunt in eo: non enim eſt diſtinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem pręcedentium delictorum, in ſuſtentatione Dei ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore, vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti. Vbi eſt ergo gloriatio tua? Excluſa eſt. Per quam legem? factorum? Non, ſed per legem fidei. Arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. An Iudæorum Deus tantum? nonne, & Gentium? Immo, & Gentium, quoniam quidem vnus eſt Deus, qui iuſtificat circunciſionem ex fide, & præputium per fidem. Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit, ſed legem ſtatuimus.

ADNOTATIONES.

QVID ergo amplius Iudæo eſt? aut quæ A
vtilitas circunciſionis? Quoniam Apoſtolus in calce capitis præcedentis admodum depreſſerat carnalem circunciſionem, eo conſilio, vt paulatim pateſaceret, non ex circunciſione carnali, neque ex alijs operibus legis hominem iuſtificari apud Deum: hinc, ne fruſtra impoſita a Deo videretur circunciſio populo Iudæorum, inquirit, quidnam vtilitatis peruenerit Iudæis ex hoc onere circunciſionis. Et reſpondet, multam per omnem modum vtilitatem hinc illis emanaſſe: ſiquidem obſignati Iudæi hoc ſigno circunciſionis, hocque ipſo ſeiuncti exiſtentes a reliquis nationibus, in peculiarem, atque acceptum populum recepti ſunt: ac proinde donati multis, atque præclaris prærogatiuis, quarum magna ex
parte infra eſt mentio, dum dicitur: *Qui ſunt Iſ-* Roman. 9.
raelitę, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legislatio, & obſequium, & promiſſa, quorum patres, ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem. Sed illud fuit pręcipuum, in quo alijs nationibus præcelluerunt; quòd ipſis (vt dicit Apoſtolus in hoc cap.) credita ſunt eloquia Dei: quo nil optabilius, aut fauorabilius communicari a Deo poterat humano generi. Quam quidem pręrogati-
uam expendens Dauid, dixit. *Non ſic fecit omni* Pſal. 147.
nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Et Moy- Deuter. 5.
ſes in hanc eandem ſententiam diſſerens: *Interrogate,* inquit, *ſi tale quidpiam accidit, ſi audiuit gens vocem Dei viuentis in medio ignis, & vixit.* Quòd vero attinet ad vocem illam, *primum*, non ita accipienda, quaſi pro enumeratione ſit poſita, cui aliquid aliud, vti ſecundum, ſit ſubijciendum. Siquidem nihil aliud ſubnectitur. Atque ideo, *primum*, hoc loco ſumendum eſt pro eo, quod eſt pręcipuū; vt dicamus ex Apoſtoli ſententia, pręcipuam vtilitatem, quę peruenerit ad Iudæos, circunciſione ex Dei pręcepto obſignatos, eam fuiſſe, quòd ipſis vt receptis in populum peculiarem credita fuerunt eloquia Dei; ex quibus, & Deum pręclarius cognoſcere potuerunt, & Dei ſtudium conſpicere penes humani generis ſalutem.

B *Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Adnotat Origenes, ita dictum eſſe ab Apoſtolo, ad ſignificandum, quòd circa veritatis inquiſitionem, omnium hominum opiniones ſunt falſę,
ac vanę. Propheta autem Dauid (inquit Origenes) Orig. lib. 3.
pronuncians hanc ſententiam, verum pronuncia- c. 3. ad Ro-
uit; vt qui cognoſceret de Deo, quę vera ſunt. man.
Nam ad quos factus eſt ſermo Dei, ij, dij, non homines ſunt. Idē adnotat, legi apud Gręcos, γινέσθω, id eſt, *fiat*; loco cuius apud latinos legitur, *eſt*; neque tamen ſi legatur, *fiat*, putandum eſt, quòd imperatiuo modo id dictum ſit, Stultum enim, inquit, ſi putetur imperandum eſſe Deo, vt verax fiat; ſed erit dictum, ſicut illud; *fiat voluntas tua*: & iuxta illud; *fiat in virtute tua*, quę dicuntur, non impe-

tando,

rando, ſed optando, aut pronunciando. Auguſtinus autem in tract. Pſal. 115. ponderans verba illa

Auguſt. Pſal. 115.

Pſal. 115. *Deus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum, omnes declinauerunt. &c.* ait; *quatenus ergo homines ſunt, ſic omnes mendaces. At iuxta Pſ. 81. Ego dixi Dij eſtis, ſic non mendaces: at id ex gratia Dei, qui dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri.* Forte poſſemus etiam interpretari illud, *ſit*, appoſitum eſſe ab Apoſtolo, præcipue ad explodendam hominum audaciam, qui iudicio contendere audent cũ Deo; vt ſit veluti indignantis dictum húc in modum: ſit omnis homo mendax. Legendo autem, *eſt*, vt legit interpres, omnis tollitur difficultas. Illud autem Pſal. 115. *Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax:* poſſet accipi in hoc alio ſenſu: quòd homo cęcutiat in intelligenda veritate; maxime ſi comparetur infallibili, & immutabili illi veritati, quæ eſt in Deo, ſine cuius lumine intellectus humanus cęcus, ac falſus iacet, vt explicat B. Thomas. Quod etiam conſonum eſt dictis B. Ioan. *Quoniam Deus lux, & tenebræ in eo non ſunt vllæ*; quod non poteſt dici de intellectu humano; qui in hac vita plurimis tenebris obcęcatur.

Tho. Aqui. 1. Ioan. 1.

Chryſoſt.

Chryſoſtomus autem in expoſitione prædicti Pſal. 115. dubitat hunc in modum. *Quomodo ergo Iob dicitur vir verax? hoc enim teſtimonium ei Deus dat dicens. Conſideraſti ſeruum meum Iob, quomodo non eſt ſimilis ei ſuper omnem terram, vir abſque reprehenſione, iuſtus, verax, abſtinens ſe ab omni opere malo?* Cui quidem dubitationi Chryſoſtomus ita reſpondet. *Ad hoc dicimus, quòd Iob comparatus alijs hominibus, verax fuerit, ſed ad Deum collatus, mendax. Nullus enim purus a macula, etiam ſi ad vnum tantum diem vixiſſet. Quòd ſi nullus abſq; peccato, certum quòd neque mendacio caret. Solus Deus abſque peccato eſt: & quemadmodum hora veſpertina, quis ſtellam alijs comparatam lucidam vocat, quam ſole fulgente lucidam nemo diceret, eo quod excellens ſplendor ſolis fulgorem ſtellæ obtegit: ita & hominem veracem ac bonum eſſe dicimus, quando eum cum alijs hominibus conferimus: cæterum quando eum cum Deo comparamus, non eſt verax; omnis enim homo mendax.* Hæc Chryſoſtomus, cuius ſententiæ eſt etiam conſentiens interpretatio, quam in comment. huius epiſtolæ affert Origenes ad verba huius cap. *quia non iuſtificabitur coram Deo omnis viuens:* dum inquit. *Non iuſtificabitur homo coram Deo, ideſt, in comparatione Dei, qui eſt ipſa iuſtitia.* Legit autem ipſe, *omnis viuens*, pro eo quod habetur, *omnis caro:* per *omnis viuens*, interpretans, dum viuit homo in corpore, quoniam neſcitur, quæ erunt eius nouiſſima, vt dicitur apud Eccleſ.

Iob. 1.

Orig lib. 3. c. 3. ad Roman.

Eccleſ. 1.

Vt autem veritas a Deo proueniens circa promiſſa, firma, & nulli mendacio, ſeu mutationi ſubiecta abſque vllo ſcrupulo dignoſcatur. Aduertendum, quòd quæ pronunciat Deus, aut pertinent ad prophetiam prædeſtinationis; aut ad prophetiam comminationis. Vnde ſi accipiantur enunciata a Deo, vt concernunt prophetiam prędeſtinationis; ideſt eius, quod prædicit apud ſe deuenturum; hæc omnibus modis implentur. Quæ vero attinent ad prophetiam comminationis, ſicuti ea, quæ per Ionam Prophetam ad Niniuitas denunciata ſunt; hæc non omnibus modis implentur: ſed duntaxat, ſicuti exigunt humana merita, quæ ſunt mutationi obnoxia. Et Niniuitarum quidem ciuitas dierum 40. ſpatio ſubmerſa fuiſſet, (vt prædixerat illis Ionas) niſi interim reſipiſſent, & pœnitentiam egiſſent, vti fecerunt de peccatis eorum: vnde placatus eſt dominus, & prædictio ad eorum conuerſionem eſt permutata. Et ijs quidem conformia habentur a Chryſoſtomo in Matth. 1. dum ait. *Prophetia autem alia eſt ex præſcientia, & hæc eſt immutabilis vt hæc. Ecce virgo concipiet. Alia ex indicio operum: & hæc ſolet mutari, ſecundum quod verba ſonant, non ſecundum intellectum; vt adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur: ſubintelligimus, niſi pœniteat. Item, quæ eſt ex præſcientia, illa impletur, Dei ſolummodo operatione; vt quòd virgo pariet. Alia impletur hominum adminiſtratione, vt de aliquo, vt ſit iuſtus.* Sunt autem qui & ita interpretantur Pſalmographi ſententiam: *Quòd omnis homo mendax, & Deus autem verax eſt;* ideſt, mutabilis eſt homo, non manens in his quæ promiſerit. At Deus verax: ideſt, firmus, & immutabilis, adimplens promiſſa: & ita iuſtificatur Deus in ſermonibus ſuis, quod intulit Apoſtolus ex Pſal. 50. ſubiungens: *vt vincas cum iudicaris.* Quoniam omnino præualet ſermo Dei, vti iuſtus, & verax; quidquid dicant, aut delirent homines ex aduerſo circa Dei pronunciata. Quippe (vt habet Origenes in huius loci expoſitione) iudicatur Deus in diſputationibus ſapientium; dum alij hoc modo, alij alio, & diuerſe ſinguli de Deo ſentiunt: ipſe vero vincit eos, qui de ſe iudicant: cum, errantibus cunctis, de ſe quomodo credendus, ac reuelandus ſit, reuelat ipſe ſententiam. Et non deſunt etiam ita impij, & diabolici, qui Dei operationes ſtulte audent taxare, & reprehendere, quos ſupplicia ſumma manent.

Chryſoſt. in Matt. 1. Hom. 1.

Orig lib. 3. c. 3. ad Roman.

C *Et non ſicut blaſphemamur.* Quidam (ſicuti mos eſt hæreticorum, peruerſe interpretantes Apoſtoli verba, dum gratiam allatam per Chriſtum humano generi ita magnificaret, vt diceret (ſicuti infra habetur, *quòd vbi abundauit delictum, ſuperabundauit, & gratia;* diſſeminabant, Apoſtolum aſſerere, quòd eſſent facienda mala, vt eueniant bona. Aqui non hæc concluſio inferenda, ſed hæc alia (vt notat Auguſtinus) in lib. de gratia, & libero arbitrio. *Fecimus mala, & venerunt bona: iam faciamus bona, vt in futuro ſeculo recipiamus bona.*

Roman. 3.

Auguſt. de gra. & lib. arb. c. 22.

D *Quid ergo præcellimus eos? nequaquam.* Gręce pro hac poſtrema dictione, *nequaquam*, legitur *οὐ πάντως*, id eſt *non omnino*; quod etiam *nequaquam* verti poteſt, ita intelligendo: quòd Iudæi abſolute, & vndequaque Gentibus non pręcellunt, quamuis multis fauoribus prælati fuerint alijs nationibus: Quin in eo, quod præcipui, & maximi eſt momenti; non differunt ab alijs. Et quid eſt hoc? *Cauſati enim ſumus, Iudæos, & Græcos omnes ſub peccato eſſe:* qui locus haud facilis viſus eſt, licet ferme neglectus, aut parum animaduerſus ab expoſitoribus. Circa quem illud in primis occurrit aduertendum: quod interpres legit, *cauſati ſumus*; Græce haberi

προῃτια-

προῃτιασάμεθα, a verbo *αἰτιάομαι*, quòd culpare, accuſare, & cauſam afferre ſignificat, & coniunctum huic præpoſitioni *πρό*, quæ ſignificat *antea*, temporis antecedentiam denotat. Et communis quidem horum verborum eſt interpretatio, quòd Apoſtolus oſtendat, non eſſe præferendum Iudæum Gentili, quoniam antea, in præcedenti ſermone Apoſtolus culpauerit, atque notauerit, tum Iudæos, tum Gentiles, tãquam omnes pariter peccato obſtrictos; Gentes quidem in priori capite, Iudæos autem in poſteriori. Vnde deducitur, quòd vterque populus æque eget miſericordia Dei. In comment. autẽ Oecumenij latinitate donatis, Apoſtoli verba ita leguntur. *Nam antea redditis cauſis, oſtendimus & Iudæos, & Græcos omnino ſub peccato*
Oecumen. *eſſe*. Vbi adnotandum, interpretẽ Oecumenij, quod noſter interpres habet, *omnes*, pro voce hac græca, *πάντας*, legere, *omnino*, ac ſi *πάντως* græce legeretur; cum tamen codices omnes græci impreſſi conſtanter legant *πάντας*, & non *πάντως*. In commentario autem prædicto, pro verborum expoſitione, hæc habentur ab Oecumenio. *Nullus ergo excelſum quicquam habet præ altero: nam antea redditis cauſis oſtendimus, hoc eſt, conuicimus & Iudæos, & Græcos omnes eſſe peccato obnoxios*. Quas autem cauſas huius dicti attulerit Apoſtolus, non aperit
Oecumen. Oecumenius. Accedit, quòd ex eo quòd dicat Apoſtolus, omnes tum Iudæos, tum Græcos iam culpatos antea eſſe, quòd ſint ſub peccato, hinc oritur difficultas. Quandoquidem peccata antea enumerata in primo, & in ſecundo cap. ſunt perſonalia, vt homicidium, furtum, adulterium, & alia huiuſmodi, quibus, ex proprio reatu, certæ perſonæ deliquiſſe ſupponendæ ſunt. Vnde ſecundum hanc interpretationem, omnes tam Iudæos, quàm Gentiles, aliquo ſaltem huius generis peccato obſtrictos fuiſſe, dici ab Apoſtolo ſupponendum eſſet: quod tamen non videtur concedendum, cum in ſcriptura ſan-
Iob 1. cta plures iuſti enumerentur; & de Iob Deus dixerit; *quòd non erat ſimilis ei in terra, vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo, &*
Ioan. 1. *adhuc retinens innocentiam*. Et Chriſtus de Natanael dixerit, *ecce verus Iſraelita, in quo dolus non eſt*.

Præterea id quoque occurrit obſeruandum, quòd hæc ſententia Apoſtoli, quòd omnes tum Iudæi, tũ Græci ſint obnoxij peccato, videtur probari, non ex præcedentibus, ſed ex ſubſequentibus, dum ait: *Sicut ſcriptum eſt, quia non eſt iuſtus quiſpiam, non eſt intelligens*; & cætera quæ ſequuntur: in quibus, ex dictis ipſius Dauid, & Eſaiæ deducitur, ne vnum quidem excipi, qui liber, aut immunis ſit a peccato. Verum, quòd attinet ad cauſas iam antea redditas, quibus & Iudæi, & Græci conuincantur obnoxij peccato, dici poteſt, quòd Græci, ſeu Gentiles, ideo traditi ſunt (vt exponitur in primo capite) in reprobum ſenſum, vt cuiuſuis generis flagitia exinde cõmiſerint; propterea quòd, cum Deum cognouiſſent, ipſum, vt Deum non glorificauerunt. Addamus, (quòd & in eodem capit. recenſetur) quòd cognoſcentes iuſtitiam Dei, per quam qui flagitia cõmittunt, digni ſunt ſupplicio, nihilominus tamen mala perpetrarunt. Iudæi vero (vt declarauimus in cap. ſecundo) legem Dei habentes, atque præclare cognoſcentes, quòd non eſſet adulterandum, furandum, neque aliud prohibitum in lege committendum; nihilominus tamen & ipſi contra præcepta legis euntes, vltronei, atque ſciẽter mala perpetrantes; idcirco & ipſi peccatores deprehenduntur. Vnde omnes, non indicta cauſa, ſed ex probatis cauſis, ex ipſorummet cõfeſſione obnoxij eſſe peccato conuincti ſunt. Ad illam autem difficultatem, quòd non omnes obſtricti peccato ex proprio reatu culpandi eſſent; non eſt facile occurrere, licet interpres Oecumenij (ſicuti iã animaduertimus) forte ſic exiſtimans ab hac difficultate euadere, legit non, *omnes*, ſed *omnino*. Qua etiam ſuppoſita lectione, adhuc tamen vigeret difficultas ob ea, quæ ſubiunguntur ex Dauid, & Eſaia deſumpta; quibus oſtenditur, ne vnum quidem hominum excipi ab obligatione peccati. Vnde etiam ruit illa ſolutio, quæ afferri poteſt dicendo, quòd omnes in genere, & de populo Iudæorum, & de Gentibus ſint ſupponendi obnoxij peccato, non autem ſinguli quique. Quandoquidem, ex adductis prophetarum auctoritatibus, ita omnes comprehendantur, vt nullus excludatur. Propterea aptius forte Apoſtoli ſententia, quòd omnes & Iudæi, & Gentiles obnoxij ſint peccato, exponeretur, dicendo, hanc ex ſubſequentibus auctoritatibus Dauid, & Eſaiæ comprobari. Cui expoſitioni videtur adhæſiſſe Theophylactus, Theophyl.
qui ad præcedentia minime reſpiciens, totam probationem ad ſequentia reijcit, dum inquit. *Iudæi æquis criminibus (ne maioribus dixerim) cum Græcis ſunt obſtricti: vnde id ſequitur? ſi quæris? ex Dauid, & Eſaiæ Prophetis*. Itaq; dicemus peccatum, quo omnes homines irretitos eſſe ſupponit Apoſtolus, eſſe originale peccatum, contractum ex delicto primi parentis; in quo (vt dicitur infra) omnes peccauerunt, vt ipſe fuerit in cauſa, vnde totũ genus humanum Deo odibile redderetur. Quod quidem præceſſit generationem cuiuſuis ortum ducentis ab Adam: adeo quòd, antequàm nati eſſent, omnes, ſub hac conditione peccati, tum Iudæi, tum Gentiles comprehenſi erant, vt ante culpati hac macula originali: quod verbo illo *προῃτιασάμεθα*, innuiſſe videtur Apoſtolus, forte ſub paſſiua ſignificatione ipſum accipiens, licet medij temporis exiſteos, in actiua ſignificatione paſſim ſumi ſoleat. Sed paulo (vt ait Oecumenius in epiſt. ad Philipp. ca. 3.) non erat curæ de elegantia, & proprietate verborum. Quod etiam Chryſoſtomus confirmauit in epiſt. Chryſoſt. in epiſt. ad Hebr. ho. 3.
ad Heb. inquiens. *Iſte mos eſt Apoſtoli, vt non magnam verborum habeat rationem*. Quamuis autem varia peccatorum genera a Dauid, & ab Eſaia enumerentur: at non omnia tamen in ſingulis hominibus, vt animaduertit Origenes hunc locum inter- Orig. lib. 3. c. 3. ad Roman.
pretans, ſed alia in alio, & in alio alia arguuntur. Verum peccati originalis tabe, atque macula ita omnes obſtricti ſunt, vt ob id, ne vnus quidem iuſtos inueniri dicatur a prophetis, quos citat Apoſtolus. Quòd ſi dictum eſt a Chriſto de Natanael, Ioan. 1.
quòd verus eſſet Iſraelita; ſupponendum, ipſum idcirco appellari verum Iſraeliiam, vt qui nõ ſolum ſecundum carnem, verum etiam ſecundum ſpiritũ

deſcen-

deſcenderet ab ipſo Iſraële; vnde & ſubiunxit, *in quo dolus non eſt.* At non propterea inferendum, q Natanael fuerit abſque macula peccati originalis, quin ipſi quoque opus fuerit, vt lauaretur, & mun- Iob 1. daretur ab hac macula. De Iob quoque, quando dixit Deus, quòd adhuc retinens eſſet ſuam innocentiam, voluit innuere, quòd in ipſo non erat dolus, neque peccatis ex proprio reatu ſe conſpurcauerat; cum tamen innocētiam a macula peccati originalis alienam habere non potuerit, niſi Deo id illi præſtante ob futuram Chriſti paſſionem; ob quam corpus hoc peccati ſolutum eſt pro illis omnibus, qui credunt in eum.

19 E *Scimus autem quoniam lex quæcunque loquitur,* Theodor. *ijs qui ſunt in lege loquitur.* Caute, vt notat Theodoretus, dicit Apoſtolus, quòd lex loquitur ijs, qui ſunt in lege, & non dicit de ijs, qui ſunt in lege: Nā de Babilonijs, & dė Medis, Perſis, & Aegyptijs, & alijs pluribus multa dicit lex, ſub qua tamen hi populi non erant; ſed prædicta de ijs, lex quoque obtulit Iudæis, qui ſub lege erant. De lege autem Moſaica hic eſſe ſermonem, cōmunis eſt interpre- Orig. lib 3. c. 3. ad Ro. tatio (excepto Origene) cui, quoniam ſubiungit Apoſtolus; *vt totus mundus ſubditus reddatur Deo:* & quòd *per legem cognitio eſt peccati;* non viſum eſt ipſi, de lege Moſaica intelligendum eſſe: ſed de lege naturali, quæ in omnibus hominibus reperitur, cum peruenerint ad ætatem diſcernendi bonum a malo. Quoniam (inquit ipſe) totus mundus per legem Moſaicam non ſubditur Deo: neque etiam cognitio peccati ex ſola lege Moyſi patuit hominibus; cum ante legem quoque cognitum eſſet peccatum, vt notum eſt (inter alios) de Cain, a quo optime cognitum eſt peccatum, quod patrarat fra- Gen. 4. trem occidendo; dum dixit ad dominum: *maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear:* hæc Origenes. Verum, quod attinet ad cognitionem peccati, de quo nam peccato ſit ſermo, paulo poſt diſcutietur. Quòd autem omne os obſtruatur, & totus mundus ſubditus reddatur Deo, id non ex lege ſola inducitur ab Apoſtolo, vt videtur exponere Origenes: ſed (cum prius innumerabilia propemodum peccatorum genera enumeraſſet penes Gentiles) qui Deum cognitum non glorificauerunt, prout debuiſſent; Iudæos autem ſubinduxiſſet magiſtros infantium ſe profitentes, & duces cęcorum, multumque ſibi aſſumentes ex lege, tanquàm ipſi peccati obnoxij non exiſterent; hunc & illos ſub peccato cauſatos eſſe, ac vitijs (licet non omnes omnibus pariter laborarint) eſſe maculatos ex teſtimonijs legis, quæ totum vetus teſtamentum complectitur, Apoſtolus poſtea palam facit: hinc inferens, quòd, quoniam lex loquitur ijs, qui ſub lege ſunt, & omnes peccato onuſtos eſſe declarat (vnde non ſolum Gentes obſtrictas eſſe peccatis, verum etiam Iudæos manifeſtum eſt) ideo oportere, vt omne os obſtruatur, & totus mundus ſubditus reddatur Deo, cuius miſericordia omnes egemus, vt ab ærumna peccati liberemur. Et hæc quidem ad ſententiam quoque August. in Epiſt. ad Galat. B. Auguſtini allata ſunt: Qui, in expoſitione Epiſt. ad Gal. hunc locum explicans, vult hic eſſe ſermonem de lege Moſaica, dum dicit Apoſtolus; lex ijs, qui in lege ſunt loquitur, vt ſic omne os obſtruatur: Hebræi, de tranſgreſſione legis: Gentes autem de impietate.

F *Quia ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo:* Græce legitur; διότι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σάρξ: ſicuti etiam in epiſtola ad Gal. vbi hæc eadē habetur ſententia, & interpres Gal. 4. ibi conuertit, *propter quod non iuſtificabitur &c.* Quæ lectio ſi hic quoque haberetur, hanc facilem reciperent cōtinuationem verborum ad præcedentia: Nempe, ex eo quòd oſtenſi ſunt omnes obnoxij peccato, vt totus mūdus ſubditus reddatur Deo, cuius miſericordia omnes egeamus; ideo inferri; propter quod, *non iuſtificabitur ex operibus legis omnis caro coram illo.* Si autem alia retineatur lectio; *quia non iuſtificabitur:* continuatio horum verborum cum præcedentibus hæc erit, vt dicamus, Apoſtolum tacitæ obiectioni reſpondere eorum, qui dicere potuiſſent, ex lege hominem poſſe iuſtificari, nempe per circuncinionem, per ſacrificia, per obſeruationem ciborum atque dierum, & alia huiuſmodi. Quibus reſpondet, quòd ex operibus legis nō iuſtificabitur omnis caro coram illo. Vnde prior illa concluſio permanet in ſuo robore; oportere ſcilicet, vt totus mundus ſubdatur Deo, a quo ſolo per Ieſum Chriſtum mediatorem iuſtificari poteſt vniuerſum genus humanum. Cur autem ex operibus legis iuſtificatio obtineri nequeat; hanc affert Apoſtolus rationem: *quoniam per legem cognitio peccati:* Quam autem vim probationis habeat hæc aſſertio Apoſtoli, & cuius peccati dicatur eſſe cognitio per legē; erit deinde conſiderandum. Nunc perpendendum eſt, quonam modo hæc ſententia; *ex operibus legis non iuſtificabitur homo*, conueniat cum illa alia præcedentis capitis: *factores legis iuſtificabuntur;* cum inuicem quàm maxime diſſidere videantur. Theodoretus explicans hunc lo- Theodor. cum, animaduertit; quòd legis Moſaicæ præcepta, alia erant, quæ naturæ cognitioni conueniebant, vt non adulterabis; non occides; non furaberis; honora patrem tuum, & matrem tuam; & alia huiuſmodi; quæ etiam, qui legem illam non ſuſceperunt, niſi obſeruarētur, cognoſcebant reddere hominem accuſationi, & ſupplicio obnoxium: Alia vero fuerunt præcepta de circuncisione, de ſabbato, ſacrificijs, aquiminarijs, & lauacris, & quæ ad leproſum, & ſeminis fluxionē pertinebant; quę (inquit Theodoretus) aliorum quidem ſigna ſunt, ipſa autem per ſe adimpleta non ſufficiunt ad eum reddendum iuſtum, qui ea exequitur. Vnde iuxta hanc Theodoreti diſtinctionem, dici poſſe videtur, ſic intelligi debere Apoſtoli ſententiam; quòd ex operibus legis; nempe ceremonialibus, veluti ex circuncisione, ex ſabbati, aut ciborum obſeruatione, homo non iuſtificabitur apud Deum; In hunc enim ſenſum hæc eadem ſententia prolata videtur in Epiſt. ad Gal. In qua referens Paulus, quæ in Antiochia obie- Gal. 2. cerat Petro, eo quòd Petrus priuſquam venirent quidam a Iacobo, cum Gentibus edebat; cū autem veniſſent illi ſubtrahebat ſe, & ſegregabat a Gentibus, timens eos, qui ex circunciſione aderant; ait illi in faciem ſe reſtitiſſe; eo quòd ſimulando ęſum

ciborum,

ciborum, quibus Gentes veſcerentur, ſibi eſſe abominabilem, hinc cogeret Gentes iudaizare; cum tamen ipſis Apoſtolis, natura Iudęis exiſtentibus conſtaret, non ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti hominem iuſtificari; vnde ſententiam hanc ibi ſubiunxit: *non iuſtificabitur ex operibus legis omnis caro*. Quòd autem ex huiuſmodi operibus non poſſet homo iuſtificari, colligitur etiam ex Hebr. 9. ijs, quæ habet Apoſtolus in epiſt. ad Hebr. vbi eſt ſermo de muneribus, & hoſtijs veteris Teſtamenti, quæ inquit; *non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem, ſolummodo in cibis. & in potibus, & in varijs baptiſmatibus, & iuſtitijs carnis, vſque ad tempus correctionis impoſitis*. Verum, cum pleriſq; placeat, neque per alia legis pręcepta moralia hominem poſſe iuſtificari; hinc inquirēdum, quomodo poſſit eſſe, vt qui diligat Deum, ac proximum, vti lex præcipit, ac conſequenter non concupiſcat vetita, neq; vlla mala faciat, is non iuſtificetur apud Deum, dum, amando ipſum, fieri non poſſit, quin in ipſum credat, atque ita nomen eius inuocet in proprię ſalutis auxilium? An dicendum, opera legis illa cenſeri debere, quæ ſine ſpeciali Dei auxilio præſtari poterant per legem ab ijs, qui ſub lege erant? veluti ſacrificia peragere, circuncisionem ſuſcipere, ſabbatum obſeruare, morticinia non tangere, a communibus cibis abſtinere, lauacris vti, parentes honorare, a furto, & homicidio, & adulterio abſtinere, ita tamen ſe gerendò ob timorem ſuppliciorum in lege comminatorum: quando timorem incutere, opus & munus ſit legis. Vnde in Chryſoſto. in c. 3. Matt. hom. 3. hanc ſententiam quoque Chryſoſtomus in Matth. hæc habet: *Qui ſe contineri videbantur ex populo Iudaico, a peccatis, corporali continentia ſe conſtringebant, non ſpirituali; ab opere malo ſe continentes propter legem, non a voluptate mala propter Deum; vt puta, non quidem occidebant, tamen iraſcebantur ſine cauſa: non quidem adulterabantur, tamen concupiſcebant in corde*, Item paulo poſt. *Volatilia quidem erant, non autem magna volatilia, nec ſatis in altum volantia, quia ſecundum iuſtitiam legis, metu pęnæ corporalis viuebant, non ſecundum ſpiritualia, & altiſſima Chriſti pręcepta*. Vt vero homo non concupiſceret vetita a lege, id pręſtare per legem mini- Roman. 8. me poterat: hoc enim impoſſibile erat legi, vt dicitur infra. In hoc enim opere lex infirmabatur ob carnem originali peccato impeditam: vnde conſequenter, qui ſub lege erant, Deum, vti lex pręcipit, non poterant diligere, neque proximum, ob concupiſcentiam in oppoſitū reluctantem. Hoc quippe opus, vt perfici poſſet ab homine, per Chriſti car- Roman. 8. nem crucifixam (vti dicitur infra) obtentum eſt ijs, qui in ipſum credūt, quique ad Dei miſericordiam confugiunt; ita vt ipſis non vltra inſit ad condemnationem concupiſcentia inſurgens, cui non aſſentiant: ſed ex fide, ob Chriſti merita iuſtificantur, inſiti in Chriſto, nō amplius ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulantes. Lex igitur, neq; peccatum per ſua opera, veluti per circuncisionem, aut per ſacrificia tollere poterat, neque fidem (quæ cor contritum, & humiliatum poſtulat) largiri, qua impius iuſtificatur; cum ipſa lex, (vt dicitur in epiſtola ad Galat.) non ſit ex fide, ſed ſolum præcipiat, Galat. 3. quæ agenda ſunt, aut omittenda prohibeat. Vnde merito dictum eſt ab Apoſtolo, quòd ex operibus legis homo non iuſtificabitur: cum tamen lex exiſtens vt pædagogus, id adiumenti attulerit humano generi, quòd prohibendo, ne homo concupiſceret, ipſum in notitiam ſui perditi ſtatus perduxerit, occaſionemque ei præbuerit, vt non valens ſuis viribus exequi legis mandatum de concupiſcentia, ſeſe conuerteret ad Dei miſericordiam; qui ab ęterno ſtatuerat, morti proprium filium tradendo, eripere a condemnatione peccati omnes illos, qui in eum credidiſſent, deteſtantes vitam veterem, & nouam per baptiſmum ſuſcipientes; quem etiam lex ipſa plurimis prophetarum teſtimonijs venturum mundi Redemptorem denonciauerat. Sententia autem illa alia Apoſtoli, quòd *factores legis iuſtificabuntur*; longe eſt diuerſa ab hac, quòd ex operibus legis homo non iuſtificabitur. Nam quom factores legis nominantur, eiuſmodi ſupponuntur homines, qui Deum, ac proximum ad legis normã diligant; ab omnibusque malis conſequenter abſtineant, ac vetita non concupiſcant, ſicuti antea explicatum eſt: Quę cum præſtari nequeant, niſi ab ijs, qui in Dei gratiam ſint recepti, neque gratia Dei abſque remiſſione peccatorum obtineatur, quam largitur Chriſtus credentibus in eum. Idcirco hi (vt prius iuſtificati per fidem ſuſceptam, vt decet a peccatis) factores legis exiſtentes, vti qui ad eius normam & in actibus, & in deſiderijs ſe bene gerant, apud Deum magis etiam iuſtificabuntur.

Auguſtinus autem in expoſitione epiſt. ad Gal. Auguſt. in epiſt ad Galat. hunc locum perpendens, *ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro*; ita interpretatur, quòd *ex operibus legis, dum ſuis viribus quiſque tribuat, non gratiæ miſerantis Dei, non iuſtificabitur omnis caro, ideſt, omnis homo, ſeu omnis carnaliter ſentiens*. Communiſque eſt interpretatio, vt illud, *omnis caro*, pro eo quod eſt, nullus homo, intelligatur, ſicuti etiam in epiſt. ad Corinth. *Vt non glorietur omnis caro in* 1. Cor. 1. *conſpectu eius*. Atqui, ſi per opera legis, ceremonialia intelligerentur, prout explicauit Theodoretus; Theodor. forte etiam ita interpretari poſſumus; dicendo, ꝙ per ceremonialia emūdari nō poterat caro, tota caro hominis a macula peccati originalis, licet a lepra, vel a fluxione ſanguinis, vel ab alijs quibuſdam inquinamentis per ſacrificia, aut lauacra emūdaretur. Cui interpretationi conſona videntur dicta illa ad Hebræos. *Quæ parabola eſt temporis inſtantis, iuxta* Hebr. 9. *quam, munera, & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem, ſolummodo in cibis, & in potibus, & in varijs baptiſmatibus, & iuſtitijs carnis, vſque ad tempus correctionis impoſitis*. Et in eadem epiſtola paulo poſt. *Si* Hebr. 9. *ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat, ad emundationem carnis; quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti?* In hanc quoque ſententiam tendere videntur, quæ Paulus in Antiochiæ Sina- Act. 13. goga diſſerebat, dum dixit. *Notum igitur ſit vobis*

viri

viri fratres, quia per hunc nobis remiſſio peccatorum annunciatur; & ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege Moyſi iuſtificari. Hinc concludendum, ex lege (ſi ſeorſum a Chriſto mediatore, & Redemptore noſtro, qui tamen legis eſt finis, vt dicitur infra accipiatur) & niſi Dei ſpeciale auxilium pro lege adimplēda accedat, & ad Chriſti merita fide recurratur, neminem prorſus per ſe iuſtificari, vt in hoc vere ſuperior Apoſtoli ſententia concludatur.

F *Per legem enim cognitio peccati.* Ratio, ob quā ex operibus legis homo non iuſtificetur, hęc affertur ab Apoſtolo: nempe, quoniam per legem eſt cognitio peccati; & ſubiungenda hęc particula, *tantum*: adeo ꝙ per legem nō obtinetur abſolutio a peccato, ſed ſolum cognitio peccati. Quin (vt in-
Roman.4. quit Apoſtolus infra.) *Lex iram Dei operatur;* vt quę ex ſuis mandatis occaſionem prębeat pręuaricationis, quæ ſine lege nō exiſteret: Ac rurſus infra docet, impoſſibile fuiſſe legi peccatum ſoluere, quod
Roman.8. Chriſtus moriendo in carne ſua perſoluit. Vnde
Ambr.c.9. & Ambroſius ad hęc verba, *per legem enim cognitio peccati;* ſubiungit hæc alia; *per fidem autem abſolu-*
Auguſt. de gra. & lib. arb.c.10. *tio perſoluit*, & ita non per legem. Auguſtinus autē in lib. de gratia, & libero arbitrio explicans hunc locum. *Cognitio peccati*, inquit, *habetur per legem, at non conſummatio; quinimmo, quando homo cognoſcit peccatum, ſi non adiuuet gratia, vt caueatur, ſine dubio lex irā operatur.* Ex quo dicto Auguſtini clare patet, iure inductum fuiſſe ab Apoſtolo priorē ſententiam, *quia ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro:* & quare ita? quoniam per legem cognitio peccati; at non conſummatio habetur per legem: immo
Aug. in lib. Enchyrid. cap.117. (vt inquit idem in lib. Enchyrid.) *Cum lex poſſit iubere; at non iuuare, vt obſeruetur quod præcipit; ita præuaricatorem reddit hominem, qui ſciens per legem, quod nam peccatum vitandum foret, illud tamen committit; vnde ex ignorantia excuſari non poteſt.* Peccatum autem cognitum per legem, videtur accipi loco citato ab Auguſtino, pro concupiſcentia, iuxta
Roman.7. illud: *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret; Non cōcupiſces.* Vbi Auguſtinus ſupponit quattuor veluti gradus; ſeu ſtatus hominum. Primus eſt, cū in altiſſimis ignorantiæ tenebris nulla reſiſtente ratione ſecundum carnem viuitur. Secundus eſt poſt legem, per quam cognitio eſt facta peccati; iuxta quam quicunque viuere velit, vincitur; ſi non dum diuinus adiuuat ſpiritus; & ita ſciens peccat, & ſubditus fit peccato. Tertius eſt gradus, cum homo adiutus per gratiam Dei, adimplere ſe poſſe credit, quæ Deus mandat, & ſpiritu Dei agitur, quo cōcupiſcit aduerſus carnem: adeo quòd & ſi adhuc ſit, quod homini repugnet ex homine, non dum tota infirmitate ſanata, iuſte tamen viuit, in quātum non cedit malæ concupiſcentiæ, vincente apud ipſum delectatione iuſtitię, in quo pio genere viuendi, ſi vſq; ad exitum vitæ perſeueret homo, poſtremus tunc gradus ſuperueniet, ipſa pax; quę poſt hanc vitā, in requie ſpiritus, deinde in reſurrectione etiam carnis implebitur. Harumq; differentiarum, inquit Auguſtinus, prima eſt ante legem; ſecunda ſub lege; tertia ſub gratia, quarta in pace plena, atque perfecta.

Verum Origenes (vt dictū eſt ſupra) ſupponens Orig. lib 3. c.3. ad Ro.
peccatum etiam ante legem fuiſſe agnitum, vt patet de Cain, qui dixit maius eſſe peccatum ſuum, quàm vt veniam mereri poſſet; & de Lamech, & de multis alijs. Hinc ipſe intellexit, ꝙ per legem, nempe naturalem (cū homo ad ętatem peruenerit diſcernendi bonum a malo) cognitio habeatur tunc de peccato. Verum ipſe poſtea multum laborat in expoſitione illius ſententiæ: *quia ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro.* Intelligit enim de ijs, qui ſub lege carnis ſunt, & faciunt cōcupiſcentias carnis; & ita inconſtans eius expoſitio apparet; tum, quoniam non amplius ſumit legem pro lege diſcernendi bonum a malo, qua qui bene viuit, ſecundum ipſum, bene agit, & poteſt iuſtificari; ſed accipit legem pro lege peccati; tum etiam, quoniam paulo poſt accipit legem pro lege Moyſi, in expoſitione illorum verborum: *nunc autem ſeorſum a lege, iuſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata a lege, & Prophetis;* vt dicitur poſtea. Idcirco communis eſt interpretatio, ꝙ ante legem cognitio quidem haberetur de peccatis: nam id inficiari nemo poteſt. Verumtamen per legem cognitum fuiſſe peccatum ad hunc ſenſum, quatenus, poſt legem latam, exactior, atq; diſtinctior cognitio eſt habita de peccatis, ex præceptis diſtincte poſitis in lege circa tranſgreſſiones. Vnde inquit
Theodoretus. *Lex perfectiorem peccati cognitionem hominibus indidit, & vt ipſum vehementius accuſaret, effecit.* Et de hoc minime eſt dubitandum. Theodor.

Verum, ſi diceretur, quòd per legem habita eſt eius peccati cognitio, qd ante legem erat incognitū hominibus, ſaltem in genere; hunc in modū Apoſtoli ſententia planior redderetur, & vera abſq; vlla limitatione appareret. Hoc autem peccatum, quod ante legem datā populo Hebræorum mundo fuiſſe incognitum dici poteſt, & maxime poſt diluuium, erit peccatum originale ex pręuaricatione primi parentis in vniuerſum genus humanum propagatum: nec non, quòd ex ſolo actu vetita concupiſcendi, abſque malorum perpetratione, peccatum committatur, hominem trahens in condemnationem. Nā, & ſi hæc non latuerunt Noe, Abraham, & ſimiles: attamen non inficiandū, hæc incognita fuiſſe mundo, ideſt, hominibus ſecūdum naturam tantum ratione vtentibus: cum præſertim vniuerſalis opinio apud Gentes inualuiſſet de mundi ęternitate; vnde neque primum hominem dari exiſtimarent; & ex conſuetudine peccandi humanum genus ita eſſet obcæcatum, vt pro peccato non ſtatueret, ſi quis vetita concupiſceret, dummodo opere nō compleret; nulla præſertim exiſtente lege ex humanis, quę pœnas ſimpliciter ſtatueret aduerſus praua cōcupiſcētes; ac ſimul ſomes, prauam ſubminiſtrans concupiſcentiam, ita nobis connatus videatur, ac ſi ex propria, & naturali hominis conſtitutione humano generi inſertus eſſet; qui tamen ex delicto primi parentis in ipſum, & in eius poſteros in pœnā peccati tranſmiſſus eſt, vitians, & a ſuo naturali ſtatu humanam ſubuertens naturā, relictus autē regeneratis in Chriſto ad agonem, ad maiorē apud Deū gloriam promerendā. Quamquam illud etiam non eſt negādum, ex æthnicis quoq; Philoſophis nō defuiſſe, qui

malum duxerint, vexari, & agitari animũ prauis cupiditatibus, ne dũ propriũ illis prębere cõſenſum. Verumtamen poſt legem datam per manum Moyſi a Deo, hæc clare omnibus innotuerunt. Siquidẽ ex lib. Gen. quẽ Moyſes diuino ſpiritu afflatus conſcripſit, aperte detectum eſt peccatum primi parentis, quod totũ genus humanum in condemnationẽ traxerat. Et ex decalogo, in quo cõtinetur etiã pręceptũ de non cõcupiſcendo vetita, patefactum eſt, ex ſola concupiſcentia hominẽ peccato notari apud Deum; & niſi reſipiſcat, in ęternã trahi condemnationem. Ex ijs igitur apparet, per legem, peccati cognitionẽ ſubſequutam eſſe, vt ait hoc loco Apoſtolus, qui etiã in hanc conformem ſententiam infra ita habet. *Sed peccatum non cognoui, niſi per legem, nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret; Non concupiſces.* Et quamquam hæc lex, ex præcepto non concupiſcẽdi, magis illaquearit hominem ad peccandum, ſi contra hoc præceptũ iret (quod etiam proprijs viribus obſeruare non poterat) attamen lex maxime ſalutaris fuit. Nã, cum damnatum eſſet genus humanum propter peccatum primi parẽtis, neq; ex ſeſe liberari ab hac condemnatione poſſet; per legem prohibentem ne concupiſceret, factum eſt, vt hinc induceretur ad implorandum Dei auxilium, ad eiusq; miſericordiam confugeret; per quam a contracto malo liberaretur, ac eo ſancto Spiritu roboraretur, quo legis præceptum adimpleret.

Roman. 7.

G *Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt, &c.* Origenes conſpiciens ex ijs verbis, ſuperuenientem ſibi difficultatem aduerſus ſuam expoſitionem, in qua dixerat, cognitionem peccati haberi per legem naturalem, & non per legem Moſaicam, non potens effugere, quin lex Moyſi intelligatur in his verbis; *teſtificata a lege, & Prophetis*; ipſe igitur quaſi obtegens difficultatẽ, qua præmebatur, primo quidem ait, vrgeri etiã illos, qui ſupponunt, per legem Moyſi cognitionem haberi de peccato; quando rei veritas ſecus ſe habet, cum etiam ante legem peccatũ cognoſceretur; inſerens hinc ad defenſionem ſuæ opinionis; nil mirum eſſe, ſi & ipſe vrgeatur ex dictis verbis, cum etiam alij in expoſitione præcedenti vrgeantur ob illud, quod modo dictum eſt. Deinde vero hanc profert expoſitionẽ, ꝙ ſine lege naturali manifeſtata eſt iuſtitia Dei; nẽpe, ꝙ diligendi ſint inimici, ꝙ ſiniſtra neſciat quid faciat dextera tua, & alia huiuſmodi, ad quæ lex naturalis nõ pertingebat. Quæ & ęnigmatice, inquit, fuerunt manifeſtata a Prophetis, & a lege Moyſi, non ſecundum litteram, ſed ſpiritualiter accepta; quæ, vt talis, manifeſtauit iuſtitiam Dei, filium Dei, ipſum Chriſtum Ieſum, qui eſt ipſa iuſtitia: ad quod etiam pertingere non poterat lex naturalis; ſed ad hæc ſolum, ꝙ Deus ſit, & quòd ęquitas ſit ſeruãda ſecundum rationem. Et hæc in ſumma ſunt, quæ Origenes affert pluribus verbis pro interpretatione huius loci. Aduerſus quam, ex ipſius quoq; verbis, illud manet firmum, legem, de qua hic eſt ſermo, per quam ſit teſtificata iuſtitia Dei, eſſe legem Moſaicam, licet ſecundũ ſpiritum intelligi debere ipſe inſet. At difficultas, qua Origenes ſupponit reliquos vrgeri expoſitores, qui velint per legem Moyſi haberi cognitionem peccati, iam per nos ſublata eſt; ſi illud admittatur, quod antea ſtatuimus; per legem propalatum eſſe peccatum cõcupiſcendi mala circa actualem malorũ perpetrationem, quod prius erat incognitũ mũdo. Quare (reiecta Orig. expoſitione) perpẽdendũ, quomodo ſeorſum a lege nunc manifeſtata ſit iuſtitia Dei, quæ tamen fuerit teſtificata a lege, & Prophetis. Quod igitur attinet ad ipſam particulã, *nunc*, id eſt, ad tẽpus, quo ſit manifeſtata iuſtitia Dei, iſtud proculdubio accipiendũ eſt poſt Chriſti aduentũ, mortẽ, atq; reſurrectionem, poſtquam per Apoſtolos a Chriſto deſignatos, dum viueret; & per Paulũ ad munus hoc euangelizandi aſſumptum poſt Chriſti reſurrectionẽ, redẽptio facta per Chriſtũ eſt publicata per vniuerſum mundũ. Quæ autem ſit hæc iuſtitia. Aug. in lib. de ſpir. & litt. intelligit iuſtitiam, *qua Deus induit hominem, non qua ipſe iuſtus eſt, vti etiam ſubiungitur: per fidem Ieſu Chriſti, non qua ipſe credit, ſed qua credit homo, vt vtrumq; ſit noſtrũ; ſed ideo dicatur Dei, & Chriſti: quoniam eius largitate nobis donatur.* Quòd autẽ iuſtitia ſine lege ſit manifeſtata, cũ eſſet etiã teſtificata a lege, ita explicat, *quòd iuſtitia prædicta, eſt ſine lege, qm̃ Deus per ſpiritũ gratiæ eã confert credenti ſine adiutorio legis; quandoquidem per legẽ oſtenditur infirmitas, vt ad Dei miſericordiam homo per fidẽ cõfugiens ſanaretur.* Eãdem autẽ iuſtitiã teſtificatã a lege, & Prophetis ſic interpretatur; *a lege quidẽ, qm̃ iubẽdo, & minãdo, et neminẽ iuſtificãdo, ſatis indicat dono Dei iuſtificari hominẽ ꝑ adiutoriũ ſpiritus. A Prophetis autẽ, qm̃ quod ipſi ꝓdixerũt, Chriſti aduẽtus impleuit.* Vt autẽ hæc clariora reddant, reuocãda ſunt nobis ad memoriã, quæ habẽtur in 1. cap. huius epiſt. ꝙ *iuſtitia Dei reuelatur in ipſo ex fide in fidem:* quæ hic & clarius ſunt repeõta, dũ dicitur, ꝙ *iuſtitia Dei eſt manifeſtata;* illa iuſtitia Dei, *quę eſt per fidẽ Ieſu Chriſti,* in quẽ oportet credere ad cõſummationẽ noſtrę ſalutis, ſuppoſita ſemper illa præcedẽte fide, qua credimus Deũ eſſe, & ꝙ requirẽtibus ſe eſt remunerator; vt ita ꝑ Chriſtũ mediatorẽ iuſti apud Deũ deueniamus, in eius ſanguine regenerati ꝑ baptiſmũ. Iuſtitia autẽ, quã dicit Apoſt. nunc eſſe manifeſtatã, illa intelligiť, qua homo iuſtus redditur, eã cõſequens a Deo, q iuſtificat credentem in ipſum, & eius pręceptis obtẽperãtẽ. Verũ in Chriſto (vt dictũ eſt etiã in 1. cap.) manifeſtať Dei iuſtitia; tũ qm̃ per eius ſanguinem (vt hic dicitur) eſt facta redemptio, ac conſequenter omniũ credentium iuſtificatio obtenta eſt ſm iuſtitiã, quæ placita eſt apud Deũ; tum etiã, qm̃ hinc oſtenditur iuſtitia Dei, qua ipſe iuſtus eſt; vt qui nõ niſi per mortẽ filij ſui placari iuſte ita voluerit de hominum offenſis. Qui etiã, formiter ad diuinam iuſtitiã ſuam, Chriſto, ob eius mortem innocentiſſimam, largitus eſt, vt per ipſum liberarentur a gehẽna ex genere humano illi omnes, qui, ſeruata lege fidei, ad eius confugerent auxiliũ. Verum Chriſti etiam propria iuſtitia hinc manifeſtatur, qm̃ ſcilicet vt innocens, atq; iuſtus, nõ vt peccator occiſus eſt. Alioquin propitiatio non fuiſſet pro peccatis noſtris; neque Dei gratiam nobis conciliaſſet: quam innocens, mortem obeundo; iuſto Dei iudicio eſt conſequutus. Triplex ſiquidẽ iuſtitia paucis verbis hoc loco eſt explicata; tũ ea, qua homo iuſtus

Orig. lib. 3. c. 3. ad Roman.

Aug. in lib. de ſpi. & lit. cap. 11.

Hebr. 11.

redditur,

redditur, dum dictum eſt; *iuſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata a lege, & prophetis, Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti*; quam iuſtitiam per fidem conſequitur, qui credit in Chriſtum iuxta eius legẽ Euangelicam: tum illa, qua Chriſtus iuſtus oſtenditur, dum dictum eſt: *per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ*: tum Dei iuſtitia, dum dicitur: *in ſuſtentatione Dei ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, in hoc tempore, vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti*: Alioquin de Dei iuſtitia, abſque vlla congruentia ſermonis, iterata mentio eiſdem pene lineis facta eſſet. At quomodo (dicet aliquis) ſine lege manifeſtata eſt iuſtitia Dei, ſi Chriſtus (vt dicitur in

Gal. 4. epiſt. ad Gal.) factus eſt ſub lege, vt eos, qui erant ſub

Aug. in lib. de ſpi. & lit. c. 11. lege redimeret. Auguſtinus iuxta dicta antea reſpõdet, quòd ſine adiutorio legis credẽti collata eſt iuſtitia per ſpiritum gratiæ Dei, & ita ſine lege. Poſſumus etiam dicere, quòd ſine lege, ideſt, abſq; inclusione obſeruationum legalium, manifeſtata eſt iuſtitia; vti illa, quæ cooperatur etiam non exiſten-

Roman. 3. tibus ſub lege, credentibus autem in Ieſum Chriſtum. Nam, vt dicitur paulo poſt, Deus non eſt ſolum Iudæorum Deus, verum etiam Gentium; quibus, citra obſeruationem legis, iuſtitia confertur, vti & obſeruatoribus legis, vt dicitur in fine huius capitis, *quòd vnus eſt Deus, qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem*. Vt hinc habeatur omnes iuſtificari per fidem Ieſu Chriſti; ſiue ſint ij, qui ſub lege verſarentur; ſiue illi, qui ſine hac lege viuerent: neque requiri legis obſeruationem pro homine iuſtificando: Alioquin, qui ſunt extra legem, non iuſtificarentur, quod falſum eſt. Quòd autem hæc iuſtitia, quæ eſt ſecundum Deum, ſit teſtificata a lege, & a prophetis, intelligendo per *legem*, vniuerſam Moyſi ſcripturam; & per *prophetas*, eos, qui de futura hac iuſtitia vaticinati ſunt:

Deuter. 30. primo ex Moyſe id patet, dum dixit: *in nouiſſimis*

Ierem. 18. *diebus circumcidet dominus cor tuum*. Ieremias autem idem teſtatus eſt inquiens: *propitius ero iniquitatibus eorum, & peccata eorum iam non memorabor*.

Eſa. 53. Eſaias quoq; dum dixit: *ipſe iniquitates noſtras por-*

Ezech. 36. *tabit, & peccata noſtra ipſe tollet*. Et Ezechiel: *effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus veſtris*.

Dubitabit autem aliquis, quomodo verum eſt, quòd nũc ſit manifeſtata iuſtitia Dei, cum Abel, & Enoc, & Noe, & Moyſes, & Iob, & Abraham, & alij multi iuſti nominentur in ſcripturis ſanctis, anteq; Chriſti conſummatio peracta eſſet. Pro hac igitur difficultate ſupponendum eſt, Deum ab æterno in arcanis cõſilij ſui ſtatuiſſe, per mortem filij ſui redimere genus humanum, & iuſtitiam, ac ſalutem illis cõferre, qui in ipſum vere, & ex corde credidiſſent; & quoniam futura apud Deũ ſunt præſentia (ſicuti Suſan-

Dan. 13. na exclamans apud Danielem pronunciauit dicẽs, *Deus qui noſti omnia antequàm fiant*) hinc, & ſi executor huius iuſtitiæ Chriſtus nõ dum aduenißet; attamen Deus fidem credentiũ in Chriſtũ venturum, & mentẽ ipſorũ bonã conſpiciens, ac ſimul Chriſti futurã paſſionem in proſpectu habens, eos in iuſtorum numero recepit, ac ſaluos fore ſtatuit; ſed tamen iuſtitia hæc, redemptioq; generis humani velata, atque occulta penes diabolum, & mundũ manebat, occluſa vel in ſacrificijs, vel in circuncisione, vel in alijs fidei ſignis: donec Chriſtus venit in mũdum, & per paſſionem ſuam depepndit pro nobis, diluens peccata noſtra in carne ſua; conſummataq; paſſione, deſcendens ad inferos, eos, qui ibi detinebantur ſub ſpe ſalutis, vti iam iuſtos coram Deo ex proteſtatione fidei in Chriſtum exiſtẽtes, liberauit: ex quo, iuſtitia per Chriſtum comparata, omnibus ſanctis patribus clariſſime innotuit, quam etiam re ipſa ſunt experti, quando ipſorum ſpiritus vna cum Chriſto ingreſſi ſunt ianuam cœli, quæ prius vniuerſo generi humano clauſa tenebatur.

H *In omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum*: Varias hæc verba receperunt interpretationes. Nam ſecundum Oecomenium, *in omnes*, ideſt, in Iudæos Oecum. manifeſtata eſt iuſtitia, ad quos primum ſalus peruenit, *& ſuper omnes*, id eſt Gentiles, qui a Iudæis acceperunt. Quidam alij ſic interpretantur; *in omnes*, quoniam Deus vult omnes ſaluos fieri; 1. Tim. 2. Et *ſuper omnes*, in quibus effectus iuſtitiæ cadit. Alij, *in omnes*, id eſt, in credentes, & *ſuper omnes*, quoniam iuſtitia Dei excedit facultatem, atque merita noſtra. Forte dici poſſet, ſermonem Apoſtoli eſſe amplificatum, tanquam ita dicere voluerit, Iuſtitiam, quæ eſt per fidem Ieſu Chriſti, diffundi in omnes, qui credunt in eum; ita tamen, vt nõ ſolum pro his ſufficiat, verum etiã pro omnibus alijs, pro quibus & parata, & ſufficiens eſt, ſi credant in eum. Quod etiam concors eſt ſententiæ illi B. Ioannis, 1. Ioan. 2. cum dixit; *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed pro totius mundi*.

I *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius*. Hinc apparet quòd generalis eſt hæc ſententia, quòd nemo ex impio iuſtificatur ex proprijs meritis, ſed ex Dei gratuita gratia, accedente tamen (vt ſæpe dictũ eſt) hominis propria voluntate ad Deum (vt decet) ſe conuertentis, & Dei præuenientem gratiam vltroneè ſuſcipientis cum deteſtatione peccatorum.

K *Per redemptionem, quæ in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius*: ijs verbis explicatur modus redemptionis humanę. Nam Deus ſibi ita complacuit, vt Ieſus Chriſtus, filius ſuus, mortem ſubiens pro nobis, ſuo ſanguine mediator eſſet ad nos recõciliandos Deo; illos omnes; qui, peccata deteſtantes credetent in eum, fideique ordinem præceptis Euangelicis congruum obſeruare ſtuderent.

L *Ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ*. Si hęc ad Dei iuſtitiã referantur, bis de eadem (vt dictum eſt antea) inculcatis verbis mẽtio fieret, Idcirco ad Chriſti iuſtitiã referenda videntur; vt hinc inferre velit Apoſtolus, quòd Chriſti mors nõ ad eius opprobriũ, (prout Ioan. 18. peruerſi Iudęi de illo diſſeminabãt, quòd eſſet maleſactor) ſed ad oſtenſionem ceſſit iuſtitię ſuę; cum hinc innotuerit, ipſum, vt innocentiſſimum agnum, ad mortem ductum fuiſſe, & iuſtum pro iniuſtis obijſſe. Vnde pro innocentia, & iuſtitia ſua, pro- Philipp. 2. meruit ſibi generis humani redemptionem, & vt eius nomen ſuper omne nomen exaltaretur.

M *Propter remiſſionem pręcedentium peccatorum.* Id conſonum cum eo, quod habetur in Epiſt. ad Hebr. 9. Hebr. *in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento*; vt hinc innuatur, neque peccatum originale, neque alia peccata potuiſſe per legem deleri; ſed tantummodo per Chriſtum ſublata fuiſſe, per eius ſanguinis effuſionem: propter quem tollūtur quæcunque peccata ante legem, ſub lege, & poſt Chriſti aduentum ab hominibus, quos legitime pœniteat, ſunt perpetrata, aut perpetranda erunt. Verum & illud adnotari poteſt, iccirco dici, *propter remiſſionem præcedentium peccatorum*, ad denotandum, quòd Chriſti hoſtia ſemel oblata, ſemel etiam ſatisfecit pro quoque homine, in ſuſceptione baptiſmatis, in qua abſoluta fit remiſſio peccatorum, quibus antea quiuis obſtrictus tenebatur. Quòd ſi poſt baptiſmum homo labatur, iam non Hebr. 10. amplius (vt dicitur) in epiſt. ad Hebr. relinquitur hoſtia, vt iterum per baptiſmum regeneretur: cum id ſemel homini faſ ſit, prout etiam ſemel Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Non tollitur autem ſecundæ tabulæ via per pœnitentiam, qua reconciliantur peccatores ad Deum.

N *In ſuſtentationem Dei:* Chriſtus hoſtia mittenda a Deo pro peccatis noſtris, extitit tanquam machina ſuſtinens, ne Deus perderet totum genus humanum, quod proſtratum iacebat, gratia Dei expoliatum ob præuaricationem primi parentis; vt, cum Chriſtus morte ſua ſatisfacturus eſſet iuſtitiæ diuinæ pro reatu noſtro, hinc Deus ſe continuit a noſtra perditione, ſaluans, ob Chriſti mediatoris noſtri merita, omnes illos, qui vt decet, diuinæ prouidentiæ, eiusque immenſæ miſericordiæ ſe ſubieciſſent: neminem autem, ante Chriſti cōſummatam paſſionem, ad ſalutis portum perducens: quando, & qui occluſi in carcere ſub ſpe ſalutis detinebātur, inde non fuerunt erepti, niſi poſtquam Chriſtus, perfuncta ſua legatione, impleta pro peccatis noAct. 2. ſtris ſua morte apud Deum patrem ſolutione, & ita ſolutis inferni doloribus, eos in libertatem, & ad diuinam beatitudinem perfruendam vendicauit.

O *Ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ:* prius fecit mentionem Apoſtolus de oſtenſione iuſtitiæ Chriſti ſecundum allatam expoſitionem: Nunc tangit oſtenſionem iuſtitiæ Dei, qui miſit filium ſuum propitiatorem ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, quæ mundo propalaretur, atque magnificaretur; tum, quoniam ſit ipſe iuſtus, fons, & origo omnis iuſtitiæ, vindicans ſcelera, ob quæ proprio quoque filio non pepercit; tum quoniam ſit ipſe, qui iuſtificat eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti.

P *Excluſa eſt gloriatio;* illa ſcilicet, qua Iudæi ſe iactabant; quæ dicitur excluſa, & vana oſtenſa; quoniam iam ante palam factum eſt, quòd ex operibus legis homo non iuſtificatur. Sed vnde vana redditur gloriatio Iudæorū quo ad iuſtificationem implendam? certe non ex lege factorum per ceremonialia, aut per alia opera ſeiuncta a fide (ſiquidem, *non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit*, vti Tit. 3. dicitur in epiſt. ad Tit.) ſed per legem fidei; cum iam ſtatuerimus, Chriſtum conſtitutum eſſe propitiatorem noſtrum, per fidem in ſanguine ipſius collocatam. Adnotat Chryſoſtomus, idcirco legem fi- Chryſoſt. Hom. 7. ad Rom. dei appellari ab Apoſtolo, vt nouitatem ſermonis leniret, & auribus Iudæorum ſatisfaceret, vt qui appellatione legis admodum oblectarentur. Verum, & lex fidei, hac ratione lex appellari videtur; quoniam, qui in Dei gratiam per Chriſtum reconciliari cupit, hac obſtringitur lege, vt ipſum pœniteat de peccatis ſuis, & ea credat ex Chriſti meritis ſibi cōdonari, ad cuius auxilium toto corde ſe conuertat, & ſacrum baptiſma ſuſcipiat. Vnde princeps Apoſtolorum, ijs, qui ex eius prædicatione compuncti ipſum interrogarunt, quid pro ipſorum ſalute agerent, hæc ex Chriſti lege illis præcepit: *pœnitentiam* Act. 2. *agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti.* Necnon Philippus Eunuco illi Candacis Reginæ Aetiopum, quærenti ab eo, cum ad aquam ſimul perueniſſent, quid nam prohiberet ipſum baptizari, reſpondit. *Si credis ex* Act. 8. *toto corde, licet:* ita legem fidei ei perſcribens. Legem autem factorum, legem Moſaicam Apoſtolus appellauit; alludēs ad innumerabilia propemodum illa præcepta, quæ ad obſeruationem carnalium cęremoniarum attinebant; & ad opera, quæ Iudæi proprijs ex viribus ſe præſtare poſſe gloriabantur. Dubitat autem Auguſtinus in lib. de ſpiritu, & litte- Aug. in lib. de ſpi. & lit. cap. 13. ra, quomodo non ſit etiam par ratio in lege Euangelica, vt & ipſa lex factorum dici debeat? cum & in ipſa adſit cognitio peccati, non concupiſces. Cui dubitationi ita reſpondet, *quòd illud operum, quod lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat: illa dicit, non concupiſces; hæc ſic; quòd nemo continens, niſi det dono dominus.* Verum quod dicitur; quòd gloriatio Iudęorum per legem factorum euaneſcit, vt per ipſam iuſtificatio non obtineatur; huc tendit, quoniam Iudæi ſibi aſſumerent, ex proprijs viribus, atque operibus, ſeorſum a Dei gratia, ſine fide, atq; ſpiritu poſſe iuſtificari per circunciſionem carnalē, & per alia cęremonialia, quod falſiſſimum eſt. At in lege fidei, quòd peccator iuſtificetur, hoc totum ad Dei gratiam per merita Ieſu Chriſti habet referre, nec quidquam ſibi aſſumere; ſed vna cum pœnitentia peccatorū, per fidem Ieſu Chriſti profiteri ſuſcipere ſe per baptiſmum a Dei benignitate iuſtificationem: & opera deinde, quæ homo iam factus iuſtus operatur, iuxta Dei gratiam impleta, & Chriſti meritis innixa (in quē omnis ſpes eſt ponenda) ipſum in dies iuſtiorem, & Deo gratiorem reddunt; ita quidem, vt numquam iuſti hominis opera, abſque fide, & gratia Dei, quidquam valere poſſint. Quemadmodum etiam (ſicuti iam dictum eſt) ex operibus legis, ſeorſum a fide, & gratia Dei, non poteſt impius iuſtificari.

Q *Arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* Ambroſius interpretatur Ambr. c. 10. illud, *arbitramur*, pro certo habemus, Græce λογιζόμεθα. Oecumenius ſic: *dicimus itaque:* Ab Occum. *concludimus igitur, vt finis ſermoni probabito ponatur*, ſicuti explicat Theophylactus. Et videtur Theophyl. illatio neceſſaria. Siquidem antea ſtatutum eſt, hominem ex operibus legis non iuſtificari: ex quo ſequitur,

quitur, quòd fide, ſine operibus legis homo iuſtificetur. Cum autem interpres legat: *arbitramur enim &c.* videtur conſtituere rationem prius dicti, quòd excluſa ſit gloriatio Iudæorum, non per legem factorum, ſed per legem fidei, & quare hoc? quoniam arbitramur hominē iuſtificari per fidem ſine operibus legis. In quò ſi attendatur, vndenam pendeat iuſtificatio hominis impij, (quæ certe ex operibus legis non prouenit, ſed ex miſericordia Dei condonantis peccata ob Chriſti mortem credentibus in eum) non conueniret opinabiliter ita loqui; videlicet, quòd arbitramur hominē fide, ſine operibus legis iuſtificari; cum illud ſit certiſſimum, ex operibus legis iuſtificationem ab impio obtineri non poſſe. Si autem conſiderentur hæc duo genera hominum; alterum Iudæorum, quibus lex data fuit: alterum Gentilium; qui ſeorſum a lege viuebant; & quòd & ij poſſunt iuſtificari, & pariter illi alij, vtique potuit Apoſtolus ita opinabiliter loqui; quòd arbitratur hominem ſine operibus legis iuſtificari per fidem; quoniam contingere id poteſt, vt ex vtroque genere aliqui ſalui fiant: ſicuti contigit de latrone: ſicut contingit, & de omnibus gentibus, quæ ſalvę fiant: iuxta illud ad Philipp. *in quo & nos ſorte vocati ſumus*: adeo quòd pro euentu futurę ſalutis, ab iſto, vel illo homine conſequendæ, ſermo poteſt eſſe opinatiuus, & ita redderetur ratio, cur excluſa ſit gloriatio Iudæorum; non per legem factorum, ſed per legem fidei. Siquidem arbitramur (inquit Apoſtolus) contingere, ꝙ etiam iuſtificentur de ijs, qui extra legem Moyſi viuunt, qui ſane fide, ſeorſum ab operibus legis, iuſtificātur: & hunc in modum interpretis lectio optime conſeruatur. Non autem eſt ſimpliciter opinatiuum, quòd iuſtificatio impij fiat ſeorſum ab operibus legis per fidem: id enim certiſſimum eſt, ita quidem, vt ſolum in virtute fidei Ieſu Chriſti, quæ requirit deteſtationem peccatorum, & voluntatis ad Deum conuerſionem, & poſt publicatum Euangelium, baptiſmi ſuſceptionem, iuſtificatio impij contingat, & compleatur vel in Iudæis, vel in gentibus quibuſcunque. Sed Iudæi, vt circuncisi, & vt ſeruantes legis præcepta, præſertim cęremonialia, iuſtificabantur vna cum operibus legis: verumtamen non per opera, ſed per fidem: Gentiles autem ſegregati ab operibus legis, & ita ſine circunciſione exiſtentes, iuſtificantur pariter ob fidem Chriſti: per quam (nempe per Chriſti merita, per quæ ſperamus nobis pœnitentibus dimitti peccata) omnibus impromiſcue ſalus contingit. Et ideo ſubiungit Apoſtolus: *Num Deus ſolum eſt Iudæorum Deus? non ne idem & gentium? vtique & gentium; cum idem Deus ſit, qui iuſtificat circunciſionem ex fide, præputium vero per fidem*; innuens ex hoc dicto, *circunciſionem ex fide*, Iudæos; qui circunciſi exiſtentes cum operibus, & obſeruatione legis iuſtificantur; ſed non niſi ex virtute fidei. Per illud vero: *& præputium per fidem*, ſignificantur Gentiles, qui ſine circunciſione, & abſque legis Moſaicæ obſeruatione, ex ſola fide operibus legis non coniuncta, non tamen ſine lege Euangelica iuſtificantur; vt propterea non ſine graui circunſpectione varia hac locutione Apoſtolus ſit vſus dicens: *qui iuſtificat circunciſionem ex fide, & præputium per fidem*; primam phraſim, nempe, *ex fide*, applicans Iudæis: ſecundam vero, *per fidem*, Gentibus apponens. Quamquam Auguſtinus in lib. de ſpir. & litt. dicat, ita locutum eſſe Apoſtolum pro varianda locutione, non ad differentiam vllam inſinuandam; quæ ſane nulla eſt quo ad rationem iuſtificationis, quæ non niſi ex fide Ieſu Chriſti locum habet. Verum ad differentiam innuendam ſubiectorum diuerſorum, vti ſunt Gentiles, & Iudæi, qui iuſtificantur, adductam eſſe hāc varietatem ſermonis rationabiliter cenſeri poteſt, cum alij, ex his qui iuſtificantur, ſint legis obſeruatores, videlicet Iudæi; alij vero ſine legis obſeruatione, ipſi Gentiles: ex qua diuerſitate reſultat quoque locutionis diuerſitas, vt explicatum eſt. Auguſtinus autem in lib. quæſt. 88. in quæſt. 76. & in lib. de gratia, & libero arbitrio, & alibi refert; quoſdam perperam intelligentes ſententiam nunc expoſitam, aſſeruiſſe, quòd qui ſemel in Chriſtum crediſſet, per hanc legem eſſet ſaluus, etiam quòd flagitioſe poſtea viueret. Cui hæreſi opponit Epiſtolas Apoſtolicas, Petri, Ioannis, Iacobi, & Iudæ: a quibus omnibus aſſeritur, fidē ſine operibus nihil prodeſſe. Et ſane perſpicuum eſt, locum prædictum Apoſtoli pertinere ad iuſtificationem hominis; qui obſtrictus exiſtens peccato, (prout ex peccato originali totus mundus obſtrictus erat) ab hoc impietatis ſtatu, non ex proprijs operibus, ſed per ſolam Dei miſericordiam, accedentibus Chriſti meritis, in quem credat, deteſtando peccata, & baptiſmum ſuſcipiendo, iuſtificari poteſt: qui deinde per lauacrum regenerationis effectus iuſtus, in hac iuſtitia conſeruari nequit abſque obſeruatione legis Euangelicæ. Qua in re concors eſt Pauli ſententia cum Iacobo: qui dixit fidē ſine operibus eſſe mortuam: vt omnino non ſit cenſendus iuſtus, neque fidem habere viuam, qui Dei mandata non perficit.

Philipp. 1.

Aug. lib. de ſp. & lit. ca. 29.

Aug. in lib. q. 88. q. 76. & in lib. de gr. & lib. arbi. c. 7. & in lib. de fid. & oper. c. 9.

Iac. 2.

R *Legem ergo deſtruimus per fidem? abſit; ſed legem ſtatuimus.* Theophylactus explicans hunc locum, ait: *cum, quod legi erat propoſitum, vt hominem iuſtificaret, ipſa non poſſet perficere ſine fide; ſic igitur per fidem lex ſtatuitur, ac ſtabilitur.* Theodoretus hunc in modum. *Quoniam multis retro ſeculis lex, & prophetæ de fide prædixerunt, hinc ſuſcipientes fidem, legem confirmamus.* Poſſet etiam dici, legem ſtabiliri per fidem, tum, quoniam ipſius veritas comprobatur; cum fides Chriſti, poſtquam aduenit, impleta ea oſtendat, quæ lex prænunciauerat: tum etiam quoniam iuſtitia intenta a lege, quam lex implere non poterat, per fidem eſt conſummata. Neque tamen lex ſua defraudatur gloria; cum ex hac eadem fide innoteſcat, quòd lex iuſta mandata propoſuerit: & tanquam pędagogus hominem admonuerit de miſero illo ſtatu, in quem lapſus erat: vt hunc ad Dei miſericordiam implorandam confugeret. necnon & Redemptorem noſtrum Ieſum Chriſtum eadem ſit vaticinata, per quem omnes, qui crederent in eum, ſalutem conſequerentur.

Theophyl.

Theodor.

Omnes cauſæ iuſtificationis paucis verbis ab Apoſtolo comprehenſæ explicantur.

CVM autem quattuor vulgata ſint genera cauſarum ab omnibus recepta, videlicet efficiens, formalis, materialis, & finalis, quibus etiam meritoria, ſeu inſtrumentalis cauſa adiungi ſolet, & omnes aſſignantur circa opus iuſtificationis: Idcirco adnotandum eſt, has omnes in cap. præcedenti paucis ijs verbis eſſe comprehenſas, dum ita effatus eſt Apoſtolus: *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iuſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter præcedentium remiſſionem delictorum, in ſuſtentatione Dei ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore, vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti.* In primis enim Deus Opt. Max. qui omniū bonorum eſt auctor, exprimitur vt efficiens cauſa iuſtificationis in illis verbis, dum dicitur: *Vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti.* Chriſtus autem vt mediator, & cauſa meritoria noſtræ iuſtificationis ob mortem, quam paſſus eſt, ijs alijs verbis ab Apoſtolo explicatur, cum inquit: *per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius.* Et in eo, quod dicitur, quòd Deus propoſuit Chriſtum *propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius*, ſimul inſinuatur cauſa inſtrumentalis iuſtificationis, ipſum nempe ſacramentum baptiſmi, fidei ſacramentū, per quod veteris in nouum hominem fit regeneratio. Siquidem Chriſti fides hoc exigit, & poſtulat, vt omnes, qui credunt in eum, baptizentur, ad hoc, vt iuſtificentur, & ſanctificentur; ſicuti & ex Chriſti ſanguine virtus iuſtificandi, & ſanctificandi in baptiſmum profluit, dum per fidem ſuſcipitur. Cauſa autem formalis iuſtificationis illo verbo tangitur, cum dicitur, quòd *Deus eſt iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti.* Nam, ſi Deus, qui iuſtus eſt, iuſtificat hominem, clare patet, quòd ipſum efficit iuſtum, atque ideo iuſtitia a Deo proueniens impreſſa in homine, erit cauſa formalis iuſtificationis, per quā homo efficitur iuſtus; quemadmodum in Concil.
Conc Trid. ſeſſ.6, c.7. Trident. conſtitutum eſt, Seſſ.6. cap.7. vbi dicitur, quòd *iuſtificationis vnica formalis cauſa eſt iuſtitia Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit.* Iuſtitia autem hæc ex eo pendet, quòd homini propter Chriſti merita remittuntur præcedentia delicta, vt non amplius ei adſcribantur, vt qui delictis moriatur, deteſtans ea in baptiſmo, per quem, ablutus in ſanguine Chriſti, regeneratur in nouum hominem, qui omnia illa bona poſſidet, quæ infra
Roman. 5. cap. 5. recenſentur. Nam pacem cum Deo obtinet, & acceſſum habet ad thronum gratiæ eius, omniū virtutum habitibus donatur, & Spiritu ſancto imbuitur, & charitate Dei, vt hinc vere iuſtus effectus poſſit viuere Deo gratus, vti veſtitus veſte nuptiali, ad magnam Dei cœnam perfruendam. Charitas autē (qua Deum ſuper omnia diligamus factorem, & Redemptorem noſtrū, & eius cauſa proximum vti nos ipſos, & quæ ſunt ad ſui nominis gloriam, omnia procuremus, & nihil committamus, quod ſibi non placeat) propria eſt cenſenda forma iuſtificationis. Materialis deinde cauſa iuſtificationis, ſeu qui debet iuſtificari, eſt homo impius, ſi remotior materialis cauſa attendantur; ſi autem magis propinqua, erit homo ille, qui, ex fide in Ieſum Chriſtum habita, totum ſe deuouet Deo: quā propinquiorem cauſam tetigit Apoſtolus in illis verbis: *Iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti.* Ita tamen vt adultus ab impietate ad iuſtitiam nō deducatur abſque pœnitentia peccatorum, quæ deteſtetur, ad Deum ſe toto corde conuertens. Vnde illud in
Act. Apoſtol. *Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.* Act.3.
Finalis denique cauſa iuſtificationis ab Apoſtolo eſt explicata, dum dixit: *Ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, vt ſit ipſe, iuſtus, & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti.* Vt enim Deus notam faceret iuſtitiā ſuam, propoſuit Chriſtum filium ſuum propitiatorem pro peccatis hominum. Qua in re, dum Chriſtus mortem ſubijt pro delictis humani generis, iuſtitiam Dei mundo manifeſtauit; vt hinc cognoſcatur, quòd Deus eſt iuſtus; tum, quoniam ſcelerum iuſtus ſit vindex, vt qui ob hæc, nec proprio pepercerit filio, ſed ipſum tradi voluit pro redemptione mundi; tum quoniā, propter Chriſti merita, ex æquitate, & iuſtitia, quæ digna eſt Deo, Deus iuſtos facit illos omnes, qui ſunt ex fide Ieſu Chriſti; id eſt, qui in eius merita confidunt, ipſiusque nomen inuocant pro gratia Dei conſequenda. Ex hac igitur operatione, vti ex alijs quoque omnibus eius operibus, Dei gloria cōmendatur de ineffabili eius iuſtitia; vt ideo ad hunc finem (nempe & ad manifeſtationem gloriam Dei) homo in Chriſtum credens, iuſtus efficiatur. Ad quam cauſam finalem ex parte Dei aſſignatam, duplex quoq; ex parte hominis iuſtificati cauſa finalis afferri poteſt, propter quam conſequitur homo iuſtitiam coram Deo; videlicet, tum, vt Dei gratia roboratus, vitam agat innocētem, ac Deo gratam; tum etiam, vt ſine macula, ac vere iuſtus inuentus in die Domini, ad vitam æternam perfruēdam perducatur, quam nobis concedat omnipotens, & miſericors Deus, qui eſt benedictus in ſecula. Amen.

PARAPHRASIS. CAP. IIII.

QVID igitur dicemus Abraham patrem noſtrum inueniſſe ſecundum carnem? Nam ſi Abraham ex operibus legis ſeiunctis a ſpiritu, & a fide erga Deum, eſt iuſtificatus, habet quidem gloriā apud homines, ſed non apud Deum. Quid enim dicit ſcriptura? ita quidem. Credidit autem Deo Abraham, & id reputatum, & adſcriptum eſt illi ad iuſtitiam: nempe, quatenus credidit Deo. Scimus autem, quòd ei, qui opus præſtat, merces non imputatur, & confertur tanquam gratis data, ſed vt debita: Non operanti autem, ſed credenti in eum, qui iuſtificat impium (quod Deus facit, non abſque

tamen

tamen quadá humanæ mentis præuia diſpoſitione) fides hæc, qua mens conuertitur ad Deum, computatur ad iuſtitiam: quam ſecundum propoſitũ gratiæ Dei, conſequitur qui credit in eum. Quemadmodum hanc in ſententiam ſcripſit etiam Dauid diſſerens de beatitudine hominis, cui Deus accepto fert iuſtitiam ſeorſum ab operibus, dum inquit. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Beatitudo hæc in circuncisionem ne tantum peruenit, an etiam in pręputiũ? Dicimus enim (ſecundum adductam ſcripturam) quòd Abrahæ computata eſt fides ad iuſtitiam, vt iuſtus efficeretur. Idcirco diligenter eſt perpendendum, quonam pacto computata eſt illi fides ad iuſtitiam: num exiſtente Abraham circunciſo? an adhuc præputiato? Atqui, non in circunciſione, ſed tanta eſt illi gratia collocata in præputio; indeque ſignum accepit, ipſam circunciſionem in ſignaculum, atque oſtenſionem iuſtitiæ conſequentis ad fidem, quam Deo præſtitit Abraham adhuc exiſtés in præputio. Vt hinc eſſet pater omnium credentium, exiſtentium in præputio, vt & ipſis computetur fides ad iuſtitiam, quam aſſequuntur; & ſit pater etiam circunciſionis, non ſolum ijs, qui deſcendunt ex Abraham per circunciſionem carnis; ſed etiam illis, qui ſectantur iuſtitiam fidei, quam pater noſter Abraham pręſetulit exiſtens in præputio. Etenim non penſandum, ꝙ ex lege ſit facta promiſſio Abrahæ, aut ſemini eius; futurum ipſum hæredem vniuerſi; ſed per iuſtitiam, quæ eius viuæ fidei eſt condonata. Nam ſi qui ex lege ſunt, hæredes ſtatuantur, adeo quòd ex lege pendeat hæreditas; inanis facta eſt fides, cui tantum a Deo tributum eſſe antea diximus: abolita eſt promiſſio. Lex enim eſt occaſio, vt Dei ira concitetur aduerſus homines; dum mandatorum, quæ ſunt in lege, fiunt tranſgreſſores; vbi enim non eſt lex, neque adeſt pręuaricatio. Ideo ſtatuendum eſt, quòd ex fide promiſſio facta eſt Abrahæ, vt ſit ſecundum gratiam: atque ita firma, ſtabiliſque permaneat ipſa promiſſio vniuerſo ſemini; non eorum tantum, qui ex Abraham ſub lege data prodiere; verum etiam illorum, qui ex fide illa pendent, quam habuit Abraham, qui eſt pater omnium noſtrum iuxta ſcripturam quæ ait: quia conſtitui te patrem multarum gentium coram Deo, cui credidiſti; qui viuificat mortuos, & vocat ea, quæ non ſunt, ac ſi eſſent, illis gratiam ſuam, ac vitam largiens. Et hęc quidem tam pręclara dona a Deo conceſſa fuerunt Abrahæ; vt qui, pręter ſpem, ac pręter ordinem naturę, in ſpem crediderit rerum ſupra naturam; futurum ſe patrem multarum gentium, ſicuti dictum eſt ei a Deo: Sic erit ſemen tuum, ſicut ſtellæ cœli, & arena maris: qui quidem non infirmatus, aut hęſitans, & vacillans in fide, non conſiderauit, neque perpendit corpus ſuum iam emortuum, cum iam fere centum eſſet annorum, aut quòd emortua eſſet vulua Sarę vxoris ſuę iam non vltra aptę proli: ſed omnino in promiſſione Dei non hęſitauit diffidentia; ſed confirmatus, & roboratus eſt in fide, dans gloriam Deo, & pleniſſime ſciens, quia quęcunque promiſiſſi ſibi Deus, potens eſt & præſtare: atque ideo hęc Abrahę fides, ęſtimata, & adſcripta eſt illi ad iuſtitiam. Non autem ſcriptum eſt hoc propter Abraham ſolũ, vt ſciremus, quòd ipſi fuit computata fides ad iuſtitiam, qua eſſet iuſtus apud Deum; verum etiam propter nos, vt hinc inſtruamur, ac certi reddamur, quòd nobis pariter computabitur fides ad iuſtitiam, ita vt iuſti vere efficiamur, credentibus nobis in illum verum Deum, qui ſuſcitauit a mortuis Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum; qui traditus eſt ad mortẽ ob ſolutionem noſtrorum peccatorum; & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram; dum ſcilicet ex eius reſurrectione (qui obijt pro redemptione noſtra) palam factũ eſt, nobis credentibus in ipſum, impetratam eſſe iuſtificationem apud Deum patrem.

Editio vulgata.

QVID ergo dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem? Si enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deũ. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam, ſecundum propoſitum gratiæ Dei. Sicut, & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iuſtitiam ſine operibus. Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Beatitudo ergo hæc in circunciſione manet, an etiam in præputio? Dicimus enim, quia reputata eſt Abrahæ fides ad iuſtitiam. Quomodo ergo reputata eſt? in circunciſione, an in præputio? Non in circunciſione, ſed in pręputio. Et ſignum accepit circunciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei, quę eſt in præputio, vt ſit pater omnium credentium per pręputium, vt reputetur & illis ad iuſtitiam: & ſit pater circunciſionis, non ijs tantum, qui ſunt ex circunciſione, ſed & ijs, qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ. Non enim per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini eius, vt hæres eſſet mundi; ſed per iuſtitiam fidei. Si enim, qui ex lege, hæredes ſunt: exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio. Lex enim iram operatur; vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio. Ideo ex fide, vt ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei, qui ex lege eſt ſolum, ſed, & ei, qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt omnium noſtrum, (ſicut ſcriptum eſt; quia patrem multarum gentium poſui te) ante Deum, cui credidiſti, qui viuificat mortuos; & vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, qui contra ſpem in ſpem credidit: vt fieret pater multarum gentium, ſecundum quod dictum eſt ei: Sic erit ſemen tuum, ſicut ſtellæ cœli, & arena maris. Et non infirmatus eſt fide, nec conſiderauit corpus ſuum emortuum, cum fere centum eſſet annorum, & emortuam vuluam Saræ. In repromiſſione etiam Dei non hæſitauit diffidentia: ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo: pleniſſime ſciens,

ſciens, quia quæcunque promiſit, potens eſt & facere. Ideo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Non eſt autem ſcriptum tantum propter ipſum, quia reputatum eſt illi ad iuſtitiam: ſed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum a mortuis, qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.

ADNOTATIONES.

A QVID *ergo dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecũdum carnem.* Cum Iudæi ex proprijs operibus conſiderẽt poſſe iuſtificari, illiſque præſertim, quę ad cęremoniales legis obſeruationes pertinent; ac de Abraham Patriarca multũ gloriarentur, quem in apice ponerent eorum omnium, qui Deo fuiſſent cariſſimi; ideo Apoſtolus ad Abraham cõuertit ſermonem; ad quem (docet ſcriptura) Dei promiſſa primo eſſe facta de benedictione, atque redemptione gentium omnium: & in ipſo manifeſte oſtendit, non ex operibus noſtris, ſed ex fide, iuſtificationis noſtræ ſumptum eſſe principium. Ideo quæſtionem hanc proponit Apoſtolus, quid nam ſit illud, quod velimus dicere, Abraham patrẽ noſtrum inueniſſe ſecundum carnem? ita enim in græco codice ſe habet ſeries verborum: vt verba hæc; *inueniſſe ſecundum carnem*, ſint ſimul cohęrentia: Orig. Chryſoſt. Theophyl. cum tamen Origenes, Chryſoſtomus, Theophylactus, & alij plures, verba hæc, *ſecundum carnem*, ad hanc dictionem *patrem* referant, ita coniungentes: quid dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem? Theodor. Ambr. c. 11. Theodoretus autẽ & Ambroſius alio modo prædicta verba coniungunt: Et Ambroſius quidem per *carnem*, intelligit circuncisionem, exteriora legis opera, quibus Apoſtolus in præſens iuſtificationem demit. Theodoretus autem intelligit iuſtitiam ſecundum carnẽ; ideſt eam, quæ ex operibus; quoniam per corpus opera (vt ait ipſe) peragimus. Huic autem verborum conſtructioni adhærentes, non verebimur appellare Abraham patrem noſtrum omnium; licet non ſit ſecundum carnem niſi Iudæorum: etenim pater eſt Gentium, id eſt, omnium fidelium, vt dicit Apoſtolus in hoc capite. Quorum etiam non verebimur dicere magis eſſe patrem, quàm aliorũ, qui originem trahunt ab Abraham tantummodo ſecundum carnem: cum arctior ſit cenſenda paternitas ſpiritualis, quàm carnalis. Verum illud inquirendum eſt a Theodoreto; num orare voce, ieiunare, & alio modo corpus caſtigare, ac Dei verbum prædicare, non ſint opera, quæ faciamus per corpus? Vtique & per corpus ipſa exercentur; quæ tamen non ſecundum carnem erunt appellanda, ſi fidei ſint adiuncta, ac iuxta ſpiritum Dei adminiſtrentur. Ac propterea dicimus, quæri ab Apoſtolo, quid nam velint dicere Iudæi, quid ſit illud, quod Abraham Patriarca inuenerit, aut conſequutus ſit iuxta carnem? ſiue mera circuncisio accipiatur, quatenus facta ſit in carne præputij; ſiue aliud opus, quod Abraham ante circunciſionem præſtiterit ſecundum carnem; ſeorſum a fide, & a ſpiritu Dei. Quam quæſtionem volens diſſoluere Apoſtolus, reſpondet quòd ſi velimus dicere, ꝙ Abraham fuerit iuſtificatus ex operibus legis (ita enim lectio noſtra habet, cum tamen in græco codice deſideretur hæc dictio, *legis*, ſed aptiſſima eſt interpretis lectio ad propoſitum Apoſtoli ſignificantius explicandum) iam, ſi omnia opera legis in vnũ aſſumantur, quæ dicamus peracta fuiſſe a patre noſtro Abraham; & hæc ſint ſecundum carnem; ideſt, ſine fide, ſine ſpiritu Dei, tanquam ex proprijs viribus humanis pendentia: per hæc poterit quidem dici, quòd Abraham gloriam inuenerit apud homines: ſed non apud Deum; apud quem non erit iuſtificatus. Sed quæſtionem hanc dirimit Apoſtolus, teſtimonio ſacræ ſcripturæ ex lib. Gen. ſumpto, vbi Gen. 15. dicitur. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Atqui (ſubiungit Apoſtolus) notiſſimum eſt, quòd ei, qui operatur, merces nõ imputatur ex gratia; ſed, vt debita, operibus eius tribuitur, & ſoluitur. At ei, qui non operatur, credit autem in eum, qui iuſtificat impium, fides imputatur, & adſcribitur ad iuſtitiam. Et id igitur (a contrario ſenſu) ſupponendum eſt concedi ex gratia, & non ex debito. Et ita dicit Scriptura; quod reputata eſt Abrahæ fides ad iuſtitiam, quam conſequutus eſt apud Deum; Vnde concluditur non ex operibus Abraham fuiſſe iuſtificatum; ſed ex fide; quam habuit erga Deum; ob quam Deus ſua gratuita gratia iuſtitiam ei imputauit, & contulit. *Secundum propoſitum gratiæ Dei.* Hæc Gręci non habent, quæ tamen legit Ambroſius, & interpretatur. Ambr. c. 11. Et hæc quidem, quæ dicta ſunt, oſtendit Apoſtolus conſona eſſe dictis ipſius Dauid, qui ſimiliter deſcribit, ſtatuitque hominis beatitudinem in hoc ipſo, quòd Deus iuſtitiam ei adſcripſerit ſeorſum ab operibus, dicens: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates; & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit dominus peccatum.* Pſal. 31. Etenim, quibus remiſſę ſunt iniquitates, ſi beati a Dauid ſupponuntur, neceſſario etiam dicendum eſt, quòd apud Deum iuſti ſunt effecti; & conſequenter hanc iuſtitiam conſequuti erunt, non ex proprijs operibus, quæ ſane ab illis iuſta non præceſſerunt, cum peccatis obſtricti tenerentur; a quibus non niſi per magnam Dei miſericordiam eripi potuerunt, non ſine tamen præcedente eorum pœnitentia, & propenſa animi ad Deum conuerſione. Vnde adnotandum, hoc loco deſcribi ab Apoſtolo eam iuſtitiam, qua ex impio fit homo pius, & primo recipitur in gratiam Dei; non eam, qua, qui iuſtus eſt, per opera iuſta magis etiam iuſtificatur, quæ ſemper tamen innixa ſunt fidei: cũ illa alia ex operibus iuſtis præcedentibus non pendeat; ſed ex fide iuxta ordinem prædictum. Et id quidem perſpicuum eſſe debet, tum ex illis verbis Apoſtoli, vbi ait: *Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum, qui iuſtificat impiũ, reputatur fides eius ad iuſtitiam:* tum ex auctoritatibus inductis ex Dauid, per quas deſcribitur eorum beatitudo, quibus remiſſę ſunt iniquitates, & iuſtitia adſcripta eſt eis ſeorſum ab operibus; non autem ſeorſum a fide. De qua fide Chryſoſtomus Chryſ. ho. 8. ad Rom.

eam

eam mirifice commendans, inquit; *quòd non eſt quid modicum, atque tenue, quòd homo per fidem magnifice de Deo cogitet, ſentiat, & credat: quod præſtitit Abraham, vt eius generoſa fides ad iuſtitiam fuerit ei computata.*

Orig. lib. 4. c. 4. ad Roman.

Neque vero prætereunda ſunt, quæ hoc in loco doctiſſime ediſſerit Origenes de Abraham. Inquit enim, *non eſſe putandum, quòd abſq; fide fuerit illud, vt exiret de terra ſua, & de cognatione patris ſui, & veniret in terram, quam ei demonſtrauerat Deus. Neque illud, cum, ſeparato exiſtente Lot ab ipſo, promiſit ei Deus, daturum ſe omnem terram, quam oculis poterat circunſpicere. Neque illud, quòd ad quercum Mambræ in Ebron ędificauerit altare Domino: & quòd Melchiſedech ipſi benedixerit; quibus ſingulis colligi* (ait Origenes) *fidem Abrahæ fuiſſe ex parte. In eo autem, vbi dicitur, quòd fides eius reputata eſt ad iuſtitiam; fides perfecta ipſius declaratur, quando Abraham credidit Deo, quòd ex ipſo, & vxore eius Sara veteri, & ſterili proditurum eſſet ſemen ad numerum ſtellarum. Habet ſiquidem augmentum fides: vnde*

Luc. 14.

rogabant Apoſtoli Dominum, vt augeret illis fidem; hæc Origenes.

Cum autem hic non ſit ſermo de iuſtitia, niſi ea, quæ eſt initium reconciliationis impij; in qua, ex parte hominis, ſola fides cum debita præparatione ad Dei gratiam ſuſcipiendam cadit; ideo, nil mirũ, ſi beatus Paulus hoc loco adſcribit fidei iuſtitiam ſeorſum ab operibus iuſtis, quæ ab impio prodire nõ potuerunt. Ac propterea non eſt diſcors a Beato Iacobo, qui loquens de Abraham, per ipſum, & eius exemplo, oſtendit opera requiri ad iuſtificationem, dicens: *Abraham pater noſter, non ne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens filium ſuum ſuper altare? vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt?* Ex ijs enim patet, quòd Beatus Iacobus loquitur de Abraham, qui iam crediderat Deo; & accepta a Deo, & computata fuerat illi fides ad iuſtitiam; qui deinde exiſtens in hac iuſtitia, & gratia Dei, cooperabatur iuxta fidem: quod requiritur neceſſario in omnibus credentibus, & iam receptis in gratiam Dei, ſi in iuſtitia, & in gratia Dei conſeruare ſe velint. Beatus autẽ Paulus hic loquitur de iuſtitia ipſius Abrahæ, quãdo primo receptus eſt in gratiam Dei; dum credidit, quòd ex ipſo (prout Deus illi denunciauerat,) & ex Sara ſterili, atque vetula numerus filiorũ, vt arena maris eſſet proditurus; vnde eius iuſtitiam fidei adſcribit. Et non loquitur Paulus de ſtrenuo illo facinore Abrahæ, quando iam receptus in gratiam Dei, per fidem, filium ſuum Iſaac Deo immolare voluit: de quo eſt ſermo in epiſtola B. Iacobi.

Iac. 2.

Auguſt. lib. q. 83. q. 76. & in præfa. pſal. 31.

Vnde Auguſtinus in lib. quæſt. 83. ponderat, quòd Apoſtolus Paulus commendat fidem Abrahæ pro eius iuſtitia: Iacobus autem opera, & oſtendit hæc inuicem ſibi non aduerſari: quoniam ante fidem bonum opus non erat; ſine enim debita directionę erat. Vnde dicendum, quòd non ex pręcedentibus operibus, iuſtitia Abrahæ commendatur a Paulo; ſed ex fide, cui poſtea ſubſequuta ſunt eiuſdẽ iuſta opera; & hinc, ex operibus conſequentibus ad fidẽ, iuſtitia Abrahæ a Iacobo commendatur. Quę etiam conueniunt ijs, quæ affert in ſuis Comment. Orig. dum inquit: quòd *fides eſt initium iuſtificationis, & tanquam radix, hymbre ſuſcepto, hæret in animæ ſolo, vt cum ex lege Dei excoli cœperit, ſurgant in ea rami, qui fructum operum ferant: vt non ex operibus radix iuſtitiæ, ſed ex radice iuſtitiæ fructus operũ creſcat.* Orig. lib. 4. c. 4. ad Roman.

Adnotandum etiam, perperam deduci ex hoc loco ab hæreticis, quòd formaliter homo non reddatur iuſtus, eo quòd dictum ſit ab Apoſtolo, imputatam fuiſſe iuſtitiam ipſi Abrahę: interpretantes hanc dictionem, *imputari*, pro eo, quod eſt exiſtimari, ſeu reputari a Deo in homine iuſtitiam, quæ tamen re vera in ipſo non ſit. Et non animaduertunt, quòd Apoſtolus ait; & computatum eſt, græce *ἐλογίσθη, ei ad iuſtitiam*: & quid computatum eſt Abrahæ ad iuſtitiam? nempe fides, qua ſe geſſit erga Deum. Iſtud autem eſt dicere, quòd ob generoſam fidem, quam habuit Abraham erga Deum, in eo precio computauit Deus eius fidem, ac tanti fecit, vt hinc iuſtus fieret Abraham apud Deum; ita quidem, vt ex dono, & gratia Dei conceſſum ſit Abrahæ, vt iuſtitiam cõſequeretur, effectus formaliter iuſtus ex fide præcedente; quam Deus ſua immenſa bonitate ad iuſtitiam recepit, & adſcripſit, reddens eum iuſtum, qui [redacted] erat, propter hanc generoſam fidem. Vnde Theophylactus ſequens expoſitionem Chryſoſtomi ſuper illis verbis Apoſtoli. cap. 2. epiſt. ad Epheſ. *Gratia enim eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt;* dixit eſſe Dei donum, quòd per fidem ſaluemur. Et Propterea hæc verba, *ſecundum propoſitum gratiæ Dei*, optime leguntur apud interpretem noſtrum; ad ſignificandum, quòd non propter [redacted], ſed ex dono gratiæ ſuæ Deus fidem ad iuſtitiam homini imputat, reddens ipſum vere, atque formaliter iuſtum. Quæ etiam conueniunt cum antedictis, dum diceret Apoſtolus, quòd operanti merces debetur non ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Vnde, a contrario ſenſu, dicendum eſt, ꝙ non operanti, ſed credenti in eum, qui iuſtificat impium, ſi fides imputatur ad iuſtitiam, vt propter fidem iuſtificetur apud Deum, id non ſecundum debitum mercedis erit; ſed ſecundum gratiam Dei. Quod autem attinet ad vocem hanc, *Gratia*: ſciendum accipi, tum pro fauore, atque beneuolentia, tum etiam pro dono afficiente animam, quę ex gratia Dei colluſtretur. Sed id tamen aſſerendum eſt contingere ob rem aliquam, qua afficiatur anima, vel infuſione ſpiritus, vel feruore charitatis, vel dono caſtitatis, & aliarum virtutum, quibus ornetur.

Contra hæreticos perperam interpretãtes.

Theophyl.

Eph. 2.

Dubitat autem hoc loco Origenes, quoniam nõ omnes credentes Deo, iuſtificati ſunt, prout de filijs Iſrael ſcriptum eſt; *quòd crediderunt Deo, & famulo eius Moyſi;* neque tamen de illis ſcriptum eſt, quòd ſit reputatum eis ad iuſtitiam. Et reſpondet, quòd non habuerunt ex pluribus partibus coacernatam fidem, ſicuti dictum eſt antea de Abraham.

Orig. lib. 4. c. 4. ad Roman. Exo. 14.

Verum, Auguſt. in tract. ſuper Euang. Ioan. animaduertit, quòd qui credit in Deum, credit etiam Deo; vt non e contra: nam etiam dęmones credunt Deo, ſed non in eum. *Nam in Deum credere, eſt*

Auguſt. in Io. tract. 19.

credendo, eum amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & eius membris incorporari; vt ita ſecundum Auguſtinum requiratur fides, quæ per dilectionem operatur.

B *Beatitudo hæc*. Concluſit Apoſtolus ex premiſſis, quod Abraham non ex operibus iuſtificatus eſt coram Deo, ſed ex fide; qua in re beatitudo cõtinetur deſcripta per Dauid. Iam quærit de ſtatu, in quo reperiebatur Abraham, cum hanc beatitudinem concernentem iuſtificationem ex fide conſequutus eſt; num eam obtinuit, dum erat in præputio? an poſtquam fuit circuncifus? At conſtat, quòd in præputio reputata eſt illi fides, eo vt dictum eſt modo, ad iuſtitiam. ſiquidem in ſignum huius iuſtificationis impoſita eſt poſtea Abrahæ circunciſio, per quam ſignificaretur iuſtitia, quam Deus illi cõdonauerat: quandoquidem per circunciſionem, carniſq; præputij mutilationem ſignificabatur, tollẽdum eſſe peccatum originale, quod Chriſti morte delendum erat. Et quoniam conſtat, Abraham in præputio exiſtentem ex fide iuſtificatum eſſe; hinc clare denotatur (inquit Apoſtolus) inſinuari, quòd ille, de quo dictum eſt; *quia patrem multarum gentium poſui te*; futurus eſſet pater, tum eorum, qui crederent exiſtentes in præputio, vt & ipſis imputetur iuſtitia ex fide, tum eorũ, qui circunciſionem acciperent, dummodo imitarentur veſtigia fidei, quæ extitit in patre Abraham.

Aduertendum autem ſecundum communem expoſitionem, *ſignum*, & *ſignaculum*, accipi pro eodem: vt, cum prius dixiſſet Apoſtolus de Abraham, *& ſignum accepit circunciſionis*, ſubiunxerit ad hoc explicandum, *ſignaculum iuſtitiæ fidei*: nempe, q ſignum circunciſionis eſt ſignaculum iuſtitiæ fidei, id eſt, ſignificat iuſtitiam, quæ ei eſt ex fide applicata; iuſtitiam, quam conſequitur, qui ex corde in Deum per Chriſti mortem confidit. Vnde Theodoretus hunc locum explicans, inquit. *Circunciſio non eſt iuſtitia, ſed teſtimonium iuſtitiæ, & ſignaculum, & ſignum fidei, quam Abraham ante circunciſionem acceperat*. Ex quo colligitur, quòd circunciſio vna cum alijs ſacramentis veteris legis non conferebat gratiam, vt faciunt ſacramenta nouæ legis; de quibus dicitur, quòd efficiunt id, quod ſignificant; vt puta, ablutione corporis, quæ fit per aquam in baptiſmate, ſignificatur ablutio, & mundatio maculæ peccatorum, quæ perficitur in anima digne ſuſcipiente hoc ſacramentum. Circunciſio autem facta in mutilatione carnis præputij ſignificabat quidem amputationem peccati originalis, ex Chriſti ſanguine prouenturam; nõ autem id ipſum re ipſa, & (vt aiunt) ex opere operato præſtabat. Et id quidem, quoniam Chriſti paſſio, non dum erat perfecta, a qua flueret gratia in circunciſione; vti fluit in ſacramento baptiſmi poſt Chriſti paſſionem conſummatam; per quam cõſummata eſt etiã omnium fidelium iuſtificatio. Quæ tamen, & ad circunciſionem quoque cum fide ſumptam ſubſequebatur apud Deum, qui ſtatuit ab æterno in arcanis ſui conſilij iuſtitiam conferre illis, qui fide ipſi adhæſiſſent, idque per futuram Chriſti paſſionem. Chriſtum autem miniſtrum, & conſummatorem

Theodor.

circunciſionis extitiſſe, ita vt per ipſum Patrum iuſtificatio ſit adimpleta, infra exponit Apoſtolus, dũ inquit. *Dico enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circunciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum, &c.* Roman. 15. Auguſtinus autem in lib. ſent. Proſp. oſtendit, quàm apte per circunciſionem carnis, ſignificaretur tolli per Chriſtum originale peccatum. Nam inquit: *Cum præputio naſcitur omnis homo, ſicuti etiam cum peccato originali octauo die circunciditur, vti etiam Chriſtus die dominico reſurrexit; & ita transfertur præputium a patre circunciſo in infantem, ſicuti etiam a patre baptizato nihilo minus transfertur peccatum originale in infantem* Idem in epiſt. ad Maxim. Arianum, notat euacuatam eſſe circunciſionem poſt Chriſti mortem, cum tamen natus illam ſuſceperit: non enim illa ſignacula damnata pro tempore ſuo; ſed ſuccedentibus opportunioribus ſignaculis deceſſerunt; quemadmodum, per ſecundum Aduentum Domini, baptiſmus quoque (vt ait Auguſtinus) auferetur.

Auguſt. in lib. ſentent. Proſp. ſent. 298.

Idem ad Max. epiſt. 200.

Origenes autẽ diſſentiens ab alijs expoſitoribus, vult quòd ſignum, & ſignaculum non ſint idem, neque pro eodem accipiantur ab Apoſtolo; ſed dicit ipſe, quòd ſignum eſt, cum per illud quod videtur, aliud indicatur; ſicuti ſignum Ionæ prophetæ, qui fuit in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus, ſignificabat Chriſti ſepulturam tribus diebus, & tribus noctibus in ventre terræ futuram. Signaculum autem ait eſſe, vbi cõcluditur aliquid, & non patet. Applicatque *ſignum*, ad hoc, quòd ſignificaretur Abraham futurum patrem Gentiliũ, qui crediturí erant; *ſignaculum* vero ad circunciſos, qui non erant credituri, niſi in nouiſſimis diebus, poſtquam plenitudo Gentium introierit. Vnde ſignaculum occludendum vſque ad illud tempus, & tunc reſerandum, quòd Abraham circunciſorum quoque pater eſſet ſecundum fidem.

Orig. lib 4. c 4. ad Romanos.

Verba autem illa, *vt ſit pater circunciſionis, non iis tantum, qui ſunt ex circunciſione, ſed & iis, qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abraham.* (Ita enim legit noſter interpres) hunc habere ſenſum videntur, quòd Abraham denotatur pater circunciſorum: ſed non tantum horum, verum etiam eorũ, qui ſectentur fidem Abrahæ: quod videtur concurrere cum illo prius dicto; *vt ſit pater omnium credentium per præputium*; vnde aptiſſima apparet lectio vulgata. Græci autem verba prædicta aliter legunt: τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς στοιχοῦσι τοῖς ἴχνεσι τῆς πίστεως: id eſt, ijs, *qui non tantum ſunt ex circunciſione; ſed & qui ingrediuntur veſtigia fidei*; vt ſit ſenſus, quòd Abraham ſit pater non ſolum eorum, qui ſuſcipiunt circunciſionẽ, ſed etiam eorum, qui exiſtentes circunciſi ſectantur veſtigia fidei Abrahæ. Poſſet etiã afferri ad vtramq; lectionem huiuſmodi interpretatio, quòd Abrahã ſit pater omnium credentium in præputio, & ſit pater etiam circunciſionis; illis tamen, qui non tantum circunciſionem in carne ſuſcipiunt; verum etiã ſectantur veſtigia fidei Abrahæ; horum enim vere pater eſt Abraham ſecundum ſpiritum, & ſanctificationem: non autem vere pater eſt illorum, qui ſolum carnalem ſuſcipiunt circunciſionem;

iplum

ipſum autem in fide non imitantur.

C *Non enim per legem promiſſio Abrahæ.* Statuerat Apoſtolus ex ſacra ſcriptura, quòd Abrahæ computata, & condonata eſt iuſtitia ex fide, & non ex operibus; vt hinc pater ſit conſtitutus omnium credentium. Et quoniam aliquis potuiſſet exiſtimare, quòd ex lege promiſſio facta fuiſſet Abrahæ, hæredem ſe futurum, & ſemen ſuum mundi; iccirco hanc tollens exiſtimationem, palam facit, qualiter ex lege non potuerit eſſe hæc promiſſio; id autē hunc in modum deducit. Nam ſi ex lege penderet promiſſio, exinanita eſſet fides; ipſaque promiſſio conſequenter euacuaretur. Nam ſi ex lege, & ex operibus legis penderet promiſſio, vtique operanti deberetur merces ſecūdum debitum, & non ſecundum gratiam; vti dari ſuppoſitum eſt ijs, qui credūt in Deum, eiusque miſericordiæ ſe ſubijciūt. Atqui ſublata iuſtitia fidei, omnino rueret, & aboliretur promiſſio a Deo facta Abrahæ. Siquidem lex non perducit peccatorem ad gratiam Dei; quin eſt occaſio vt Deus iraſcatur aduerſus eos, qui legis præcepta tranſgrediuntur; Quoniam vbi non eſt lex, neque præuaricatio locum habet. Omnes autem nos peccatis irretitos eſſe ex legis teſtimonio con-

Roman. 3. ſtitutum eſt antea, quoniam non eſt qui faciat bonum, neque vſque ad vnum; ſimulque etiam patefactum eſt, quòd ex operibus legis nemo iuſtificatur. Quam ob rem, vt firma maneat promiſſio a Deo facta Abrahę, futurum ſe hęredem mundi, ad fidei iuſtitiā confugere oportet: ſecundum quam ſuperius ſtatutū eſt ex ſcriptura ſacra, quòd Abraham apud Deum iuſtitiam eſt conſequutus, & quòd, ob hanc iuſtitiā fidei, promiſſio facta eſt ſibi, & ſemini eius; adeo vt dicendum ſit, oportere omnino, vt qui Dei promiſſa, facta Abrahæ, conſequi cupiunt, fidei quoque Abrahæ veſtigia ſectentur, tam illi, qui ex Abraham ſecundum carnem duxerunt originem, & ſub lege cōſtituti ſunt, quàm illi qui ex Abraham non deſcendentes ſecundum carnem, attamen eius filij ſunt ſecundum ſpiritum, & iuſtitiam fidei pa-

Auguſt. in expoſit. epi. ad Gal. tris Abrahæ, quam ſectantur. Hinc Auguſtinus in expoſitione epiſt. ad Galatas, deducit, *quòd ſi lex iuſtificat, ergo Abraham non fuit iuſtificatus, qui fuit ante legem. At hoc eſt falſum; ergo concluditur, ex operibus legis hominem non iuſtificari, ſed fide.* Et hinc deducit Auguſtinus, omnes antiquos fide fuiſſe iuſtificatos. Nam inquit, *quod nos credendo primum aduentum iam præteritum, & alium ſecundum futurum, ſalui efficimur; illi vtrumque futurum credebant, reuelante illis ſpiritu ſancto, vnde illud in Euangelio. Abraham pater veſter exultauit, vt vi-*

Ioan. 8. *deret diem meum, vidit, & gauiſus eſt.* Hæc autem ſententia non ita ſimpliciter accipienda eſt prolata ab Auguſtino; quaſi quòd ex eo quòd quiſpiā credat aduentum domini futurum, ideo iuſtus, & ſaluus efficiatur; ſiquidem & dęmones idem credūt, qui tamen ſunt iniquiſſimi, & in æternam traditi condemnationem. Sed voluit Auguſtinus innuere eos, qui Deo adhærent, credentes in mediatorem Chriſtum, qui venit in mundum pro ſalute fidelium ſuorum; & iterum venturus eſt iudicaturus mundum, & ſanctos ſuos ducturus ad regnum cœleſte. Qui quidē, iuxta Chriſti eruditionem, de qua eſt mentio in epiſtola ad Titum, abnegātes impie- Tit. 2.
tatem, & ſecularia deſideria, ſobrie, & iuſte, & pie vixerint in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti.

Quod autem attinet ad illud enunciatum Apoſtoli, *lex iram operatur.* Theodoretus inquit. *Lex* Theodor.
punit eos, qui eam tranſgrediuntur; iram autem Apoſtolus ſupplicium appellauit. In eo autem, quod Apoſtolus ait; *Vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio.* Auguſtinus in tract. Pſal. 70. animaduertit, ꝙ Aug. in Pſ.
omnis prætetiens legem iniquus eſt; at non omnis 70. enar. 1.
iniquus legem præterit. Nam qui legem non acceperunt, & ſi iniqui, attamen, ſecundum ipſum, prę-uaricatores dici nequeunt. Verum illud attendendum eſt, quòd ante legem Moyſi, præuaricatores quoque dici poterant quicunque contra legem naturalem ſe gererent. Vnde in epiſt. ad Timotheum, 1. Tim. 2.
Heua, ſeducta a ſerpente, dicitur fuiſſe in priuaricatione, cum ierit contra Dei præceptum, edendo fructum arboris ſibi prohibitum.

Circa autem hæc Apoſtoli verba: *Vt ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolum, ſed & ei, qui ex fide eſt Abraham.* Adnotandum, non diſtingui ab Apoſtolo eos, qui ſub lege erant, ab ijs, qui ſunt ex fide Abrahæ; tanquam illi ex lege iuſtificentur; iſti autem, alij ex fide; id enim antedictis omnino aduerſaretur: ſed omnes dicuntur ex fide iuſtificari, & promiſſionis diuinæ participes fieri; tam illi, qui ex Abraham deſcendunt ſecundum carnem, & ſub lege poſiti ſunt; quàm illi, qui deſcendunt ex Abraham tantūmodo ſecundum ſpiritum, per imitationem eius fidei.

D *Quia patrem multarum gentium poſui te ante Deum, cui credidiſti:* In lib. Gen. deſunt illa verba, Gen. 17.
ante Deum, cui credidiſti; quæ appoſita fuerunt ab Apoſtolo: & Græci ita legunt; *cui credidit:* non, *cui credidiſti.* Vtraque tamen lectio eumdem retinet ſenſum, qui ſecundum Theophylactū eſt eiuſ- Theophyl.
modi. Abraham cunctorum eſt pater ante Deum, id eſt, ad inſtar Dei eſt pater; vt, quemadmodum ille eſt omnium parens, ita & is non naturali ſanguinis nexu, ſed fidei propinquitate cunctorum eſt genitor: nempe & Iudæorum credentium, & etiam aliorum, qui ſimiliter credunt.

E *Et vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt;* Deo facillimum eſt, quæ non ſunt facere, ac ſi vocaret ea iam exiſtentia: vti nos, res quæ ſunt, ſuis nominibus appellamus, vt animaduertit Theophy- Theophyl.
lactus. Auguſtinus autem in tract. Pſal. 154. inquit: Auguſt. in
iam factum eſſe apud Deum, quod in eius diſpoſitione Pſ. 114.
futurum eſt; vt de ipſo dicatur; qui fecit, quæ futura ſunt.

F *Corpus ſuum mortuum.* Auguſtinus in lib. de Aug. in lib.
ciuit. Dei, animaduertit, non ſupponendum, quòd 16. de Ciu.
corpus Abrahæ ad omnia eſſet emortuum; alioquin Dei.
iam cadauer extitiſſet; vnde nil mirum, ſi de Sara vetula, & inepta generationi, naturaliter nō potuiſſet generare prolem; & poſtea potuit ex iuueni; quia viuidam eius inuenit ætatem: addens, quòd centenarius quidem ſenex noſtri temporis de nulla fœ-

mina

mina poteſt gignere: non tunc quidem, quando adhuc diu viuebant, vt centum anni non dum face-
Tho. Aqui. rent decrepitam ſenectutem. At Thomas cenſet Abrahę, ob eius fidem, præſtitam a Deo fuiſſe hanc virtutem ſupra eius vires naturales, vt potuerit generare, cum non poſſet antea.

G *Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſur-*
Aug. in ſer. ſer. 2. Paſch. *rexit propter iuſtificationem noſtram.* Auguſtinus in ſermone de Paſchate, inquit: *in Chriſti traditione delictum ſonat; in reſurrectione iuſtificatio; vt prius moriatur delictum, & reſurgat iuſtitia: vt enim ſeminamur in morte ipſius, ita in reſurrectione germinamur.* Poſſumus etiam addere huic interpretationi, quòd ex reſurrectione Chriſti patefactum eſt, quòd nobis iuſtificationem ipſe comparauerit: Nam, propter delicta, traditus apparebat morti. At niſi reſurrexiſſet, non apparuiſſet, quòd a peccatorum vinculis eſſemus erepti, & apud Deum iuſtificati
1. Cor. 15. per Chriſti merita. Vnde Corintijs dicebat Apoſtolus, quòd *ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra, adhuc enim eſtis in peccatis veſtris.* Accedit, quòd per reſurrectionem, & aſcenſum Chriſti in cœlis, nobis ſanctum impetrauit ſpiritum, ex quo noſtra ſanctificatio perfecta eſt, & iuſtificatio pariter conſummata.

Quomodo peccata tegi, & non imputari dicantur.

CVM autem in noſtra coram Deo iuſtificatione id potiſſimũ requiratur, vt nobis dimittantur peccata, ſine quorũ remiſſione pacẽ apud Deum non haberemus; idcirco perpendendum eſt, quorſum a pſalmographo, quem Apoſtolus adduxit in cap. explicato, dictũ ſit, peccata tegi, & beatum illum, cui non imputauerit dominus pec
Pſal. 31. catum. Ita enim in Pſal. 31. ſcriptum eſt. *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit dominus peccatum &c.* Etenim ſi remiſſa ſunt peccata, quomodo tecta dicuntur? aut quomodo non imputata? quaſi vero non tollantur? quaſi vero prorſus non deleantur, & aboleantur? quemadmodum impijſſime cenſuit execrandus lutherus, aſſerens neq; per baptiſmum, neque per pœnitentiam tolli peccata, ſed in nobis remanere tecta, & non imputata; quatenus Deus ea non vindicat, non ſumens de nobis pœnas ob noſtras tranſgreſſiones. Quod peruerſum, atq; hęreticũ dogma anathematizauit ſancta catholica eccleſia, ſanciens a nobis firmiter ita eſſe credendum, quòd quotieſcunque miſericors, & clementiſſimus Deus nobis ignoſcit, & dimittit peccata, ita ea deleri, & abradi, vt nulla prorſus ex ipſis macula in anima relinquatur, vt quę tota munda, & immaculata ſit effecta. Id quippe Deus per os
Eſa. 1. Eſaiæ clariſſimis verbis eſt proteſtatus inquiens: *ſi fuerint peccata veſtra vt coccinum;* id eſt, ſi fuerint in modum coccinis ſanguinea; nempe valde enormia, & grauia: *quaſi nix dealbabuntur:* id eſt, prorſus diluẽtur, & condonabuntur vobis. Quod etiam efficacius expreſſit Dauid, dum dixit. *Aſperges* Pſal. 50.
me domine Hyſſopo, mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor; hinc ſignificans talem in anima ablutionem; qua, ſupra niuis albedinem, alba, id eſt, ſupra omnẽ munditiam munda reddatur. Hinc ſcribens Paulus Corin. poſt commemorata peccata, quibus olim implicati, & poſtea liberi ab illis facti erant, ſubiunxit. *Et hæc aliquando quidem fuiſtis; ſed* 1. Cor. 6.
abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis. Idem ad Epheſ. *Viri* Eph. 5.
diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundãs eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſam ſibi glorioſam eccleſiam, non habentem maculam; aut rugam; aut aliud eiuſmodi; ſed vt ſit ſancta, & immaculata: Et ſane quis tam impius, vt poſſit animo cogitare, quòd, vbi Chriſtus habitet, vllo pacto ibi poſſint eſſe peccata? quippe blaſphemia execranda eſt, dicere vna cum Chriſto peccata habitare in ſanctificatis. At, qui baptizantur, Chriſtum induunt, vt ait idem Apoſtolus: *quicunque* Gal. 3.
enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: vt ideo oporteat fateri, omnino a nobis tolli peccata, dum a Deo nobis dimittuntur, vt nulla prorſus ex ipſis macula remaneat. Quod etiam diuinæ, tum miſericordiæ, tum omnipotentiæ maximę eſt congruum, & conſentaneum, vt plene dimittat, quę dimittit, vt miſericors; & omnem tollat maculam, vt omnipotens. Quapropter, quod Spiritus ſanctus ſignificare nobis voluit per pſalmographum, dum dixit. *Beati, quorum tecta ſunt peccata;* idipſum eſt, quòd Deus vltra illa non videt, ſicuti a nobis nõ videntur quę tecta ſunt. Non videt autem Deus peccata, quę dimiſerit, quoniam ex ſua indulgentia ſunt deleta. Vnde idem pſalmographus alibi dixit.
Auerte faciem tuam a peccatis meis; id eſt, ne illa Pſal. 50.
velis aduertere; quod erit, ſi Deus ea deleuerit. Vnde ſubiunxit, *& omnes iniquitates meas dele:* adeo quòd dicendum eſt, cum Deus auerterit faciem ſuam a peccatis noſtris, illa vltra non videt, quoniam iam deleuit, ita vt penitus ſint abolita. Similiter dicens Dauid, peccata non imputari, hinc voluit immenſam Dei erga nos miſericordiam patefacere, qui nõ reſpiciens, neque computans, quòd ob noſtra delicta, nobis ęterna cõdemnatio debebatur, a qua eripere nos nũquam per nos poteramus; attamen ſua gratuita gratia nos ſaluos eſſe voluit, gratis dimittens nobis noſtras tranſgreſſiones. Idcirco non imputare Deum peccata nobis, eſt idem ac dicere, quòd Deus non nobiſcum eam rationem inſtituit, vt computare voluerit, quid ex noſtris delictis cõmeriti eſſemus; ad quę ſi reſpexiſſet, nunquam nobis ſalutem, & gratiam ſuam contuliſſet. Quod B. Paulus ſcribens Corint. efficaciter explica-
uit, inquiens. *Quoniam quidem Deus erat in Chri-* 2. Cor. 5.
ſto, mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum; id eſt, Deus non reſpexit, quid nos meremur ob noſtra delicta; ſed Chriſti filij ſui vnigeniti paſſionem intuens, qui pro nobis ſe ipſum obtulit, hac ratione genus humanum ſibi reconciliauit, ipſum ab omni peccatorum macula purgãs, & emundans. Quòd ſi quis ex aduerſo addubitet, quoniam poſt baptiſmum in homine adhuc rema-

manet fomes concupiſcentiæ, quæ aduerſus ſpiritum inſurgit, vt hinc videatur per baptiſmum non omnino ſublatum eſſe peccatum; is animaduertat hanc inſurgentem concupiſcentiam, quæ etiam fomes peccati dicitur, non eſſe proprie peccatū (vt docet Auguſtinus) quoniam nō eſt in voluntate; ſed peccatū dici, quia peccato factū eſt, vt pœna peccati, quæ ex peccato primorum parentum in genus humanum influxit; quemadmodum, & mors corporea ex eadē præuaricatione in Adam, & in omnes eius poſteros peruenit. Sed & dicendum, fomitem iſtum peccati relictum quoque eſſe ad agonem, ad maiorem ſanctorum gloriam; dum ei viriliter reſiſtunt, vt non faciāt carnis deſideria; non autem ad vllam cōdemnationem eorum, qui in Chriſto ſunt coinſiti. Quod manifeſtauit Apoſtolus Paulus in hac eadem epiſtola ad Romanos, dum inquit: *Nihil ergo nunc damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant. Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu, liberauit me a lege peccati, & mortis, &c.*

Aug. lib. 1. re tract. cap. 23. & lib. 2. c. 1.

Roman. 8.

PARAPHRASIS. CAP. V.

IVSTIFICATI ergo per fidem, pacem habemus apud Deum per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, per quē acceſſum habuimus media fide ad hanc gratiam reconciliationis, in qua ſtamus, & gloriamur itidem in ſpe gloriæ potiundæ apud Deum. Neque id ſolum; verum etiam gloriamur in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio operatur patientiam, quæ abſque tribulatione non exiſteret: patientia facit probationem, probatio vero ſpem affert: ſpes autem confundi nos non ſinit; quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, vt per eam maxime corroboremur. Adhuc enim exiſtentibus nobis infirmis ad tempus ob peccatum, Chriſtus pro impijs mortuus eſt; quod maximum eſt argumentum eximiæ ſuæ erga nos dilectionis. Vix enim pro iuſto aliquis moritur; nam pro bono, & innocente aliquis forſan audet mortem obire; pro impio autem, & iniquo, quis vnquam? Commēdat autem, & illuſtrem oſtendit Deus ſuam erga nos charitatem, in hoc præcipue; quoniam, cum peccatorum vinculo obſtricti teneremur, ad tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multo igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus per ipſum ab ira Dei, quæ merito nobis debebatur. Si enim, cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij ſui, multo magis reconciliati, ſalui erimus in vita ipſius. Neque id ſolum; verum etiam gloriantes erimus in Deo per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Propterea illud nobis ſtatuendum eſt; quòd, ſicut peccatum intrauit in mundum per vnum hominem, primum omnium noſtrum parentem, qui deliquit ſua inobedientia, in quo poſteri omnes deliquerunt, ac propter eius peccatum ſubſequuta eſt mors, quæ in omnes homines pertranſijt. Sic indubie, per vnum hominem, Ieſum Chriſtum, poterit iuſtificatio, & vita in omnes homines diffundi. Nam originis peccatum, & aſſenſus præſtitus prauæ concupiſcentiæ etiam citra facti perpetrationem, abſque dubio erat in mundo a præuaricatione primi parentis ſucceſſiue vſque ad legem Moyſi; ſed non imputabatur, & adſcribebatur ad peccatum apud homines (licet apud Deum peccatum eſſet, & vetita concupiſcentes perperam agerēt) lege ſcripta nondum exiſtente, quæ ipſum notificaret, prohibendo homini, ne concupiſceret: Mors autem, quæ ſubſequuta eſt in pœnam peccati, quo totum genus humanum infectum, atque damnatum eſt, ab Adam, vſque ad Moyſem, graſſata eſt in illos quoque, qui proprio reatu non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ. Qui, volens, contra Dei mandatum peccauit, exiſtens typus, atque forma futuri hominis, ipſius Chriſti venturi, quatenus per Adam venit perditio generis humani; per Chriſtum autem eiuſdem redemptio facta eſt. Sed non, quale fuit delictum primi hominis, tale fuit etiam donum ex parte Dei. Nam ſi, vnius primi hominis delicto, multi ex hominibus mortui ſunt, in æternam ducendi condemnationem; multo magis gratia Dei, & donum iuſtitiæ in gratiam vnius hominis Ieſu Chriſti nobis communicatæ, exuberauit erga multos, qui gratiam hanc (vt decet) receperunt; adeo quod peccatum primi hominis æqua proportione non reſpondet, neque æquipollet dono, quod Deus per alium nouum hominem Chriſtum nobis largitus eſt. Nam, ex vna primi hominis præuaricatione, iudicium in cōdemnationem humani generis peruenit: Gratia autem, quam Deus nobis contulit, filium ſuum tradendo pro nobis propitiatorem, ceſſit in iuſtificationem ad expiandos homines, non ſolum a noxa contracta ex delicto primi parentis, verum etiam ab omnibus illis peccatis, quæ ſinguli perpetrarunt. Si enim vnius delicto mors regnauit, vnius hominis cauſa; multo magis quicunque abundantiam iam dictam gratiæ, & donum iuſtitiæ ſuſceperint, in vita regnabunt per vnum IESVM CHRISTVM Redemptorem noſtrum. Igitur (vti iam dicere cœperamus) ſicuti delictum vnius hominis primi parentis noſtri valuit deducere omnes homines in condemnationem; ſic & vnius iuſtitia potens eſt perducere omnes homines in iuſtificationem vitæ. Sicuti enim, ex inobedientia vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi; ita & per Chriſti obedientiam, qua ſe tradidit, ad voluntatem patris, hoſtiam pro peccatis noſtris, iuſti conſtituentur multi. Lex autem ſubintrauit, vt abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia; vt, ſicut peccatum regnauit, tradendo homines ad mortem, ita & gratia Dei per iuſtitiam regnet, & ſecum regnare faciat in vitam æternam illos, qui iuſtitiam hanc ipſam conſequuntur.

Editio vulgata.

IVSTIFICATI *ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: per quem habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur, in ſpe gloriæ filiorum Dei. Non ſolum autem; ſed, & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem: ſpes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Vt quid enim Chriſtus; cum adhuc infirmi eſſemus, ſecundum tempus pro impijs mortuus eſt? Vix enim pro iuſto quis moritur: nam pro bono forſitan quis audet mori. Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis: quoniam, cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multo igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum. Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius: multo magis reconciliati, ſalui erimus in vita ipſius. Non ſolum autem; ſed & gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Propterea ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt, vſque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet. Sed regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſem, etiam in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, qui eſt forma futuri. Sed non ſicut delictum, ita & donum: ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei, & donum, in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit. Et non ſicut per vnum peccatum, ita, & donum: nam iudicium quidem ex vno, in condemnationem: gratia autem ex multis delictis, in iuſtificationem. Si enim in vnius delicto mors regnauit per vnum: multo magis abundantiam gratiæ, & donationis iuſtitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. Igitur ſicut per vnius delictum, in omnes in condemnationem; ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi; ita & per vnius obeditionem, iuſti conſtituentur multi. Lex autem ſubintrauit, vt abundaret delictum: Vbi autem abundauit delictum; ſuperabundauit gratia: vt ſicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

ADNOTATIONES.

IVSTIFICATI *ergo ex fide pacem habeamus.* Alia eſt lectio, quam ſequitur etiam Ambroſius; nempe, *pacem habemus*; cui lectioni fauent verba ſequentia: *gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei, non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus*; vt clare appareat hic commemorari ab Apoſtolo fructus, qui hominem iuſtum conſequuntur: cuius ſententiæ extitit quoq. Thomas, inquiens: in his quattuor ſequentibus capitibus percurri bonum, & fructus conſequẽtes ad iuſtificationem. Inter quos ex illis, (qui commemorantur in hoc capite) eſt, tum ille, quòd iuſtus pacem obtineat apud Deũ, cuius prius erat inimicus: tum ille, quod gloriatur in ſpe potiundæ gloriæ Dei; tum ille, quòd gloriatur in tribulationibus, neque in ipſis deficit; idque, propterea quòd diffuſa eſt charitas Dei in corde ſuo ob Spiritum ſanctũ ſibi communicatum; qui non permittit iuſtum confundi vllo ab obſtaculo. De ijs autem omnibus certos nos eſſe debere Apoſtolus patefacit, argumẽto ducto a minori ad maius hunc in modum. Nam ſi adhuc exiſtentibus nobis infirmis, & peccatoribus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt; multo igitur magis nunc exiſtentes iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira Dei. ſi enim inimici exiſtentes reconciliati ſumus Deo per mortẽ filij ſui, multo magis reconciliati, ſalui erimus in vita ipſius filij, & gloriabimur in Deo per dñm noſtrum Ieſum Chriſtum.

B *Tribulatio patientiam operatur.* Non quòd tribulationes, & afflictiones ex ſua natura proprie gignant patientiam; ſed, tanquam materia, præbent nobis occaſionem exercendæ patientiæ: quæ quidem eſt tolerãtia rerum moleſtarum, quas animus abhorret, ad virtutem fortitudinis attinens. Quam Ariſt. in lib. 3. Ethic. deſcribit verſari circa grauia, & terribilia: qualia ſunt vulnera, & ipſa mors; quã non ſolum conſtanti animo debet ſuſtinere vir fortis, cum ſibi infertur ab aliena vi, atque imperio; verum etiam vltro eam obire, ſi occaſio id tulerit, vt, moriẽdo, pulcherrimum edat facinus, veluti occumbere pro patriæ libertate. Chriſtianum autem hominem id maxime decet, vt pro Chriſti confeſſione ſanguinem effundere non vereatur; & æquo animo, & gaudẽs ferat omnia aduerſa pro Chriſti nomine, & ludibria, & perſecutiones, & plagas, ac denique mortem ipſam, quibus omnibus virtus patientiæ exercetur.

Sed ſcrupulus hic inſurgit. Nam Paulus ait, quòd *patientia operatur probationem*: Iacobus autem in epiſtola ſua canonica habet, quòd *probatio fidei patientiam operatur*; adeo quòd & patientia operatur probationem ſecundum dicta hic a Paulo: & e cõuerſo probatio operatur patientiam ſecundum ſententiam Iacobi; & ita circulus quidam hac in re cõmitti videtur. Verum dicendum eſt, ſententiam beati Pauli, quòd patiẽtia operatur probationem, ita intelligi debere; videlicet, quòd ex ſufferentia tribulationũ æquo animo ſuſceptarũ, fit probatio, vt hinc vir probatæ virtutis dignoſcatur; vt ita probatio, ſeu approbatio virtutis alicuius apud Deũ, & apud homines appareat, tãquam effectus proueniens ex patientia, & tolerãtia rerũ moleſtarum. Sententia autem Beati Iacobi hunc habet ſenſum: quòd probatio fidei, id eſt illud, quo fit probatio, & experimentum circa fidem alicuius (eſtque ipſa tribulatio, qua probatur tanquam aurum in fornace animus viri patientis, & conſtantis ſibi in fide) operatur patientiã; hoc eſt, producit habitum virtutis patiẽtiæ, quæ per tribulationem, tanquam per materiam, & obiectum producitur, & exercetur in homine.

Ambroſius.

Tho. Aqui.

Iac. 2.

mine. Quod etiam recidit in idem, quod dixit Paulus, ꝙ tribulatio operatur patiētiam. Cui nimirum ſententiæ ſubiungens hanc aliam, ꝙ patientia operatur probationem, dedit nobis intelligere, ꝙ ex patientia tribulationum, hominis pateſit approbata virtus: ſumitque Paulus approbationem, vt iā expletam, vtens hac voce δοκιμὴν. Beatus autem Iacobus accipit probationem faciēdam, & vtitur hac voce δοκίμιον; intelligens tribulationem, qua ſumitur experimentum de patientia hominis.

C *Spes autem non confundit*. Cur ſpes iuſtum hominem non confundat, hæc redditur cauſa ab Apoſtolo; quoniam ſcilicet diffuſa eſt charitas Dei
Chryſoſto. Theophyl. Ambroſius. in corde hominis iuſti. Quæ charitas a Chryſoſtomo, Theophylacto, & Ambroſio intelligitur illa,
Origen. Photius. Theodor. August. quæ eſt in Deo. Origenes autem, Photius, Theodoretus, & Auguſtinus, intelligunt charitatem in corde hominis exiſtentem: & horum ſententiæ fauere vidētur illa verba; *diffuſa eſt in cordibus noſtris*, quod de ipſa charitate Dei, quæ in ipſo eſt, proprie dici non poſſe videtur, quod hæc charitas ſit diffu-
Tho. Aqui. ſa in cordibus noſtris. Thomas vtramque partem tuetur. Poſſumus itaque dicere, quòd cor iuſti induitur charitate Dei; tum, quòd diligi a Deo certus reddatur ex reconciliatione nobis acquiſita per filium ſuum, quem morti non tradidiſſet, niſi nos dilexiſſet: tum quòd habeat repletum cor charitate Dei, qua Deum diligit? Ac propterea in tribulationibus nō ſuccūbit; ſed ſpe, ob futuram gloriam, roboratur, & nequaquam confunditur.

D *Cum adhuc infirmi eſſemus ſecundum tempus, pro impijs mortuus eſt.* Supponit, Chriſtum mortem ſubijſſe pro nobis, quos infirmos nominat, & impios, & paulo poſt peccatores. Illud autē, *ſecundum tempus*, ſunt, qui referant ad tempus præfinitum, quando Chriſtus venit in mundum; iuxta illud ad
Gal. 4. Galat. *Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus fi-*
Ambr. c. 12. *lium ſuum, &c.* Alij, inter quos Ambroſius, referunt ad mortem Chriſti, in qua tribus diebus detētus eſt, ac poſtmodum reſurrexit. Sunt etiam qui hoc referunt ad genus humanum, quod non dum exiſtens reſtauratum per Chriſti gratiam, manebat infirmum, atque imbecille ad tempus, propter inflictum vulnus peccati. Sed ponderandum eſt, idcirco infirmos nos vocari ad tempus; ad ſignificandum, quòd pro illis mortuus eſt Chriſtus, qui ad tempus exiſtentes infirmi, atque peccatores; reſipiſcere aliquando debebant; cum pro ijs efficaciter ad ſalutem; pro omnibus autem ſufficienter obierit. Vnde appoſite admodum interpres repetijt illud, *ſecundum tempus*, quod non legitur in Græco Cod. in ijs verbis. *Quoniam, ſi cum adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus. Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Idque ad manifeſtandum, quòd pro infirmis, impijs, & peccatoribus (qui ad tempus eiuſmodi exiſterent) Chriſtus mortuus eſt, adeo vt efficax in eorum ſalutem eius mors extiterit. Vnde illa difficultas facile tollitur, quomodo Deus dilexerit peccatores, vt dicit hoc loco Apoſtolus; cum ex oppoſito ſit illud Prophetæ; *odiſti omnes, qui operantur iniquitatem*. Dicendum enim, quòd pro peccatoribus ad tempus huiuſmodi exiſtentibus, qui reſipiſcere debebant, Chriſtus mortuus eſt. Vnde cum conuerſi fuerint, non vltra peccatores exiſtunt, neque Deo odibiles. Auguſtinus autem in tract. August. in
Io. tract. 10. Euang. Ioan. reſpondet huic difficultati; *quòd Deus oderat nos, quales ipſe non fecerat; & quia noſtra iniquitas opus eius, non ex omni parte conſumpſerat: hinc nouerat, & odiſſe quod feceramus, & amare quod fecerat.*

E *Vix enim pro iuſto quis moritur; nam pro bono forſitan quis audeat mori.* Communis eſt interpretatio, vt iuſtus, & bonus pro eodem accipiantur, vti ſynomina: & videntur verba reſpondere huic interpretationi. Nam vix mori pro iuſto, inſinuat idipſum, quod, *forte pro bono* (qui idem eſt cum iuſto) quis audeat mori. At mortem ſubire pro impio, & inimico, humanum tranſcendit cogitatum; & tamen Chriſtus pro nobis impijs, & ſibi inimicis oblatus eſt: qua charitate nulla maior, ſed neque par cogitari poteſt. Nonnulli vero ſupponentes iuſtum hominē eſſe eum, qui ſit exercitatus in operibus magni, ac fortis animi; bonum autem eſſe, virum innocentem, & in operibus non exercitatum; ideo interpretātur, quòd pro bono viro quis audeat mori; at non pro iuſto, cui compati ita non contingat, vt qui in grauiſſimis operibus ſit exercitatus, vt poſſit reſiſtere tribulationibus aduerſus ipſum inſurgentibus. Nonnulli etiam referunt iuſtum, vel bonum ad res ipſas. Alij ad perſonas, quorum interpretatio magis conſona videtur verbis Apoſtoli.

F *Propterea ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit.* Suppoſita iuſtificatione, quæ prouenit ex propitiatione facta per ſanguinem Chriſti, & ex fide noſtra in ipſum, vt decet, collocata. (vnde etiam præclara dona iam enumerata conſequuti ſumus) proponit hoc loco Apoſtolus ſtatum hominis iuſtificati, eum comparando ſtatui impietatis, in quo prius erat; vt hinc præclarius patere poſſit, ex quibus nam malis erepti ſimus, & ad quæ bona peruenerimus.

Sed adnotandum, ab ijs verbis: *propterea ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit*, varias periodos, atque parentheſes cum magna orationis hyperbato interponi vſque ad illam partem epiſtolæ, quæ inquit. *Igitur, ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem &c.* vbi reaſſumuntur, ac veluti recapitulantur prius dicta. In quibus multa affert Apoſtolus, conferens Chriſtum cum Adam: illud ſtudens manifeſtare; longe præclariora, atque copioſiora dona a Chriſto emanaſſe in noſtram ſalutem, quàm fuerint mala nobis per Adam inducta; qua in re diſtinctius aperiuntur fructus iuſtificationis a Chriſto nobis comparati. Dicit igitur, quòd per vnum hominem, ipſum Adam, a quo (vti capite mulieris, & cauſa actiua generationis) omnia mala in propagationem humani generis prouenerunt: *peccatum in hunc mundum intrauit*, nempe hunc inferiorem (nam peccatum in Angelis iam præceſſerat) perueniendo in totum genus humanum ex præuaricatione Adæ: & propter peccatum eſt ſubſequuta mors, quam ei Deus comminatus erat, ſi de fructu arboris prohi- Gen. 3.
bitæ comedisset: eademque ſimiliter ad omnes ho-

mines pertranſijt: *in quo omnes peccauerunt*. Non in quo peccato, ſiquidem fœminei generis græce eſt *ἁμαρτία*, articulus vero relatiuus, ἐφ᾽ ᾧ, virilis, aut neutri generis eſt. Sed, in quo homine, in quo ſcilicet Adam omnes peccauerunt. Etenim, quemadmodum in epiſt. ad Heb. dicitur de filijs Leui, quòd fuerunt decimati a Melchiſedech in decimatione Abrahæ, in cuius lumbis erant: ita quoque in lumbis primi parentis inerant homines naſcituri: atque ita ex ſemine Adæ iam contaminato eius poſteri peccatum contraxere: inde ſinguli, vti geniti ex vitio concupiſcentiæ, per continuam ſucceſſionem corpus accipientes hac macula infectum: in quod, cum primum infunditur anima rationalis, quamuis pura, ac ſine vlla macula creata a Deo, illico ex contactu corporis immundi, & ipſa immũda redditur, Deo odibilis, & ita obnoxia ad peccandum, vt non poſſit homo non concupiſcere verita; donec non mundetur, &, per baptiſmum, veterem exuat hominem, & nouum induat. Hunc quippe locum Auguſtinus in epiſt. ad Hilarium, & cõtra duas epiſtolas Pelag. interpretatus eſt de ingreſſu peccati per propagationem, & non ſecundum imitationẽ; vt illi negantes peccatum originale expoſuerunt. Et Auguſtini quidem rationes tanti fecit Concilium Mileuitanum, vt definiret, non aliter intelligendum, quod habet Apoſtolus, per *vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum*, quàm de ingreſſu peccati per propagationem. Et quamquam particula illa, *in quo*, vbi dicitur, *in quo omnes peccauerunt*, Græce habetur non, ἐφ᾽ ᾧ, id eſt, *in quo*, vt legit editio vulgata: ſed ἐφ᾽ ᾧ: quæ particula interdum ſtat cauſalis, vt ſi dicatur, *eo quòd omnes peccauerunt*: attamen non ignorandum plurimos ex Græcis hunc locum exponentibus, non eam ſic accipere; vt apparet inter cęteros, ex ſcholijs Oecumenij, qui aperte exponit, ἐφ᾽ ᾧ, id eſt, *in quo* ſcilicet Adam. Sed & ſi acciperetur cauſalis, optime conſiſteret cum expoſitione Auguſtini. Nam ſenſus erit, quòd mors in omnes tranſijt, in quantum, vel eo quòd omnes peccauerunt, in vno illo homine peccante, ex quo omnes traxere naturam vitiatam, & ſpoliatam rectitudine, in qua condita erat.

Hebr. 7.

Aug. ad Hyla. epiſt. 89. idem lib. 4. con. pel. c. 4

Schol. Oecum.

Verum & ad clariorem huius loci intelligẽtiam, perpendenda ſunt illa alia verba Apoſtoli paulo infra. *Sed regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſem etiam in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ*. Ex quibus aperte colligitur, notari aliquos, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ: quod quidem ſignificat, aliquos non fuiſſe imitatos Adæ peccatũ: At hoc manifeſte aduerſatur priori dicto, quòd omnes peccauerunt ſecundum imitationem, ſi, ſecundum imitationem, de peccato eſt illa ſentẽtia intelligenda. Quare, ne cogamur aſſerere, quòd Apoſtolus ſibi contradicat, fateri oportet, priorem ſententiam, ex *quo omnes peccauerunt*, intelligi de peccato per propagationem in omnes ex vno homine peccante ſubſequuto. poſteriorem vero de peccato ſecundum imitationem, quod aliqui non commiſerunt, vt infantes, qui abſque vſu rationis decedũt, qui tamen mortales effecti ſunt ob peccatum primi parentis in ipſos etiam propagatum, eo modo, vti explicatum eſt. Neque vero infringeret hanc, quam intulimus argumentationem, qui diceret, aliter etiam legi verba adducta: nempe ſine negatione: *etiam in eos, qui peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ*. ſiquidem duplex extitit lectio referente Auguſtino; tum affirmatiua, tum negatiua, quam retinuit editio vulgata, & ſequuti ſunt Theophylactus, Oecumenius, & Chryſoſtomus: Etenim etiam legendo affirmatiue, adhuc argueretur Apoſtolus dicens ſibi pugnantia, ſi vterque locus de peccato ſecundum imitationem intelligeretur. Quandoquidem Apoſtoli verba ſunt reſtrictiue poſita, etiam ſi affirmatiue legantur; quòd *mors pertranſijt etiam in eos, qui peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ*: ita enim dicendo, quòd *in eos etiam qui peccauerunt in ſimilitudinem &c.* mors pertranſijt, manifeſte innuitur aliquos fuiſſe, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ: vt dictum eſt de infantibus abſque vſu rationis decedentibus, in quos etiam mors pertranſijt. Atqui prius dictum Apoſtoli ſtat vniuerſale, quòd omnes peccauerunt: ſi ergo (vti intelligebant Pelagiani) omnes peccauerunt ſecundum imitationem Adæ peccati, iam non ſtaret poſterius dictum Apoſtoli cum priori; ſed eſſet cõtrarium, quòd aliqui & non omnes hunc in modum peccauerunt. Et quoniam negantes peccatum ex origine, ad hanc hæreſim aſtruendam hoc ſumebant argumentum, quòd non dixiſſet Apoſtolus, *per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit*; eo quòd non per vnum, ſed per duos potius, & primum per mulierem habuit exordium peccatum: ad hoc dici poteſt, nullã hinc aſtrui probationem; ſed inſolẽtem ſe detegere, quicũq; hac ratiocinatione audeat taxare Apoſtolũ, de primo homine formulam loquendi, & non ſimul de muliere ſecutum; quam obſeruauit pluries & alibi, & præcipue in hoc capite, vt cum ſubiungit. *regnauit mors etiam in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, qui eſt forma futuri*. Idem paulo poſt: *ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt*. Et eodem loco. *& non ſicuti per vnum, peccatum*. Idem paulo infra: *ſi enim vnius delicto mors regnauit per vnum*. Et deinceps. *ſicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, &c.* Quibus in locis omnibus apparet, Adam ſolum connotari peccantem; cum tamen & Eua præuaricata fuerit, & prior ſeducta. Verũ adnotandum eſt, hanc formam orationis Apoſtolum dedita opera ſequutum eſſe; tum, vt commodius Chriſti nouiſſimi Adam comparationem aſtrueret cum primo Adam, qui eſt forma futuri, alterum altero comparando; tum etiam, quoniam Adam primo creatus eſt, ac deinde eius coſta ędificata eſt in mulierem, in eius auxilium, cuius caput eſſet vir; adeo quòd niſi peccaſſet Adam, pomum vetitum comedẽdo mulieris illecebris allectus; nec ipſe, nec Eua mortales eſſent effecti; neque in poſteros peccatum eorum, & communis mors propagaſſet; cum ex viri ſemine, vti cauſa efficiente prolis, pẽdeat generatio. Et ideo Chriſtus a participatione præuaricationis Adę exceptus eſt, & non conceptus in pec-

Aug. lib. 1. de pec. mer. & rem. c. 11. Idem ep. 89.

Gen. 2.

cato

catto originali;vt qui (& ſi ex ſanguine mulieris virginis immaculatæ originem ducentis ex ſemine Adæ traxerit ſaę humanitatis generationem) attamen ex ſemine viri non propagauit, a quo profluit humanę generationis cõtaminatio; ſed ex Dei virtute ſuperueniente, & obumbrante Virgini, formatus eſt in hominem ſanctum, innocẽtem, immaculatum, & a peccatoribus ſegregatum; qualem eſſe

Hebr. 7.

decebat humanitatem, quæ Verbi diuinitati in eadem perſona vnienda erat. Sed & nil aduerſatur, quin dicamus, & eius ſanctiſſimã Genetricem (vt pie creditur) hoc peccatum non incurriſſe, cum non ſit impoſſibile apud Deum omne verbum.

Luc. 1.

G *Vſque ad legem enim peccatum erat in mundo.* Peccatum illud, quod intrauit in mundum ob delictum primi parentis, iuſtitiæ originalis diſſolutionem continens vna cum vulnere concupiſcentiæ, quod animam Deo odibilem reddit, ſi eius incitationibus aſſentiat inſertũ in hominibus, qui proueneiũt ab Adã; aderat vtiq; vſque ad legẽ: non vſq; ad initiũ legis tantũ: verum etiã (vt exponit Theo-

Theod.

doretus) vſque ad finem legis: quinimmo dicendũ eſt, quòd etiam poſt legem expletã per Chiſtum, omnibus exinde natis, & iis qui naſcentur vſque ad finẽ mundi, pręſto & adeſt, & adfuturum eſt ſemper peccatum originale, donec ab ipſo non emundentur regenerati per baptiſmũ. Verum ad denotãdũ continuationẽ temporis, in qub (poſtquã deliquit primus parens, & per ipſum intrauit peccatum in mundum) peccatum hoc ſemper fuit in mũdo; dictum eſt ab Apoſtolo, ꝙ peccatũ erat in mundo vſq; ad legem: id eſt, cõtinuauit ſemper exiſtens in omni tempore, quod præceſſit legem; neque vero ibi conſiſtens: adeo vt hoc aduerbiũ, *vſque*, ſumatur in eo ſignificatu; in quo infra ſumitur, vbi eſt ſermo

Roman. 11.

de reprobatione Iudæorũ, quòd *dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, oculos, vt non videant, & aures, vt non audiant, vſque in hodiernum diem:* hic enim pariter accipitur, *vſque*, ad denotandũ temporis con-

Roman. 10.

tinuationem, in quo viget obcæcatio Iudæorum: Non ab re autem dixit Apoſtolus, vſq. ad legẽ extitiſſe peccatum in mundo: quoniam expleta lege a Chriſto, qui eſt finis legis, poſt conſummatã paſſionem, deletum eſt peccatum originale in carnis ſuæ crucifixione, vt ita ſublata fuerit pœna originalis a patribus veteris teſtamẽti, qui, ab illa nondum liberi, in lymbo detinebãtur; nec non auferetur eiuſdẽ peccati culpa ab omnibus, qui, vt decet, ſacro baptiſmate inſigniuntur.

H *Peccatum autem non imputabatur cum lex non eſſet.* Dictum peccatũ ex origine contractum, non imputabatur, ſeu non adſcribebatur pro peccato apud homines, cum non conſtaret hominibus (ſaltem generatim) eſſe peccatũ; ſicuti poſt legem datam eſt imputatũ, & cognitum ita imputari, vt per ipſum in condemnationẽ trahantur, qui ab eo non

Aug. ad Hylar. ep. 89.

fuerint emũdati. Auguſtinus autẽ ad conſulta Hilarij explicans hoc dictũ, *non imputabatur peccatum;* animaduertit; quòd Apoſtolus nõ dixit; non erat, ſed nõ imputabatur, quia non erat lex arguẽs, ſiue naturalis, ſiue Moſaica, qua oſtenditur peccatum.

I *Sed regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſem;*

Theodor.

Hoc eſt, vſque ad legem, vti exponit Theodoretus: hinc continuationem temporis ſignificans Apoſtolus, in quo mors, quæ ſubſequuta eſt ad peccatum

Gen. 3.

(mors inquam illa, quam cõminatus fuerat Deus Adæ, per quam fit animæ ſeparatio a corpore) ſemper continuauit, quæ etiam aderit, & continuabit vſque ad finem huius ſeculi, regnans in omnibus hominibus. Et ita quidem aderat, & graſſabatur continue hęc mors ab Adam incipiens, & progrediens in omnes poſteros; vt vulnus ſuum mortale infligeret etiam in eos, *qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ.* Veluti, ſunt infantes, decedentes ante rationis vſum. Etenim & hi perpeſſi ſunt mortem; licet non peccauerint in ſimilitudinem præuaricationis Adæ; quemadmodũ illi peccant, qui (vt exponit Theodoretus) ſi non

Theodor.

ſunt tranſgreſſi illud idem mandatum, quod tranſgreſſus eſt Adam, alia certe mandata tranſgreſſi ſunt, prohibita perpetrando: ſicuti & Adam vetitum ſibi pomum comedit. In eos igitur quoq; mors regnauit, qui hunc in modum non peccauerunt: ſed quia obſtricti lege peccati originalis eſſent, & ipſi mortem, quæ ſubſequuta eſt ad peccatum, ſunt perpeſſi: ex quo manifeſtatur, ꝙ aderat peccatum in omnibus, quando mors conſequens ad peccatum originale, in omnibus eſt dominata. Au-

Aug. in lib. 1. de pec. mer. & remiſs. c. 11. Orig. lib. 5. c. 5. ad Roman.

guſtinus autem (vt dictum eſt antea) agnouit etiã lectionem, quam ſequutus eſt Origenes. Nempe, ꝙ mors regnauit etiam in eos, qui peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ: vbi Origenes intelligit, per *mortem*, ipſam perpetuam animæ condemnationem. Verum Auguſtinus aliam lectionem iam expoſitam, vti communiorem, magis approbat.

Origenes autem nequaquam admittens, ꝙ ante legem peccatum non eſſet cognitum, (intelligens ipſum peccatum actuale) cum pateat de Cain, & de Lamech, qui propria peccata non digna venia agnouerunt; nec non & in vniuerſali diluuio, & in deſolatione ſodomorum, peccata, & imputata, & grauiter punita fuerunt. Vnde vrget eos, qui explicant, ante legem peccatum non fuiſſe imputatum; quoniã ſcilicet non ita aperte dignoſcebatur, dum ignorarent homines, quòd a Deo eſſent punienda peccata. Ipſe igitur per, *legem*, intelligit legem a natura inſitam nobis, qua diſcernimus bonum, & malum. Quæ, cum non vigeat in homine, niſi quando in ipſo vis rationis vigeat; hinc (inquit Origenes) fuiſſe quidem peccatum in mũdo, antequam lex naturalis in quoq; homine vigeret; ſed non imputatũ eſſe alicui, niſi poſtquam locum habuit in quocunque lex naturalis diſcernẽdi bonum a malo. Atqui, cum Apoſtolus palã loquatur de Moyſe, ac conſequẽter de lege Moſaica; idcirco Origenis interpretatio difficile ſuſtineri poteſt. Nos autẽ redimẽtes nos ab ea difficultate, qua Origenes vrget eos, qui opinantur ante legem Moyſi peccatum non fuiſſe cognitum; iam antea patefecimus, peccatum originale, non niſi poſt legẽ Moyſi prohibentem concupiſcere, generatim ab hominibus fuiſſe cognitum, licèt eſſet in mundo. Theo-

Theod.

doretus vero circa illud, *per vnum hominem pecca-*

tum intrauit in mundum, animaduertit, non potuiſſe hominem, creatum cum facultate diſcernendi bona & mala, viuere ſine præcepto legis; quod tranſgrediens, ideo in mortem incidit ſibi comminatã; ad quam tota ſimul poſteritas infecta, & obſtricta eſtique deinde ob neceſſitatem cibi, & aliarum rerum, ex exuperantiæ vſu defluxit in alia quoque peccata.

K *Si enim vnius delicto multi mortui ſunt*. De ijs mortuis eſt intelligendum, qui traditi ſunt in æternam cõdemnationem. Nam quo ad mortem hanc momentaneam, non multi, ſed omnes moriuntur; adeo quòd etiam qui reſidui erunt viui in die iu-
1.Theſſ. 4. dicij, mortem guſtabunt, raptim tamen, & non ſe
1.Cor. 15. cundum dormitionem. Vnde ad Corinthios ſcribens Apoſtolus ait. *Et ſicuti in Adam omnes moriuntur; ita in Chriſto omnes viuificabuntur*: loquens de morte, qua ſeparatur corpus ab anima, & de corporum reſurrectione; quorum vtrumq. omnibus hominibus eſt commune: quamuis alia reſurrectio corporum in beatis, alia in damnatis ſit futura. *Multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit*. Quòd opus gratiç, (quo ad opus) excedere debeat in dono collato malefactum primi parentis Adæ, ſupponendũ eſt; prout Apoſtulus oſtendit. Sed, cum interpres legat, gratiam Dei in plures abundaſſe: aduertendum hanc vocem, *plures*, non ita accipiendum, quòd plures ſint facti ſalui, quàm ſint illi, qui damnãtur; cum potius oppoſitum ſentiendum ſit. Verũ grçce legitur, εἰς τοὺς πολλοὺς, id eſt, in multos; ſicuti etiã de ijs qui damnantur, legitur, οἱ πολλοί, id eſt, multi; adeo quòd non plures, ſed multi vtraque ex parte ſunt intelligendi, & non plures ex altera parte, ſicuti intelligẽdũ eſſet, ſi legeretur, εἰς τοὺς πλείονας:
August. ad Hilar. epiſt. 89. quemadmodum Auguſt. in epiſt. ad conſulta Hyl. adnotauit. Prædictaq. ſententia concors eſt huic alij, quam ſubiũgit Apoſtolus inquiens; *ſicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi; ita etiam per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi*. Dicuntur autem conſtituti multi peccatores hoc in loco, quo ad proprium reatum ex propria cuiuſque præuaricatione, quç tamen effluxit e delicto primo parẽtis; ex quo vitiata eſt humana natura, & ad peccandum maxime procliuis effecta. Alioquin dicendum eſſet, quòd omnes homines peccatores conſtituti ſunt ex delicto ipſius Adæ; in quo non aliqui, aut multi, ſed omnes homines peccauerũt, vt dixit antea Apoſtolus. Quòd autẽ gratia Dei, in gratiã Ieſu Chriſti ob eius merita in hominũ vtilitatem abũdauerit ſupra damnum illatũ ex præuaricatione primi parentis; oſtendit Apoſtolus; tum ex ipſa cauſa operãte; cũ gratia
Theophyl. Dei & merita Ieſu Chriſti filij (vt ait Theophyl.) ſimul cõuenerint in plenitudine doni nobis collatis; ex altera autẽ parte in noſtrum damnũ vnus homo præuaricans fuerit in cauſa: tum etiam ex ipſomet effectu. Nam, ex vno delicto primi hominis, erat inducta in omnes homines condemnatio. At per gratiam Dei in Chriſto Ieſu, non ſolum ereptio eſt facta a condemnatione generali omniũ hominum a primo parente cauſata; verum etiam a cõdemnatione plurimorum delictorum; immo omnium, quibus quicunque homines fuiſſent conſpurcati; ob quç & ſinguli mulctandi erant; a quibus tamen omnibus, per Chriſtum Ieſum mediatorem, ereptũ eſt genus humanum, niſi ipſum ſibi deſit. Accedit ad hæc, quòd homines ſuſcipientes fidem Chriſti, donationem maiorẽ accipiunt ad ſe ipſos ſanctificandos, ob Spiritum ſanctum Chriſti fidelibus ob Chriſti merita copioſiorem communicatũ, quàm in prima hominis creatione fuerit ei collatus. Hoc enim inferunt illa Apoſtoli verba; *abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes*. Vnde iure infert Apoſtolus, quòd hi, tales exiſtẽtes, multo magis in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. Ex quibus omnibus forte deſumptũ eſt illud ab Eccleſia decantatũ in ſolemnitate Sabbathi ſancti: *O vere neceſſarium Adæ peccatum*; vt hinc Eccleſia inſinuet mirabilia dona, & abundantiam gratiæ collatç generi humano ob Chriſti paſſionẽ, atque mortem; quæ non habita fuiſſent, niſi Adam peccaſſet.

L *Lex autem ſubintrauit, vt abundaret delictum*.
Auguſtinus, in lib. ad cõſulta Hylarij, legem accipi Aug. ad Hylar. ep. 89.
poſſe dicit, vel naturalem, cum vſus rationis prçſto adeſt, vel legem Moſaicam, ſicuti communiter omnes interpretãtur: excepto Origene, qui legẽ hanc Orig. lib. 5. c. 5. ad Roman.
ſubingreſſam intelligit legem in membris exiſtentem, de qua infra dicitur; quod eſt lex aduerſaria le- Roman. 7.
gi Dei in mente ſcriptæ, per quam abundauit peccatum. Dum autem dicitur, quòd lex ſubintrauit, vt abundaret delictum; & ſi intelligamus de lege Moyſi; attamen non propterea dicimus, quòd hçc ſit ſubinducta vt abũdaret delictum; ſed quòd ita ſucceſſit, vt delictum magis abundaret noſtra quidem culpa; non legis; quæ, prohibendo concupiſcentiam, ad cognoſcendum perditum noſtrũ ſtatum nos reuocabat; & ad Dei miſericordiam implorandam excitabat; dum cognoſceremus, ex nobis ipſis aptos nos non eſſe legis obſeruare mandata ſine ſpeciali auxilio Dei: quod copioſiſſimum ex Chriſti meritis ad nos in ipſum credentes emanauit. Abundaſſe autem delictum ex ingreſſu legis idcirco dicitur; tum, quoniam ad peccatum iam contractum ex reatu primi parẽtis, acceſſit etiam delictum proprium cuiuſque contra legis mandatum concupiſcentiæ; tum etiam quoniam, ex prohibitione inducta a lege, creuit libido cõcupiſcẽtiæ
ob ipſammet prohibitionem. Theodoretus autem Theod.
inquit: quo plura prçcepta per legem data ſunt, eo plures tranſgreſſores fuerunt.

PARAPHRASIS. CAP. VI.

QVID ergo dicemus? An, quoniam aſſeruimus, ad accumulata peccata ſupercreuiſſe quoque gratiam Dei, idcirco manebimus in peccato, vt gratia abundet? Abſit hoc. Nam, quicunque conuerſi ad fidem Chriſti mortui ſumus peccato, ita vt nec illud viuat in nobis, neque nos illi ſeruiamus; quomodo, quoue prætextu animum vnquam inducere poſ-

re poſſumus, vt ſub eius imperio viuere nobis fas eſſe ducamus? An ignoratis, quòd quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in ipſo incorporati, in eius morte baptizati ſumus? Ex quo ſequitur, vt una cum ipſo conſepulti ſimus per baptiſmum in morte; vt, quemadmodum Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam patris, ita & non excitati a morte peccati, ambulemus in nouitate vitæ, in laudem, & gloriam magni Dei; alias cogitationes, aliosq; mores ſectando. Si enim complantanti, coinſitique facti ſumus in ſimilitudinem mortis eius, animo mortui exiſtẽtes peccato, prout & Chriſtus pro peccatis mortem obijt; erimus vtique & coinſiti in eius ſimilitudinem reſurrectionis, ſectando aliud nouũ viuendi genus longe a peccatis alienum. Illud hinc dignoſcentes, quòd vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt cum Chriſto, illa prior noſtra deprauata natura; eo nempe decreto, vt diſſoluatur in nobis corpus peccati; illud nimirum radicatum, nobisq; inhærens graue dominium fomitis, quo tenebamur obſtricti ex primo originis noſtræ delicto: ex quo, per proprium noſtrum reatum, in alia quoque peccata trudebamur: ac ita quidem diſſoluatur, vt non amplius eius ſeruiamus imperio. Nam qui mortuus eſt peccato, Chriſti mortis ſimilitudinem (vt dictum eſt) præſeferẽs, is iuſtificatus, & ereptus a ſeruitute peccati intelligitur. Et, (vt alacrius hanc viuendi rationem teneamus) quicunque mortui ſumus cum Chriſto; hac quoque ſulcimur ſpe, & ſuſtentamur, quòd etiam vna cum Chriſto viuemus; ſcientes quòd Chriſtus, qui reſurrexit a mortuis, non amplius moritur, mors illi vltra non dominabitur. Nam quòd ipſe mortem obierit, id ſemel effectum eſt, vt morte ſua pro peccato ſatisfaceret: quòd autem viuit, apud Deum viuit vitam nũquam deſituram. Ita igitur & vos exiſtimate mortuos quidem eſſe peccato, vt vobis vltra non dominetur; viuere autem Deo in Chriſto Ieſu Domino noſtro, vt Deo ſemper ſeruiatis. Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore; quod fieret, ſi ei obtemperaretis, obſequendo cõcupiſcẽtijs, quæ excitantur in carne ex fomite ad peccãdum inducẽte, in ipſa relicto ex peccato primi parentis; ſicuti etiã ex eo traditum eſt corpus in mortis cõdemnationem. Neque exhibeatis membra veſtra, arma iniquitatis ſeruientia peccato: ſed exhibete vos Deo tanquam viuentes pro mortuis, qui prius exiſtebatis, & membra veſtra arma iuſtitiæ ad ſeruiendum Deo. Nam ſi tales vos præſtiteritis, peccatum vobis non dominabitur. Non enim eſtis ſub lege, per quam occaſio, & detectio peccati tantummodo habebatur; nõ autem ereptio a peccato: ſed eſtis ſub gratia, per quam omnimoda a peccatis iuſtificatio obtinetur, & virtus præſtatur ad hanc iuſtitiam conſeruãdam, Deo ita concedente in gratiam Ieſu Chriſti pro nobis ad mortem traditi. Sed quid? (ſcrupulus enim & alius ex iam dictis excitari poteſt) nũ peccabimus, quaſi id nobis licitum ſit, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? Abſit & hoc. An neſcitis, q̃ cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius, cui obediẽtiam præſtatis? ſiue peccati, ex quo tradimini in mortem; ſiue illius bonæ obedientiæ, ex qua ducimini in ſanctificationem. Sed gratię ſint Deo, quòd cũ olim fueritis ſerui peccati, mox obediſtis ex corde in eam formam doctrinæ, in quam imbuendos promptos vos conceſſiſtis. Liberati autem a peccato, obſtricti eſtis ſeruituti iuſtitiæ. Quid autem hæc ſeruitus poſtulet a vobis (ne alta, & grauiora petam, vobis parcens, ac veſtræ imbecillitatis rationem habens) humana tãtummodo proponam, quæ & hominem decent, & ſunt non grauia, eademque & iuri congruentia. Vt, quemadmodum exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati cõtractæ ex primo parente, hinc proprio reatu, in peccata, atque in iniquitatem vos tradendo; ita & nunc ad hoc ſaltem obſtricti ſitis, vt exhibeatis membra veſtra ad ſeruiendum iuſtitię in ſanctificationem; vt, ſicuti, Dei gratia, ad iuſtitiam aſſumpti eſtis, ita hinc ad ſanctitatem maiorem in dies perducamini. Etenim, cum ſeruitute peccati obſtricti tenebamini, liberi eratis a iuſtitia. Quare & nũc liberati a peccato, iuſtitiæ ſeruitute obſtringimini. Sed o bone Deus, quàm magnum eſt diſcrimen inter vnam, & alteram ſeruitutem? Si illam, quæ peccati erat, ſeruitutem reſpicitis; penſate nũc, quem nam fructum percepiſtis ex ijs, quæ operabimini cum peccato, de quibus nũc verecundamini? Horum enim finis eſt mors, in quam truditur peccator. Nunc autem liberati a peccato, ſerui vero effecti Deo, ex hac ſeruitute habetis fructum veſtrũ in ſanctificationem; finem autem vitam ęternam. Stipẽdium enim peccati eſt mors, quæ ſoluitur eius ſeruis, atq; mancipijs. Donum autem, quod Deus largitur ſibi obtemperantibus, eſt vita ęterna, quæ in gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti confertur ijs, qui eius fidem, atque veſtigia ſectantur.

Editio vulgata.

QVID ergo dicemus? Permanebimus in peccato, vt gratia abundet? Abſit. Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? An ignoratis, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortẽ: vt quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius: ſimul & reſurrectionis erimus. Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, vt vltra non ſeruiamus peccato. Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt a peccato. Si autem mortui ſumus cum Chriſto: credimus, quia ſimul etiam viuemus cum Chriſto: ſcientes, quòd Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quòd enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel; quòd autem viuit, viuit Deo. Ita & vos exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius. Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato; ſed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes, & membra veſtra arma

iuſtitia

iuſtitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur, non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia. Quid ergo? peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? Abſit. Neſcitis, quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obeditis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam? Gratias autem Deo, quòd fuiſtis ſerui peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi eſtis. Liberati autem a peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ. Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ, ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati, ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ, in ſanctificationem. Cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt. Nunc vero liberati a peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam: Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

ADNOTATIONES.

A M*ANEBIMVS in peccato, vt gratia abundet?* Magnificauerat Apoſtolus grariam Dei per Chriſtum ad nos emanantem; ita vt ad accumolata peccata ſuperabũdauerit etiam gratia; ex quo dicto offerebatur ijs, qui (vt ſolent hæretici facile corrumpunt ſenſum ſcripturæ) occaſio diſſeminandi, quòd eſſent facienda mala, vt gratia Dei erga nos abundaret, idqoe ex Apoſtoli verbis colligere nitebantur. Qui ſtatim omnem hanc tollit occaſionem, docens hæc inuicem aduerſari; vt, qui mortuus eſt peccato, ei renuncians, eidem viuere, atque ſeruire vltra velit; ex hoc autem oſtendens, illos mortuos eſſe peccato, qui in Chriſto Ieſo ſunt baptizati, in eius morte, qui ad deſtruendũ peccatum mortuus eſt. Siquidem per baptiſmum conſepulti ſumus in ipſo in morte, quam proteſtamur, dum ter immergimur in aqua per baptiſmũ, ad denorandum Chriſti ſepulturam, in qua fuit tribus diebus: ſicuti reſurrectionem Chriſti (quã imitamur in reſurgendo ad nouam vitam) innuimus, & ſignificamus, dum extollimur ab immerſione aquæ. Mortuus autem peccato homo intelligitur
Galat.6. ad illum ſenſum, in quo dicitur in epiſtola ad Gal. *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* In epiſt.
Eph.2. autem ad Epheſ. dum dicit Apoſtolus: *& vos conuiuificauit, cum eſſetis mortui delictis*; illos mortuos eſſe ſignificauit, ac morti traditos ob delicta, quæ pattarant; nõ autem mortuos eſſe delictis, vt eorum non vltra ſuccumbant imperio, vt intelligitur hoc loco. Adnotanda autem ſingularis prudentia Apoſtoli plena zelo Dei, qui cõſpiciens ex ſuſcepto ſermone anſam dobitationum poſſe oriri, quę ad prauam doctrinam amplexandã poſſent homines ſubuertere, funditus a radice ipſam ſtatim amputat, quod maximopere curę debet eſſe, ijs, qui operam nauant in exponenda ſacra ſcriptura.

B *Si enim complantati facti ſumus. ſimilitudini mortis eius, ſimul reſurrectionis erimus.* Chryſoſtomus io interpretatione horum verborum animad- Chryſoſt. Hom. 1.
uertit, verbum hoc, *ſimilitudini*, quod morti adiectum eſt, idcirco ab Apoſtolo non appoſitum fuiſſe *reſurrectioni*, vt alacriores redderentur Romani ex ſpe illis appoſita conſequendæ reſurrectionis corporum: & ideo (ſecundum ipſum) non loquitur Apoſtolus hoc loco metaphorice de reſurrectione ad nouam uitam. Verum, quæ ſubiuogit Apoſtolus, denotare oidentur ſermonem de reſurrectione ad nouum genus nitæ, dum inquit: *Hoc ſcientes, quòd vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati.* Vnde innuit, quòd confirmare nos debemus reſurrectioni Chriſti, reſurgentes & nos ad oooam uitam. In Chriſti quidem crucifixione ſimul crucifixa eſt natura illa humana coinquinata, quam quiſque ab initio oatiuitatis contrahit; ita quidem, ot in nouam formetur penes illos homines, qui, per baptiſmum ad Chriſti mortis ſimilitudinem ſuſceptum, peccato commoriuntur; in quibus dicitur eſſe crucifixus vetus homo, & mutatus in nooum.

Adoertit autem Origenes, dici, coinſitos, & con- Orig. lib.6. c.6. ad Roman.
regnantes cum Chriſto; non aotem combaptizatos; eo quòd Chriſtus ſuſcepit a Ioanne baptiſmum, qui diuerſus eſt ab eo, qui fit in Chriſto io eius ſanguine; in quo per fidem bapozãtur fideles; ita quidem, vt ex baptiſmatis ſuſceptione, ex ipſa immerſione corporis in aqua, coinſeratur, & complantetur homo in Chriſto per gratiam e ſacramento baptiſmatis emanantem.

Dubitat autem hoc loco Origenes, quare dixerit Orig. ibid.
Apoſtolos; *baptizati in Chriſto*, cum legitimus non cenſeatur baptiſmus, qui oon ſit factus in nomine Trinitatis. Et reſpondet, ita dictum ab Apoſtolo, qoonlam non tam baptiſmi, quàm mortis Chriſti rationem diſcutere uolebat. Vnde non conueniebat, inqoit, vbi de morte diceret, nel Patrem nominaret, uel Spiritum ſanctum.

C *Vt deſtruatur corpus peccati.* Ambroſius in- Ambr. c.15.
telligit ipſam congeriem malorũ, ex qua quoddam corpus peccati conſtruitur. Ita enim habet, *vt corpus deſtruatur peccati, quod eſt cuncta crimina.*
Theophylactus intelligit ipſum corpus ad peccan- Theophyl.
dum procline, cuius mala affectio tollitur per Chriſti crucifixionem, & hominis ſuſcipientis baptiſmũ conmoritionem ad peccatum. An forte, cum dicitur, *corpus peccati*, corpus metaphorice accipiendum eſt, prout etiam Ariſt. hac ooce uſos eſt in primo libro Rethor. prope initinm; dum appellaoit enthimena corpus perſuaſionis, innoens per, *corpus* ipſam ſubſtantiam, & fundamentum, cui alia omnia inhærere debeant: ſicuti eſt enthimena in genere perſuadẽdi, cui aliæ probationes, vt hinc robur habeant, præcipue innituntur. Similiter igitur, & hic per, *corpus peccati*, intelligi poſſet peccatum ex origine cõtractũ, & fomes ipſe vetita cõcupiſcẽdi inhærens animæ, & eam ſuis incitationibus prouocans ad peccãdum; qui ſane corpus & ſubſtãtia omnium peccatorum ex hoc ipſo credendus eſt; quoniam ab hac radice concupiſcentiæ fluunt omnia peccata, quæ in ea fulciuntur, atque ſubſiſtunt;

ſtunt, ita quidẽ, vt ſublata concupiſcentia, peccata omnia vt tollantur neceſſe ſit. Deſtruitur autẽ hoc corpus peccati per Chriſti crucifixionem in ijs, qui per baptiſmum Chriſto commoriuntur: qui & a macula inuſta animę abluuntur, & ſancti Spiritus virtute roborantur, ad hoc, vt non amplius eius tyrannidi atque imperio ſubiaceant: cum poſſint (dummodo & ipſi proprium ſtudium conferant, imploratoq. ſemper Dei auxilio) per receptã Dei gratiam reſiſtere inſurgentibus concupiſcentiæ ſtimulis, & eius fomiti aſſenſum non præſtare; qui quidem relinquitur in carne etiam poſt baptiſmũ, non ad condemnationem, vt alias dictum eſt, ſed ad agonem, vt dicitur infra; ac nõ niſi per corporis

Roman. 8.

propriam mortem penitus eſt euacuandus. In hanc ſententiã conſentire videntur, quę habet Auguſti-

Aug. in lib. de baptiſ. paruul.

nus in lib. de baptiſmo paruulorum, dum inquit: ꝙ gratia Dei per baptiſmum fit, non vt euacuetur, & abſumatur, vt non ſit in carne viuente fomes cõcupiſcentiæ, & lex in membris repũgnãs legi mentis; id enim non niſi miraculo creatoris contingit: ſed bene vt omne dictũ, & factum cum obſequio concupiſcentiæ aboleatur, & virtus adſit (ex gratia Dei) animæ ſic liberæ pugnandi cum auxilio Dei pro repellenda mala concupiſcentia.

D *Qui, enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt a peccato.* Id quidem ita patet; nam, qui per abominationem moritur peccato, is iuſtificatus, ac iuſte exemptus a ſeruitute peccati intelligitur.

Ioan. 10.
Pſal. 87.

E *Mors illi vltra nõ dominabitur.* Igitur Chriſto; dicet aliquis, mors eſt dominata; cum tamẽ in eius poteſtate eſſet animam ponere, vti etiam de ipſo

Orig. lib. 5. c. 6. ad Roman.

dicitur, quòd ſolus inter mortuos liber? Origenes reſpondet ad hanc dubitationem; quòd, quoniam Chriſtus factus eſt in formam ſerui, & ita humiliauit ſe, vt ſubiret mortẽ, cui humanitas hæc noſtra ſubiecta eſt; hinc igitur dominata eſt mors illi carni, quæ cũ humilitate & corruptione ſuſcepta erat. Addamus, quòd dominium poteſt eſſe cum libertate ſeruientis, & obedientis domino; ſicuti optimi regis imperio parent populi voluntarie; tyrannis autem eſt violẽta dominatio, quæ exercetur cõtra ſeruientis voluntatem. Hac igitur dominatione tyrannica dicimus, quòd non dominata eſt mors ipſi Chriſto; propterea quòd mortem poterat effugere; ac niſi ſe illi tradidiſſet ſua voluntate, mors dominium obtinere in eum non potuiſſet; cum tamen omnes homines velint, nolint, ob peccatum primi parentis, mortis imperio neceſſario ſint obſtricti. Quod autem ſubiungit Apoſtolus de Chriſto: *quòd enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel;*

Aug. in lib. Ench. c. 41.

quòd autem viuit, viuit Deo. Auguſt in lib. Enchirid. inquit: *peccatum Chriſto non inerat, et tamen quodammodo peccato mortuus eſt, dum moritur carne, in qua ſimilitudo peccati erat.* Videtur etiam dici poſſe, ꝙ Chriſtus mortuus eſt peccato, dum ſatisfecit peccato: reddens illi debitum, quod ſibi peccatum vendicabat; vt nos ab ipſo peccato, & a morte ꝑpetua liberaret. Semel autẽ Chriſtus mortuus eſt, quia (vt

Hebr. 9.

dicitur in epiſt. ad Heb.) Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorũ exhaurienda peccata: ita vt per hoſtiã ſuam maneat vſq. ad conſummationẽ ſeculorũ pro ſuis fidelibus interpellãs apud Patrem, *viuit autem Deo*: id eſt, indiſſolubiliter: nempe in ſempiternum

Chryſoſto. Hom. 11.

vna cũ Patre, vt interpretatur Chryſoſtomus. Addamus, ad gloriam Dei, ad magnificandam Dei bonitatem atque potẽtiam: ſicut antea dixit Apoſtolus, quòd Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam patris. Aut per Dei virtutem reſurrexit, quod cedit in gloriam Patris.

F *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore.* Animaduertit Auguſt. in tractatu Pſal. 35.

Auguſt. in tract. Pſ. 35.

quòd Apoſtolus non dixit. *Non ſit peccatum*; ſed, *non regnet peccatum: ineſt ſiquidem peccatum*, *inquit, dum delectaris: regnat vero cum conſenſeris. At ſi voluptas verbi ſcientia Dei prævalet, iam non regnat. Sat vincit ſic homo peccatum: non autem deſinit eſſe fomes, niſi cum hoc mortale induerit immortalitatem.* Quod autem habet Apoſtolus, *in veſtro*

Theodor.

mortali corpore, inquit, Theodoretus, hinc inſinuari

Orig. lib. 6. c. 6. ad Roman.

bellum non futurum diuturnum. Origenes autem *mortale corpus* dictum ait; vel quoniam mortuum ſit: vel *mortale*, ad differentiam immortalis. Poſſet etiam dictũ eſſe ad terrorẽ noſtrum, ne peccemus cum hinc in mortem tradamur. Et cum hoc detur

Orig. ibid.

in præcepto ab Apoſtolo, hinc colligit Origenes, eſſe igitur in noſtra poteſtate, vt hoc exequamur. Quemadmodum etiã ex eo apparet, quod ſubiunxit Apoſtolus, hortans vt exhibeant Romani membra ſeruire iuſtitiæ, & ſanctitati: ex quo etiam colligitur, requiri ab homine iuſtificato, vt bona opera faciat, nẽpe congruẽtia iuſtitiæ; nũquam tamen ſine ſpeciali Dei gratia aſſiſtente, & adiuuante.

G *Non enim eſtis ſub lege.* Lex peccata prohibebat, ſed ad ea vitanda nullum præbebat auxilium: tranſgreſſores mulctabat, illos tamen numquã vendicans a ſeruitute peccati. At Dei gratia, per Chriſtum mediatorem, eripuit nos a ſeruitute peccati, qua detinebamur, & ita idoneos atq. valentes reddidit per dona Spiritus ſancti nobis cõmunicata, vt poſſimus obſiſtere, ne regnet in nobis peccatũ.

Aug. in lib. de gr. & lib. arbit. c. 12.

Et, vt inquit Auguſtinus in lib. de gratia, & libero arbitrio. *Lex non mala eſt: ſed quia ſub illa ſunt, quos reos facit iubendo, non adiuuando: at gratia adiuuat, vt quiſque legis ſit factor.*

H *Cui exhibuiſtis vos ſeruos ad obediendum:* Hinc

Orig. lib. 6. c. 6. epiſt. ad Roman.

patet, inquit Origenes, quòd nullo cogente exhibemus nos ſeruitutis vel peccato, vel iuſtitiæ: vnde libertas arbitrij dignoſcitur.

I *Humanum dico propter infirmitatem.* Moderat

Auguſt. ad Anaſt. epiſt. 143.

(vt inquit Auguſt. in epiſt. ad Anaſt.) exhortationem Apoſtolus, vt cum maiora poſſit præcipere, id tamen non agat. Exigit igitur a Romanis id tantum, vt, ſicut exhibuerunt membra corporis ſeruire iniquitati, & immunditiæ, ita quoque (iuxta rationem arithmeticã, quæ æqualitatem exigit) eadem exhibeant ſeruire iuſtitię in ſanctificationem: cum tamen (habita ratione offenſarum aduerſus illam excelſam maieſtatem commiſſarum) longe maiora munia Deo præſtanda forent: iuxta illud apud

Baruch. 4.

Baruch: *ſicuti fuit ſenſus veſter, vt erraretis a Deo decies tantum iterum conuertentes requiretis eum.* Verum Apoſtolus illorum parcens infirmitati, non nimis grandia imperat: licet tamen alibi de ſe ipſo

dicat:

1. Cor 9. Orig. lib. 6. c 6. ad Roman. dicat: *caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo.* Orig. explicans hunc locũ, inquit: nõ ingloriosum eſſe, vt quis ita ſeruiat virtutibus, vti vitijs: licet multo magis virtutibus ſit inſeruiendũ: adeo quòd indulgetur humano generi, dum illi præcipitur, vt æque exhibeat membra virtutibus, vt vitijs. Idem animaduertit, cum vellet Apoſtolus a Romanis, vt nunc exhibeant mẽbra ſeruire iuſtitiæ: hinc etiam colligi, ineſſe homini liberi arbitrij poteſtatem.

K *Gratia autem Dei vita æterna.* Clare patet, quòd ſine gratia Dei homo non poterat iuſtificari, ſicut pluribus edocuit argumẽtis Apoſtolus. Iuſtificatis autem per fidem Ieſu Chriſti datur vita æterna. At non ſine fide, & charitate erga Deum, cui opera quoque hominis iuſti eatenus ſunt grata, quatenus ex gratia procedunt Spiritus ſancti. Iuſtitiæ autem conuenit diuinę, vt, propter Chriſti merita, Chriſti ſectatoribus, ſecundum fidei, & cuiuſque operum

Aug. in lib. de gr. & lib. arb. c. 9. gradus, beatitudinem quoque cõferat. Auguſtinus autẽ in lib. De gratia, & lib. arbitrio, animaduertit, dici gratiam Dei eſſe vitam æternam, ad deprimẽdam præſumptionem, ne putaremus propria iuſtitia acquiri vitam æternam; cum ex dono ſit, & ex Dei miſericordia, qui operatur in nobis & velle, &

Idem ad Sixt. presb. ep. 105. operari. Idẽ in epiſt. ad Sixtum presbiterum inquit. *Homini tanquam ex debito redderetur vita æterna, ſi ex homine eſſet iuſtitia: at gratia Dei eſt, vt iuſte viuamus, & ex hac gratia, vt perueniamus ad vitam æternam.* Eſt autem aduertendum, appoſite dictum eſſe hoc loco ab Apoſtolo, quòd ſtipendium peccati eſt mors. ſiquidem, vt ſtipendium militibus euocatis ad militiam ſoluitur tanquam debitũ; ſic & mors homini, ſi peccabit, vt ipſi debita, conſtituta eſt. Et cum iam ex delicto mors homini deberetur, nil mirũ, ſi Apoſtolus dixerit, quòd gratia Dei eſt vita æterna; cũ ex ſola gratia Dei ereptus ſit homo a ſeruitute peccati, & habilis hinc factus ſit ad vitã æternam conſequẽdam; quam Deus, iuſtus Iudex, reddet illis omnibus, qui vocati ex ſuo gratuito dono ad regenerationẽ nouæ vitæ ſanctę, non renuerunt; ſed Deo adhæſerunt; & inſerti per fidem in Chriſto, eius veſtigia ſunt ſecuti; & pręcepta obſeruarunt, operibus illa complentes. Quibus quidem operibus, fuit ex gratia & immẽſa Dei liberalitate, vt incõparabilis coronæ gloriã regni cœleſtis retribuere dignaretur, & eã bene operãtibus promitte-

Matt. 19. ret. At, poſt pactũ, & eius promiſſa, qui dixit, *ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*; conſequitur vt iuſte, & tanquam ex debito, ob promiſſa, perſoluat coronam iuſtitiæ ijs, qui ſecũdum Dei iuſtitiã vixerint; quod non niſi per gratiã Dei illis ſuccurrente perficitur; vt ita gratia Dei, cum iuſtitia, ſeu cum operibus hominis iuſti, ſemper ſit coniuncta.

PARAPHRASIS. CAP. VII.

AN ignoratis fratres (ſciẽtibus enim legem loquor) quòd lex homini dominatur, quanto tempore viuit. Et enim, quæ ſub viro eſt mulier matrimonio illi coniuncta, viuenti viro alligata eſt per legem. Si autem mortuus fuerit vir eius, abſoluta eſt a lege. Igitur, viuente viro, adultera iudicabitur, ſi cum alio viro fuerit. Si autem obierit vir eius, libera eſt a lege viri, vt nõ ſit adultera, ſi alteri iungatur. Itaque fratres mei, & vos quoque mortui eſtis legi, vt vltra vobis non dominetur: idque per corpus Chriſti, qui crucifixus eſt pro nobis; ita autem mortui, vt ſitis alterius, qui ex morte reſurrexit, vt fructificetis Deo. Nam, cum eſſemus ſub dominio carnis, paſſiones peccatorũ, quę ex legis mandato prohibentur, eam in membris noſtris vim, atque operationẽ exercebant, vt fructificarent morti, nos inducendo ad ea facienda, quæ digna ſunt morte. Nunc autem ſoluti ſumus a lege mortis: quatenus obmortui ſumus peccato, per quod legis imperio ſubijciebamur: vt iam ſeruire teneamur in nouitate ſpiritus, quẽ accepimus Deo adhærentes; & non vetuſtati litteræ, paſſionibus in lege prohibitis obſequẽtes. Quid igitur dicemus? lex peccatum eſt? Abſit. Sed quidem dicam; quòd peccatum concupiſcendi vetita ex volũtatis aſſenſu, non cognoui, niſi per legem. Nam concupiſcentiam, ipſum ſcilicet actum fomitis, cui aſſenſus voluntatis præſtatur, qui mihi eſſet in condemnationem, neſciebam: niſi lex dixiſſet, non concupiſces: ex qua inhibitione, actus fomitis, cui voluntas aſſentit, quòd eſſet peccatum, mihi cognitus eſt. Ipſum autem peccatum, fomes videlicet, accepta occaſione, per mandatum, tanquam ferocius factum, operatum eſt in me omnem concupiſcentiã. Nam ſine lege, priuſquam promulgaretur mandatum de concupiſcentia, peccatum concupiſcẽdi vetita, voluntate conſentiẽte, mortuum erat; vt illud, quod, non generatim cognitum, neq. imputatum hominibus eſſe dignoſcebatur. Ego vero, in quẽ me ipſum fingo vniuerſum genus humanũ, viuebã olim ſine lege, ea ſcilicet, quæ per Moyſem data eſt. Accedente vero mandato legis de concupiſcẽtia, peccatum cõcupiſcentiæ, ipſe videlicet actus fomitis, cui aſſenſus voluntatis datur, reuixit. Ego vero mortuus ſum, ac mortuum me eſſe cognoui: & ita mandatum non concupiſcendi, quod in lege mihi traditum erat ad vitam, vt hinc reſipiſcens, ad Dei miſericordiam me conuerterẽ, atq. ſalutem impetrare; inuentum eſt mihi ad mortẽ. Nam peccatũ, (ipſe inquã fomes inſertus in carne, qui idcirco peccatũ dicitur, quòd cauſa & effectus peccati eſt) accepta occaſione per mãdatũ prædictũ, ſeduxit me, & per illud occidit. Quare lex quidẽ Moſaica ſancta eſt, & mandatum prohibens concupiſcentiam ſanctum, & iuſtũ, & bonum eſt. At dicet hic aliquis. Quod ergo bonum eſt, mihi factũ eſt mors, & cauſa mortis? Abſit ne hoc dicamus, ſed peccatũ concupiſcentiæ, fomes (inquam) vt ſe ipſum propalaret eſſe peccatum, ſeu cauſa peccati, ex bono mandato legis concupiſcentiam prohibẽte, in me operatum eſt mortem; ita quidem vt occaſione mãdati accepta, peccatũ, ipſe videlicet fomes, in me ipſum propria culpa concupiſcẽtem atq. peccantẽ, ſupra modũ peccans peccatũ effectũ ſit: dum ſcilicet ad primũ (quo omnes obſtricti tenebamur) peccatũ, alia quoq. acceſſere ex mea propria præuaricatione peccata. Nam (quod attinet ad legem per Moy-

ſem

ſem a Deo latam) ſcimus quòd lex ſpiritualis eſt, ad normam ſpiritus Dei conſtituta; atque ideo maxime conſentanea atque bona. Ego autem carnalis ſum, carnis cupiditatibus expoſitus: vt qui ex prima origine, ob alienum peccatum in peccati ſeruitutẽ ſim traditus, atque venundatus, & id patet. Nam quod ago ipſe, ſeu quæ in me paſſiones excitantur, quaſi illis dem manus, ipſe non cognoſco; cum abſque mea præexiſtente notitia excitentur. Siquidem in his paſſionum excitationibus, quæ fiunt in corpore meo, non ego facio, quod volo, quodque meæ voluntati eſſet conſonum: ſed illud, quod odio habeo. Quòd ſi, quod nolo, id ago; hinc certum eſt argumẽtum, quòd ego ratione conſenſum do, quòd lex Moyſi bona eſt. Nunc autem, poſtquam peccato obmortuus, & in Dei gratiam per Chriſtum receptus ſum; iam non amplius, ſicuti ante acceptã gratiam, mihi imputandum eſt, quòd, quę non decent, fiunt in corpore meo, quaſi ipſe totus hæc agã, cum ijs ipſis mente non conſentiã. Sed quod in me ipſo, me nolente, fit; id operatur radix illa antiqua peccati, ac fomes, qui mihi aderit, dum ero in hac vita, ad agonem relictus. Hincque cognoſco, quòd non habitat in me, in mea videlicet carne, illud quod bonum eſt. Nam velle bonum, mihi præſto eſt: id ipſum autem operari, non inuenio. Nõ enim, quod volo bonum, id ago: ſed quod nolo malum, dum ſcilicet concupiſcentiæ, quas abhorreo, me inuito in corpore meo excitantur, quibus tamen non conſentio. Atqui, ſi quod nolo id facio, iam non ego operor illud, ſed inhabitãs in carne mea radix peccati ex aliena primi parentis culpa contracti. Inuenio igitur, dum præſtus ſum agere quod bonũ eſt, legem, quę mihi adiacet malum: oblector enim lege Dei ſecundum interiorem hominem. Video autem, atque re ipſa experior legem aliam exiſtentem in membris meis (legem illam inquam, qua iuſto Dei decreto, ob delictum primi parentis, genus humanum in peccatum, & in pœnam peccati detruſum eſt) hanc ipſam repugnantem, obicemque facientem legi mentis meæ; & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infęlix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius; ſed gratias ago Deo, qui me eripiet per Ieſum Chriſtum ab hac miſeria. Illud igitur concludendum eſt, ꝙ ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati, eo modo vt dictum eſt.

Editio vulgata.

AN ignoratis fratres (ſcientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore viuit? Nam quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro, alligata eſt legi; ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt a lege viri. Igitur viuente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro, ſi autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt a lege viri: vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro. Itaque fratres mei, & vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti: vt ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificemus Deo. Cum enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti, nunc autem ſoluti ſumus a lege mortis, in qua detinebamur: ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ. Quid ergo dicemus? lex peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum non cognoui, niſi per legem, nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces. Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem viuebam ſine lege aliquando. Sed cum veniſſet mandatum, peccatum reuixit. Ego autem mortuus ſum, & inuentum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. Nam peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit. Itaque lex quidẽm ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum. Quod ego bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit: ſed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum, operatum eſt mihi mortem, vt fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum. Scimus enim, quòd lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato. Quod enim operor, non intelligo: non enim quod volo, hoc ago: ſed quod odi, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio, conſentio legi, quoniam bona eſt. Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Scio enim, quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum. Nam velle adiacet mihi: perficere autem bonum, non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet. Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infęlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Igitur ergo ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati.

ADNOTATIONES.

SCIENTIBVS *enim legem loquor.* A
De lege Moyſi communis eſt interpretatio, quam potuiſſe notam eſſe Romanis, inſinuant Acta Apoſt. vbi dicitur, ꝙ, *Paulus, egreſſus ab Athe-* Act 18.
nis, venit Corinthum, & inueniens quendam Iudæum nomine Aquilam Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priſcillam vxorem eius, eo quòd præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Iudæos a Roma. Ex quo loco apparet, Iudæos Romam tunc habitaſſe, atque ideo legem Moyſi ibi notam eſſe potuiſſe.
Origenes autem ita notam illis, ad quos ſcribit Orig. lib 7. c. 7. ad Roman.
Apoſtolus, legem Moſaicam fuiſſe ſupponit, vt dicat, quòd ſcirent de ipſa, quòd eſſet iam facta ſpiritualis, mortua exiſtens quo ad litterã. & propterea verba illa, *quanto tempore viuit*, ipſe refert ad legem ita interpretans: quòd, quanto tempore lex viuit, homini dominatur. Quam interpretationem ſe-

cutus

Ambr.c.17. Chryſoſt. Theophyl. Theodor. cutus eſt etiam Ambroſius. At Chryſoſtomus, Theophylactus, & Theodoretus ad vitam hominis referunt: quòd, quanto tempore viuit, legis dominio ſubijcitur. Verum, nil fortaſſe prohiberet, quin etiam intelligeremus Apoſtolum loqui de lege in vniuerſum, quòd legis conditio, ſiue ſit Moſaica, ſiue quæuis alia, lata ex imperio Principis, huiuſmodi eſſe dicitur, vt ſuo ſub dominio contineat hominem, dum viuit, non autem poſt mortem. Vel etiam lex, de qua loquitur Apoſtolus, eſt ipſa met lex hęc particularis ſubiuncta de muliere: quę, dum vir eius viuit, eſt alligata viro per legem. Cuius quidem legis notitia maxime etiam confert ad expoſitionem propoſiti ſui: quo, iuxta ea, quæ allata ſunt in cap. præcedenti; intendit manifeſtare, quòd qui baptizatus eſt in Chriſto, non eſt amplius ſub lege, ſed ſub gratia; ideoque hunc ipſum teneri per opera Iuſtitiæ fructificare Deo, & non morti per peccata. Probationem enim ſuam deducit Apoſtolus per rationem a ſimili hunc in modum. Quemadmodum mulier, per legem alligata eſt viro, cui nupta eſt, adeo vt ei ſuperſtiti adhærere teneatur, & ſit adultera, ſi alteri iungatur; ſecus autem ſi mortuus ſit eius vir: ita & vos, inquit, per corpus Chriſti (qui mortuus eſt pro peccato) baptizati in ipſo, & conſepulti, & ita mortui peccato, per quod legis imperio ſubijciebamini, dum peccato inſeruiretis, iam intelligimini ſimul mortui eſſe legi; atque ideo ipſa vltra vobis, vel iam mortuis, non habet dominari, vt ſeruiatis peccatis ex eius mandato emanantibus: ſed alteri addicti eſtis, ipſi Chriſto: qui reſurrexit a mortuis, qui vos eripuit a peccato, vt & vos ad nouam vitam reſurgentes, viuatis iam fructificantes per opera iuſtitiæ Deo, longe ab iniquitatibus.

Orig. ibid. Non reticenda autem elegans, & ingenioſa admodum expoſitio ab Origene excogitata circa mulierem, vel obligatam viro, vel ab eo ſolutam. Nam ſupponit legem veterem, vt virum, cui (tanquam mulier) tenebatur anima, præſertim Iudæorum in vetuſtate litteræ, vt illi ſeruiret, obſeruando, quæ erant in timore circa præcepta legis. At poſt legis obitum (nam mortalis erat in ſuis ſignificatis) iam anima obligata eſt alteri, ipſi ſpiritui per Chriſtum allati, cui ſeruire oportet, nuptias nouas faciendo. Ab hac lege (inquit Origenes) ſupponit Apoſtolus Gentes eſſe ſegregatas. Si autem dicitur, quòd & nos mortui ſumus legi: id ait intelligi ob Chriſtum, in corpore eius, qui noſtras tulit iniquitates. Addit poſſe etiam intelligi de quocunque homine, qui diſcedens a priſtina conſuetudine viuendi, a lege illa praua, ad legem ſpiritualem fuerit conuerſus: ſicuti & legem ſpiritualem ſumit, quæ non ſecundum litteram, ſed eſt ſecundum nouitatem ſpiritus; cui ſpirituali legi, ait, ante aduentum Chriſti multos inſeruiſſe ſanctos prophetas, qui legem ſpiritualiter intelligebant.

Theodor. ¶ *Cum enim eſſemus in carne*. Theodoretus inquit, *dum in legis ſtatu ageremur*, interpretans per *carnem*, leges datas carni, de cibo, potu, lepra, & huiuſmodi: *paſſiones peccatorum quæ per legem*.

Theodor. Animaduertit Theodoretus, non dici ab Apoſtolo, *paſſiones peccatorum quæ ſub lege*, quaſi lex peccata operaretur: ſed *quæ per legem* contingebant: quatenus lex accuſabat peccantes contra mandata legis: Neque dici *per membra*; quaſi ipſa peccarent: ſed intelligendum, quòd anima in membris reſidens, inclinans ad deterius, operabatur peccata. Rom. 8. Forte clarius ita explicaretur ſenſus horum verborum. Cum eſſemus in carne, id eſt, cum eſſemus carnis concupiſcentijs addicti, vt ſaperemus prudentiam carnis, & ei complaceremus, iuxta modũ, in quo accipitur infra eſſe in carne; *paſſiones peccatorum, quæ per legem*, dum ait. Roman. 8. *Paſſiones peccatorum* innuit, ſe non intelligere peccata: ſed illas propenſiones, & affectus fomitis excitantis nos ad peccandum: *quæ per legem erant*, nempe prohibitæ, vt non concupiſceremus rem, aut vxorem, vel quid aliud vetitum. Aut, *quæ erant per legem*; quoniam ad peccatum originale concupiſcendi vetitũ, quod iacebat mortuũ, quia nõ cognitũ putari apud Deum, licet ineſſet homini, accedente legis mandato ne concupiſceremus; hinc paſſiones, & propenſiones peccatorum per legem ita mandantem, & prohibentem, excitatę ſunt in membris, & in corpore noſtro: ſine quo, ob concupiſcentiam [illegible] inſitam, peccatum nõ committitur: ita quidem, vt hinc in mortem traderemur, ei fructificãtes; & ipſa graſſaretur de nobis. Sic igitur, ex legis mandato, paſſiones peccatorũ operatæ ſunt mortem in nobis: tum, quoniam propenſio originalis peccati per mandatum legis aucta eſt, vt dicit Apoſtolus paulo poſt: tum quoniam ſic cognitum eſt peccatum concupiſcẽtiæ, per quod agnouimus traditos nos eſſe morti. Neque tamen imputanda eſt lex, quæ induxit præceptum de concupiſcentia: quinimmo laudibus eſt extollẽda: Quoniam, cum iam mortui eſſemus ob peccatum originale nobis inhęrens, lex de ipſo nos admonendo (quamuis ex admonitione imponens pręceptum concupiſcentiæ, hinc magis peccauerimus ob deprauatam noſtrã naturam) attamen nobis optime cõſuluit; dum ad miſeri noſtri ſtatus cognitionem nos prouocauit: vt hinc timore mortis æternę ad Dei miſericordiam confugeremus, & ita ad ſalutem perduceremur.

Nunc autem ſoluti ſumus a lege mortis. Ab ipſa Moſaica lege: quam Ambroſius notat dici *legem mortis*, quia punit reos. Sed videtur etiam dici poſſe *lex mortis*, vt quę per mandatum ſuum mortem cauſet ijs, qui contra mandatum faciunt: non quòd proprie lex id efficiat; ſed quia præbet occaſionem, vt peccetur eo, vt dictum eſt, modo: quod paulo poſt Apoſtolus etiam explicabit. Et id quidem concors eſt ijs quæ habentur in epiſt. ad Corinth. 2. Cor. 3. Vbi dicitur, quòd lex erat miniſtratio mortis: & quòd littera occidit, ſpiritus autem viuificat: id eſt, legis littera præbet occaſionem mortis conſtituendo mandata. Spiritus autem dat gratiam, vt non peccemus; & ſic viuificat. Auguſtinus autem August. ad ſimpl. q. 1. in lib. ad Simplic. inquit. *Lex littera eſt eis, qui eam legere nouerunt, & implere non poſſunt: & ſic peſtis eſt peccatorum: vnde littera occidit; at per ſpiritum mortui peccato liberantur ab ea*. Aduertendum autem Græcos aliter legere quàm noſter interpres, qui

ita legit: *Nunc autem ſoluti ſumus a lege mortis in qua detinebamur*: Græca autem lectio ita habet. *Soluti ſumus a lege, mortui ei, per quod detinebamur*.
Chryſoſt. Hom. 12. Oecum.
Quæ verba ita explicant Chryſoſtomus, & Oecumenius, quòd ſoluti ſumus a lege, dum mortui ſumus peccato, per quod ſub legis imperio detinebamur. Verum in eundem etiam ſenſum recidit lectio noſtri interpretis. Siquidem, dum dicitur, quòd ſoluti ſumus a lege mortis, a qua detinebamur, vtiq. intelligitur, nos eſſe ſolutos a peccato, per quod morti tradimur: & ita a lege mortis; a qua occaſio peccandi, & mors conſequenter prouenit; *ita vt, ſeruiamus in nouitate ſpiritus*. Qui ſunt ſoluti a lege mortis, & liberati a peccato ob Chriſtum, cui ſunt coinſiti, iam tenentur ſeruire Deo, *in nouitate ſpiritus*: hoc eſt, ſpiritu nouo, qui renouatur in anima
Pſal. 50.
iuſti per baptiſmū, iuxta illud prophetæ. *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis*. Sequitur Apoſtolus. *Et non in vetuſtate litteræ*. Illa, quæ præcedunt iuſtificationem, per quam animæ ſpiritus renouatur, iure dicenda ſunt vetera. Atque ideò, quicunque dediti ſunt carnis cōcupiſcentijs, prius quàm moriantur peccato, dicuntur ſeruire vetuſtati litteræ: id eſt, legi prohibenti per ſcripturam concupiſcere, & ad hoc præſtandum vim nullam afferenti: quin immo damnanti tranſgreſſores. Huic autem vetuſtati litteræ homo ſeruiebat ante baptiſmum. At poſt baptiſmū, in nouitate ſpiritus Deo inſeruit. Et ita manifeſtū eſt Apoſtoli propoſitum, quòd non amplius legis imperio ſint ſubiecti, neque morti fructificare habent illi, qui in Chriſto inſiti per baptiſmum mortui ſunt, tum peccato, tum legi mortem inducenti. Sed Deo opera iuſtitiæ debeant præſtare in fructum ſanctificationis. Quæ etiam clarius exponit Apoſtolus, docens ſpiritum viuificatum eſſe in ijs, qui Chriſti ſunt, licet corpus morti ſit concedendum; cuius tamen erit reſurrectio, prout & Chriſtus re-
Aug. in lib. q. 83. q. 66.
ſurrexit. Auguſtinus vero in lib. quæſt. 83. animaduertit, quòd peccatum, de quo hic eſt ſermo, debet intelligi illud, quod acceſſit per legem, quod Apoſtolus appellat peccatum ſupra modum peccans: quod, & ſi prius apparebat, attamen accedēte lege, & aucta præuaricatione accumulatur: Nam ſine lege non eſt præuaricatio: quæ lex affert cognitionē peccati; ſicuti & per ipſam prohibitionem magis incitatur homo ad peccādum. Veruntamen optime data eſt lex, ad humiliandum hominem, vt confugiat ad Dei miſericordiam; ſine qua magis viget peccatū ex lege. Dicitur autem (ſecundū ipſum) *lex peccati*, non quòd ipſa peccatum ſit: ſed quoniam peccatoribus imponitur. item *lex mortis*;
Roman. 6.
quoniam ſtipendium peccati mors; aculeus autem mortis peccatum; virtus autem peccati lex; peccādo enim ad mortem labimur, & procliuiores ad peccandum ex lege ſumus. Notat etiam, quòd ſimilitudo legis de muliere differt. Quoniam in ipſa ſupponitur, vt moriatur vir, ſi debet mulier nubere cui vult, ſoluta exiſtens a lege: At hic moritur anima peccato, & moritur etiam legi peccati.

D *Lex peccatum eſt?* Diuiniſſimus Apoſtolus, cum dixiſſet, nos eſſe ſolutos a lege mortis, proſpiciens difficultatem hinc exurgētem, vnde lex damnanda videretur: illam promit in medium; quærendo, num lex ſit peccatum? quod ſtatim inficiatur hac voce: *abſit*; ſubiungens deinde. *Sed peccatum non cognoui, niſi per legem*. Atqui cognoſci peccatum per legem, non eſt incuſatio legis, tanquam ipſa ſit peccatum: quin ipſi laus debetur, cum cognoſcere peccatum vtile ſit homini, vt ab illo ſe caueat, & vt pro venia impetranda ad Deum ſe conuertat. *Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, non concupiſces*. Illa concupiſcentia, quæ actua eſt fomitis inexiſtentis, cui aſſenſus præſtatur, ignorabatur eſſe peccatum, nempe concupiſcere vetita abſque facti conſummatione, quod poſtea cognitum eſt ex legis mandato ſimpliciter prohibente concupiſcere. *Occaſione autem accepta, peccatum, per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*. Peccatum, hoc loco, ſunt qui ſumant pro diabolo: qui quidem ex legis mandato vires accepit maiores ad inducendos homines in omnem concupiſcentiam; vti iam ſcientes ſe peccare, ſi concupiſcerent contra legis mandatum. Per omnem autem concupiſcentiam Ambroſius intel- Ambr. c. 57 Chryſoſt. hom. 12.
lexit cuncta peccata. Chryſoſtomus vero refert ad vehementem, & conſummatam concupiſcentiam hinc ſubinductam. Verum poſſumus etiam interpretari per *peccatum*, defectum ex origine contractum, ipſum fomitem concupiſcendi in membris reſidentē, & animam inclinantē ad peccandū: qui quidem, accepta occaſione ex legis mandato prohibente cōcupiſcere, operatus eſt in homine omnem concupiſcentiā; tum impetuoſiorem, atq. vehementiorem ipſam inducendo; tum in omne genus concupiſcentiæ hominem tradendo; vel quoniam natura in vetita ardētius feramur; vel quoniam & aduerſarius noſter diabolus, vt nos ad concupiſcendum vetita induceret, ex legis præcepto maioribus etiam technis exinde ſtuduit, atque procurauit. *Sine lege enim peccatum mortuum erat*: id eſt, non erat agnitum pro peccato id, quod tamen erat peccatū, ipſe ſcilicet reatus peccati originalis animam a Deo auertentis: adeo quòd nō exiſtente lege, quæ ipſum detexit, mortuum manebat: tum, quatenus non erat cognitum, quòd apud Deum putaretur, & puniēdum foret: tum etiam, quatenus neque vires erigeret, oſtendendo ſe peccatum, vti poſtea fecit poſt legem datam, inducendo hominem in varias concupiſcentias contra legis mandatum.

E *Ego autem viuebam ſine lege aliquando*. Non ipſemet Apoſtolus, qui natus in lege, & ſub ea educatus erat: ſed generis humani naturā communem in ſeipſum aſſumens, quo rem aptius ſibi propoſitam explicaret, dicit: quod homo olim viuebat ſine lege, illa nēpe, quæ a Deo per Moyſem eſt data. Ex quo ſequitur, quòd ante legem ignotū erat peccatum actus concupiſcentiæ (nondum exiſtente mandato, quod illum prohiberet) ſaltē generatim apud homines ſecundum naturam tantum ratione vtentibus. *Sed cum veniſſet mandatum*. Aperit quidnam ſubſecutum ſit ad legis mandatum: id nimirum, quòd *peccatum reuixit*. Viuum fuerat peccatum concupiſcendi tunc, cum primum hominem

concupiſcentem, & comedentem pomum vetitum interfecit; hinc in mortis, tum animæ, tum corporis condemnationem ipſum tradendo, & cum ipſo vniuerſum genus ſuæ poſteritatis: cum ad ſingulos homines ſubſecutus eſt fomes cõtinens pœnã peccati originalis. Verum, cum e memoria hominum (præſertim poſtquam longum temporis ſpatium proceſſiſſet a peccato Adæ) abolitũ eſſet (niſi quibus id Deus reuelarit) qualiter primus homo, ob inobedientiam auertens ſe a Deo, a recto ſtatu, in quo creatus fuerat ſubditum habẽs rationi appetitum, in maximam ad peccandum propenſionem incidiſſet, & eius poſteri in hanc pariter vitioſitatem prauã concupiſcendi procumbiſſent: idcirco cum non dignoſceretur ab hominibus (ſaltem in genere) quòd pro peccato, actus fomitis, ſeu concupiſcẽtię, cui aſſenſus volũtatis datur, nobis inexiſteret; hinc dicendũ videtur, quòd apud homines, qui in hac ignorantia verſabãtur, prædictũ peccatum mortuũ exiſtebat; licet per ipſum in condemnationem iam eſſent traditi. Idem vero peccatũ reuixiſſe dicitur, quatenus, ex mandato legis prohibente concupiſcere, homo concupiſcens, ac contra legem præſcriptam operans, ex proprio peccato, (vt iam peccans in ſimilitudinem Adæ peccat.) in mortem eſt traditus, & in mortem ſe traditum manifeſte cognouit, ob præuaricationem factam a lege: prout etiam primus homo traditus erat in mortem, dum comedit pomum contra Dei mandatum, & hinc in peccatum ſe prolapſum eſſe cognouit. Ambroſius autem ad hæc, *cum veniſſet mandatum, peccatum reuixit*, infert. *Hoc ergo ſignificat, quòd in initijs nõ latuerit peccatum putari apud Deum: hoc eſt, vixiſſe. Sed cum conſuetudo peccandi hoc obliteraſſet, mortuum oſtenſum eſt, vt crimen cum perſona deficere putaretur. Cum autem data eſt lex, vel reformata, reuixit apud eos, apud quos mortuum æſtimatum erat: cœperunt enim ſcire imputari peccatum.* Idem ait, intelligi poſſe mortuum fuiſſe peccatum, id eſt, diabolum; qui dicitur fuiſſe mortuus (ſecundum Ambroſium) quia *ceſſabat ab illuſione hominis ante legem: ſed erat quaſi quietus: ſecurus enim erat de poſſeſſione eius: reuixit autem diabolus, cum videns auxilium per legem homini promiſſum, hinc exarſit iracundia aduerſus hominem, vt illi legem inuerteret, vt, prohibita admittendo, Deum rurſus offenderet, & denuo in poteſtate diaboli caderet*: hæc Ambroſius.

Hinc igitur patet, quòd mandatum de non concupiſcendo datum in lege à Deo per manum Moyſi, (vt hinc homo excitaretur ad vitam, dum nõ concupiſceret, neque obſequium præſtaret carnis concupiſcentijs, ſed illis dominaretur, prout in hoc ſtatu creatus erat, vt hinc fieret beatus) inuentum eſt, vt dicit Apoſtolus, nõ ad vitam, ſed ad mortẽ eſſe. Quandoquidem non exiſtens homo aptus ſuis viribus ne concupiſceret, non ſolum ob mandatũ legis non eſt reuocatus ad vitam: ſed hinc in multo maiorem eſt prolapſus condemnationẽ. Nam peccatum ab origine contractũ, quod iacebat vt mortuum (ipſe ſcilicet fomes) ſumpta occaſione a legis mandato, hominẽ decepit: ſiquidem deceptio ſemper præcedit in peccato, dum homo cenſet pro bono id, quod non eſt vere bonũ, ſeductus a propria concupiſcentia: cum tamen peccatum ſit voluntarium, ſicet committatur refragante in oppoſitum propria conſcientia: & ita peccatum, hominem ex proprio reatu (vti facientẽ contra legem) per legis mandatum interfecit. Et de hoc non eſt culpanda lex, quæ tota eſt ſancta, vti & mandatum prohibẽs concupiſcẽtiam; *ſanctum eſt*, cum monet, & prouocet hominem ad ſanctitatem; *& iuſtum*, cum id poſtulet iuſtitia, vt appetitus carnis ſubdatur rationi, prout in hoc ſtatu recto fuit creatus primus homo: *& bonum*: cum hinc homo ducatur ad cognitionẽ ſui miſeri ſtatus, in quem ob peccatum cecidit, vt ad Deum cõuertatur. Addamus quòd etiam vtile fuit mãdatum, vt hinc timore pœnę homines cauerẽt a peccatis, ſicut dicitur in epiſtola ad Gal. quòd lex poſita fuit propter tranſgreſſionem: nempe, vt auocaret homines a peccatis ob timorẽ mortis in lege comminatæ. *Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors?* ſupponit quod per legis mandatum ſubſecuta eſt mors inducta a peccato; cum tamen mandatum ſit bonum. Vnde mouet hanc quæſtionem. Galat. 3.

G *Quod ergo bonum eſt, mihi factũ eſt mors?* quod negat Apoſtolus. Sed dicendum, q̃ peccatum, & fomes concupiſcentiæ innatus humano generi ob præuaricationem primi parentis, prouocans animam ad peccandum, vt appareret, & ſe oſtenderet eſſe peccatum (cum prius lateret, ſicut dictum eſt) medio bono mandato legis prohibente concupiſcentiã, quaſi hinc erigens ſe, & excitans vires ſuas, operatus eſt mortem in homine contra legem concupiſcente; vt ſic ſupra modum peccans peccatum effectum ſit; dum ad fomitem innatum ex pœna peccati, peccatum adauctum eſt in homine ex proprio reatu concupiſcente contra legis mãdatum: per quod magis etiam exarſit concupiſcentia, cum ſemper in vetita magis etiam nitamur.

H *Lex ſpiritualis eſt*. Lex Moſaica, iuxta ſpiritum Dei tota conſtructa eſt. At quòd homo delinquat, non in legẽ culpa transferenda eſt, ſed in hoc, quòd ego *carnalis ſum*: nempe carnis concupiſcentijs ſuppoſitus: *venundatus ſub peccato*: vt qui, ex præuaricatione primi parentis, in peccatum traditus ſum: quod ex hoc patet. *Quod enim operor, non intelligo*. Adeo innatus eſt fomes mihi concupiſcentiæ, vt quod ago, ſeu quod fit in meo corpore, dum excitantur concupiſcentię; ego ipſe non intelligo, nõ percipio, cum inſurgunt in me huiuſmodi affectus, & paſſiones carnis, me ipſo ignorante, & non aduertente. Et hoc ipſum hinc apparet. *Non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio*. Bonum eſſet, quod concupiſcentiæ prauæ non inſurgerẽt in corpore; hoc vellem ego, ſtudioſus obſequendi rationi, & tamen iſtud non pręſto; ſed *facio, quod odi*; dum ſcilicet, præter meam voluntatẽ, inſurgunt affectus concupiſcentiæ prauæ; quæ cum fiant in meo corpore; hinc, quaſi ego illas operer, fieri videntur. *Si autem quod volo, illud facio*. Id eſt, ſi inſurgunt in meo corpore prauæ concupiſcentiæ, ſed præter meam tamen, immo contra meam voluntatem inſurgunt; hinc igitur perſpicuum eſt, quòd ego conſentio legi Moyſis

concu-

concupiſcentiam prohibenti, & ipſam approbo, quòd bona ſit.

I *Nunc autem iam non ego operor illud*. Verum in ſtatu, in quo nunc verſor, regeneratus per Chriſtum ad nouam vitã, iuſtificatus a peccatis, & Dei ſpiritu imbutus, dicere poſſum id, quod verum eſt, quòd ego ipſe, iuxta mentem, atque rationem meã (per quam præcipue ſum homo) non operor tales concupiſcentias, vt mihi ad peccatũ attribuantur; *ſed quod habitat in me peccatum*, id eſt illud, quod operatur in me id, quod nollem, eſt peccatum in me inhabitãs, ipſe fomes relictus ex pœna peccati originalis, qui tamen nõ eſt ad condemnationem, dum ego huic nón conſentio: *Scio enim, quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum*. Illud, quod habitat in me peccatum, eſt id, quod non eſt bonum in carne mea, quæ quidem ſua ex natura non eſt mala; ſed habet de malo fomitem contractum ex peccato originali ſibi inhærentem. *Nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio*. Quòd homo non conſentiens concupiſcentijs, ipſe non ſit earum perpetrator, neque reus conſtituatur ob inſurgentes concupiſcentias in carne ſua, ex hoc patet. Quoniam ipſe vellet, ne in ipſo huiuſmodi paſſiones carnis inſurgerent; ſed id præſtare, atque perficere non inuenit; dum, non agit bonum illud, quod vellet; ſed illud malũ, quod odit; quod eſt dicere, quòd ipſe non impedit, neque impedire poteſt, quin inſurgant prauæ concupiſcẽtię in carne ſua, ſtimuli hominem prouocãtes, ad iracundiã, ad delectationem carnalem, & ad alia huiuſmodi. Vnde, ſi agit quod nollet; hoc eſt, ſi, ipſo nolente, inſurgunt in carne ſua prauæ concupiſcentię, clare patet, quòd homo non eſt ipſe perpetrator harum paſſionem, & concupiſcentiarum; ſed peccatum inhabitans, fomes relictus in pœnam peccati, in eius carne illas facit.

K *Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet*. Concluditur ex dictis: quòd homo inuenit legem ineſſe ſibi volenti facere bonum: quæ lex eſt illud, quod ſibi adiacet malum; quod etiam magis explicatur, dum dicit Apoſtolus. *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*. Et ita venit homo in cognitionẽ peccati originalis; cuius fomes, pœna peccati exiſtens, relictus eſt in mem-
Gen. 2. bris. Et id quaſi ex lege; quoniam primo homini fuit comminatum, ſi non obediret Dei præcepto, quòd morte moreretur, in qua re, inobediẽtia quoque membrorum aduerſus rationem ſubſequuta eſt. Sed quando homo ablutus a macula originali, quę animam Deo exoſam reddebat, ſecundum interiorem hominem non conſentit huic legi membrorum, non ducitur in damnationem: ſed ſpiritu in hac vita viuit, acceptus apud Deum: quamquam corporis membra, ob pœnã peccati inſurgant cum ſuis concupiſcentijs aduerſus ſpiritum, vti etiam corpus ob eandem pœnam peccati, in mortem tradendum eſt.

L. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Optandum ſane eſt, vt liberemur ab hoc corpore vitiato, atque procliui ad inducendum hominem ad peccandum; cum quo aſſidua pugna nobis eſt habenda, ne vincamur ab eius concupiſcentijs; & ipſum accipiamus reformatum, conueniens, & obediens rectæ rationi, abſque vlla reſiſtentia; quale erit in reſurrectione, cum factum erit immortale, atque glorioſum.

M *Mente ſeruio legi Dei*. Siue lex iſta intelligatur Moſaica; ſiue lex illa, in qua creauit Deus hominem rectum cum appetitu carnis ſubdito rationi. Huic legi vir iuſtus inſeruit, mente illam approbans, & obſeruans. *Carni autem ſeruio legi peccati*. Quatenus homo fomitem concupiſcentiæ in carne ſua inſurgentem patitur, nec valet illum a ſe repellere, licet ei non conſentiat: adeo quòd, cum homo non ſit ſolum mens, ſed ſimul etiam caro (vt ex vtraque conſtet) ideo ille idem, & legi mentis conſentit, & obedit, & pugnam etiam in carne patitur reluctantem ſpiritui: quod omnibus ſanctis contingit, dum vitam agunt in hoc mortali corpore, niſi quos Deus ex priuilegio diſpenſet ab hac lege, & ſeruitute carnis.

Placuit, ad faciliorem intelligẽtiam huius ſeptimi capitis, ſeparatim afferre nudam contextus expoſitionem: quam eſſe ad mentem Apoſtoli exiſtimauimus. Nunc, quæ digna ſunt adnotatu, perpendemus. Ac in primis nobis ſeſe offert Origenis explicatio, quę ſingularis admodum; & ipſius tamen eſt. ipſe enim hæc dicta Apoſtoli perpendens: *peccatum non cognoui, niſi per legem; concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret; non concupiſces: ego viuebam ſine lege aliquando*. Ac ſupponens, quòd ante legem Moyſi peccatum agnitum eſſet; & ꝙ Apoſtolus non potuerit de ſeipſo dicere, quòd vixerit aliquando ſine lege Moyſi; idcirco interpretatur, hęc dicta eſſe de lege naturali, per quam admonetur homo, ne concupiſcat, & in agnitionem peccati ducitur. Orig. lib. 7. c. 7. ad Roman.

Animaduertit autẽ Origenes, quòd lex naturalis, qua diſcernitur bonum a malo, in homine non viget, niſi, poſteaquam ad ætatem illam peruenerit, qua de actionibus ſuis poſſit ferre iudicium, num bonę, an prauæ ſint; quo iudicio pueri carent; quamquam apud eos vigeat concupiſcentia; vt patet ex pluribus, quæ agunt perperam; veluti, cum matrẽ verberant, aut res domeſticas male perdũt, intérim ipſi ignorãtes hæc eſſe male facta. Itaque, iuxta hãc legem naturalem, qua diſcernitur bonũ, & malum, Origenes interpretatur dictum Apoſtoli: quòd aliquando vixerit ſine lege, id eſt, ſine vſu legis naturalis, dum puer erat. Et cum in hac puerili ętate multa adeſſẽt malefacta, quæ in alia prouecta ætate pro peccatis cenſenda forent, & a puero non dignoſcuntur eſſe peccata. hinc etiam Origenes interpretatur dictum Apoſtoli, quòd cognitio peccati, nulli aderat hominum, ante vſum legis naturalis. Et quòd reuixit peccatum, cum primum, lex naturalis viguit in homine, poſtquam agnouit ſeſe peccatum perpetrare, hęc, vel illa agendo, quę prius etiam faciebat, ſed nondum ex iudicio propriæ rationis peccata eſſe dignoſcebat. Quę interOrig. Ibid.

pretatio, & ſi admodum ingenioſa, abeſſe tamen cenſetur amente Apoſtoli; qui, ex communi aliorũ interpretũ ſententia, hoc in loco de lege Moyſi verba facit. Et dubiũ illud permotum ab Origene, quòd Apoſtolus nõ potuerit de ſe ipſo enunciare, quòd vixerit aliquãdo ſine lege (legẽ Moyſi intelligendo) tollitur: quando ex Græcorum, & noſtrarum etiam interpretum communi expoſitione, ſupponitur Apoſtolus hæc loqui, tanquam is, qui in ſe ipſo perſonã humani generis aſſumpſerit, atq; finxerit; de quo humano genere non eſt dubium, quin aliquãdo vixerit ſine lege Moyſi, quũ ante Moyſen non eſſet lex a Deo per eius manus data Hebræis. Quod vero attinet ad illã aliã difficultatẽ ab Origene permotam, quòd etiã ante legem Moyſi peccatũ eſſet agnitũ, hanc tollunt interpretes, dum dicũt, quod exactius per legẽ, quàm ante legẽ cognitum eſt peccatũ, & ſimul innotuit, quòd per ipſum offenſa inferatur Deo, apud quẽ imputetur, vt ſit in dicaturus, & puniturus; quaſi antea id eſſet incognitũ. Cui tamen defenſioni refragari, inter alia, videtur diluuiũ vniuerſale, & perditio illarũ quinq. ciuitatum per ignem e cœlo dimiſſum; nec non, quæ Cayn, ob fratricidium, & filij Iacob, ob venditum fratrem Ioſeph, ſe meteri enunciarunt. Idcirco (vt explicatum eſt antea) tolli videtur difficultas, ſi dicatur quòd aſſenſus præſtitus (citra facti perpetrationẽ) prauæ concupiſcentiæ exiſtenti in membris humanæ naturæ ex præuaricatione primi parẽtis, non fuit, ſaltem generatim cognitum in mundo, quòd eſſet peccatum, per quod homo in Dei offenſam incurreret, & damnaretur; niſi poſt legem à Deo latam contra concupiſcentiam; cum tamen & prius adeſſet tale peccatum, vſque quando primus homo ex proprio ipſius peccato interfectus eſt, dum pomum vetitũ concupiuit, & opere externo peccatũ conſummando, idem comedit; ita genus humanũ, vna ſecum in damnationẽ trahens; licet poſtea, tempore procedẽte, ſit obliteratum in mũdo, vt quaſi mortuum, id eſt non imputatũ apud homines appareret. Accedente autem lege cum mandato non concupiſcẽdi, hinc reuixiſſe dicitur peccatum; dum rurſus hominem peccantem contra legis mandatum per ipſammet concupiſcentiã vehementiorem, interfecit: ex quo in agnitionem peccati, quod antea (excœcante malitia) non dignoſcebatur perſpicue deductus eſt.

Theodor.

Sunt autem, inter quos Theodoretus, qui dictũ illud Apoſtoli, quòd mandatum ſit, *ſanctum, iuſtum, & bonum*, intelligunt de mandato propoſito ipſi Adæ a Deo, ne comederet de fructu illo arboris in paradiſo deſignatæ. Cui tamen expoſitioni illud obijci poſſe videtur, quòd de mãdato illo non poſſit dici (vti dixit Apoſtolus) quòd accedente mandato reuixerit peccatum, quaſi prius vixiſſet; cum homo, non dum peccaſſet, niſi poſt mandatum acceptum a Deo. Atq; ideo tunc primum vixit peccatum, cum contra mandatum præuaricatus eſt homo: poſtea vero reuixit, accedẽte mandato de concupiſcentia per legem Moyſi.

Chryſoſt. Hom. 12.

Cum autem Chryſoſtomus obijciat, non poſſe dici, quòd ante legem non fuerit agnita concupiſcentia pro peccato; quãdoquidem ob hanc ipſam conſumptæ fuerint ciuitates illæ Sodomorum: ad id poſſet reſponderi, quòd peruerſi illi homines ad concupiſcentiam ipſa quoque facinora addidere, ob quæ iure merito dederunt pœnas, vti peccãtes contra legem naturæ. Quòd autem homines ex ſola concupiſcentia damnarentur ante legem a Deo latam per Moyſem, non erat agnitum in mundo, cum a nulla lege humana animaduerterentur peccata in ſola concupiſcentia conſiſtẽtia, & non actu conſummata. Ac multo minus erat agnitum, quòd fomes concupiſcẽtiæ, excitationesque paſſionum, quæ fierent in carne, licet ſeorſum ab hominis conſenſu, nihilominus tamen quodam modo peccatũ concernerent, in membro reſidens, in pœnam peccati ex præuaricatione primi parẽtis: ſicuti poſtea eſt agnitum per legem Moyſi prohibentem concupiſcere; cum hinc apparuerit (eo quòd homini impoſſibile eſſet, ſine ſpeciali Dei auxilio, non prolabi in concupiſcentias) hoc vitium ineſſe carni, vt inſurgat aduerſus rationem, cui ſubiecta eſſe deberet lege naturæ. Quod tamen vitium, dummodo carnis petulantiæ aſſenſus non præſtetur, nõ eſt ad condemnationem in ijs, qui in Chriſto inſiti, non ambulãt ſecundũ carnis deſideria, vt dicitur infra. Roman. 8.

Chryſoſto. Hom. 12.

Idem Chryſoſtomus adnotat, quòd, cũ Apoſtolus dicit de peccato, quòd ſeduxit, & interfecit hominem; & peccans peccatum effectum eſt; nõ propterea exiſtimãdum, quòd peccatum ſit aliqua res ſtabilis, & firma quaſi per ſe ſubſiſtens potentia; ſed in actionibus noſtris malis aduenientibus, & diſcedentibus conſiſtit; vt, dum ipſi peruerſe agimus, tunc præſto adſit peccatum, deſijt autem eſſe, cum ceſſamus malefacere.

Cum autẽ dicat Apoſtolus, quòd homo exiſtẽs carnalis, & venundatus ſub peccato, nõ intelligit, quod agit malum, & illud agit, quod odit, vt non ſit ipſe operator mali, ſed inhabitans in carne ſua peccatum: Origenes, & Theodoretus hæc referunt ad hominẽ, qui ſibi ſtatuat vitam agere virtutibus deditam; non iraſci, non fornicari, neque alia facere peccata; verum, deuictus a cupiditatibus prauis, (quaſi ebrius effectus) non ſibi cõſtat, ſed ſuccumbit, carnis deſiderijs obſequendo, licet mente non approbet, immo deteſtetur hæc male facta. Quæ explicatio hanc patitur obiectionem. Nam, & ſi (vt patet apud Ariſt. lib. 7. Ethi.) dici poſſit, quòd incontinens, in illo actu, in quo ſeducitur, & tanquam captiuus ducitur ad aliquod malũ agẽdum, vt puta ad adulterium committendum, non attendit, nec mentem adhibet huic propoſitioni, quod non eſt adulterandũ; attamen etiam, in quantũ incontinens eſt, cognoſcit id quod agit; quod etiam ſponte ſua agit, neq; ipſe odit quod agit, dũ illud agit. Vnde huiuſmodi homo proculdubio dicendus eſt perpetrator illius peccati, quod committit; quamuis deinde poteſt peccatũ perpetratum, cum liber iam ſit factus a cupiditatis affectione, ipſum pœniteat de malo, quod refragãte ratione operatus eſt, rationi nõ obtemperans, ſed obſequens appetitui ſenſitiuo. Ideo (vti etiam Auguſtinus interpretatur, quemadmodum ex ſequẽtibus apparebit) ſen- August.

Origen. Theod.

tentiæ

tentiæ illæ Apoſtoli, quòd homo non intelligit, quod agit malum; & quòd odio habet, quod agit, vt non ſit ipſe perpetrator mali, ſed inhabitans in ipſo peccatum; referendæ videntur ad fomitem inſurgentem in carne, qui vitari non poteſt ab homine iuſto; apud quem (præter eius animaduerſionem) inſurgunt paſſiones iracundiæ, & voluptatis, & varij alij ſtimuli ad peccandum excitantes, abſque q ipſe hæc præuideat; quæ omnia etiam odio habet, neque ipſemet proprie illa operatur; ſed ex ipſo fomite inſerto in membris corporis ſui, contra eius voluntatem inſurgunt, & fiunt; quibus, cum ipſe non aſſentiat; ideo non ſolum de hac excitatione paſſionum non eſt culpandus: verum etiam, ſi, vt virilis athleta, ipſis cupiditatibus carnis fortiter reſiſtit, laudandus, & apud Deum glorificandus eſt. Neque vero abſonum eſt, quòd vir iuſtus propter eiuſmodi cupiditates, quæ excitantur in carne ſua, (quod contingit, dum homo eſt in hac vita mortali): appelletur carnalis, qui tamen non eſt totus carnalis; ſicuti eſt ille, qui aſſenſu voluntatis adimplet illecebras carnis: ſed ex parte carnalis eſt, nempe quo ad carnem, & corpus infectum hac macula peccati ex præuaricatione primi parentis; cum deinde, ſecundum partem præcipuam, quæ eſt homo, videlicet ſecundum mentem, totus ſit ſpiritualis. Quæ pars (ſecundum Apoſtolum) pertinet ad interiorem hominem, ita dicta; quoniam intus lateat, & non extra appareat ipſa mens; ſicuti in proſpectu ſunt caro, & corporis membra.

Illud autem Apoſtoli dictum, *Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum, &c.* Communiter ſic exponitur; quòd, dum homo eſt in hoc propoſito, vt velit agere bonum, inuenit legem, vel aſſentientem huic propoſito, vt inquit Chryſoſtomus: vel legem ſanantem, vt Theophylactus. Et id quidem euenire, quoniam adiacet malum, nempe peccatum fomitis exiſtentis in membris. Prior autem a nobis aſſignata interpretatio hæc fuit, quòd homo, dum vult facere bonum, inuenit aliam legem, aliam ſcilicet ab ea, quæ eſt ſecũdum Deum; & hæc eſt lex in membris inhærens, peccatique fomitem continens, quam homo inuenit, atque dignoſcit; quando (dum ad bonum agendum ſe parat) experitur ex aduerſo cupiditates carnis inſurgentes, quibus tamen non aſſentit; ſed mente ſua in Dei lege continet ſeſe, vt in hac delectetur, non in carnis concupiſcentijs, quibus obicem ſeſe ſua ratione facit.

Chryſoſt. Homil. 13. Theophyl.

Cum autem dixerit Apoſtolus, quòd ſeruit mente legi Dei, hinc dubitari poſſe videtur, cum dictũ ſit in epiſtola ad Timoth. quòd Iuſto non eſt poſita lex, qui autem ſeruit legi, ſubditus eſſe legi videtur. Dicendum igitur, quòd lex peccati, poſita in fomite membrorum ex lege peccati originalis, ineſt omnibus hominibus, niſi aliter contingat aliquibus ex diſpoſitione diuina; cui tamen legi, mente obedientiam pręſtare, cauet vir iuſtus: impius autem eius imperio ſubditur, dum facit carnis deſideria: contra quæ eſt poſita lex prohibens homicidia, adulteria, ebrietates, & alia huiuſmodi, quæ iuxta legem in membris poſitam perficiuntur; a quibus, cum abſtineat vir iuſtus, iure dicendum, quòd ipſi non eſt poſita lex, vt timore legis abſtineat a peccatis. Qui deinde dicitur ſeruire legi Dei, quatenus mente ſeruit illi legi, quæ eſt ſecundum ſpiritum Dei; dum viuit ſecundum ipſam, & ſecundum illam rectam rationem, in qua Deus creauit hominẽ rectum, vt ſecundum illam viueret. Et hoc ad differentiã ſeruitutis carnalis, cui mente non ſeruit vir iuſtus, ſed ſolum carne, vt antea explicatum eſt. Lex autem, cui inſeruit vir iuſtus, non aſſentiendo prauis cupiditatibus, poteſt intelligi, tum lex ſpiritualis Euangelica, tum etiam lex Moyſi prohibens concupiſcentiam, quarum vtraque conuenit cum illa recta ratione, in qua primo creatus eſt homo.

1. Tim. 1.

Dubitat etiam in hoc cap. Theodoretus ex quorumdam perditorum hominum dubitatione, qui in Deum inſurgentes circa mandatum impoſitum noſtro primo parenti, ex cuius tranſgreſſione totũ genus humanum damnatum eſt, ita ratiocinabãtur. Aut Deus hæc præſciuit futura, aut non præſciuit. Si non præſciuit, ergo omnia non cognoſcit; & ſi præſciuit, cur mandatum dedit illis, quos prænouit futuros mandati tranſgreſſores? Quibus reſpondet longa digreſſione Theodoretus; cuius tamen hæc ſumma eſt. Non ignorandum eſſe, quòd facultas diſcernendi honeſta, & mala, eſt propria creaturarum; quæ ratione ſunt prædita, qua carent bruta animalia: ea autem in homine ſic reperitur; quòd, etiam nullo ſibi præſente, a propria conſcientia de turpibus factis accuſetur. Vnde maxime conueniẽs fuit præſcribere legem vitæ humanæ naturæ. Accedit, quòd Deus legem humaniſſimam homini conſtituit, vt, cum tot alia bona, & delectabilia illi conceſſerit ad veſcendum, rem tãtum vnam illi prohibuit, ne comederet; & hoc in obſequium, ac ſeruitutem Dei ſui Creatoris. Denique, ex tranſgreſſione primi parentis, Deus opus hoc immenſum incarnationis Verbi fecit; vnde ad excelſiorem beatitudinem perueniendi humano generi viam (nempe volentibus illam ſequi) præparauit: hæc Theodoretus.

Theodor.

Illud etiam remanet hoc loco perpendendum, ſub qua nam perſona Apoſtolus loquatur, dum ait; *Ego viuebam ſine lege aliquando: ego carnalis venundatus ſub peccato: non quod volo bonum, ſed quod odi malum facio, &c.* Quod igitur attinet ad illam primam ſententiam, *viuebam aliquando ſine lege*; ex communi omnium interpretatione, id non niſi in aliena hominis perſona dictum eſſe ſupponitur; cum pateat, Paulum ſub lege Moſaica, de qua loquitur hoc loco, natum eſſe, atq; ideo ſub lege non vixiſſe, de ſeipſo dicere non potuit. Verum, deſcribens hominis ſtatum ante legem, in ſe ipſo finxit hominem viuentem olim ſine lege, vt hinc induceret, quænam conditio ob cognitionem peccati ex lege inducta hominem poſitum ſub lege ſubſecuta ſit. Quod autem attinet ad alia dicta, videlicet; *ego carnalis, non quod volo bonum hoc facio, &c.* Græcorum communis eſt interpretatio; quòd, & hæc ad alienam perſonam ſint referenda; idque nimirum, vt qui ſupponant peccata committi ab eo, qui dicit; *ego carnalis ſum, non quod volo bonum hoc*

 facio,

facio, ſed quod odi malum, &c. Atqui, ſi omnia hęc in eum ſenſum accipiantur, vt poſſunt accipi, quem retulimus in ſuperiori expoſitione, vt homini iuſto, qui ſpiritu Dei ducatur, conueniri poſſint, quatenus in ipſo, & in eios membris excitantur concupiſcentiæ malæ, quæ vitari non poſſunt in hac vita; ſed illis tamen nou aſſentit, abſque vlla difficultate hæc omnia in perſona quoque Apoſtoli verificari potuiſſe dicendum eſt, dum eſſet in hoc mortali corpore: & huius ſententiæ fuiſſe Ambroſium, teſtatur Auguſtinus, referente Beda, in libro contra Iulianum, dum inquit. *Si autem, ſicut melius ſenſit Ambroſius, hoc etiam de ſe ipſo dicit Apoſtolus, nec Iuſtorum eſt in hac vita ad perficiendum bonum tanta libertas propriæ voluntatis, quanta erit in illa vita, vbi non dicetur, non quod volo ago.*

Quæ autem fuerit in hoc opinio Auguſtini, & ſi diuerſi diuerſa ſenſerint; attamen ex ijs, quæ affert in expoſitione huius cap. colligitur, hæc omnia ſecundum ipſum, cadere in hominem iuſtum. Nam

Auguſt. de verb. Apoſt. ſer. 5.

ſimul coniungens hæc; *Lex ſpiritualis, ego carnalis, quod enim operor nō intelligo; bonum non ago, at quod odi malum,* ait: *Si eſt aliquis noſtrũ talis, ipſum Apoſtolum audiamus, de ſe ipſo loquentem, vt corrigamus nos: ſi autem ipſemet eſt, non intelligamus, quod volo, non ago, ſed quod odi; tanquam caſtus eſſe velit, & ſit adulter.* Sed quòd ex ſententia Auguſtini, Apoſtolus de ſe ipſo illa loqui potuerit; præter alia ad hoc confirmãdum, id affert in medium: quòd Paulus dixit de ſe ſcribens Corint.

2. Cor. 12.

Et ne magnitudo reuelationis extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis; & ab hoc non eſt exauditus, vt liberaretur; licet ad ſanitatem exauditus, non ad voluntatem. Vnde patet, quòd medicina illi opus erat, ne extolleretur: ergo quid prohibet, quòd de ſe ipſo dicat: carnalis ſum? Ad hæc Auguſtinus. *Hinc ſpiritualis, mente ſeruio legi Dei; carnalis, carne autem legi peccati; verum carnalis totus, qui ſequitur, tanquàm bonas, concupiſcentias prauas; vel cognoſcens prauas, ab illis vinci ſe permittit: ſi autem concupiſcis, & non poſt concupiſcentias vadis, ecce mortis contentio.* Iterum in ijs verbis: *non quod volo ago; & ita lex ſpiritualis; ego carnalis: homo mente ſpiritualis; corpore carnalis; at totus ſpiritualis, quando fiet corpus ſpirituale: in vita autem, idem ego in parte nolo, ſecundum interiorem hominem; & quod odi ago ſecundum exteriorem carnalem, quatenus concupiſcit caro; ſed poſt concupiſcentiam non eo: & vnus homo ex vtroque, vt ipſemet ſeruiam legi Dei mente: carnę autem legi peccati: ſed non mente illi conſentio, & nollem eſſe vim vllam peccati in membris meis.* Rurſus cum ioquit: *ego ſum in mente: ego ſum in carne; ſed reſiſtendo carnis concupiſcentijs, magis ſum in mente; quoniam rego mente: & ita magis ſum in eo, quod rego, quàm in eo, quòd regor ex parte carnis.* Idem explicans hæc verba; adiacet velle; perficere non inuenio; inquit. *Non dicit facere: nam facit aliquid, dum non conſentit concupiſcentiæ; attamen non perficit, quoniam non tollitur, quin concupiſcat.* Item illa: *condolector legi Dei: ita in me eſt pars viua, mens, quæ reſiſtit concupiſcentiæ, qua condolector legi Dei; & pars mortua, vt concupiſcens illecita.* Idem ad illa verba; quis me liberabit de corpore mortis huius? inquit. *Vita iuſti cum bello; vnde ago quod nolo, quod odi facio: velle adiacet mihi, perficere non inuenio, video aliam legem repugnantem, captiuantem; hæc omnia bellum perſonant: vox triumphi erit, cum corruptibile hoc induerit immortalitatem: ſemper pugnandum, quoniam concupiſcentia, cum qua nati ſumus, minui poteſt quotidie, at non finire dum viuimus.* Ad hęc ſubiungit Auguſtinus. *Apoſtolus luctabatur, & conſtituit ante oculos ſuam luctam, ne timeamus noſtram, cum ipſe ſuam ſuperarit; ne deſperet homo, ſi videat in ſuis membris concupiſcentiã.* Idem in tract. Pſ. 118. hęc habet: *motum porro illiciti deſiderij, cui non obediendo, non eum nos operamur, ideo & nos agere dicimus, quoniam non eſt naturæ vigor alienæ, ſed languor eſt noſtræ; a quo languore omnimodo ſalui erimus, cum & animo, & corpore immortales facti erimus.*

Aug. tract. Pſal. 118.

Idem in lib. Retract. de peccato, de quo dicit Apoſtolus, quòd inhabitat in corpore, ſeu in carne; ſtatuit non proprie eſſe peccatum, cum non ſit in voluntate; ſed peccatum dicitur, quia peccato factum eſt, & pœna peccati eſt. Ex ijs omnibus igitur locis, colligitur, Auguſtinum eius fuiſſe ſententię, vt quę in hoc cap. affetũtur, ad ipſam met Pauli perſonam, vti ſanctum, & iuſtum, poſſiot pertinere. Et quamquam in lib. ad Bonifacium Papam in dubium reuocet, num illa, *carnalis ſum, venundatus ſub peccato, quod odi malum id facio,* & ſimilia in Pauli perſonam cadere poſſent; attamen ex illis verbis, *non eſt in me bonum,* id eſt, in carne mea; *& video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ;* inducitur ad concludendum, vt cenſeat, Apoſtolum de ſe ipſo hęc enonciaſſe.

Aug. lib 1. Retra c. 23. & lib. 2. c. 1.

PARAPHRASIS. Cap. VIII.

NIHIL ergo nũc damnationis eſt ijs, qui inſiti io Chriſto Ieſu non ambulant ad nutum carnis, ſed ſecundum ſpiritum ſe regunt. Nam lex ſpiritus, qui vitam obtinet in Chriſto Ieſu, eripuit, & liberauit me a lege illa peccati originalis, quę eſt in membris, cum ei (nou conſentiens concupiſcentijs) non ſuccumbam; ac conſequenter a morte: quę & ſi ſequetur in corpore, attamen non manebit ęterna, quin corpus iterum in vitam, & illam quidem immortalem ſit excitandum. Et hęc qoidem ita euenere. Nam, quod erat impoſſibile legi Moſaicę, in quo infirmabatur per carnem noſtram obſtrictã peccato originali, vt propterea non valeret lex liberare hominem ab hac lege peccati, neque illi ſpiritum largiri, quo minus prohibita concupiſceret; Deus, mittens filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati (quá veram illam quidem aſſumpſit, & aptam, quaſi obnoxia eſſet peccato, a quo tamen penitus immunis erat, ad patiendam mortem cui ex lege peccati ſobdita erat omnis humana caro) de peccato, de ipſa uẽpe hoſtia Chriſti oblata pro delictis noſtris, peccatum ex delicto primi parentis in totum genus humanum propagatũ, in Chriſti vera, & immaculata carne condemnauit, atque diſſoluit; ita quidem, vt iuſtitia legis, vetita

non

non cõcupiſcendi impleretur in nobis; qui ad nutum carnis non ambulamus, ſed ſecundum ſpiritũ. Qui enim ſecundum carnem ſunt addicti eius concupiſcentijs, ij non aliud ſapiunt, quàm explere, quę carni placent. Qui vero ſunt ſecundum ſpiritum, ea ſapiunt, quę ſpiritui ſunt conſona: Et hęc quidem quàm maxime inter ſe differunt. Nam prudentia carnalis deſinit in mortem; prudentia vero ſpiritualis ducit hominem ad vitam, & ad pacem. Vnde ſtatuendum eſt, quòd prudentia carnalis Dei placitis omnino eſt inimica; vt quę legi Dei (qua vult ſpiritui ſubditum eſſe carni appetitum) non ſubijcitur: neque enim ſubijci poteſt, quatenus carnalis eſt. Qui autem carnis concupiſcentijs ſunt addicti, Deo placere nõ poſſunt: Vos autem non eſtis in carne, dediti eius concupiſcentijs; ſed eſtis ſpirituales; ſi tamen in vobis habitat ſpiritus Dei. Si quis autem non habet ſpiritum Chriſti, (qui idem eſt cum ſpiritu Dei) is nequaquam pertinet ad Chriſtum. Si autem Chriſtus eſt in vobis, vt eius veſtigia ſequamini; tolli quidem illud non poteſt, quin corpus ſit mortale, atque ideo in mortem ſit caſurum, quę illi debetur ob peccatum, in quo natũ eſt, venundatum ſub peccato primi parentis. Verumtamen ipſe ſpiritus, vita eſt, ob iuſtitiam per Chriſtum ſibi acquiſitam. Quòd ſi ſpiritus Dei, qui ſuſcitauit Ieſum a mortuis, habitat in vobis; qui excitauit Chriſtum a mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis. Ergo fratres, debitores ſumus, non carni; vt ſecundum carnem viuamus. Si enim ad nutum, & ad concupiſcentias carnis vixeritis, moriemini; Si autem ſpiritu facta corporis mortificaueritis, vt ſpiritui ſubijciantur; vitam viueris immortalem. Nam qui ſe ſe agi, & duci a ſpiritu Dei ſancto conſentiunt, hi ſunt filij Dei. Non enim, ſicut olim, cum per manum Moyſi, in monte Sina lex daretur populo Hebræorum, ingenti terrore gens illa concuſſa fuit ex ſpiritu Dei per tonitrua ac fulgura cõparente: ſic iterum conſimilem accepiſtis ſpiritum in timore; ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei; in quo clamamus, Abba, pater; ipſum, vt patrem noſtrum inuocantes. Et ipſe quidem ſpiritus nobis communicatus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, tum affectum in nobis filialem excitans erga Deum, tum tot præclara chariſmata nobis largiens; quòd ſumus filij Dei. Quòd ſi filij ſumus; ergo hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti; cum quo, & per quem, omnia nobis a Deo ſunt dono data; ſed hæc tamen ea conditione, ſi compatimur cum Chriſto, vt ſimul etiam conglorificemur: quod ſane alacri animo a nobis præſtari debet. Exiſtimo enim, & ratione colligere id mihi videor, quòd non ſunt ęquiparandæ paſſiones, quæ nobis contingunt in hac pręſenti vita, cum futura illa gloria, quæ reuelabitur in nobis. Quippe id colligi facile poteſt ex graui illa expectatione, quam ſuſtinet inſenſibilis huius mundi creatura, expectans manifeſtationem illius gloriæ, quæ in filijs Dei eſt reuelanda. Non enim vanitati, & corruptioni creatura, ſponte, ac volens ſubditur; ſed ita volente Deo; a quo etiam ſuſtentatur in ſpe, fore tandem, vt & ipſa ab hac mortalitatis, atque mutabilitatis ſeruitute erepta, in immortalitatem, atque incorruptibilitatem deducatur: tunc, cum, liberata ab omni malo, apparebit gloria filiorũ Dei; in qua etiam, effectę incorruptibiles huius mundi partes, conſpirabunt. Scimus enim, quòd omnis creatura, vniuerſa hęc mundi fabrica, ingemiſcit, & tanquam parturientis dolore opprimitur vſque adhuc; donec incorruptibilitas hæc compleatur. Sed non ſolum muta, atque inſenſibilis creatura, ex anxia ſua expectatione, teſtatur gloriam in filijs Dei reuelandam: verum etiam nos (quod maius eſt argumentum huius probationis) qui in Chriſto Ieſu inſiti, primitias, & exordia obtinemus illius ſpiritus, per quem ſumus excitandi ad tantam gloriam; & ipſi in nobis ipſis ingemiſcimus, ac mirum in modum anguſtiamur, expectantes hãc glorioſam adoptionem filiorũ Dei; ipſam corporis noſtri redemptionem, ad glorioſam immortalitatem vendicandi. Siquidem ſpe ſalui facti ſumus: rerum autem, quæ videntur, non eſt ſpes: quæ enim quiſpiam videat, quorſum illa ſperabit? Si autem, quod non videmus, ſperamus, id per patientiam expectamus. Similiter autem ſpiritus iſte ſanctus nobis communicatus, qui conteſtatur, nos inter filios Dei eſſe cooptatos, adiuuat infirmitatem noſtram, nos ſuo corroborans auxilio. Nam in eo, quod pręcipuum eſt ad gratiam Dei nobis impetrandam, in ipſis ſcilicet noſtris deprecationibus ad Deũ, cum nos, tanquam nos, ex proprio ſpiritu ignoremus, quid (vt oportet) Deum obſecremus; ipſe diuinus ſpiritus, ſanctas in nobis inſpirationes immittens, poſtulat pro nobis ad Deũ gemitibus inenarrabilibus: qui, cum ipſius ſpiritus gemitus ſint, verbis explicari nequeunt. Verum Deus, qui ſcrutator eſt cordium, optime nouit, quo tendant ipſius ſpiritus deprecationes; quoniam ſcilicet, ſecũdum Dei voluntatem, interpellant pro nobis ea, quę ad ſanctitatem conferunt. Et de hoc minime eſt dubitandum. Quando illud nobis debet eſſe certiſſimum, quòd diligentibus Deum omnia progrediũtur, & cooperantur in bonum; illis nimirum, qui ſunt vocati a Deo ad ſanctitatem, iuxta ordinem propoſiti ab ipſo decreti, quòd eſt eiuſmodi. Vt, quos ab ęterno pręnouit, dono ſuę diuinę maieſtatis, conformes in huius vitę exemplo imagini filij ſui (qui Dei patris voluntatem ſemper fecit, ac ſpiritu ſancto ſe rexit) hos etiam prędeſtinauit, ac ſtabiliuit conformes imagini eiuſdem filij ſui in gloria vitę ęternę; vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem Deus, iuxta decretum ęterni conſilij ſui, prędeſtinauit; hos etiam in tempore vocauit, vel internis, vel externis vocibus. Quos autem vocauit, hos etiam iuſtificauit. Quos autem iuſtificauit, illos etiam glorificauit. Quid ergo dicemus ad hęc? quidve contra ſpem ęternę glorię, quę manet electos Dei, afferri poteſt? Si Deus pro nobis, ac partium noſtrarum eſt defenſor, quis aduerſarius poterit nos depellere ab hac gloria? Deus quidem nequaquam ab hac nos deijciet. Qui, ſi proprio filio ſuo non pepercit, ſed illũ pro nobis omnibus morti tradidit; ecquis vmquam dubitarit, quin vna cum

filio,

filio, & reliqua omnia ſua nobis donarit? Quis ſtatuet accuſationem aduerſus electos Dei? Deus ne? qui hos ipſos iuſtificat, atque immunes reddit ab omni reatu? Quis eſt, qui condemnet? an Chriſtus? qui pro nobis mortem eſt paſſus? quin excitatus a mortuis, ſedens ad dexteram Dei patris, pro nobis interpellat? Quis euellet, atq; ſeparabit nos a charitate Chriſti? An tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladium? ſicuti ſcriptum eſt: quia propter te mortificamur tota die; æſtimati ſumus, ſicut oues occiſionis. Sed in ijs omnibus ſuperuincimus propter eum, qui dilexit nos. Certus enim ſum, quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos (ſecundum propoſitum iam dictum ad perfruendum Dei gloriam prædeſtinatos) vmquam ſeparare a charitate Dei, quæ in nos emanauit per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum; quin Deus, quos prænouit conformes imagini filij ſui; illos vna cum filio beatos, & glorioſos in regnum ſuum ſit recepturus, tutosq; ſemper conſeruaturus.

Editio vulgata.

NIHIL ergo nunc damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu: qui non ſecundum carnem ambulant. Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu, liberauit me a lege peccati, & mortis. Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnē: Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus: ſed ſecundum ſpiritum. Qui enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt: qui vero ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus, ſentiunt. Nam prudentia carnis, mors eſt: prudentia autem ſpiritus, vita, & pax; quoniam ſapientia carnis, inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubiecta, nec enim poteſt. Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu: ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet: hic non eſt eius. Si autem Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus vero viuit propter iuſtificationem. Quòd ſi Spiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum a mortuis habitat in vobis, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum a mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis. Ergo fratres, debitores ſumus: non carni, vt ſecundum carnem viuamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu, facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei. Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore: Sed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus. Abba, Pater. Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur. Exiſtimo enim, quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt, non volens, ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe: quia, & ipſa creatura liberabitur a ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc. Non ſolum autem illa, ſed, & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectātes redemptionem corporis noſtri. Spe enim ſalui facti ſumus. Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus: per patientiam expectamus. Similiter autem, & Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus: quia ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis. Scimus autem, quoniam diligētibus Deum, omnia cooperantur in bonum ijs, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui: vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit, hos, & vocauit: & quos vocauit, hos, & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos, & glorificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? ſi Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus, qui iuſtificat. Quis eſt, qui condemnet? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, immo, qui, & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis? Quis ergo nos ſeparabit a charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? (ſicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.) Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

ADNOTATIONES.

NIHIL *ergo nunc damnationis eſt ijs.* Beatam conditionem hominis iuſtificati hic aperit Apoſtolus, illam inferens ex antedictis, ex ijs nempe, dum dixerat: *Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod inhabitat in me peccatum, condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem; video autem aliam legem ex membris meis repugnantem legi mentis meæ; ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem lege peccati.* Ex ijs itaque infert, nullam iam reliquam eſſe damnationem, ijs, qui in Chriſto Ieſu ſunt inſiti; qui, non ſecundum carnem ambulant, eius illecebris obſequentes; ſed ſecundū ſpiritum. Quod, vt magis perſpicuum reddatur, perpendendum eſt; quibus nam malis ſubijciuntur

illi,

qui in damnationem ſunt traditi. Hi igitur, & lege peccati originalis, quo anima redditur auerſa a Deo, & lege mortis perpetuæ obſtricti tenentur, adeo vt & fomes concupiſcentiæ in eorũ membris inſurgens ex præuaricatione primi parentis, ipſis cedſit quodammodo in peccatum, & in mortis condemnationem; ad quæ eo magis etiam aggrauantur, dum, ex proprio quoque ipſorum reatu, carnis explent deſideria, ad quæ maxime procliues ſunt, vt non valeant non concupiſcere vetita, vti illi, qui ſine ſpiritu Dei viuunt. Quare (ex oppoſito) qui ſunt in Christo inſiti, cum per ipſum ſint mundati a macula peccati originalis, & liberi ab omni damnatione, liberi vtique erunt, & a lege mortis ppetuæ, & a lege peccati, ad quod mors in pœnam ſubſequitur; & ita quidẽ a lege peccati, vt inſurgens in ipſorum membris, ex præuaricatione primi parentis, praua concupiſcentia, cui non aſſentiunt, non ipſis ceſſit in peccatum; quum per Christi extincta crucifixum, macula originalis condemnans omnes filios Adæ, in ſalutem ſuorum fideliũ, qui per baptiſmum regenerantur, ſit ſublata. Qui præterea ſuffulti ſpiritu Dei, carnis cupiditatibus nõ obſequuntur; ſed eis fortiter reſiſtũt per legem fidei, quæ dirigit hominem, nõ per viam carnis, ſed per viam ſpiritus, atque mentis. Quæ quidem in gratia Dei exiſtẽs, viuit per Ieſum Christum apud Deum in hoc quoque corpore mortaliſicanti etiam corpus, per ſpiritum, qui ſuſcitauit corpus Christi, poſt temporalem interitum, excitabitur ad vitam immortalem, non amplius immutandum vna cum totius mundi renouatione. Qua in beatitudine vit iuſtus, inſitus in Christo, manebit in ſempiternum, vt ab ea numquam diuelli poſſit, Deo ita ſtatuente, ſicuti in hoc capite Apoſtolus manifeſtat.

Chryſoſt. hom. 13. Theodor. Ambr. c. 18. Roman. 3.

Dum autem dicitur: *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu*. Chryſoſtomus, & Theodoretus, per, *legem ſpiritus*, intelligunt Spiritum ſanctum. Alij legem Euangelicã; Ambroſius legem fidei interpretatur; cui fauere videtur, quod dictũ eſt ſupra; quòd lex factorũ excluſa eſt per legem fidei, quæ dicitur lex ſpiritus, vt quæ dirigat greſſus hominis, non ſecundum viam carnis, ſed ſecundum ſpiritum. Et cum additur: *lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu*: Denotatur hac lege ſpirituali obtineri vitã in Christo, e cuius meritis emanat noſtra beatitudo. Quod autẽ ſubiungitur, *liberauit me a lege peccati, & mortis*. Ambroſius per, *legem peccati*, intelligit fomitem: per, *legem*, autem, *mortis*; legem Moſaicam irrogãtem transgreſſoribus mortem. Alij vtrumque dictum referunt ad fomitem. Fortaſſe nil prohibet vtrumque ad vtramque legem referre: ſi ita diſtinguatur: quòd lex in membris, actu contineat peccatum, hoc eſt, ipſam prauam concupiſcentiam in ipſis membris inſurgentem; ſicuti etiam mors actualis efficitur in membris corporis. Lex autem Moſaica eſt occaſio vtriuſque facti; tum, vt peccetur, dum homines ipſorum culpa tranſgrediuntur mandata legis; tum conſequenter, vt ad mortem deducantur, quam lex tranſgreſſoribus comminatur.

Ambroſius.

Illud autem, quod ſubiungit Apoſtolus, *quod impoſſibile erat legi*, cum de Moſaica lege intelligatur, fauet, vt & prius dictũ, potius ad legem Moyſi; quàm ad legem aliam membrorum referatur.

Orig. lib. 8. c. 8. ad Roman.

Perpendenda eſt autem hoc loco ſententia Origenis, qui, explicaturus hoc caput, ſupponit in ſuperiori explicatã eſſe diuerſitatem, quæ eſt in illis, qui, velut in quodam certamine poſiti, mente quidem viuunt ſecundum legem Dei, carnis vero deſiderijs aguntur in legem peccati. Hic autem eſſe ſermonem de ijs; qui, non ex parte in carne, ex parte in ſpiritu, ſed ex integro ſunt in Christo: de quibus (ſecundũ Origenem) Apoſtolus pronunciat, quòd in his nihil eſt dignum damnatione. Quæ interpretatio videtur habere refragãtem Apoſtolum, dum dixit in cap. præcedenti. *Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod inhabitat in me peccatum*. Quibus verbis, iuxta communem interpretationem, inſinuatur ſtatus hominis iuſtificati, cui quidem non imputatur ad peccatum carnis concupiſcẽtia, quæ in ipſo fiat abſque mentis ipſius proprio conſenſu; ita quidem, vt huic particulæ, *nunc*, ibi poſitæ, reſpondeat hoc aliud, *nunc*, quod habetur in initio huius cap. dum dicitur. *Nihil ergo nunc damnationis eſt ijs, &c*. Sed non mirum, quòd Origenes hanc ſingularem interpretationem ſit ſequutus: vt, qui ſupra intellexerit, hominem, quo ad animam rationalem, ſubdi peccato, quamuis mẽte apud ſeipſum ſtatuat non conſentire peccato; in quo tamen propoſito non ſibi conſtat, a longa vitiorum conſuetudine diuulſus; quod initio conuerſionis euenire perpendit. Ac propterea ipſe diſtinguit ſtatum hominis, in impium, qui totus ſit deditus vitijs; in eũ, qui mẽte bonus eſſe ſtudeat, ſed a deſiderijs carnis propellitur in peccata; & in eum, qui integer, & immunis ſit ab omni peccato. Alij autem expoſitores, ac præſertim Auguſtin⁹, iuxta dicta ſuperius, interpretatur, animam hominis non irretiri peccato, dum legi Dei mente ſeruit, licet ſeruiat etiã carne legi peccati; quatenus ſcilicet in eius carne, ex pœna peccati, excitatur concupiſcentia; cui enim non cõſentiat homo, non peccat, licet patiatur in carne concupiſcentiam: atque ideo idem eſt, qui ſeruit mẽte legi Dei, & carne legi peccati, cum ijs, de quibus eſt ſermo in initio huius cap. Quòd *nihil nunc eſt damnationis ijs, qui ſunt in Chriſto*. Vt, propterea Auguſtinus, ob dicta in 7. cap. & ob deductam illationẽ in initio huius cap. fateatur, ſe coactum ſentire, rectius accipiendum eſſe, Apoſtolum de ſua, ſiue iuſtorum perſona loqui, quàm de peccatore, vt patet ex ijs, quæ ſcripſit in primo lib. aduerſus Iulianum, cap. 6. & in lib. 2. Retract. cap. 1.

Roman. 7.

Aug. lib. contra Iu. c. 6. & lib. Retrac. c.

B: *Nam, quod impoſſibile erat legi*, Græca lectio habet, τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, quod verti etiam poteſt, *impoſſibile legis*. Quam lectionem ſequens Origenes, ita interpretatus eſt hunc locũ, quòd in lege accepta ſecundum carnẽ, & litteralem ſenſum, comprehenduntur ea, quæ impoſſibile erat præſtari ab homine. Veluti (vt inquit ipſe) in obſeruãtia Sabbatorum, non exire de domo, non ſe mouere de loco; non leuare onus. Sicuti etiam impoſſibilem factam eſſe rationem ſacrificiorũ, idem ſubiungit, ex eo quòd non templum, non altare, neque vllus ſacrificãdi ſit amplius relictus locus. Atq; ita Origenes

Orig. lib. c. 8. ad Roman.

genes transfert impoſſibilitatem ad legis mādata, quæ impoſſibile erat homini præſtare: Ambroſius (Ambr. c. 8.) ipſe quoque refert impoſſibilitatem ad hominem, qui non poterat ſeruare mandatum legis ne concupiſceret: ita enim habet. *Quoniam quod impoſſibile erat*, inquit, *legis*. Cui impoſſibile? *nobis ſcilicet impoſſibile erat mandatum legis implere, quia ſubiecti eramus peccato*. Alij autem adhærentes lectioni interpretis, qui legit, *quod impoſſibile erat legi*, referunt hanc impoſſibilitatem ad legem, quæ non poterat hominem iuſtificare, roborando ipſum, quo minus concupiſceret: hoc enim impoſſibile erat legi ob peccatū originale, cuius macula non niſi per Chriſti crucifixionem tollitur, & virtus confertur fidelibus reſiſtendi aduerſus fomitem cōcupiſcentiæ. Cum autem, quod dicitur impoſſibile alicuius, ſit idem quod impoſſibile eſſe alicui, Ideo ſecunda interpretatio ſenſui Apoſtolico videtur eſſe accommodatior, propter ea, quę ſubiungūtur, quòd Deus per filium ſuum damnauit peccatum, vt legis iuſtificatio in nobis adimpleretur, tanquam hoc impoſſibile eſſet adimpleri a lege. Nonnulli autem, ſupponentes orationem Apoſtoli non eſſe perfectam, idcirco ad hæc, *quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati*: ſupplendum cenſent verbum, *præſtitit*, vti ſuppletur apud Chryſoſtomum, (Chryſoſt. hom. 13.) vel quid aliud huiuſmodi. Verum forte poſſet etiam fieri interpretatio, non explicando illud, *impoſſibile legi*, pro eo quod eſt, quod impoſſibile erat legi: ſed abſolute accipiendo ipſum, *impoſſibile legis*; quo ſupponatur concerni peccatum originale, afferens legi impoſſibilitatem, quo minus lex valeret hominem iuſtificare, vt ita conſtruatur oratio. Quòd Deus, mittens filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, ipſum impoſſibile legis (quod eſt peccatum originale) damnauit, dum damnauit peccatum de peccato, eo modo, vt poſtea explicabitur: & ita verbum, *damnauit*, accommodaretur totius orationis contextui.

Illud vero quòd Deus miſerit filium ſuum *in ſimilitudinem carnis peccati*; quod attinet ad dictionem, *carnis peccati* (græce, σαρκὸς ἁμαρτίας) ſunt qui explicent *carnem peccatricem*, ac ſi legeretur σαρκὸς ἁμαρτωλῆς. Vnde apud Chryſoſtomum (Chryſoſt. hom. 13.) hæc habentur. *Neque enim peccatricem carnem habuit Chriſtus, ſed ſimilem quidem noſtræ peccatrici, non autem peccatricem*. Theophylactus (Theophyl.) vero adhęrens lectioni vulgatę, ita explicat. *Pater itaque filium ſuum demiſit in carnis peccati ſimilitudinem, id eſt, carnem habentem, & ſi noſtræ huic peccatis obnoxiæ ſimilem quidem ſecundum ſubſtantiam: peccati tamen expertem*: vult que Theophylactus, quoniam Apoſtolus peccati fecerat mentionem, ideo adiecisse, *ſimilitudinem*, vt tolleretur, quod non accepiſſet filius carnem obnoxiam peccato; ſed bene ſimilem carni obnoxiæ peccato. Alioqui dictionem hanc, *in ſimilitudinem carnis peccati*, volunt phraſem eſſe hebraicam: pro eo quod eſt, ſub ſimilitudine, ſiue ſpecie carnis peccatoris: adeo quòd Chriſti caro non fuit obnoxia peccato, & impuris motibus cōcupiſcētiæ, vti noſtra: fuit autem interim mortalis, & alijs miſerijs (quæ in naturam humanam ex peccato irrepſerūt) ſubiecta. Ex Baſilij (Baſil.) autem epiſtola ad Sozopolitanos (vt habetur in ſcholijs Oecumenij) colligitur, Ideo dictū fuiſſe ab Apoſtolo, Chriſtum factum eſſe, *in ſimilitudinem carnis peccati*, vt oſtendatur, quòd dominus naturales ſuſcepit affectiones, ad confirmationem veræ, & non phantaſticæ incarnationis, ſiue ſuſceptionis humanitatis: affectiones vero, quę a malitia oriuntur, quęcunque puram vitam noſtram commaculant, tanquam immaculata diuinitate indigna, reieciſſe. In his autem omnibus Interpretationibus, illud deſiderari poſſe videtur, vt clarius explicaretur, quomodo fuerit in carne Chriſti ſimilitudo peccati, & diſſimilitudo. An forte dici poſſet, quòd caro Chriſti, vt quæ non eſſet conſtructa ex ſemine viri (vnde trahitur macula peccati originalis, & hinc tot miſeriæ vna cum morte in humanam naturam ſubſecutæ ſunt) ſed ex Dei virtute virginem obumbrante fuerit concepta; idcirco non debuiſſet morti ſubiacere, ſicuti reliqui homines ex pręuaricatione primi parentis, ex Dei infallibili decreto, morti ſubditi facti ſunt: quam tamen Chriſtus ſubire voluit ob mundi redemptionem. Vnde ita diceretur factus in ſimilitudinē carnis peccatricis, quatenus eius corpus, morti, quæ debebatur carni peccatrici, ac ſi & ipſe carnem peccatricem habuiſſet, obnoxiū eſſe voluerit; quamuis immunis ab omni peccato eius caro concepta fuiſſet. Et hanc quidem intelligentiam attigiſſe videtur Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus, (Oecum. Theophyl.) dicentes, quòd Chriſto licebat gaudio frui, non pati mortem, quoniā immunis erat a peccato. Vnde infert Theophylactus: *nec morti erat obnoxius*; Et Chryſoſtomus hom. 28. hæc habet. (Chryſoſt. hom. 28.) *Idcirco, non ſubiectus morti, ſuſcepit mortem*: intelligēdo ſemper mortem, ad pręuaricationem Adę, a Deo ſibi comminatam, quam euadere potuiſſet Adam, ſi non peccaſſet. Vnde ſuo iure Chriſtus, ab hac morte ad peccatum ſubſequuta, immunis eſſe debuiſſet; quemadmodum & ab omni peccato immunis erat, longe ab omni macula originali.

B *De peccato damnauit peccatum*. Vel quoniam de peccato in Chriſti Agni innocentiſſimi mactatione commiſſo (quo nullū vnquam aut grauius, aut atrocius eſt perpetratum) ob id ipſum facinus, Deus pœnas deleuit debitas humano generi ob peccatum originale, & ſimul fomitis concupiſcentiam domuit. Ita enim dictum Apoſtoli intelligi poſſe cēſuit Auguſtinus ſcribens ad Bonifaciū. (Aug. ad Bonif. lib. 3. capit. 6.) Aut dicendum, quòd de peccato, nempe de corpore Chriſti oblato pro hoſtia, & piaculo peccatorū, Deus punitiones ſumpſit de peccato hominū: ita enim etiam interpretatus eſt Auguſtinus, & Origenes, (Aug. ench. cap. 41. Orig. lib. 6. c. 8. ad Roman.) cum in Biblia legatur: *ponant manus ſuas ſuper peccatum*: id eſt, ſuper victimas pro peccato. Ambroſius autē intellexit diabolum; de quo Deus damnauit peccatum, cum diabolus præcipuus fuerit perpetrator huius peccati, vt occideretur Chriſtus. Perpendēda autem ſunt quæ leguntur in epiſt. ad Corint. (2. Cor. 6.) quòd Deus, *eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo*. Ideo enim dicitur, quòd Deus fecit

cit

cit Chriſtum, peccatum, non peccantẽ, ad innuendum, quòd miſit eum in ſimilitudinem carnis peccati: quatenus aſſumpſit carnem humanam, quam voluit eſſe obnoxiam morti, quæ eſt in pęnam peccati: & ita Chriſtus, vt homo, factus eſt peccatum, tollens in ſe pœnam peccati, moriendo, vt nos efficeremur iuſtitia Deo, facti iuſti, ex impijs, per eius ſanguinem: per quem, ſuſcipientes baptiſmum, regeneramur in nouum hominem: quæ quidem cõueniunt cum dictis hoc loco; *Vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum*. Dum autem dicitur, peccatum eſſe damnatum, de ipſo originali peccato intelligendum videtur; cuius abolitione, & reliqua omnia peccata diſſoluuntur: quando, ex fonte concupiſcentiæ ex peccato originis contractæ, omnia deriuãt peccata in homine. Ita autem fuit damnatum peccatum originale, vt ab eius macula mundentur, qui fidem Chriſti ſuſcipientes, ſacro baptiſmate inſiguiuntur: adeo vt nõ amplius ijs, qui inſiti ſunt in Chriſto, imputetur, & cenſeatur pro peccato: licet exurgat in ipſis concupiſcentia, cui tamen non aſſentiunt: & vt non aſſentiant, per Chriſtum roborãtur, qui largitur ſuis fidelibus ſpiritum obſiſtendi carnis deſiderijs.

D *Quæ carnis ſunt ſapiunt*. Græce φρονοῦσιν: qua voce ſæpe vſus eſt Apoſtolus; & ſignificatur prudẽtia, ſeu animi conſilium, in quo & affectus voluntatis innoluitur, & ſimul animi cogitatio, ſeu ratiocinatio, qua homo dirigitur ad explendas ſuas affectiones. Et quidem prudentia tunc bona, atque ſpiritualis eſt, cũ carnis deſideria rationi ſubijciuntur: carnalis autem prudentia eſt, vbi in explendis carnis deſiderijs, abſque vlla rationis limitatione, atque dominio ſpiritus, omne ſtudium collocatur. De qua prudentia carnali dicit Apoſtolus, quòd legi Dei non ſubijcitur: neque poteſt ſubijci: ac ſi diceretur, quòd vitium non poteſt eſſe virtus. Dum autem eſt ſermo de ijs qui ſunt in carne, intelligitur de ijs, qui addicti ſunt carnis concupiſcentijs: ſicuti ſunt in ſpiritu, qui ſunt addicti legi Dei. Interdum autem ſumitur eſſe in carne, pro viuere hac vita mortali: ſicut illud in epiſt. ad Gal. *Quod autem nũc viuo in carne &c.* & in eã ad Corint. *in carne enim ambulantes*: id eſt, viuentes in hac mortali carne; *non ſecundum carnem militamus*.

Gal 2.
2.Cor. 10.

E *Corpus quidem mortuum*. Non tollitur per Chriſti mortem, quin corpora fidelium morti ſint tradenda, cum propter peccatum primi parentis ſint damnata ad mortem ex Dei verbo, quod manet in æternum, dum dictum eſt Adæ: *in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*: Auguſt. in lib. 9. Gen. ad litteram; & in lib. de bapt. paruulorũ, animaduertit, dictũ eſſe hoc loco, *corpus mortuum*, ad denotandam neceſſitatem mortis, quam ſubijt corpus hominis poſt peccatũ Adæ; cum prius mortale etiam eſſe potuiſſet: ſed non neceſſario moriturum; immo non moriturum, ſi non peccaſſet. *Spiritus vero viuit*. Græci legunt: *Spiritus vita eſt*, quam lectionem Ambroſius ſequitur: & intelligit Spiritum ſanctum, qui vita eſt, & alios viuere facit. Et ita etiam Chryſoſtomus, & Theophylactus ſunt

Gen. 2.
Auguſt. in libr. 9. Gen. ad lit. & in lib. de bapt. paruu.
Chryſoſt. hom. 13.
Theoph.

interpretati. Thomas autem intelligit per ſpiritum, partem noſtri oppoſitam parti mortali. Et cum in epiſt. ad Theſſ. ſit mentio de corpore, & anima, & ſpiritu; haud ignorandum, in confeſſis eſſe, quòd corpus traditur morti: ſicuti etiam de ſpiritu, ſeu de mente, & anima rationali, fide certi ſumus, quod non moritur per ſeparationem factam corporis ab anima. At de potentijs animæ, quæ pertinent ad mouendi, & ſentiendi virtutem, cum deſint organa munijs ijs deſeruentia in ſeparatione corporis ab anima; quomodo interim poſt mortem maneant, forte ad Dei arcanum eſt relinquendum.

Tho. Aqui.
1. Theſſ 5.

F *Si enim ſecundum carnem vixeritis*. Quid eſt, quod ait Apoſtolus, ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. An non iam ſuppoſitum eſt, corpus mortuum etiam in illis, qui ſecundum ſpiritum viuunt? vtique ita eſt. Sed dicendum, vt dicit Auguſtinus, quòd *veniet dies, quando omnes, qui ſunt in monumentis, audient vocem eius, & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionẽ vitæ; & ita viuent liberi a corpore mortis huius: qui vero mala fecerunt, in reſurrectionem iudicij*; per quod condemnabuntur in æternum ad ſupplicia perpetienda iuxta ipſorum malefacta. Mortificare autem facta carnis, de quo hic eſt ſermo, eſt non explere deſideria carnis, ſed illis reſiſtere; illud agendo, quod dicit Apoſtolus de ſe ipſo: *caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo*. Quo in opere mortificationis carnis, notat Origenes id fieri per patiẽtiam, & non ad ſubitum; ſed paulatim; vt primo lãgueſcat actus in incipientibus: deinde proficientes, repleti cum ſint ſpiritu maiori, ſic deinde tabeſcere incipiunt actus carnis: perfecti autem illi ſunt, in quibus nulla adſint indicia peccati; & ita, in ijs, actus carnis mortificati, & ad integrum morti traditi cenſendi ſunt.

Augu. ſer. 5. de verb. Apoſt.
1. Cor 9.
Orig lib. 7. c. 8. ad Ro.

G *Quicunque enim ſpiritu Dei aguntur*. Auguſtinus de verbis Apoſtoli, inquit: *Spiritus Dei, qui nos agit agentibus nobis, eſt adiutor; & ſi adiutor, ergo & nos aliquid agimus*. Illi autem dicuntur agi ſpiritu Dei, qui iuxta ſanctas motiones atque inſpirationes Dei (a quo initium, & auxilium eſt omnium noſtrarum bonarum actionum, & cogitationum) ſe ſe regi, & duci conſentiunt: Et huiuſmodi (vt dicit Apoſtolus) filij Dei ſunt: cuius ſententiæ probationem ſubiungit, oſtendens, quòd ſpiritus, quo ſe regi homo conſentit ad nutum Dei, eſt filiationis ſpiritus, & non ſeruitutis.

Auguſt. ſer. 13. de verb. Apoſt.

H *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore*. Legitur in lib. Reg. quòd cecidit ſpiritus formidinis ſuper eos; quod præcipue apparuit, quãdo data fuit lex populo Hebræorum, in Monte Sinai, cum clãgore illo terribili, & caligine maxima; vnde ingens timor inuaſit corda illius populi, ac proinde Moyſes dixit illis: *Nolite timere, vt enim probaret vos, venit Deus, vt timor illius eſſet in vobis*. Ex quo patet, quod Deus in virga ferrea regẽs populum illum, in timore eum continebat; vnde ſpiritus timoris in eorum pectora incutiebatur, coniunctus iisdem iugo ſeruitutis legis, iuxta dicta in epiſt. ad Galat. de teſtamento, quod in ſeruitutem generat. Ita igitur olim agebatur cum populo Iudaico.

1. Reg. 7.
Gal. 4.

At

At poſteaquam Chriſtus ſuos fideles redemit, ipſos patri per ſuam mortem reconcilians, eiſdem communicationem Spiritus ſancti impetrauit præſeſentis adoptionem filiorum Dei, in quorum numero, fideles ex Dei benignitate cõfidunt ſe receptos eſſe; ita vt ad Deum (non vt Deum furoris) ſed vt clementiſſimum Patrem, iuxta præceptum orationis Dominicæ, clament, Abba, Pater, prout hebraica, aut æthnica lingua quiſque vtitur. Fuit enim

Aug. de cõſen Euang. lib. 3 c. 5.

(vt inquit Auguſtinus in lib. de cõſenſu Euãgeliſt.) Chriſtus angularis lapis venienti ad eum; partim ex Hebræis, ad quos pertinet nomen, *Abba*; partim ex Gentibus, ad quos pertinet nomen, *Pater*. Et ſane ſpiritus adueniens regeneratis in baptiſmo per ſanguinem Chriſti, ſpiritus conſolans eſt; qui diuinitus in prima eccleſia viſibiliter cadebat ſuper fideles, mira illis dona conferens; ſed præcipue Dei charitatem diffundens in cordibus eorum: a qua lõge aberat populus Iudæorum; qui, timore pœnę, ad ſeruanda Dei mãdata more ſeruorum ducebantur. Quod autem attinet ad differentiam, quæ eſt inter ſpiritum ſeruitutis, & ſpiritum adoptionis filiorum

Aug. Quæſtio Exo. libro 2. quæſtio 55.

Dei. Auguſtinus in lib. Quæſt. Exodi animaduertit, ſpiritum Dei non ſolum ad beneficium, verum etiam ad vindictam commemorari, ſicuti Aegyptijs per ſpiritum iræ Dei diuiſæ ſunt aquæ, vt obruerentur: filijs autem Iſrael, quibus profuit diuiſio aquæ, non fuit ſpiritus iræ Dei. Vnde propter diuerſas operationes, & effectus, ſpiritus Dei diſſimilis appellatur, cum ſit tamen vnus, atque idem ſpiritus; ille duntaxat, qui etiam Spiritus ſanctus in vnitate Trinitatis accipitur. Vultque Auguſtinus eodem ſpiritu Dei conſcriptam fuiſſe legem, qua timor incuſſus eſt populo Iudæorum; vt ita de ſua

Orig. lib. 8. c. 8. ad Roman.

infirmitate, atque peccatis conuinceretur. Origenes etiã ſupponit varios effectus procedere ab eodem ſpiritu, adeo quòd etiam in Saul excitatus ſit ſpiritus malignus, Deo per iuſtitiam ita operante.

Ex quibus dici poteſt, quòd ſpiritu Dei omnia mouentur, & aguntur; ita quidem, vt ipſi ſpiritui omnes attribuantur operationes Dei; qui, ob ſuam bonitatem, & amorem (qui attribuitur Spiritui ſan-

Gen. 1.

cto) omnia mouet, & facit. Vnde illud in lib. Gen. *& ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas*. Cum autẽ in ſola creatura rationali ſpiritus reperiatur aptus ad intelligentiam, ipſa mens ſeipſam mouens; per hanc ſe regit, & promit ſuas operationes angelica natura; quæ, quoniam a carne ſeiuncta eſt, ſpiritus proprie dicitur. In homine autem intellectus, ſeu mẽs eſt eius forma, non quidem informans corpus, vt virtus vegetandi, & ſentiendi, quæ educuntur de potentia materiæ, ſed alio modo ſubſiſtens in homine deforis veniens, cum ſit ex ſua natura incorporea: & ita accepta, dicitur ſpiritus, ad diſtinctionem animæ vegetalis, & ſenſitiuæ. Quemadmodum

1. Theſſ. 5.

in epiſtola ad Theſſal. dum dicitur: *Vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela in Aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur*: per, *ſpiritum*, denotatur anima rationalis: per, *animam*, virtus ſentiendi; & per, *corpus*, facultas vegetandi: ſicuti ſupra in Adnot. G. cap. 1. latius fuit explicatum.

Aug. lib. 8. Confeſſ.

Et Auguſt. in lib. 8. Confeſſ. habet, quòd ſpiritus hominis in Scripturis dicitur anima rationalis, quæ diſtat a pecoribus.

Sed & illud non eſt prætereundum, quòd in homine ſpiritus poteſt & bonus eſſe in fide, ſpe, & charitate, in ſapientia, in intellectu, & in alijs virtutibus, ſi ſit ſecundum gratiam, & ſpiritum Dei; & poteſt etiam eſſe malus ſpiritus, ſi prauis deſiderijs carnis mens adhæreat: vt hinc infidelitate, deſperatione, odio, ignorantia, malitia, & omni alia prauitate repleatur. Cum autem dicitur, *in ſpiritu*

Pſalm 47.

conteres naues Tharſis. Adnotat Origenes dari ſpi-

Orig. lib. 8. c. 8. ad Roman.

ritus procellæ, & ſpiritus ardoris, quos tamen magis materiales, quàm rationabiles ſpiritus appellare debere iudicat; hique erunt, qui ſecundum doctrinã Ariſtot. ex calida, & ſicca exhalatione conſtituuntur, ac venti appellantur; quo conſimili ſpiritu ab animalibus voces eduntur, nempe flatu: de quo etiã eſt ſermo in epiſt. ad Corinth. vbi dicitur: *Orabo*

1. Cor. 14.

ſpiritu, orabo, & mente.

I *Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei*. Occumenius, Theophy-

Occumen. Theophyl.

lactus, & alij Græci ferme omnes interpretantur, quòd Paracletus ipſe ſuo teſtimonio adſtruit gratiam, quę nobis eſt data: non enim vltro ſine alterius aſſertione, pronunciamus Abba, Pater; ſed Paracliti iſtud eſt donum; & ipſe per ſpiritum, id eſt, per gratiam inſtruxit, ita precari. Auguſtinus autem inquit:

Auguſt. de verb. Apoſt. ſerm. 13.

non ſpiritus noſter reddit teſtimonium, quod ſumus filij Dei, ſed ſpiritus Dei arra hoc reddit teſtimonium:

Ambr. c. 20.

Ambroſius interpretatur, quòd, dum in nobis bene agentibus ſpiritus Dei manet, noſtræ voci, & animo in oratione dare teſtimonium adſtruit; quoniam nõ temere, inquit, dicimus, Abba, Pater: dignam enim

Tho. Aqui. Theodor.

vitam huic voci exhibemus. Thom. inſitum amorem intelligit. Theodoretus autem animaduertit appellari ipſum ſpiritum, naturam ſpiritus; noſtrum autem ſpiritum datam gratiam. Ex ijs igitur omnibus apparet, accipi debere ſpiritum (qui reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei) pro Spiritu ſancto nobis communicato, qui eſt idẽ cum ſpiritu filij Dei, ſicut dicitur in epiſt. ad Galat.

Galat. 4.

Miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra. Qui quidem, dum nobis communicatur, accumulat ſpiritum noſtrum, ipſam noſtram mentem donis ſupernis; quibus, & de veritate illuminamur, & virtutibus roboramur, vt maiori charitate feramur erga Deum, quàm ex inſita nobis natura ipſum amare valemus. Hæ igitur gratiæ ſpiritus diuini nobis communicati, per infuſionem ſancti Spiritus, reddunt teſtimonium ſpiritui noſtro, ipſi noſtræ menti, quòd ſumus filij Dei. Ipſe enim noſter ſpiritus, ipſa ſcilicet noſtra mens, agnoſcit ex ſibi communicatis gratijs diuinis, quòd ſumus filij Dei; quoniam hæc ſunt dona, quæ non niſi filijs illis cariſſimis condonarentur; pro quibus Deus filium proprium tradidit, vt credentes in ipſum, filij Dei euaderent per adoptionem, non per naturam; ſecundum quam, ſolum Verbũ, vnigenitus eſt filius Dei. Et cum nemo, vt dicitur in epiſt. ad Corinth. poſſit

1. Cor. 12.

dicere: *Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto*: Itaque neque Patrem Deum quis appellabit, niſi in Spiritu ſancto; vnde ipſe atteſtatur nobis ita precantibus,

quòd

quòd ſumus filij Dei. Nam ſi ipſe nobis eſt pater,
nos eius filij, vt ſimus, oportet. Neque vero pro-
pterea dicendum, quòd certi ſimus de noſtra ſalu-
te. Nam certi eſſe non poſſumus, num vitam di-
gnam hac voce, qua dicimus, Abba, Pater (vt exiſti-
Ambroſius. mauit Ambroſius) ſimus exhibituri, ne deficiamus
in extremo die. Sed & dubium non eſt, quin illi
ſint cenſendi filij Dei, qui aguntur, & reguntur per
ſpiritum Dei; dum motiones, & inſpirationes diui-
nas admittunt, & omni ſtudio nauant operam, vt
humiliter cum timore, & tremore (vt alibi dixit
Philipp. 2. Apoſtolus) propriam operentur ſalutem, de pro-
pria infirmitate timentes, in Deo autem ſpem om-
nem collocantes, cuius auxilium eſt ſemper a nobis
implorandum.

K *Exiſtimo enim, quòd non ſunt condignæ paſſio-
nes huius temporis ad futuram gloriam.* Græce
λογίζομαι, quod, exiſtimo, computo, ſeu perpendo
ſignificat. At quid perpendit hoc loco Apoſtolus?
& quomodo id, quod perpendit, manifeſtat? Id
igitur perpendit, quòd non ſunt comparandæ paſ-
ſiones, quas ſuſtinent electi Dei in hac vita, cum ea
gloria, quã ſunt conſecuturi in alio ſeculo: ſic enim
Orig. lib. 8. explicat Origenes hanc Apoſtoli ſententiam, in-
c. 8. ad Ro- quiens; quòd, *nihil dignum inueniri, aut comparari*
man. *poteſt cum futura gloria.* Et Theodoretus. *Superant,*
Theodor. inquit, *coronæ certamina, nec comparantur cum labo-
ribus remunerationes.* Ex quo patet, quàm longe
aberrent a ſcopo Apoſtoli, qui ex hac auctoritate
inferri volunt, quòd opera noſtra non ſint merito-
ria vitæ ęternæ. Non enim id aſſerit Apoſtolus;
ſed ꝙ non ſunt comparandæ paſſiones huius tem-
poris cum futura gloria, ad quam electi Dei ſunt
perducendi, quod notiſſimum eſt. Quandoqui-
dem, quæ contingit nobis pati in hac vita ob Chri-
ſti nomen, ſunt momentanea, vt quæ citiſſimo tem-
pore præteruolent, & finita concludantur acerbita-
te; gloria autem ſanctis electis præparata, in ſempi-
ternum eſt duratura, continens inexhauſtam, incõ-
ſummabilem, & infinitam beatitudinem. Quòd
autem non ſint comparandæ paſſiones huius tem-
poris ad futuram gloriam, Apoſtolus manifeſtat ar-
gumento ſumpto a ſigno. primo quidem a creatura
inſenſibili. Deinde ab ipſis ſpiritualibus homini-
bus, qui primitias obtinent ſpiritus in hac vita. Ete-
nim creatura inſenſibilis, elementa, & cœlum, ex
quibus conſtat huius mundi machina, *vanitati*, id
eſt, actibus, qui pertranſeunt, ſubijciuntur; dum
cœli, motu circulari cientur, & elementa generatio-
ni, & corruptioni ſubiacent; quod quidem non pa-
tiuntur, quaſi hoc appetant, & in hoc conquieſcant,
ac delectentur; ſed obſequentia voluntati diuinæ,
hanc vanitatem, & onus hoc mutationis ſuſtinent,
donec compleatur numerus filiorum Dei: interim
autem ſuſtentatæ hę creaturę in ſpe perueniendi ad
immutabilem, & incorruptibilem, diuinioremque
formam, in quam ſunt vendicanda, & ad quam an-
helant; vehementi interim, & graui expectatione
oppreſſę, &, vt gementes, opus hoc mutationis ſuſti-
nentes. Vnde idoneum præbent argumentum exi-
miæ, & immenſæ illius gloriæ, quæ in filios Dei eſt
reuelanda; quando, propter hanc ipſam, creatura
quoque inſenſibilis ab hoc mutabili, & negocioſo
ſtatu, in quo nunc verſatur, in longe præſtantiorem
formam, non amplius permutandam, ſit tranſitura.
Aliud vero ſignum ad hoc idem perſuadendum
(quod maioris debet eſſe ponderis) ſumitur ex ipſis
Chriſti fidelibus. Qui quidem primitias, id eſt,
arram, atque pignus ſpiritus illius in ſe ipſis haben-
tes, quo, ad immortalitatem, mortalia noſtra corpo-
ra ſunt vendicanda; & id ipſum ſcientes (ſicuti di-
citur in epiſtola ad Corinth. *Qui & ſignauit nos, &* 2. Cor. 1.
dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris. & paulo in- 2. Corin. 4.
fra. *Sciẽtes, quoniam, qui ſuſcitauit Ieſum, & nos cum
Ieſu ſuſcitabit*; & ſi immortalitatis arram obtinent,
ipſam ſpiritus proprij viuificationem, qua (in ſimili-
tudinem mortis Chriſti, qui mortuus eſt peccato)
facta carnis mortificant; vnde & corporis morti
tradendi renouationem ſunt accepturi, prout &
Chriſtus reſurrexit. Nihilominus tamẽ, quoniam
ſpe ſalui facti ſunt, & in expectatione futuræ cor-
poris redemptionis interim verſantur; ideo, pro hac
ipſa congemiſcunt in ſe ipſis, vti remorati ab hac
gloria plene conſequenda: quam, incomparabilis
certæ magnitudinis, & excellentiæ futuram ſuppo-
nendum eſt, cum tantopere angantur ob eius dila-
tionem etiam illi, qui de ea in ſe ipſis (ſecundum
ſpiritum) initium obtinent, & experiuntur.

Ex his infert Theophylactus, ꝙ cum hæc mundi Theophyl.
machina, ob hominem, patiatur hanc vanitatẽ cor-
ruptionis; debet & homo, quod ob Deum patitur,
ęquo animo ferre. Et ſi creatura hæc eſt glorifi-
canda, longe magis & homo, propter quem immu-
tanda eſt hæc mundi machina, potiora conſeque-
tur. Idem animaduertit, perſonæ fictionem apta-
tam eſſe hoc loco creaturæ inſenſibili, dum ei dolo-
ris, & ſpei, paſſiones tribuuntur, quæ animalibus
conueniunt.

Cum autem plories de creatura hoc loco ſit ſer-
mo, communiter intelligitur creatura inſenſibilis,
cœlum & elementa, ex quibus mundi fabrica con-
ſtruitur: excepta illa ſententia, dum dicit Apoſtolus.
*Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiſcit, & par-
turit.* Nam in loci huius expoſitione variant inter-
pretes. Ambroſius enim ad mundanam creaturam Ambr. c. 20.
adiungit etiam beſtias, ita interpretans: *ipſa elemen-
ta,* inquit, *cum ſolicitudine operas ſuas exhibent; quia
Sol, & Luna non ſine labore ſtatuta ſibi implent ſpa-
tia, & ſpiritus animalium magno gemitu arctatur ad
exhibenda ſeruitia: nam videmus illa gementia agi
inuita ad laborem; hæc ergo omnia expectant requiem,
vt a ſeruili opere liberentur.* Origenes autem, per Orig. lib. 8.
omnem creaturam, intelligit, non ſolum corpora, & c. 8. ad Ro-
animas ſanctorum in hac vita; ſed totam etiam mũ- manos.
di machinam, & omnia, quæ in mundo continen-
tur, & Angelos in miniſterijs ſuis occupatos, & Ar-
changelos, qui prælia exercent; & ij enim (ſecun-
dum Origenem) deſeruientes operationibus, quæ
prætergrediuntur, vanitati deſeruire dicuntur: præ-
ſertim, ſi hæc ad futuram gloriam comparentur,
vultque ſupernos ſpiritus cruciari, dum cernũt nos
in agone ſuccumbere; quos tamẽ animaduertit, dici
ab Apoſtolo, quòd congemiſcunt, & condolent, vt
qui non ſimpliciter hæc patiantur, ſed nobis com-

patiantur. Idem intelligit dictum illud, *primitias ſpiritus habentes*, ſpeciatim de Apoſtolis; qui, vt tẽpore prius, ita plenius, vberiusque communicationem Spiritus ſancti receperunt. Auguſtinus autem in expoſitione huius loci, reprobat opinionem illorum, qui velint Angelos in dolore verſari; hoc enim nefas eſſe, inquit, dicere de ipſis; licet concedendum ſit, quòd adiuuent nos ſuo miniſterio; dum obtemperant Deo, qui etiam pro noſtra ſalute proprium filium miſit in mundum. Incõueniens enim eſſet, quòd aliquis ex noſtris, veluti Lazarus, in ſinu Abrahæ quieſcens, dicatur beatior ſupernis ſpiritibus, qui dolore angeantur. De quibus etiam, notat inconueniens eſſe dicere, quòd ſint liberandi ab interitu, in quem ceciderint, qui in cœlis agunt vitam beatiſſimam: quod tamen ſequitur ex ijs, quæ dixit Apoſtolus, quòd creatura liberabitur a ſeruitute corruptionis. Verum ab hac difficultate eriperet ſe Origenes, vt qui ſpiritibus cœleſtibus id tãtum tribuat, quòd condoleant nobis, & congemiſcant; non quòd in ipſis aliquam patiantur iacturã. Auguſtinus igitur, vt difficultates motas effugeret, ita interpretatur locum de homine: qui (ſecundum ipſum) eſt omnis creatura, quatenus, & eſt, vti ſunt inanimata; & viuit, ac ſentit, vt animata; & intelligit, vt Angeli. Vnde, cum homo ingemiſcit, & dolet, omnis creatura ingemiſcit, & dolet. Verba autem illa: *Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes:* Sic interpretatur, quòd non ſolum in homine, corpus, & anima, & ſpiritus ſimul dolent ob difficultates corporis, ſed, & excluſis corporibus, nos ipſi, quorum ſpiritus (tanquam ſacrificium) iam oblati ſunt Deo, in nobis ipſis ingemiſcimus propter hãc expectationem reuelationis filiorum Dei. Hæc Auguſtinus.

Auguſt. ex lib. Quæſt. 83. q. 66.

Cum autem ſententia Apoſtoli ſit vniuerſalis, ꝙ omnis creatura ingemiſcit, & parturit, ſub hac vtiq; comprehenduntur Apoſtoli, & quicũque primitias ſpiritus habentes. Vnde ſuperuacaneum videretur ſubiungere: *non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi, &c.* Ideo forte planior videbitur eſſe interpretatio, ſi intelligamus, per omnem creaturam, partes omnes illas, ex quibus huius mundi fabrica conſtituitur, cęlos omnes, & elementa, quæ, a mutatione, & corruptione, in incorruptionem, & immutabilitatem ſunt transformanda; & dicamus, quòd vniuerſa hęc machina mundi ingemiſcit, & ſimul condolet, ſeu comparturit (vt græca verba ſonant; *συστενάζει, καὶ συνωδίνει.*) ad denotandum, quòd omnes hę partes mundi in hoc gemitu ſimul conueniunt; ſicuti & in eadem expectatione verſantur, liberandi ſcilicet a ſeruitute corruptionis; vt ita ſemper Apoſtoli ſermo de eadem creatura inſenſibili exiſtat, quæ vendicanda eſt in incorruptibilitatem; ad quam certe animalia non pertinent. Dum autem dixit Apoſtolus: *Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiſcit, &c.* Innuit, quòd fidelibus, ac præſertim Apoſtolis certum erat, hanc mundi machinam fore permutandam; ſicuti & Beatus Petrus teſtatus eſt, inquiens. *Nouos vero cœlos, & nouam terram ſecundum promiſſa ipſius expectamus.*

2. Pet. 3.

L. *Similiter autem, & ſpiritus adiuuat.* Huius orationis contextus cum præcedentibus ita iungi videtur; vt, cùm ſupra dixerit Apoſtolus de Spiritu ſancto nobis communicato, quòd ipſe reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, ꝙ ſimus filij Dei, ad quos pertinet hæreditas regni cœleſtis, cuius gloriæ non poſſunt coæquari, quæcunque nobis cõtingat pati in hac vita. Nunc de eodem ſpiritu aſſignet adiumentum (quod eſt maximi momenti) quod pręſtat nobis in deprecationibus habendis ad Deũ; quando nos (tanquam ex nobis) neſciremus illas facere, vt oportet. Quam ſententiam examinans Auguſt. in epiſtola ad Probam, animaduertit, *non eſſe putandum, quòd Apoſtolus, aut illi, ad quos ſcriberet, neſcirent orationem dominicam; ſed cum moleſtię, inquit, & temporales perturbationes ſæpe proſint, & neſcimus ad quid proſint, hinc optamus ab ijs liberari.* Ab hac igitur ignorantia, neque ſe alienum fuiſſe Apoſtolus fatetur. Vnde in hanc quoque ſententiam Chryſoſtomus in Matth. hæc habet. *Credere bonum miſericordiæ, hominis eſt fidelis: ſcire autem iudicia miſericordiæ eius, non eſt hominis, neque fidelis; cum conſtet, nec ipſum Apoſtolum potuiſſe cognoſcere, cum Dominum ter rogauit, vt diſcederet ab eo ille ſtimulus carnis, qui datus ei fuerat, vt non extolleretur; propter quod dictum eſt ei; ſufficit tibi gratia mea.* Ponderandum eſt autem, ex eo quòd dicat Apoſtolus, quòd neſcimus quid oremus, ſicuti oportet, hinc innui varias cogitationes, atq; diuerſa ſtudia, quæ nobis ſeſe offerunt, plurimasque inſurgentes perturbationes, quibus ancipites conſtituimur ob noſtram carni addictam humanitatem; ita vt animus dubius, hac, illac trahatur. Vnde niſi Spiritus ſanctus nobis præſto eſſet, præfigens regulam orandi, proculdubio erraremus a recta orationis forma, quã nobis ſpiritus ſubminiſtrat; ad hoc nos inducens, vt conſtantes permaneamus in deprecando, vt fiat voluntas Dei: Quemadmodum Chriſtus deprecans Patrem, vt a ſe calix paſſionis tolleretur, ſi poſſibile erat; ab humanitate ſua ex natura mortem recuſante huc inductus, in hoc denique clauſit orationem, vt fieret non ſua, ſed voluntas Patris.

Auguſt. ad Presby. epiſto. 121.

Chryſoſto. in Matth. Hom. 25.

Matth. 14.

Quod autem attinet ad ea verba: *poſtulat pro nobis:* communiter ſic exponuntur: quòd ſpiritus facit nos poſtulare, prout dixit dominus, *non eſtis vos, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtris, qui loquitur in vobis;* nempe per inſpirationes illas ſanctas, quas Deus immittit in cordibus fidelium; vt ideo dicatur ſpiritus poſtulare pro nobis, quoniam eſt auctor, & promotor inſpirationum; iuxta quas facimus poſtulationes ad Deum.

Matth. 1.

Illud vero: *gemitibus inenarrabilibus:* varias recepit interpretationes. Nam Origenes inquit, *non verbis, ſed gemitibus interpellat ſpiritus.* qui gemitus, ſecundum ipſum, dicuntur inenarrabiles, quoniam enarrari non poteſt, quid ſpiritus Dei loquatur Deo; quando ſpiritus noſter interdum quid ſentiat, & intelligat, exponere nõ poſſit. Similiter Ambroſius intelligit Spiritum ſanctum, ita interpretãs hunc locum. *Non humanis eloquijs poſtulare pro nobis dicit ſpiritum Domini: ſed more naturæ ſuæ. Cum enim quod de Deo eſt, Deo loquitur, eo more loquatur*

Orig. lib. 8. c. 8. ad Romanos.

Ambr. c. 21.

neceſſe eſt, quo ille loquitur, de quo iſt. Auguſtinus (Aug. lib. 1. cont. Max. c. 9.) autem in lib. 1. contra Maxim. ait, adeo dictum eſſe ab Apoſtolo, gemitibus inenarrabilibus ſpiritū poſtulare apud Deum: *quoniam non vllum eſt momentum, in quo per ſanctos, gemitus in orationibus non fiant in hac parte, in illa, & vbique.* (Tho. Aqu.) S. Thomas intelligit, quòd Spiritus ſanctus facit nos poſtulare cum gemitibus. Et ſane ſupponendum eſt, quòd inſpirationes a Spiritu ſancto immiſſæ in cordibus noſtris, ſint adeo ad noſtram ſalutem intentæ, vt ad eam cum gemitibus procurandam, vt decet in tanto negocio, ſpiritus nos impellat in orationibus ad Deũ. Et hi gemitus inenarrabiles dici poſſunt: ſeu, quoniã tot ſint numero, & talis naturæ, vt nequeãt a nobis explicari: ſeu, quoniam cum ſint gemitus interni, non voce enarrantur a ſpiritu.

M *Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus.* Quamuis autem non ſint explicari gemitus, qui a Spiritu ſancto fiunt in cordibns noſtris: attamen, qui ſcrutatur hominum corda, & nouit quid lateat in cordibus, Deus ipſe, ſcit quid deſiderat ſpiritus: quo ſcilicet tendant inſpirationes a Spiritu ſancto immiſſæ in cordibus noſtris: quæ ſane, conformia ad Dei voluntatem poſtulant *pro ſanctis*, vel hominibus, vel pro rebus ſanctis, vt ſanctitas in nobis fiat. Non enim ſpiritus, qui a Deo nobis communicatur, aliud poſtulare poteſt, aut facere nos poſtulare, quàm ea, quæ ſint ſecundum voluntatẽ Dei: qui, cum ſanctus ſit, & nos ſanctos eſſe vult, vt ſibi placeamus. Cum autem dicat Apoſtolus, quòd, qui *ſcrutatur corda,* (qui ſane Deus eſt) nouit quid deſiderat ſpiritus: videtur diſtinguere ſpiritum, de quo hic eſt ſermo, a Deo, vt non ſit, iſte ſpiritus, Deus; vti certe inſpirationes factæ in nobis, non ſunt Deus: licet ſanctæ ſint, & a Deo proueniant. Vnde Theo- (Theodor.) doretus animaduertit, hoc loco non accipi, *ſpiritum*, pro ſubſtantia ſpiritus; ſed pro gratia, quæ data eſt nobis: a qua excitati, compungimur, inflammati, alacrius precamur, & gemitibus inenarrabilibus Deũ (Auguſt. in ep. ad prob. ep. 121.) deprecamur. Auguſtinus autem in epiſt. ad Probam ita legit. *Scit, quid ſpiritus ſapiat:* Græce enim habetur *τί τὸ φρόνημα*; id eſt, *nouit ſenſum ſpiritus*: vt hinc ſignificetur, quòd Deus approbat effectum, quem (Oecum.) producit in nobis Spiritus Sanctus. Oecumenius autem ait, in primitiua eccleſia, inter dona Spiritus ſancti, fuiſſe quoque donum orãdi, quod aliquibus tribuebatur, vt deprecarentur pro populo: de quo tamen dono, nulla mentio apparet in Act. Apoſt. vel in Epiſtolis B. Pauli, vel aliorum Apoſtolorum.

N *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* (Theophyl.) Theophylactus refert hęc ad ſuperius dicta de vanitate corruptionis, & de caſibus aduerſis, quæ cõtingũt; inquiens, omnia hęc cadere in *bonum eorum, qui Deum diligunt*. Et hæc afferri, inquit, ab Apoſtolo, vt conſolaretur afflictos, & tribulatos, qui erant inter Romanos. Verum apte etiã iungerentur immediate dictis, ad roborandum dictum illud de Spiritu Sancto nobis communicato: qui gemitibus inenarrabilibus facit nos poſtulare ad Deum: Et eſſet ſermonis continuatio hunc in modũ. Quòd & ſi gemitus ſint inenarrabiles, attamen nouit Deus, quo tendant inſpirationes a regimine Spiritus ſancti in nobis immiſſæ, adeo quòd proſpere hæc omnia procedant; quãdo diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Cum autem dicat Apoſtolus, cooperari omnia, hinc ſupponit & ipſum etiam hominem cooperantem eſſe: ita vt in orando, & in patienter ferendo grauia, & in alijs omnibus actionibus ad voluntatem Dei ſe conformando, ſuam induſtriam, atque ſtudia ſua cõferat. Auguſtinus autẽ in lib. de cor. & gratia, *vſque adeo* (Auguſt. de cor. & gra. c. 9.) (inquit) *omnia Deus cooperatur in bonum diligentibus ſe, vt etiam ſi qui eorum deuierint, & exorbitent, etiam hoc ipſum faciat eis proficere in bonum, dum humiliores* redeunt, & doctiores. Vnde quidam dixerunt, etiam peccata cooperari in bonum: in quo tamen dicto poteſt hoc eſſe difficultatis, quòd diligere Deũ, illi dici vere non poſſunt, qui delinquunt, & cõtra Dei præcepta faciunt: Apoſtoli autem ſententia eſt de diligentibus Deum.

O *Iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* Deeſt in Cod. græco hæc vox, *ſancti*; quæ ab interprete optime eſt appoſita: quando illud nobis debet eſſe manifeſtum, quòd Deus, qui vult omnes homines ſaluos fieri, vocat nos, vt ex immundis, qui (1. Tim. 2.) eramus ob peccatum primi parentis, vel etiam proprio noſtro reatu, ad ſanctitatẽ conuertamur. Illud autem, *ſecundum propoſitum;* Græci expoſitores paſſim referunt ad hominis voluntatẽ bene diſpoſitam ad viuẽdum iuxta mentem Dei: quam bonam voluntatem præſciens Deus, eos, in quibus eſt, prædeſtinat: quos & vocat, iuſtificat, & glorificat: ſic illi. Auguſtinus autem in lib. de correct. & gratia, hanc (Aug. in lib. de corp. & gr. c. 9.) vocem, *propoſitum*, refert ad Deum, qui, iuxta ſuum propoſitum, prædeſtinat, quos præuouit. Cuius expoſitioni fauet illud, quod habetur infra: *vt, ſecun-* (Rom. 9.) *dum electionem, propoſitum Dei maneret.* Origenes (Orig. lib. 7. c. 8. ad Ro.) vero in ſuis commẽt. huius epiſtolę, vtrumque ſenſum admittit; referens *propoſitum*, tum ad hominum voluntatem, qui a Deo vocãtur, habentes propoſitum bonum: tum ad Deum; cuius hoc eſt propoſitum, vt, quorum præſcit religioſam mentem, & ſalutis deſiderium, hos prædeſtinet, vocet, iuſtificet, & glorificet. Supponit autẽ præſcientiam Dei, non niſi de bonis dici: iuxta illud: *cognouit Domi-* (2. Tim. 2.) *nus, qui ſunt eius.* Non autem de malis. Ac propterea poſtulat ſibi oſtendi locum in ſacra ſcriptura, vbi Deus dixerit aliquando, ſe noſcere malos: ſicuti, quòd neſciat illos, manifeſte legitur in Euãg. *Et tunc confitebor illis, quia numquam noui vos; diſce-* (Matt. 7.) *dite a me operarij iniquitatis.* Et hac quidem facta ſuppoſitione, Origenes defendit libertatem arbitrij ab illorum calumnia, qui dicebant: Si Deus prædeſtinat, quos præſciuit, & hi iuſtificantur; quæ nã culpa danda illis, qui non iuſtificantur? Si enim non præſciuntur, neque prædeſtinãtur, cum hæc omnia ſint a Deo. Huic obiectioni reſpõdet, limitãdo Dei præſcientiam ad illos, quibus bona ineſt voluntas. Vnde, quòd mali non præſciantur, eorum ſit culpa; quoniam non noſcit Deus habentes malam voluntatem: qui pariter, eorum culpa, ob eandem prauam voluntatẽ non iuſtificantur. Idem etiam alteri obiectioni, quæ fieri poſſit, vnde nã Iudas, qui vocatus eſt, non fuit iuſtificatus; ſi, qui prædeſtinãtur, etiam

vocantur vt iuſtificentur. Reſpondet inquiens, ꝙ
non omnes vocati iuſtificãtur; quoniam nõ omnes
ſecundum propoſitum bonæ voluntatis vocantur.
Amb. c.22. Ambroſius autem in Comment. (ſi ſui ſunt) refe-
rens propoſitum ad Deum, ita ad mentem Græco-
rum interpretatur dicens: quòd, *quos credentes præ-
ſciuit Deus futuros ſibi idoneos, ipſos elegit ad pro-
miſſa præmia capeſſenda.* Quam expoſitionẽ, Augu-
Aug. cont. Pelag. ſtinus diſputans contra Pelagianos, refellit vt erro-
neam, & falſam, ac derogantẽ gratiæ Dei. Ipſe autẽ
Idem in Pſ. 5. in tract. Pſ. 5. ponderans hanc vocem, *vocauit*, qua
vtitur Apoſtolus, dum dicit; *quos prædeſtinauit, hos
& vocauit;* infert: *ergo prius bona voluntas Dei præ-
Idẽ in libr. de prædeſt. ſanct. c.17. ceſſit*. Et in lib. de prædeſtinatione ſanctorum, ſup-
ponit, quòd Dei vocatio ſit accipienda, vti ea, qua
fiunt electi; *non quia eligantur, quia crediderint: ſed
Ioan. 15. quia eliguntur, vt credant. Nam ipſe dixit.* Ioan. 15.
*non me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Nam, ſi propterea
electi erant, quia crediderant, ipſi eum prius elegerant,
credendo in eum, vt eligi mererentur*, quod auferri,
inquit Auguſtinus, per illa verba Domini: *non
vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Sicuti, & ex hac
auctoritate paulo poſt infert, *non poſſe dici, quòd
Deus ipſos elegerit, quia præſciuit eos credituros, &
non, quia facturus fuerat ipſos credentes.* Hæc Augu-
ſtinus, eo præſertim conſilio, vt vrgeret Pelagiano-
rum hæreſim, qua, Dei gratiæ detrahentes, nimium
tribuebant facultati arbitrij noſtri.

Verum, quòd Deus ad munera eligat, quos ido-
neos ad ipſa, & fideles prænoſcit, nonnulla ex ſa-
cra ſcriptura loca teſtari videntur: & hęc præcipua.
1. Timot. 1. Nam ſcribens Paulus Timotheo, inquit. *Gratias ago
ei, qui me confortauit in Chriſto Ieſu Domino noſtro,
quia fidelem me exiſtimauit ponens in miniſterio.* Et
1. Theſſ. 2. ad Theſſal. *exhortatio enim noſtra non de errore, neque
de immunditia, neque in dolo, ſed ſicut probati ſumus
a Deo, vt crederetur nobis Euangelium.* Sed & in
Act. 1. Act. Apoſt. dum ita orant Apoſtoli. *Domine qui cor-
da noſti omnium, oſtende quem elegeris:* clare inſinua-
runt, ita ipſos intellexiſſe, quòd Deus (qui eſt ſcru-
tator cordium) eligat, quos idoneos præcognoſcit
ad munera, ad quę eliguntur. Verum non propte-
rea inferendum, ꝙ Deus inducatur ad eligendum
aliquem, quoniam prænoſcat eum idoneum futu-
rum: ſed ſua ex bonitate inducitur, vt eligat; qui
etiam omnia futura habens præſentia, pręſciuit ali-
quem bene vſurum gratia ſua, & bonum, & ido-
neum futurum in miniſterio ſuo: qui tamen, vt
bonus & idoneus ſit, à Deo id largẽte fit, nõ tamen
ſine hominis proprio aſſenſu. Et ita dicitur Deus
eligere in ſuum miniſterium, quos prænoſcit ſua
gratia bene vſuros, vt hinc idonei, & fideles mini-
ſtri euadant.

Vt autem in exponendis Apoſtoli verbis (Deo
dante) & magnificam gratię diuinę bonitatem, &
libertatẽ ſimul arbitrij noſtri tueamur: illud in pri-
mis occurrit perpendendum: quòd & ſi nullũ ap-
pareat dictum in ſcriptura ſancta (prout ſupponit
Origenes) quo Deus malos cognoſcere dicatur; at-
tamen, cum, ex communi ſententia Theologorum,
prędeſtinatio Dei ad malos etiam referatur, quinimmo
pręcipue ad malos; qui (vt mali) pręſciti appellan-
tur, ad differentiam bonorum, qui dicuntur prędeſti-
ſtinati; ideo ſimpliciter, & abſtracte vocem hanc
præſcire, accipiendo, ſatebimur ipſam, & ad bonos,
& ad malos accõmodari. Siquidem (vt etiam dicit
Orig. lib. 7. c. 8. ad Ro. Origenes in ſuis commẽt.) diuinam illam naturam
nihil latet; quę vbique eſt, & numquam deeſt. Verum
aduertendum, ab Apoſtolo, hanc vocem *præſcire*,
ita in epiſtola componi cum quibuſdam alijs parti-
bus orationis, vt ad bonos hoc loco tantummodo
accommodetur; quemadmodum etiam verbũ, *præ-
deſtinare*, limitate prolatum eſt. Nam (vti etiam ad-
Theodor. notauit Theodoretus) non dixit Apoſtolus ſimpli-
citer, *prædeſtinauit*, ſed *quos præſciuit, prædeſtina-
uit*, vt prędeſtinatio non ſimpliciter proferatur; ſed
Mag. ſent. lib. d. 55. ad illos referatur, qui pręſciuntur. Magiſter etiam
ſent. lib. 1. huic verbo, *præſciuit*, coniungit hęc alia,
conformes fieri. Ita enim habet: *prædeſtinauit, quos
præſciuit conformes imaginis filij ſui*; & ita interpre-
tatur. *Quos Deus præſciuit conformes fieri, hos præ-
Orig. lib. 1. deſtinauit.* Origenes autem in lib. 1. ſuorum com-
ment. in hac epiſtola, hęc verba *conformes fieri*, con-
iungit partim ad vocem, *præſcire*: partim ad hanc
aliam, *prædeſtinare*, hunc in modum interpretans.
*Quia quos præſciuit Deus tales futuros, vt Chriſto ſe
in paſſionibus conformarent, ipſos etiam conformes ac
ſimiles imagini filij eius prædeſtinauit, & gloriæ.* His
igitur ita conſtitutis, cenſeremus Apoſtoli verba
aptiſſimam recipere hanc interpretationem: vt di-
camus, quòd, diligentibus Deum, omnia cooperan-
tur in bonum, illis inquam, qui ſecundum propoſi-
tum, atque decretum Dei ſunt vocati ad ſanctitatẽ.
Dei autem propoſitum, atque decretum hoc ipſum
eſſe, ab Apoſtolo ita explicatur: vt, quos Deus prę-
ſciuit cõformes imagini fili ſui in hac vita, ſectando
Chriſti veſtigia, atque iuſtitiam (quod tamen ex Dei
ſpeciali gratia, & auxilio prouenit) hos etiam prę-
deſtinauit conformes imagini filij ſui in gloria: hoc
eſt enim Dei decretum irreuocabile. Veluti, ſi prin-
ceps terrenus ſtatueret, quòd illi milites omni im-
munitate gauderent, qui in pręlio hoſtium męnia
conſcendiſſent. Sed hoc tamen exemplum a Dei
decreto maxime diſſidet. Siquidem humanus prin-
ceps, neque pręnoſcit, quod hic, vel ille miles ſit
conſcenſurus mœnia; neque ipſis robur, aut virtu-
tem confert ad hoc facinus perficiendum. Deus au-
tem, cuius prouidẽtia omnia complectitur; & apud
quẽ, futura, ſunt pręſentia (vti etiam omnia per eius
pręſentiam, atque potentiam fiunt, & conſeruan-
tur) ab ęterno nouit, quinam conformes imagini
filij ſui in hac vita eſſent futuri: quos etiam gratia
ſua ſuffultos aptat, ac mouet ad tales ſe ſe pręſtan-
dos; atque eiuſmodi effectos, ſtatuit conformes effi-
cere imagini filij ſui in gloria. Ex quo patet, ꝙ qui
prędeſtinantur ad gloriam, ſupponuntur confor-
mes imagini Ieſu Chriſti, vt qui ſectentur eius ve-
ſtigia in hac vita. Id autem non in proprijs hominis
viribus ſitum eſt; ſed initium, & conſummatio hu-
ius operis a Deo eſt; qui, ſua vocatione ſalutari, ad
imitandum filij ſanctitatem homines accerſet, &
annuentes, aſſentientesque gratię ſuę vocationi, ſuis
donis ad iuſtificationem adducit; iuſtificatosq; glo-
ria coronat ęterna: vt propterea dictum ſit ab Apo-
ſtolo;

ſtolo; quòd, *quos Deus prædeſtinauit, hos vocauit, hos iuſtificauit, ac glorificauit*. Vnde, ſi rectè Apoſtoli ſermo perpendatur, prædeſtinatio, de qua agitur hoc loco, cuidam firma eſt innixa ſuppoſitioni; nempe huic; quatenus, qui prædeſtinantur conformes imagini filij Dei in gloria, illi ſupponuntur, qui præſciuntur, conformes eſſe imagini eiuſdem filij in hac vita, eiuſdem tamen gratia. Sed, & ſi ordo prædeſtinationis ita ſit limitatus; attamen Deus, in ſuo decreto, non dependet ab hominum conditione; cum ipſe ſit auctor, promotor, & adiutor, vt homo, & diſponatur ad imaginẽ filij in hac vita ſuſcipiendam; & re ipſa conformis huic imagini euadat, non abſque tamen proprio hominis aſſenſu, atque induſtria. Nam, niſi homo vocationi gratiæ diuinæ ſua voluntate adhæreat, nõ prodeſt ipſi vocatio. Neque niſi confidat in Deum, ac deteſtetur peccata, fit ex impio iuſtus: ſicuti etiam in hac iuſtitia non conſeruatur, niſi obſeruet Dei præcepta; vt qui iuſtifi- 1.Cor.15. catur, dicere habeat cum Apoſtolo; *non ego autem, ſed gratia Dei mecum*. Quibus etiam conſentiunt, Aug ſer.15. de ver. Apoſt. quæ ſcripſit Auguſtinus in expoſitione cap.4. huius epiſtolæ dicens. *Qui fecit te ſine te, non te iuſtificat ſine te: te ergo fecit neſcientem, iuſtificat volentem*. A Deo igitur eſt vocatio, a Deo iuſtificatio, a Deo glorificatio; vt vbique, & in omnibus, gratiæ ſuæ ſplendeat magnitudo. Verum, quoniam Deus, qui miſericors eſt, idem & iuſtus eſt; idcirco nõ glorificat, niſi eum, qui a Deo vocatus, non renuit, ſed ſuſcipit gratiæ vocationem; & niſi eum, qui ad dona, & auxilia a Deo ſibi collata pro iuſtitia conſequenda, propriam quoque induſtriam, ac ſua ſtudia confert; vt ita cum Dei magnifica gratia, libertas quoq; arbitrij humani ſimul conſeruetur. Quòd autẽ ad conformitatem imagini filij Dei præſtitam in hac vita, ſit conſecutura conformitas imagini eiuſdem filij in gloria; declarat Apoſtolus Paulus ſcribẽs Co- 1.Cor.15. rint. dum ait; *ſicut portauimus imaginem hominis terreni, ſic etiam portabimus imaginem cæleſtis*. Quod 1.Ioan.3. etiam inſinuauit B. Ioannes. Dum enim inquit: *ſcimus autem, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus*; conformitatem in nobis gloriæ futuræ ad imaginem filij deſignauit. Quæ vero ſubiunxit eodem loco. *Et omnis, qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt*: hæc ad conformitatem attinent imagini filij Dei, quam debet præſtare in hac vita, qui in alia in ſimilitudinem eius gloriæ ſit transformandus. Tollenda autem ex animo illa ambiguitas, vt non hęſitemus, quaſi dubitantes, idcirco prædeſtinationem eſſe ſanctorum, quoniam de illis Dei præſcientia extiterit. Nam, vt in- Orig. lib.7. c.8. ad Roman. quit Origenes in lib.7. comment. huius epiſtolæ ad Rom. non dicendum, quòd propterea aliquid erit, quia Deus id ſciat eſſe futurum; ſed quia futurũ eſt, ſcitur a Deo, ante quàm fiat. Nam & ſi ſupponeremus, Deum non prænoſcere aliquid, attamen futurum ſine dubio erat; vt puta, quòd Iudas proditor fieret; quod etiam prophetæ prędixerunt. Et non, quia prophetę prędixerunt, ideo Iudas proditor; ſed quia futurus proditor, ideo prophetę futurum prędixerunt. Illa autem aſſignata de prædeſtinatione definitio, quòd ſit præparatio, ſeu diſpoſitio gratię ad vitam ęternã, hunc in ſenſum videtur accipiẽda: quòd, quos Deus prędeſtinat, diſponit, & pręparat per gratiam ſuam; nempe vocando, & iuſtificando, vt ad vitam ęternam perueniant: adeo quòd hęc actio, ſeu prędeſtinatio Dei, non dependet ex aliquo prędeſtinatorum merito. Neque etiam dicẽdum, quòd Deus ideo inducatur ad prędeſtinandum aliquem, quoniã illum pręnoſcat ſibi crediturum, & obtemperaturum. Nam & ſi pręnoſcat (qui nouit omnia) qui nam ſint ei credituri; attamen hinc non inducitur Deus ad ſuam gratiam conferendam: ſed ipſe quidem, ſuam ob immenſam bonitatem, volens redimere genus humanum, quod venundatum erat ſub peccato primi parẽtis per inſidias, & ſuggeſtionem diaboli, ſemper eſt paratus gratiam ſuam conferre omnibus, qui in ipſum credere volunt; ita vt effectus gratię ſuę vigeat in illis, qui ſuam ſuſcipiunt vocationem: Et qui largitur gratiã, pręnoſcit etiam, qui nam ſint illam ſuſcepturi; ac cõſequenter, iuxta ſui propoſiti decretum, prędeſtinat ad conformitatem glorię filij ſui, quos pręnoſcit conformes imagini eiuſdem filij in hac vita: quod tamen ſine eius auxilio ſpeciali euenire non poteſt. Hoc enim eſt ab ęterno generale decretum conſilij ſui, quod etiam pręnoſcit, in quos ſpeciatim ſit perficiẽdum. Neque in Deo ita diſtinguitur pręſciẽtia a prędeſtinatione, vt illa prior, hęc alia ſit poſterior, cum omnia, quę Dei ſunt, vnũ idemq; ſint in Deo; licet, ob noſtram intelligentiam, de Deo multa diſtincte aſſignentur ob varietatem effectuum, qui ab ea diuinitate procedunt. Libera eſt igitur Dei prędeſtinatio, & ſuę gratię collatio: quę tamen, cum neceſſe ſit, vt in prędeſtinatis perficiatur (alioquin ſalui non fierent) hinc ſequitur, vt etiam dicendum ſit, quòd Deus prędeſtinat, & confert gratiam ſuam in volentem, & acceptantem hanc Dei gratiam in vocatione, & in omnibus auxilijs, quę Deus largitur ad iuſtificationem: & eumdem hunc in modum ſibi obedientem, ac Chriſti veſtigia ſectantem, ob Chriſti merita, coronat ęterna gloria: prout etiam merito damnat ad ęternam perditionem illos, qui vocati, renuerunt gratiam Dei; & propria voluntate, & infidelitate in procellam iniquitatum ſe ſe pręcipitauerũt.

Quod autem attinet ad illa verba, *conformes ima-* Orig. lib.7. c.8. ad Roman. *gini filij ſui*. Adnotat Origenes, quòd Chriſtus, vt Verbum, eſt imago Dei, ſecundum perſonam diuinitatis, alia exiſtens perſona a perſona patris, cuius eſt imago: Chriſti autem anima ſic perfecte ſe formauit Verbo, & ſapientiæ Dei, vt in nullo prorſus ab eius ſimilitudine decolor habeatur. Qui autem ſectantur veſtigia Chriſti, tendunt ad eius imaginẽ, & ſimilitudinem, quæ primo loco, & ſuper omnes filios, Dei imago eſt, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Theodoretus inquit, *conformes ima-* Theodor. *gini filij ſui, quoniam non conformes eius diuinitati erimus*. Auguſtinus in lib. de Symbolo ponderat, Aug. lib. de fid. & ſymbo. c.3. quòd Chriſtus, vt vnigenitus, nempe, vt Verbum, non habet fratres, vt autem primogenitus eſt, vocat fratres eos, qui per gratiam in ipſo renati ſunt.

P *Quid ergo dicemus ad hæc?* Vt magis pateat, illud, quod in initio huius cap. dictũ eſt; nempe, nil dãnationis reliquũ eſſe illis, qui in Chriſto inſiti am-

bolant ſecundum ſpiritum, quorum ſpiritus viuit per iuſtitiam a Chriſto acquiſitam, eorundemque corpora morti ſubiecta, ad vitam immortalem, & glorioſam ſunt excitanda; ſtante infallibili decreto Dei, quo, eos (quos conformes præſciuit imagini filij ſui in hac vita) prædeſtinauit cõformes futuros imagini eiuſdem filij in gloria, & cohæredes cum ipſo in regno Dei. Cui decreto, nil poteſt reſtragari, quoniam ita ſtatuit ille, qui omnium eſt Dominus,
Malach. 3. quique de ſe ipſo dixit. *Ego enim Dominus, & non mutor*; vt neque Deus ſit criminaturus electos ſuos, quos iuſtificauit, neque Chriſtus eos condemnaturus, pro quibus mortuus eſt, & apud Deum Patrem interpellat.

Hinc igitur concludit Apoſtolus, quòd nulla res eſt, neq; potentia, quę poſſit ſeparare electos a charitate Dei, qua Deus per Chriſtũ mediatorem proſequitur electos ſuos; adeo quòd vltra de vlla offenſa, aut damno timendum illis non erit, quin immutabiliter vna cum Chriſto perueniãt, atque permaneant in gloria apud Deum. Nam ſi Deus pro nobis, quis cõtra nos? Quam firmam beatitudinem, a qua electi Dei numquã ſint dimouendi, inſinuare
Ioan. 10. videntur illa quoque verba Domini apud Ioã. dum inquit. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam ęternam do eis, & non peribunt in ęternum, & non rapiet quiſquam de manu mea, Pater meus, qui dedit mihi, maior omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu Patris mei*. In hanc quoque ſententiam conſpirare viden-
Eſa. 13. tur, quæ habentur apud Eſa. dum dicitur. *Iuxta eſt, qui iuſtificat me, quis contradicet mihi? ſtemus ſimul, quis eſt aduerſarius meus?* Et hæc quidem ma-
Chryſoſt. xime conueniunt, ſi (vt facit Chryſoſtomus, &
Theoph. Theophylactus, interpretemur charitatem Dei (de qua eſt ſermo) pro dilectione, qua Deus nos diligit; a qua nulla vis poteſt nos ſeparare, quoniam nulla potentia ſupra Deum eſſe poteſt. Aliqui autem intelligunt de charitate, qua nos diligimus Deum. Quæ interpretatio illam patitur difficultatem; ꝙ, cum dicat Apoſtolus, quòd certus eſt (& loquitur in genere de fidelibus, & non de ſe ipſo ſolum) ꝙ nulla vis nos poterit ſeparare a charitate Dei; ſic videbitur pręſupponi, quòd homo ſit certus de bono perſeuerantiæ, & de certitudine gratiæ a Deo fide-
Eccleſ. 9. libus impartitæ; cum tamen apud Eccleſ. ſcriptum ſit; *neſcit homo, vtrum amore, an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta*. Verum dici poſſet, quòd electi Dei, vt electi ſunt, certiſſime ſalui erunt; & qui tales ſunt, impermutabiliter conſeruabunt charitatem erga Deum, ob gratiam tamen impartitam illis per Chriſtum, propter quem omnia vincontur aduerſa; tum propter eius fauorẽ, atque virtutem inſertam in anima electorum; tum propter charitatem, qua ipſi accẽduntur erga Chriſtum, pro cuius nomine (qui pro ipſis mortuus eſt) vitam etiam effundere non vereantur. De horum autem numero, nullus hominũ certus poteſt eſſe, ꝙ ipſe ſit, niſi Deo reuelante. Neq; vero dicendum, ꝙ electi ſeparari nõ poſſunt a charitate Dei, quaſi voluntatem non habentes aptam ad peccandum: id enim falſum eſt; ſed idcirco nõ ſeparabuntur a charitate prædicta; quoniam, quatenus electi ſunt, conſeruabunt bonam voluntatem in diligendo Deum, acceptantes gratiæ ſuæ influxum, & ita ipſis (vt diligentibus Deum) omnia cooperabuntur in bonum.

Illa vero verba, *ſuperamus propter eum, qui dilexit nos*: græce ὑπερνικῶμεν, διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς, Origenes ita interpretatus eſt, quòd non noſtra vir- Orig lib. 7.
ture ſuperamus mala aduerſantia; ſed propter eum, c. 8. ad Ro.
qui dilexit nos. Ambroſius autem hunc in modũ; Ambroſius.
propter eum, & amore eius ſuperuincimus, qui tanta pro nobis paſſus eſt; inquit enim, *& quid mirum, ſi ſerui moriantur pro bono Domino? quando Dominus mortuus eſt pro ſeruis, & malis?*

PARAPHRASIS. Cap. IX.

VERITATEM dico in Chriſto Ieſu, qui eſt ipſa veritas, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea, in Spiritu ſancto, qui non fert mendacium; quòd triſtitia mihi magna, & indeſinens dolor ineſt cordi meo. Nam eximiam illam beatitudinem mecum animo voluens, a Deo electis ſuis paratam, adeo firmam, vt nulla vi ab ea deijci poſſint; a nimia ſane propẽſione animi mei eo ductus ſum, vt optarim anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, vt ipſi reciperentur in gratiam: qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, Iſraelitæ; quorum eſt adoptio filiorũ Dei, & gloria, & teſtamenta, & legiſlatio, & cultus Dei, & promiſſiones a Deo factæ; & quorum patres ſunt ij, ex quibus deſcẽdit Chriſtus ſecundum carnem, qui idem eſt Deus, ſuper omnia benedictus in ſecula Amen. Verum, huic meæ deprecationi, atque ſtudio non eſt locus. Non quòd verbum Dei, iuxta promiſſa exciderit, aut incaſſum venerit, quod firmiſſimum manet, ita tamen, vt cum ratificatione promiſſionum ſimul etiam pateat Hebræorum reprobatio. Nam non omnes, qui deſcendunt ex Iſraele ſecundum carnem, ij veri ſunt Iſraelitæ apud Deum: nec qui ex ſemine Abrahæ ducũt originem ſecundum carnem, omnes hi filij veri Abrahæ ſunt cenſendi; qui promiſſionis, ęternæ beatitudinis Abrahæ a Deo factæ, ſint futuri participes, atq; pro filijs Dei computandi. *Sed in Iſaac vocabitur tibi ſemen*, ait ſcriptura; id, eſt dicere: non qui filij carnis ſunt, ij filij Dei ſunt; ſed, qui filij ſunt promiſſionis, pro vero ſemine Abrahæ ęſtimãtur; promiſſionis enim ſermo hic fuit. Secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius. Vnde filij promiſſionis illi eſſe dicuntur, qui ſectantur fidem Abrahæ, propter quam illi dono dedit Deus filium Iſaac ex Sara ſterili. Non ſolum autem hoc factũ in Sara, oſtendit illud, quod ſuppoſuimus; ſed multo magis etiã factum, quod contigit Rebecchę; dum, ex vno concubitu ipſius Iſaac patris noſtri, geminos geſtaret in vtero. Nam, cum hi inuicem decertarent in vtero matris, & de hoc ipſa conſuluiſſet Dominum, cum hi gemini nondum nati eſſent, aut aliquid boni, vel mali egiſſent; attamen (vt hinc Dei propoſitum firmum iuxta eius electionem maneret) non ex operibus, ſed ex vocante Deo (ad denotandum, quòd

non

non ex operibus noſtris, ſeorſum a Dei auxilio, ſed ex ſua præuia vocatione, cui per fidem aſſentiamus, ſaluos nos facit) hoc datum eſt Rebecchæ reſponſum, quòd maior ſeruiet minori. Quemadmodum etiam in hanc ſententiam ſcriptum eſt apud Malachiam. Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Sed quid ad quæſtionem hinc emergentem dicemus? Numquid iniuſtitia apud Deum, qui ex ſuo beneplacito hunc amet, illum odio habeat? Quod etiam videtur confirmari ex eo, quod dictum eſt Moyſi a Deo. Miſerebor, cui miſertus ſum; & clemens ero, cui clemens ſum; vt hinc ſit deducẽdum, quòd non eſt currentis, neque volentis; ſed Dei miſerentis, vt quiſpiam ſaluus fiat. Quod & ex alio loco ſcripturæ roboratur, dum dictũ eſt Pharaoni. Quia in hoc ipſum excitaui te, vt oſtenderem in te potentiam meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuerſa terra. Ergo, cui vult, Deus miſeretur, & quem vult, indurat. Dices igitur mihi, quid adhuc cõqueritur Deus de hominibus, qui perperam ſe gerunt; ſi id, Deo volente, fit? Dei enim voluntati, quis reſiſtit? Atqui o homo, tu quis es? qui audeas reſpondere Deo? atque tuis improbis ratiocinationibus cum ipſo decertare? Num dicit fictile inſurgens aduerſus eum, qui ſe finxit, cur me ita finxiſti? An non habet poteſtatem figulus, ex eadem maſſa luti facere aliud quidẽ vas in honorem, aliud vero vas in ignominiam? ſed hanc omittentes increpationem, ita potius ratiocinemur. Num Deus accuſandus, an non potius omnibus laudibus eſt efferendus? ſi volens oſtendere iræ ſuæ iuſtiſſimæ cauſam, & notam facere potentiam ſuam, ita ſe geſſit; vt ſuſtinuerit in multa patientia, vaſa aptata, ipſorum culpa, in interitum, dans illis tempus ad reſipiſcendum? & ſimul pareſaciens diuitias gloriæ ſuæ erga vaſa, quæ eius miſericordiam ſuſceperunt? quę Deus præparauit ad gloriam; omnes nos, quos vocauit, non ſolum ex Iudæis, verum etiam ex Gentibus: ſicut apud Oſeam ſcriptum eſt. Vocabo non plebem meam, plebem meam; non dilectam, dilectam; & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam. Item apud eumdem; Et erit in loco, vbi dictum eſt eis; Vos non plebs mea; ibi vocabuntur filij Dei viuentis: qui quidem ex gente ſunt futuri, qui prius non erant ex populo Dei: vt hinc quoque pateat, populum Gentilem electum fuiſſe in adoptionem filiorum Dei; Iudæos autem eſſe reiectos. Sed id maxime declarat Eſaias, dum clamat pro Iſrael, inquiens. Si filiorum Iſrael numerus eſſet, vt arena maris, reliquiæ eorum ſaluæ fiẽt: hic innuens, quòd alij ſint damnandi, vt reprobati. Et ſalus quidem illis reliquijs cõtinget, eo quòd (vt ait idem Eſaias) Deus conſummabit, & abbreuiabit verbum in iuſtitia; Nam verbum abbreuiatum faciet dominus ſuper terram; nempe, mittẽdo filium ſuum, per quem ſalutem accipient, qui credunt in eum: In quem, in fine huius ſeculi credent quoque, qui reliqui erunt ex Iudæis, & ita ſalui fient. Verum Eſaias apertius etiam prædixit reprobationem Iudæorum, dum ait. Niſi Dominus Sabaot reliquiſſet nobis ſemen, vt Sodoma facti eſſemus; & vt Gomorra ſimiles fuiſſemus. Quid igitur ex ijs inferre volumus? Id nempe; quòd Gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam; iuſtitiam autem, quæ eſt ex fide, quam Gentiles ſuſceperunt vocati a Deo. Iſrael vero ſectans legem iuſtitiæ, ad legem iuſtitiæ non peruenit. Et quare? nimirum, quoniam non ex fide in Deum ſtuduit ſe præſtare iuſtum; ſed ex operibus legis proprijs viribus, conſecuturum ſe iuſtitiam ſuperbe ſibi perſuaſit. Hinc enim offenderunt in lapidem offenſionis, qui illis (ipſorum culpa) Chriſtus extitit: ſicuti apud Eſaiam ſcriptum eſt. Ecce ponam in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali. Et omnis, qui credit in eum, non confundetur; ita quidem, vt quicunque Chriſtum, vt ſcandalum reputarunt, hinc ſint in interitum deducti. Qui vero in ipſum crediderunt, non ſunt confuſi: ſed ad vitam, & ad beatitudinem peruenerunt.

Editio vulgata.

VERITATEM dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto, quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legislatio, & obſequium, & promiſſa; quorum patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Amen. Non autem quòd exciderit verbum Dei. Non enim omnes, qui ex Iſrael, ij ſunt Iſraelitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij Abrahæ: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen: ideſt, non, qui filij carnis, hi filij Dei: ſed, qui filij ſunt promiſſionis, eſtimantur in ſemine. Promiſſionis enim verbum hoc eſt. Secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius. Non ſolum autem illa; ſed, & Rebecca ex vno concubitu habens Iſaac patris noſtri. Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret,) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Abſit. Moyſi enim dicit: Miſerebor cuius miſereor, & miſericordiam præſtabo cui miſerebor; igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Dicit enim ſcriptura Pharaoni: Quia in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuerſa terra. Ergo, cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis reſiſtit? O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam:

Quos

maduertit, inter filios, & filios Abrahæ, & inter filios, & filios Iſmelis. Abrahæ ſiquidem, & Iſraeli, eorumq; ſemini, æternæ hæreditatis ſunt factæ promiſſiones. Verum filij Abrahæ, ad quos pertinet vera hæreditas, non ſunt illi, qui ſecundum carnem deſcendunt de Abraham: ſed illi, qui ſunt ſecundum promiſſionem Dei; qui Abrahæ, ob eius magnificam fidem, donauit filium Iſaac. Vnde, vt interpretatur Ambroſius, qui nati ſunt ad inſtar Iſaac, (qui genitus eſt ex dono, & gratia Dei propter fidē Abrahę) imitatores exiſtentes eius fidei; ij, vt pēdentes a Deo, veri filij Dei ſunt, ad quos pertinet hæreditas. Quod etiam patet ex epiſt. ad Gal. dū dicitur: *cognoſcite ergo; quia qui ex fide ſunt, ij ſunt filij Abrahæ*. Ac propterea, qui ſe iactant, quòd ſecundum carnem veniant ex ſemine Abrahæ, vt ſunt carnales Iudæi, hi ab hæreditate ſunt exploſi. Similiter in duobus filijs Iſaac, ex reſponſo, quod a Deo accepit Rebecca, geſtans geminos in vtero inter ſe collidētes, palam fit, quòd horum alter electus eſt; Iacob minor natu, & maior, ipſe Eſau reprobatus. Et cum per iuniorem (ipſum Iacob) populus Gentilis fuerit ſignificatus, & per maiorē natu Eſau, populus Hebræorum; hinc etiam detegitur Hebræorum reprobatio. At, quomodo electio Dei in Iacob locum habet? Non ſane ex eo, quòd Iacob deſcenderit ſecundum carnem ex ſemine Iſaac; alioquin hac ratione eligendus quoque erat Eſau in hæreditatem, vt qui veniret ex eodem ſemine. Verum, non ex carnis conditione pendet electio Dei. Quod magis apparet in geminis, ex eodem patre Iſaac, & ex eadem matre Rebecca originem ducentibus; quàm in filijs Abrahæ, qui ex diuerſis matribus ſunt orti. Vnde, ob hanc diuerſitatem, exiſtimari poſſet, quòd filius ex digniori matre ortum ducens, vt Iſaac ex Sara, præferendus eſſet alijs, qui ex alia matre non ita præſtante, ſicuti ex Agar, aut ex Ghetura, ortum traherent. Quæ dubitatio ceſſat in propoſito geminorum exemplo; in quibus, cum non poſſit pendere differentia ex carnali propagatione, vt vnus alteri ſit præferendus, cum ambo ex eiſdem parentibus ſint geniti; hinc igitur apparet, quòd ex gratia Dei fuit, vt alter alteri præponeretur. Quod inſinuat Apoſtolus, inquiens, *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia maior ſeruiet minori*. Quod oraculum non proceſſit ex operibus, quibus Deus induceretur ad præferendum Iacob ipſi Eſau, cum nullum opus, a nōdum genitis, prouenire potuiſſet; *ſed ex vocante;* ex ipſa ſcilicet gratuita gratia Dei; qui ſua bonitate vocauit Iacob, & ipſe vocationi Dei adhærens, hinc ad electionis effectū peruenit. Non enim (vt dicitur in epiſtola ad Titum.)

Tit. 3.
Ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit, Vnde ex dono gratuitæ gratiæ Dei factum eſt; vt, cum omnes perditi eſſemus, ad ipſum reconciliaremur: quod nemini contingit, niſi ex vocatione Dei præcedente.

Illud autem, *vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret*. Dictum videtur ad innuendum, q̄ in electione Dei, firmum manet propoſitum illud, de quo in cap. præcedenti (& hanc interpretationem inſinuauit Origenes) q̄, quos præſciuit Deus cōformes (ex ſua nimirum gratia) imagini filij in hac vita, eoſdem prædeſtinauit conformes imagini eiuſdē filij in gloria, ad quā ipſos deducit Deus; dum eos primo vocat, ac deinde iuſtificat. Vnde dixit hoc loco Apoſtolus, *ex vocante dictum eſt;* vt oſtenderet dictū propoſitum; hoc eſt, initiū ſalutis, ſicuti & conſummationis, pendere a Dei vocatione, quam qui audiunt, ad hæreditatem perducuntur. Poſſet etiam intelligi ita dictum ad oſtendendum, quòd electio ipſius Iacob firma eſſet, quando nō ex operibus humanis (ob quę nō poteſt iuſtificari impius) ſed ex Deo vocāte proceſſit, a quo recōciliatio, atq; electio pendet. Et cum electio ex gratia Dei pendeat; & vbi eſt gratia Dei, adſit quoque dilectio; & vbi non eſt gratia Dei, odium vt ibi ſit Dei oportet: hinc per Malachiam dictum eſt, *Dilexi Iacob, Eſau autem odio habui*. Quibus verbis ſignificabatur, per Iacob, populus Gentilis in gratiam Dei electus: per Eſau autem populus Hebræorum reprobatus.

Orig. lib. 7. c. 8. ad Ro.

Malach. 1.

Quod autem attinet ad illud dictum; *ex vno concubitu*: græca lectio variat ab hac interpretis, cum ita habeat, *ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα*, ideſt, *habens ex vno concubitum;* cum qua tamen lectione, ſenſus noſtræ lectionis conuenit. Nam ſi ex vno habuit concubitum Rebecca, vt legit interpres; ergo non plures concubitus, ſed vnus tantum deſignatur. Vnde, ad faciliorem intelligentiam interpres optime vertit; *ex vno concubitu habens*, vt ex eodem concubitu concepti gemini inſinuentur.

De illis autem verbis, *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*. Auguſtinus in epiſtola ad Sixt. *Quid diligebat in Iacob, antequam natus, feciſſet aliquid boni, niſi gratuitæ gratiæ ſuæ donum? & in Eſau, quid oderat, antequam natus, feciſſet aliquid mali? originale peccatum*. Verum, & illud addi poſſe videtur, quod legitur apud Eſaiam; per quem Deus loquens ad ipſum populum Iudæorum, qui vocantur nomine Iſrael, ait: *Scio enim, quia præuaricans præuaricaberis, & tranſgreſſorem ex vtero vocaui te*. Ex quibus verbis colligi poteſt, quòd Iſrael ſecundum carnem, de quo in epiſt. ad Corinth. *Videte Iſrael ſecundum carnem;* ad differentiam Iſraelis ſecundum ſpiritum; ipſe populus Iſraeliticus præcognitus eſt a Deo, antequam natus eſſet, quòd foret tranſgreſſor tranſgreſſione, atque peccato, ex proprio reatu commiſſo. Et hoc quidem in genere de populo Hebræorum verum fuiſſe, teſtatur Moyſes; dum inuehitur in illos pluribus deteſtationibus; appellans eos homines duriſſimæ ceruicis; & qui Deo ſemper rebelles extitiſſent. Et Dominus in Exodo ad Moyſem: *Loquere*, inquit, *filijs Iſrael, populus duræ ceruicis es*. Et Stephanus in Act. Apoſt. hæc illis ita obijciebat: *Duræ ceruicis, & incircumciſis cordibus, & auribus; vos ſemper Spiritui Sancto reſtitiſtis, ſicut & patres veſtri, ita & vos;* vt hinc pateat Iudæos, qui tantis a Deo donati fuerunt beneficijs, ob eorum ingratitudinem, & infidelitatem, & non ſolum ob peccatum originale, quod omnibus eſt commune, iure merito a Deo fuiſſe reprobatos. Quod autem attinet ad illa verba,

Auguſt. ad Sixt. epiſt. 105.

Eſa. 48.

1. Cor. 10.

Deut. 9.

Exo. 43.

Act. 7.

ba, *ſecundum electionem;* hinc denotatur, cum tota maſſa generis humani ex peccato primi parentis damnata eſſet; idcirco, eos, qui ex dono Dei in gratiam Dei reuocantur, ſelectos, & electos dici a cęteris, qui manent in perditione.

F *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas, &c.* Ex dictis magnam inſurgentem difficultatem non diſſimulat Apoſtolus, ſed illam prodit, & amplificat. Hęc eſt huiuſmodi. Nam ſi Deus erga non dum natos, & qui nec boni, nec mali quicquam fecerant, ita ſe geſſit, vt vnum alteri prætulerit; quaſi gratis hunc odio habens, illum alterum diligens; quomodo factum iſtud tuebimur a ſcrupulo iniuſtitiæ? quæ tamen nefas eſt dicere, quòd ſit in Deo. Sed & in oppoſitum dubitandi nõ deeſt cauſa, quá
Exo.33. & ipſa ſcriptura ſancta ſubminiſtrat. Siquidem in Exodo dixit Dominus Moyſi: *Miſerebor, cui miſertus ſum, & miſericordiam præſtabo, cui miſerebor.* Quæ auctoritas eſt tanti facienda, vt hinc deduci poſſe videatur hoc conſectarium; quòd non ſit volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis, vt quiſpiam ſaluus fiat; quaſi vero, ex parte hominis, pro ſalute conſequenda, nihil exigatur. Quod & alio quoque loco ſcripturæ corroboratur, cum dixerit
Exodi 9. Deus ad Pharaonem. *Quia in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam; & vt annuncietur nomen meum in vniuerſa terra.* Ex qua auctoritate, & altera præcedente ſequi videtur, vt dicendum ſit, quòd Deus, cui vult miſeretur, & quem vult indurat. Quibus quidem ita ſtantibus, iam dicet aliquis; cur conqueritur Deus de homine præuaricante? quando ita euenit, vt peccet ex voluntate Dei, cui reſiſtere nemo poteſt? Et hæc quidem horum verborum communis eſt apud Græcos expoſitores interpretatio; nempe, quòd hæ omnes difficultates ab Apoſtolo proponantur ex ſua propria interpretatione, circa loca deducta ex ſacra ſcriptura vſque ad vltimam illã partem, in qua ſupponitur quis alius, qui ſubdubitet; quærens, cur Deus de peccatoribus expoſtulet, ſi ita eſt eius voluntas, vt peccent, cum eius voluntati nemo reſiſtere valeat.

Chryſoſt. homil.16. Chryſoſtomus autem illam etiam cõſequentiam. *Igitur non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis.* Et illam aliam: *ergo, cui vult miſeretur, & quem vult, indurat.* Cenſuit ſub aduerſatij quoque perſona proponi; quas Græci alij interpretes ſub perſona Apoſtoli, tanquam pręcedentium dictorũ conſectarias accipiunt. Verum, ſenſum non variant, ſub quauis perſona ſumantur. Auguſtinus autem longe alienam interpretationem ſequutus eſt, de qua paulo poſt noſtra erit conſideratio.

Quod autem attinet ad illa verba: *igitur neque*
Orig. lib 7. c.9. ad Roman. *volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis.* Origenes hoc dictum cenſet, ſicut illud: *Niſi Dominus*
Pſalm. 126 *cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.* Nam inquit, etiam homo adlaborat: ſed ſumma
1.Corin.3. rerum a Deo pendet, iuxta illud: *Ego plantaui, Apollo rigauit; ſed Deus incrementum dedit;* ita vt perfectio proueniat; & illi ſummam operis tribuere ſit religioſum, & bonum.

Illa vero alia verba. *Miſerebor, cui miſertus ſum, & miſericordiam præſtabo, cui miſerebor.* Non ignorandum, aliter haberi apud græcos Cod. ac ſi latine ita legantur: *miſerebor, cui miſereor; & commiſerebor, cui commiſereor.* In Exodo autem ita legitur: *miſe-* Exodi 33.
rebor, cui voluero; & clemens ero, in quem mihi placueris. Hec autem B. Thomas ita explicauit: *miſe-* Tho.Aqui.
rebor vocando, & iuſtificando, cui miſereor prædeſtinando: & miſericordiam præſtabo, finaliter glorificando eum, cui miſereor vocando, & iuſtificando. Auguſtinus autem hanc ſermonis repetitionem in Aug.Quæſtio.Exo.tit. 154.
libro Quæſt. Exod., factam cenſet, vt confirmaret Deus ſuæ miſericordiæ firmitatem; ſicut, cum dicimus; amen, amen; fiat, fiat. Aut ad vtrumque populum reſpiciens ita locutus eſt; inſinuans, erga vtrumque ſe miſericordia vſurum. Quemadmodũ
infra dicitur: *ſicut enim aliquando, & vos non credi-* Rom.11.
diſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſequuti eſtis propter incredulitatem illorum; ita & iſti nunc non crediderunt in veſtram miſericordiam, vt & ipſi miſericordiam conſequantur.

Quod autem dicitur de Pharaone; *quia in hoc ipſum excitaui te.* Sciendum in lib. Exod. ita legi; *in* Exo.9.
hoc poſui te. Apud vero ſeptuaginta, legitur; *huius rei cauſa hucuſque ſeruatus es.* Quæ lectio magis
placet Ambroſio, quam etiam ita explicat. *Hic er-* Ambroſius.
go Pharao, inquit, *cum tantis malis eſſet reus, vt viuere non deberet, numquam futurus bonus, vt ſe, aut merito viuere, aut Deum, quem ſæpe fallendum cenſebat, ad vindictam dandam impotentem cenſeret, audit a Deo; ad hoc te ſeruaui, &c.* Aliam quoque lectionem, qua vſus eſt Apoſtolus, *excitaui te:* ſic
explicat Ambroſius. *Suſcitatus,* inquit, *dictus eſt* Ambr.c.26.
Pharao; quia, cum apud Deum mortuus eſſet, modicum tempus accepit, vt viuere videretur, vt eſſet, in cuius pœnam, & varia tormentorum genera vſque ad mortem, omnes qui ſine Deo erant, metu territi, hunc ſolum verum Deum eſſe cum admiratione maxima faterentur, a quo hæ vindictæ ſunt: vt (quemadmodum antiqui medici in hominibus morte dignis, vel mortis ſententiam conſequutis, requirebant, quomodo prodeſſent viuis, ea, quæ in homine latebant) ſic ipſe Deus in propoſito Pharaonis exemplo, quid in impijs, & conſceleratis deſideraret, nobis ante oculos conſtitueret; ſic, vt iſtius morientis pœna cęteris proficeret in ſalu-
tem. Theodoretus autem ſic explicat. *Excitaui* Theodor.
te, ideſt, *permiſi tibi regnum aſſequi; & cum poſſem prohibere, non prohibui, quæ ad alios, ex eo eſſet redditura vtilitas, prȩuidens.*

Origenes autem animaduertit, non dici, *feci te;* Orig. lib.7. c.9. ad Roman.
alioquin ad conditorem referri videretur culpa; ſed ait, *ad hoc ipſum ſuſcitaui te;* hoc eſt, *vt per animi tui malitiam, quam tibi infrunite, & ſine Dei timore viuendo quæſiſti; etiam in alios irrogetur vtilis, & fructuoſa correctio.* Et ſupponens Origenes, Deum non ſolum ſcire, ſed etiam præſcire vniuſcuiuſque propoſitum, ait: quòd ſciens, & præſciens, tanquam bonus diſpenſator, & iuſtus, vniuſcuiuſque moribus, & propoſito vtitur ad ea opera perficiẽda, quæ vniuſcuiuſque animus, & voluntas eligit. Quid ſit autem ſuſcitare, ſeu excitare Pharaonem, græce ἐξήγειρα: non palam aperuit Origenes: quamuis ex eius dictis colligi videatur, ipſum intellexiſſe; ꝙ eũ excitauit Deus, tanquam ſtimulis commouẽdo per

opera

opera magnę potentię ſuæ; quibus quidem, ob pro-
priam malitiam, magis induratum eſt cor ipſius: &
ita (vt dixit Origenes) Deus vſus eſt moribus, ac
propoſito Pharaonis ad ea opera perficienda, quæ
eius animus, & voluntas eligebat; cum tamen ex
operibus, quæ facit Deus, ſuā potentiam oſtendens,
induci debuiſſet Pharao, vt auertens ſe a malo, ani-
mum conuerteret ad Deum timendum.

Auguſt. Auguſtinus autem longe diuerſam intelligētiam
ſequutus, vult, quòd Apoſtolus, ad illam difficulta-
tem; num iniquitas apud Deum, qui geminorum,
cum nondum nati eſſent, alterum alteri prætulerit,
vnum amarit, alterum odio habuerit, ſatisfaciat per
auctoritates, quas inducit Apoſtolus ex ſacra ſcri-
ptura, vt per eas Dei electionem ab omni ſcrupulo
iniquitatis alienā eſſe toeatur. Siquidē, cum Deus in
Exod. 33. Exodo dixerit, *miſerebor, cui voluero*; Ideo dicēdum
eſt, ex Dei miſericordia fieri, vt (infert Aug.) cō om-
nes eſſemus de maſſa perditionis, aliquī ſalui fiant:
qui vero damnantur, iuſto Dei iudicio damnan-
tur, ea damnatione, cui iam obſtricti erant. Et
vult pariter illas conſequentias; tum illam, *non eſt
volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis*; tum il-
lam aliam; *igitur cuius vult, Deus miſeretur, & quem
vult indurat*, adductas eſſe ab Apoſtolo; vti eas,
quibus Dei actiones defendantur ab omni ſuſpicio-
August. ad Sixt. Presb. epiſt. 105. ne iniquitatis. Ita enim Auguſtinus interpretatus
eſt hunc locum in Epiſt. ad Sixt. præsb. ſubiungens,
quòd Deus, *diligendo Iacob, gratiæ ſuæ donum in ipſo
diligebat: in Eſau autem oderat peccatum originale.
Et quòd miſereri, cui vult Deus, id a Deo fit gratuito
dono: ſicut indurare quem vult, hoc fit a Deo iuſtiſſimo
merito; qui tamen non indurat impartiendo malitiam,
ſed non impartiendo miſericordiam*. Et ſcribens ad
Auguſt. ad Simpli. lib Simplic. inquit: *Deus non ſic indurat, vt ab ipſo irro-
getur aliquid, quo homo fiat deterior; ſed tantum non
erogatur ab ipſo, quo ſit melior*. Et in lib. Quæſt.
Idē in libr. Quæſ. Exo. tit. 154. Exod. tit. 154. *non dixit, miſerebor talibus, vel talibus;
ſed cui miſericors fuero; vt, neminem præcedentem bo-
nis operibus ſuis miſericordiam tantæ vocationis fuiſ-
Idē in libro Enchir. capit. 32. ſe demonſtret*. Idem in lib. Enchir. *Si non volentis,
neque currentis, ita dictum eſt, quoniam non ſufficit
ſola hominis voluntas; ſed requiritur Dei miſericordia;
& e contra; non hæc ſola, ſed etiam hominis voluntas
requiritur; cur non dictum, neque dicendum; non eſt
miſerentis Dei, ſed hominis volentis? ſignum igitur,
quòd totum eſt attribuendum Deo, qui hominis volun-
tatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat
1. Cor. 15. præparatam, ſicut alibi dixit Apoſtolus: non ego, ſed
gratia Dei mecum*. Hæc ex Auguſtino. Vnde ex
eius ſententia ſtatuendum eſt, quòd genus huma-
num, cū ex ruina, in quam ceciderat ob peccatum
primi parentis, in gratiam Dei reuocandum eſſet,
id nullis eius operibus, ſed Dei tantum miſericor-
diæ tribuendum eſſe.

1 Tim. 2. Verum, cum Deus velit omnes homines ſaluos
fieri, illud etiam ſupponendum eſt, quòd, ex ſua
gratuita liberalitate, vocationis ſuæ gratiam erga
omnes effundat, per quam ad ſalutem euocentur;
in vno quidem homine ſic, in alio autem ſic, pro vt
(& huius quidem diſcriminis ratio imperſcrutabili
Dei iudicio relinquenda) eam impartiri ſibi viſum
fuerit. Et cum initium ſalutis a Dei vocatione pen-
deat, haud dubitandum, per eam, ad ſalutem illos
omnes deduci, qui gratiæ vocationem ſuſcipiant, &
vocantis præcepta ſequantur; Quemadmodum in
ſtatu perditionis relinquuntur illi, qui donum vo-
cationis diuinæ renuunt, ex hoc, grauiorem etiam
culpam ſibi ipſis cōtrahentes. Et, cum Deus omnia
agat ſuauiter, humanamque naturam, quam libe-
ram creauit, diſſoluere nō intendat; idcirco homi-
nem ad ſuam vocationem potētiſſimis quidem ſti-
mulis, & donis gratiæ præuenientis inuitat, & trahit
volentem; non autem cogit: ſicuti neque reſpuen-
tem, cogit reſpuere gratiæ ſuæ vocationem. Hinc
itaque dicēdum; quòd Eſau fuerit reprobatus, eius
tota culpa fuit; quoniam oblatam ſibi gratiam Dei
recuſauit: quòd autem Iacob ſaluus factus ſit, totum
eſt ex gratia Dei, non ſine tamen propria ipſius Ia-
cob voluntate, qui dono Dei adhæſit, cuius gratia,
in Iacob bona quoque voluntas effecta eſt; quæ ta-
men ita eſt ipſius Iacob, vt ſit quid propriū in ipſo.
Siquidem non dicendum, quòd propria voluntas
Iacob, ſit id, quod eſt voluntas Dei; alioquin, volun-
tas Iacob, idem eſſet quod Deus, cū Deus ſit idem
quod ſua voluntas. Cum autem quæ futura ſunt,
Deo ſint pręſentia; hinc pręuidens Deus, quòd Ia-
cob vocationis ſuæ gratiam eſſet ſuſcepturus (diui-
no tamen auxilio) Eſau autem illam repudiaturus
(vnde ille in Dei amicitiam reuocandus, hic autem
in odio Dei relinquendus erat) ideo nil mirū; quòd
antequam hi nati eſſent, nec dum boni, vel mali ali-
quid egiſſent; Deus Rebecchæ matri denunciaue-
rit, quòd minor maiori præferendus eſſet: & quòd,
illum ſequentem gratiæ ſuæ donum dilexerit; &
hunc alium oderit eandem recuſantem. Non enim,
ex eo quòd dixerit Deus, quòd maior ſeruiet mino-
ri, ideo hoc futurum erat; ſed quia futurum erat, vt
Eſau ſua malitia perperam ſe gereret, ideo hoc
prædixit Deus, vt explicatum eſt antea ex ſententia
Origenis in Adnot. M. cap. præcedentis. Neq; vero
inferendum, quòd Deus, ideo gratiæ ſuæ donum
contulerit ipſi Iacob, quoniam prænouerit ipſum
ſibi crediturum. Non enim ab vlla extrinſeca re in-
duci poteſt Deus ad aliquid agendum, aut ad gra-
tiam ſuam conferendam; cum omnia agat ſua ex
potentia, atque gratuita liberalitate: vti etiam, qui
omnium eſt cognitor, pręnoſcit, qui nam ſuæ vo-
cationi ſint obtemperaturi, quique, vt obtempe-
rent, habent auctorem, & adiutorem ipſum Deum,
non abſque tamen proprię ipſorum voluntatis aſ-
ſenſu. Quare & ſi hoc verum eſt, quòd Deus, cui
vult miſeretur ex ſua gratuita gratia; attamen non
negandum, quin in eos ſuam impleat miſericordiā,
qui illam admittunt. Et cum dixerit Moyſi, quòd
miſerebitur, cuius miſertus eſt; ex hoc innuitur,
quòd gratię ſuę miſericordia conſequuta eſt effectū
in aliquo, cui in miſerando Deus perſeuerabit; cum
eius gratia ſemper egeamus, & ipſe non deſit dili-
gentibus ſe. Illa quoque ſententia ad mentem Au-
guſtini comprobanda eſt: quòd non volentis neque
currentis, ſed Dei miſerentis eſt, vt quis ſaluus fiat.
Siquidē initium eſt a Deo, & conſummatio itidem
ſalutis; cum ſit ipſe, qui vocat impium, & ipſum iu-
ſtificat,

ſtificat, & coronat, numquam tamen niſi eum, qui
vocationi aſſentiat, & in ipſo opere iuſtificationis
1.Cor.15. ſua cum voluntate concurrat, iuxta illud Apoſtoli
adductum etiam ab Auguſtino; *non ego, ſed gratia
Dei mecum*.

G *O homo tu quis es?* Ad quæſtionem ſubdu-
ctam ab aliquo, cur Deus conqueritur de peccato-
ribus, ſi tales ſunt ex Dei voluntate, cui nemo reſi-
ſtere poteſt? Reſpondet Apoſtolus, obiurgans ita
loquentem. Tu quis es, qui hoc audeas? numquid
dicit figmentum figulo, cur me ita feciſti? vt non ſit
in poteſtate figuli, aliud vas conſtruere in honorem,
& alitud in ignominiam ex eadem maſſa luti? Circa
Aug. in lib. quod animaduertit Auguſtinus in libro Euchyrid.
Ench. c. 99. nonnullos fuiſſe auſos dicere, quòd Apoſtolus de-
ficiens in promota quæſtione, confugerit ad obiur-
gationem, vt reprimeret contradicentem. Sed in-
quit ipſe. *Qui audet hoc dicere, aut non capit obiur-
gationem Apoſtoli: aut ſi capit, vtique non valet Deo
contradicere, cum poſſit agnoſcere, totam maſſam radi-
citus damnatam fuiſſe, & nil fieri pro liberatione, niſi*
Theodor. *ex gratuita Dei gratia*. Theodoretus autem ani-
maduertit, figmentum non quærere a figulo, cur ita
ipſum fecerit, eo quòd caret iudicio rationis. Vn-
de infert, ex eo quòd homo ita quærit de ſe; hinc
colligi, *quòd non eſt ex neceſſitate alligatus, nec præ-
ter ſuam ſententiam, ac voluntatem peccat; ſed ſpon-
te ſua iniquitatem complectitur, & ſuo arbitratu vir-
tutis labores ſuſcipit*. Verum, & Dei benignitas in
vaſa ad interitum ſua ſponte properantia, ex hoc
dignoſcitur, quòd Deus vtitur ſua bonitate, illa to-
lerans multa cum patientia, quaſi illis dans tempus
2.Pet.3. ad reſipiſcendum: iuxta illud Beati Petri: *non tardat
Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant;
ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire,
ſed omnes ad pœnitentiam reuerti*. In epiſtola autem
2.Timot.2. ad Timoth. eſt mentio de vaſibus aureis, argenteis,
ligneis, & fictilibus, quorum alia in magna domo
ſunt in honorem, & alia in ignominiam: ſicuti fi-
ctilia, quæ in ignominiã ex propria culpa facta eſſe
inſinuantur, cum poſſent & aliter fieri, dum ibi di-
citur. *Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis, erit vas
in honorem ſanctificatum, & vtile Domino ad omne*
1.Corint.3. *bonum opus paratum*. Et Corinthijs ſic ſcribens.
*Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc,
aurum, argentum, lapides præcioſos, ligna, fœnum,
ſtipulam*. Docuit liberum arbitrium homini ineſ-
ſe; licet, ex Dei miſericordia, vaſa in honorem eri-
gantur; conuenientibus & ipſis ad honorationem
accipiendam. Non autem huiuſmodi dulcedine,
qua præcipue vſus eſt Deus per Angelum erga Da-
Dan.10. nielem, qui in omnibus edoctus eſt, quoniam erat
vir bonorum deſideriorum; vtitur Apoſtolus hoc
loco erga ſeruum inſolentem, qui dignus eſt bacu-
lo, vt corrigatur. Vnde penſandum, optimo cum
conſilio hanc diſputationem ab ipſo fuiſſe tractatã;
quoniam res agebatur cum obduratiſſimis Iudæis:
qui ſibi multum aſſumentes, Dei miſericordię non
ſe ſubijciebant, hæreſimque hanc diſſeminabant, ex
operibus tantum legis hominem iuſtificari; vnde
aſpera obiurgatione erant coercendi; præſertim, quia
hoc initium fuit malorum noſtrorum; vti etiam An-
gelorum, qui ceciderunt; ipſa nempe propriæ ex-
tollentiæ cupiditas. Vnde hominibus propria mi-
ſeria detegenda erat, ipſorumque inſolentia obtun-
denda, vt Dei omnipotentia, a quo omnia pendẽt,
ante oculos nobis ſemper obuerſaretur. Hinc etiam
nil mirum eſt, ſi Auguſtinus litem habens contra
hæreſim Pelagianorum, qui Dei gratię detrahebãt,
liberum arbitrium ſupra modum magnificantes,
tam acriter contra ipſos pugnauerit; ex aduerſo, Dei
miſericordiam (vt decet) magnificando, & arbitrij
noſtri facultatem quodammodo extenuando; eo
nempe conſilio, vt hominum arrogantiam reprime-
ret, ne ſibi aſſumerent, ex proprijs viribus iuſtifica-
tionem aſſequi poſſe; quam ſolum prouenire a Deo
in nobis, non ſine tamen nobis (vt decet) concur-
rentibus, fateri debemus. Ipſe autem in lib. Quæſt. Aug. in lib. Quæſt. 83.
83. dicit, prohiberi homines luteos immerſos in q. 68.
peccatis, quærere, cur hi ſalui fiant, illi damnentur;
non autem Apoſtolos ſanctos, & eos, qui ſpiritales
ſint, & Deum tota mente, & omnibus viribus di-
ligant; hi enim recte audient, ſi qua ſunt de anima-
rum occultiſſimis meritis, & de gratia, vel iuſtitia,
ſecreta omnipotentis Dei. Et de Pharaone, inquit,
optime cognoſci poſſe, cur eius cor fuerit induratũ.
Siquidem, cum accepiſſet tot beneficia a Ioſeph, nõ
debuiſſet (vt gratus) niſi humaniter ſe gerere erga
Hebræos: quos, e contra, ita peſſime tractauit, vt
mereretur in pœnam ſibi cor indurari; adeo quòd
ex tot miris operibus Dei, quæ debuiſſent ipſum
auertere a malefactis, in peius ſemper proceſſerit, ob
eius ſummam malitiam. Idem etiam in Sermone Aug. Serm.
de verbis Euang. cap. 11. exponens verba illa Apo- 10. de verb.
ſtoli, cap. 10. huius epiſt. *Reliqui mihi ſeptem mil-* Euang.
lia, &c. Quid eſt, inquit, *reliqui mihi? ideſt, ego illos
elegi; quia vidi mentes eorum de me præſumentes, non
de ſe*. Ex quibus verbis Auguſtini colligitur, quòd
Deus prædeſtinauit tales, qui ita eſſent diſpoſiti, vt
præſumerent (vt inquit ipſe) de Deo, & qui in eius
miſericordiam eſſent confiſuri; quod tamen Dei
dono ſpeciali illis contingit. Idem etiam in lib. de Aug. in lib.
Prędeſt. Sanct. ponderans verba cap. 11. huius epiſt. de Prædeſt.
Electio conſequuta eſt, cæteri excæcati ſunt. Ecce, Sanct. c. 6.
inquit, *miſericordiam, & iudicium; miſericordiam in
electione Dei, quæ conſequuta eſt in iuſtitia Dei; iudi-
cium vero in cæteris, qui excæcati ſunt; & tamen illi,
quia voluerunt, crediderunt; illi, quia noluerunt, non
crediderunt; miſericordia igitur, & iudicium in vo-*
luntatibus facta ſunt. Idem in lib. 5. de Ciuit. Dei. Idem lib. 5.
Non ergo propterea nihil eſt in noſtra voluntate, quia de Ciu. Dei.
*Deus præſciuit quòd futurum eſſet in noſtra volunta-
te; non enim, qui hoc præſciuit, nihil præſciuit. Porro
ſi ille, qui præſciuit, quid futurum eſſet in noſtra vo-
luntate, non vtique nihil, ſed aliquid præſciuit, & illo
præſciente, eſt aliquid in noſtra voluntate*. Ex quibus
locis per Auguſtinum inſinuatur, quòd Deus in ſe
credituros, iuxta bonas ipſorum voluntates, &
ita vt tales, prædeſtinat. Vnde ponderandum eſt,
aliud eſſe, ſi dicamus, quòd Deus prædeſtinat cre-
dituros, quia credituros prænoſcat, quaſi ex cauſa
quadam hinc moueatur ad huiuſmodi prędeſtinan-
dos. Et aliud eſt dicere, quòd ſimpliciter prędeſti-
net credituros; cum ita, ex ſua bonitate, ſecundum
propo-

propoſitum ſuę voluntatis, ab ęterno ſtatuerit ſaluos
facere credentes in ipſum, quos & credentes eſſet
facturus, & pręnouit credituros, iuxta ordinē ſupra
cap.8.explicatū. Etenim, ſi prędeſtinatio eſt pręparatio
diuinę gratiæ ad vitam ęternam, non inficiandum
eſt, quin ea in Petro, in Ioanne, & in alijs certis
hominibus ſit pręparanda. Et, vt hos nondum natos
Deus ab ęterno pręnouit, & elegit; ita eoſdem ab
ęterno pręnouit aſſentientes ſuę vocationi, eius auxilio
adiuros, & ad ſuam gratiam cooperantes. Et
quamquam homo, ex propriæ naturę viribus, ad diuinæ
viſionis fruitionē peruenire nequeat; quoniā,
id ſit ſupra eius naturam, & facultatem; & ideo (vt
Tho. Aqui. doctiſſime ediſſerit B. Thomas in prima parte ſummę.q.23,art.2.)
opus ſit, vt a Deo ad tantam fęlicitatem
tranſmittatur, ſicuti ſagitta a iaculante mittitur
ad ſignum; attamen, cum creatura rationalis
(vt ibidem docet Sanctus Doctor) ſit capax ęternę
uitæ, omnino aſſerendum eſt, neminem, ſine proprio
conſenſu, & ſine quadam ſua ad gratiam diuinam
cooperatione, ad beatitudinem perduci.
Alioquin, ſi dixerimus, hominem abſque vlla eius
cooperatione a Deo abſolute ita prędeſtinari, &
perduci ad vitam ęternam; quemadmodum & ſagitta
a iaculante mittitur ad ſignum, penitus a miſſione
dependens; in hoc maximum inconueniens
incideremus, ſane indignum diuina miſericordia;
quòd, qui ſalutem conſequuntur, idcirco ſalui fiāt;
quoniam Deus ipſos ſaluos eſſe velit, nulla ipſorū
operatione concurrente: alios vero damnari, quoniam
Deus nolit ipſos eſſe ſaluos. Qui tamen (quę
1.Tim.2. eius eſt immenſa pietas, atque clementia) vult omnes
2.Pet.3. homines ſaluos fieri, *nolens* (vt ait Beatus Petrus)
aliquos perire, ſed ad pœnitentiam reuerti. Quemadmodum,
nec quemquam opportuno auxilio deſtitutum
relinquit, quo poſſit (ſi ſibi non deſit) ad
beatam vitam peruenire; ſingulis largiens, quæ
conueniunt, iuxta imperſcrutabilem diuinæ ſuę ſapientiæ
profunditatem: adeo quòd, qui pereunt,
id totum propriæ ipſorum infidelitati, atque nequitiæ
imputare habeant: qui vero ſalutem conſequuntur,
id totum quoque, a gratuita Dei gratia,
ſibi contigiſſe fateri debent; ita tamen, vt ſit etiam
aſſerendum, & ipſos, ad hanc tantam fœlicitatem
aſſequendam, proprium aſſenſum, & quandā propriæ
induſtriæ cooperationem contuliſſe; ita vt
vnuſquiſque illud Pauli in corde, & in ore ſemper
1.Cor 15. habeat in omnibus operibus iuſtitiæ. *Non ego, ſed
gratia Dei mecum*. Et hunc quidem in modum
ſentientes, & loquentes, temerariam illam, & audacem
Pelagij hęreſim euitabimus, aſſerentis initiū
bene operandi pendere ex noſtro libero arbitrio,
conſummationem uero bonorum operum eſſe a
Deo; cū tamen, & q̀ ſimus creati, & quod uelimus,
quę bona, & iuſta ſunt, & quòd eadem operemur,
omnino diuinæ gratiæ ſit tribuendum, nos perpetuo
fouenti, & adiuuanti. Nec non ab illo deteſtabili,
& peſtifero illorum errore longe erimus,
qui (tanquam quòd omnia ex neceſſitate fiant)
nullum arbitrij noſtri vſui, atque operibus noſtris
locum relinquunt; autumantes, eos, qui prædeſtinati
ſunt, ita prædeſtinari ad vitam ęternam, vt ad
eam, abſque vlla ipſorum cooperatione, perducantur:
reliquos vero relinqui in perditione: cum tamen
ita ſit aſſerendum, quòd Deus, iuſtus iudex, in
ſe confidentibus, & bona operātibus tribuat vitam
ęternam; infideles autem, & perperam ſe gerentes
tradit in condemnationem; prædeſtinans ab ęterno,
quos ſua gratuita gratia ſit facturus bonos cum
ipſorum proprio aſſenſu, & operatione, gratia Dei
eos adiuuante; & reprobans, quos, ob propria demerita
dignos reprobatione cognouit.

H *Vocabo, non plebem meam*. Hæc auctoritas
Oſeæ Prophetæ vocationem Gentium aperte inſinuat, Oſe.2.
& tacite Hebræorum reprobationem: ſicuti &
illa alia eiuſdem: & *erit in loco, vbi dictum eſt eis, non* Oſe.1.
plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei. Quibus verbis
inſinuatur vniuerſus orbis, per quem Chriſti
eccleſia diffuſa eſt. Et apud Eſa. dum clamat pro Eſa.10.
Iſrael. *Si fuerit numerus filiorum Iſrael, tanquam
arena maris, reliquiæ ſaluæ fient*; hinc denotatur,
quòd ſi reliquię ſunt ſaluandæ; cœteri igitur, vt reprobati,
damnandi ſunt. Idem Propheta, cum ita
prædixerit. *Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis* Eſa.1.
ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus; clare ſignificauit,
q̀ populus Hebræorum in genere reprobādus erat.
Quare ex ijs omnibus ſacrę ſcripturę locis adductis
per Apoſtolum, colligitur, Hebræos, pro quorū ſalute
Paulus optarat fieri anathema a Chriſto, fuiſſe
reprobatos; neque tamē verbum Dei circa promiſſa
facta Abrahæ, & Iſraeli excidiſſe; ſed firmū manere,
tum in Gentibus (in illis nempe, qui veri ſunt filij
Abrahæ, & Iſraelis ſecundum ſpiritum) tum in Iudæis;
in illis, qui ſalui fient.

Quod autem attinet ad illa verba, *verbum enim
conſummans, & abbreuiās faciet Dominus in ęquitate*;
denotat per hęc Chriſti fides, vt ait Theod. per quā Theodor.
fit conſummatio ſalutis, & breuiſſima oratione cōtinetur:
de qua re eſt ſermo in cap. ſequē. dū dicitur.
Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus; quia ſi confitearis Rom.10.
*in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris,
quòd Deus illum ſuſcitauit a mortuis, ſaluus eris*.
Auguſtinus autem in lib. 1. ad Simplic. explicās hoc Auguſt. ad
verbum. *Conſummans*, inquit, *vt compendio fidei* Simplic. libro 1. q. 2.
*per gratiam ſaluos faciat credentes, non per innumerabiles
obſeruationes, quæ impoſitæ erant Iudæis*.

I *Gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam*. id eſt, Gētiles,
qui ſine Dei cognitione exiſtentes, impie viuebant,
& ideo iuſtitiam non ſectabantur. Aut non
ſectabantur iuſtitiam, vt qui ſibi non aſſumerent
propriam iuſtitiā ſtatuere, vt Iudæi ſibi aſſumebant:
iuſtitiam apprehenderunt. Sed quam iuſtitiam? illam
nimirum, quæ eſt ex fide, quam Gentiles conſecuti
ſunt; dum, ob Dei miſericordiam, ad quam confugerunt,
ex impijs, iuſtificati ſunt.

K *Iſrael autem ſectando legem iuſtitiæ*. Iudęi autē
oculos dirigentes, nō ad Dei miſericordiam, ſed ad
ordinationes ſcriptas in lege, tanquam ex proprijs
viribus iuſtificari per ipſas præſumerent. *In legem
iuſtitię non peruenit*: id eſt, non peruenerunt Iudæi
ad legem Euangelicam, per quam vera iuſtitia apud
Deum obtinetur. Aut non peruenerunt in legem
iuſtitiæ; videlicet eius iuſtitiæ, ad quam lex Moyſi,
inſtruēdo eos deducere intendebat; cū eſſet ſcopus

legis, homines inſtruere, quibus nã ad Dei iuſtitiam perduci poſſent; tametſi, ipſa non poſſet illos iuſtificare: idque, dum oſtenderet, finem legis (vt di-
Roman.10. citur cap. ſequenti) eſſe Chriſtum, per quem, veram iuſtitiam acquirunt, qui credunt in eum; & eius legem obſeruant. Appellauit autem Apoſtolus, *legem iuſtitię*, & non dixit iuſtitiam legis; vt hinc inſinuaret, quòd per legem non acquiritur ve-
Galat.3. ra iuſtitia, quam lex conferat: iuxta illud ad Galat. *Si enim data eſſet lex, quæ poßet viuificare, vere ex lege eßet iuſtitia.* Etenim lex non poteſt impium iuſtificare. Quæ autem a lege præcipiuntur, ſunt iu-
Roman.7. ſta, & ſancta, & bona, ſicut dixit Apoſtolus ſupra, quod mandatum erat ſanctum, iuſtum, & bonum. Vnde legi tribui poteſt *τὸ δικαίωμα* (quod apud Ariſtot. lib. 5. Ethic. interpretatur pro ipſo facto iuſto, quod eſt exequendum) quod proponit lex ſancta, atque ſpiritualis, præcipiens quæ ſancta ſunt. Non autem legi eſt tribuenda iuſtitia, quę ſolum per Ieſum Chriſtum confertur a Deo, ijs, qui fide confugiunt ad Chriſtum mediatorem: neque ſibi aſſumunt (quod hoc loco adſcribit Paulus Iudęis) ab impietate, in quam cecidit genus humanũ ob peccatum primi parentis, poſſe perduci per propria opera ad veram iuſtitiam, quę eſt ſecundum Deum.

L *Lapidem offenſionis, ac petram ſcandali.* Vnum,
Orig. lib. 7. c. 9. ad Romanos. & idem prope ſignificãt (vt notat Origenes) offenſio, & ſcandalum; quod ita appellari aperit, vt ſcandalum dicatur, cum in via obex aliquis inuenitur, qui greſſum incedentis, vel ſcandentis impediat; vnde ſcandalum tractum eſt.

PARAPHRASIS. Cap. X.

FRATRES, propenſio quidem cordis mei, quam modo ſignificaui erga populum Iſraeliticum, & obſecratio mea pro eo ad Deum, pro ipſorum eſt ſalute. Ad quod, quàm maxime impellor, hoc ſciens (de quo illis reddo teſtimonium) quòd ęmulationem quidem Dei habent, quatenus legem a Deo ipſis propoſitam mordicus tueri ſtudent; ſed non ſecundum ſcientiam. Ignorantes enim Dei iuſtitiam, & ſuam quętentes ſtatuere, de proprijs viribus præſumentes, iuſtitię Dei non ſunt ſubiecti. Qua in te non excuſandi, ſed coarguendi veniunt, cum ab illis id ſciri debuiſſet; quòd, Chriſtus promiſſus patribus, eſt finis legis ad iuſtitiam omni credenti. Alia ſiquidem eſt iuſtitia legis pręſumpta ſeorſum a gratia Dei; & alia eſt iuſtitia, quę ex fide pendet. Quod quidem diſcrimen ex ipſo quoque Moyſe colligitur; apud quem in Leuit. iuſtitia legis hũc in modum deſcribitur, dum inquit. Quoniam, qui fecerit, quę ad legis iuſtitiam pertinent, in ipſis viuet, tutum ſe reddens a morte legis tranſgreſſoribus comminata. Iuſtitia autem fidei, (vt hęc quoque deſcripta ſumatur ex verbis Moyſi in Deuteron.) ita habet. Ne dixeris in corde tuo, quis aſcendet in cœlum? id, eſt Chriſtum ad nos deducere. Quis deſcendet in abyſſum? id, eſt Chriſtum a mortuis reuocare. Hęc nequaquam dubitando ſunt obloquenda. Neque quętendum, quo nã pacto hęc fieri poſſint; ita enim longe ſe faciet, qui ita ſe gerit, ab obtinendo eam iuſtitiã, quæ per ſinceram, atque conſtantem fidem eſt impetranda. Sed quid dicit ſcriptura pro explicatione iuſtitiæ fidei? hoc nempe. Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo. Hoc eſt, verbum fidei, quod nos prædicamus, quodque abbreuiatum futurum, dictum eſt antea ex vaticinio Eſaiæ. Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, qui ſalutem impetrauit credentibus in eum; & in corde tuo credideris, quòd Deus illum ſuſcitauit a mortuis, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam obtinendam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem. De fide ſiquidem hæſitabit, neque illam (vt decet) pręſtaret, qui eandem ore non propalaret, vel ſi mortis obeũdæ periculum immineat. Vnicuique autem ſalutem hunc in modum comparari, non eſt dubitandum. Nam dicit ſcriptura apud Eſaiam. Omnis qui credit in eum, non confundetur; ita quidem, vt nemo ab hac tanta gratia obtinenda excludatur, dummodo ſit fidelis. Neque enim, quòd quiſpiam ſit, aut Iudęus, aut Gręcus, & cuiusvis nationis, eſt diſtinctio apud Deum, cum ſit omnium Deus, diuitias ſuę bonitatis abunde effundens in omnes, qui inuocant eum. Omnis enim (vt dicitur apud Ioel) qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. At dicet hic aliquis, quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent in eum, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo autem prædicabunt, niſi mittantur? ſicut ſcriptum eſt apud Eſaiã. Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacẽ? euangelizantium bona? Sed non omnes obediunt euangelio, vt propterea non niſi in homines, qui ſibi ipſis deſunt, perditionis culpa ſit trãsferenda. Eſaias enim dicit. Domine quis credidit auditui noſtro? ijs nẽpe, quæ a te audiuimus, & alijs pręſdicauimus? Ex ijs ergo inſerendum, ꝙ fides ex auditu ortum habet: auditus autem debet eſſe iuxta verbum a Deo emanans de Chriſto, vt orthodoxa ſit fides. Sed dico, numquid non audierunt? Et quidem (ſicut ſcriptum eſt) in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terrę verba eorum. Sed dico, numquid Iſraeliticus populus non cognouit, in quem credere debuerit? At in oppoſitum primus teſtatus eſt Moyſes, dum per illum Deus ita locutus eſt. Ego ad ęmulationem vos adducam in non Gentem, in Gentem inſipientem, in iram vos mittam; quã Iudæi aduerſus Gentes non ſuſcepiſſent, niſi ſe apud Deum deſpectos, Gentes autem in Dei gratiam receptas agnouiſſent. Eſaias autem audacter, nil eos veritus, eorum perfidiam patefecit, non ex ignorantia, ſed ex malitia emanantem; dum Deus per ipſum ita locutus eſt. Inuentus ſum a non quærentibus me: palam apparui ijs, qui me non interrogabant: ex ijs Gentes denotans in Dei gratiam recipiendas, quę prius longe aberant a Deo. Ad Iſrael autem, Deum ita alloquẽtem inducit. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, ſed contradicentem mihi. Ex quibus patet, populo Iſraelitico ea innotuiſſe, quæ ab ipſo credenda erant, quæque credendo, Dei gratiam non amiſiſſet.

Editio

Editio vulgata.

FRATRES, voluntas quidem cordis mei, & obſecratio ad Deum, fit pro illis in ſalutem. Teſtimonium enim perhibeo illis, quòd æmulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Ignorantes enim iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Finis enim legis Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti. Moyſes enim ſcripſit, quoniam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, viuet in ea. Quæ autem ex fide eſt iuſtitia ſic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis aſcendit in cœlum? id eſt, Chriſtum deducere. Aut quis deſcendet in abyſſum? hoc eſt, Chriſtum a mortuis reuocare. Sed quid dicit ſcriptura? Prope eſt verbum in ore tuo; & in corde tuo; hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus. Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum ſuſcitauit a mortuis, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Dicit enim Scriptura: Omnis, qui credit in illum, non confundetur. Non enim eſt diſtinctio Iudæi, & Græci: nam idem Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodò verò prædicabunt niſi mittantur? ſicut ſcriptum eſt: Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Sed non omnes obediunt Euangelio. Eſaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui noſtro? Ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti. Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem, in omnem terram exiuit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. Sed dicò: Numquid Iſrael non cognouit? Primus Moyſes dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem inſipientem, in iram vos mittam. Eſaias autem audet, & dicit: Inuentus ſum a non quærentibus me, palam apparui ijs, qui me non interrogabant. Ad Iſraël autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi.

ADNOTATIONES.

A *ÆMVLATIONEM quidem Dei habent.* Nempe æmulabantur Iudæi legem, quam a Deo acceperant, cum illam tueri mordicus conarentur; *ſed non ſecundum ſcientiam*. Tueri legem conueniens erat, ſed ſecundum mentem Dei. At ipſi, non iuxta ſcientiam mentis diuinæ legem protegebant; dum vellent hominem ex operibus legis iuſtificari, & non per Chriſtum, cum tamen Chriſtus finis ſit legis, per quem iuſtificatio intenta a lege perficitur, & obtinetur. Quod quidem Iudæis notum eſſe poterat ex lege, ſi etiam cognouiſſent; niſi inflati, ac ſibi aſſumentes, quòd proprijs viribus iuſtitiam implere poſſent; hinc ita fuiſſent obcæcati, vt, *vſque in hodiernum diem* (vt dicitur in epiſtola
2.Cor.3. ad Corinth. *velamen in lectione veteris teſtamenti maneat non reuelatum; quoniam in Chriſto euacuatur; ſed vſque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes: velamen poſitum eſt ſuper cor eorum*. Chriſtus autem finis legis dicitur fuiſſe, quatenus in ipſo cæremoniæ legis ſunt adimpletæ; nec non per ipſum conſummata eſt iuſtitia a lege intenta, quam media fide, non mortua, ſed viua, homo obtinet. Vnde dicit Apoſtolus, quòd Chriſtus eſt *finis legis, ad iuſtitiam omni credenti*. Et id palam fecit ex verbis Moyſi in Deut. quæ ita ſe habent. *Iuxta te eſt ſermo in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* Deute.30. Hoc enim idē (inquit Apoſtolus) eſt verbum fidei, quod prædicamus; de quo dictum eſt ſupra, quia verbum breuiatum faciet dominus. Apoſtolus autem, quæ habentur loco citato Deuter. (ſecundum ſapiētiam ſibi a Deo datam) accommodat ad ſuum propoſitum, nonnihil varians in ijs a lectione Bibliæ.

B *Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum.* Qui confitetur in ore ſuo Dominum Ieſum, is confitetur, quòd ipſe eſt Saluator noſter, qui pro nobis mortuus eſt; in eumque oportet vt credat, qui non erubeſcit crucifixi nomen, confitendo eum Saluatorem: contra quem diabolus cum ſuis ſectatoribus omnem machinā excitabat, ne eius glorioſum nomen prædicaretur. Vnde ſubiungit Apoſtolus; corde etiam credendum eſt ab eo, qui ſaluus eſſe velit, quòd Deus illum excitauit a mortuis: qui enim hoc non crediderit, deficiet a veritate fidei; ac præterea ſpe fruſtrabitur conſequendæ ſalutis. Siquidem dictum eſt ſupra, quòd Chriſtus reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Rom.4. Auguſtinus vero in tract. Pſalm. 102. inquit. Aug. tract. pſal.102. *Laus fidei non eſt credere Chriſtum mortuum, ſed reſurrexiſſe: credimus autem in mortuum: quoniam non poſſumus credere reſurrexiſſe, niſi ſupponamus mortuum.*

C *Corde enim creditur ad iuſtitiam.* Oportet vt præcedat fides, quæ debet eſſe ex corde, & non ſimulata, ob quam homo, ſi eam præſtet (vt decet) ex impio iuſtitiam conſequitur. *Ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Oportet etiam, vt, qui iuſtificatus per fidem, vlterius progrediatur vt ſaluus fiat, adhærere enim habet Deo omni ſuo conatu, & opere. Apoſtolus autem illud proponit, quod cuique in promptu eſt, cum primum fidem ſuſceperit, a quo, nemo adultus exiſtens, excuſari poteſt. In promptu enim vnicuique eſt, vt confiteatur Ieſum ore ſuo, non erubeſcens Chriſti crucem, neque ex hac confeſſione, verbera, aut mortem ſibi timens; quam paratus ſit obire, quoties illi occaſio aduenerit, ſicuti tot millia martyrum, ob Chriſti fidem occubuerunt. Id igitur requiritur ad ſalutem, iuxta illud Euangelij: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram patre meo, qui in cœlis eſt.* Math.10. Vnde etiam apud Ioannem incuſauit Dominus principes Iudæorum; quoniam, cum multi credidiſſent in eum, attamen propter Phariſæos non Ioan.12. confitebantur Chriſtum; ne e Synagoga eijcerentur. At ſi (quod iam dictum eſt) requiritur a vero Chriſti fidele, ſi ſaluus eſſe velit, vt confiteatur Ieſum Redemptorem abſq; vlla cuiusvis periculi formidine; & non poteſt homo maiorem charitatem oſtendere, quàm, vt ponat animam ſuam pro Chri-

ſto; certe, qui hac eximia charitate erga Chriſtum affectus erit; etiam quæcunque alia, quæ minora ſunt, curabit præſtare; nempe, vt proximum, iuxta Dei preceptum, amet, & adiuuet; nedum ipſum lædere animo verſet, nedum Chriſtum ioiuria afficere a ſuis mandatis turpiter diſcedendo. Et. (vt [Orig. lib. 8. in cap. 10.] inquit Origenes) *non penſandum, quòd cui deſint boni operis priuilegia, etiam ſi virtutibus operam non dederit, hoc ipſo tamen, quòd credidit, non pereat, ſed ſaluetur; ſed qui vero, & non falſo corde confitetur Dominum Ieſum, & corde credit, etiam confiteri habet, quòd ſe ſubijciat dominatui ſapientiæ, veritatis, & omnibus, quæ Chriſtus eſt, & vitæ renouatione fateatur, Chriſtum ſibi reſurrexiſſe, & non amplius ſeruiat mammonæ, auaritiæ, neque iniuſtitiæ, neque impudicitiæ, aut mendacio; non enim prodeſt homini Chriſtum reſurrexiſſe, niſi in ipſo non habeat ſuſcitatum cum nouitate vitæ.* [Aug. in Io. tract. 26.] Auguſtinus autem in tract. Euang. Ioan. animaduertit, quòd nolens quiſpiam non poteſt credere; ſicuti nolens poteſt intrare eccleſiam; non enim corpore creditur, ſed ex radice cordis ſurgit confeſſio. Idem inquit. *Si quis confiteatur, quod non credat, non proprie confeſſus debet vocari; nam confiteri, eſt dicere, quod habet in corde, quòd ſi aliud in corde, aliud in ore, iam non confeſſio.* [Aug. in lib. cont. mend. cap. 2.] Idem in lib. contra mendacium, aſſerit, quòd non licet corde tenere fidem, & illam negare ore: nam qui ſic erubeſcit, erubeſcet illum Chriſtus. Et probat idem ex Petro Apoſtolo, qui plorauit amare ſuum peccatum, quod ore commiſit aliud credendo. [Pſalm. 14.] Quod autem dicitur in Pſalm. 14. *Qui loquitur veritatem in corde ſuo.* Auguſtious animaduertit, non ſic intelligi debere, quaſi, retenta veritate in corde, loquendum ſit ore mendacium; ſed hunc in modum, quòd poteſt aliquis loqui veritatem ore, quæ nihil illi proderit, ſi eam in corde non teneat. Vnde ſubiungitur in eodem Pſal. *Qui non agit dolum in lingua ſua.* [Chryſoſt. homil. 19. in Mat. c. 7.] Vnde Chryſoſtomus in Matth. ait: *Credulitatis ſermo, & ad confeſſionem reſpicit, & ad actum. Qui ergo ſic confitetur Chriſtum, ſicut ipſe docuit, ille credit Chriſto; qui autem non ſic confitetur, quomodo docuit, ille non credit; & ſi non conuerſatur, quomodo mandauit, ille non credit Chriſto. Credere enim Chriſto, obedire eſt Chriſto. Qui autem non confitetur, aut non conuerſatur ſecundum verbum eius, ille nec obaudit Chriſto, nec credit.*

D *Quàm pulchri pedes euangelizantium pacem?* Ad Chriſti Apoſtolos hoc pertinet vaticinium. Nã per Chriſti aduentum, & mortis ſuę conſummationem, humano generi, quod prius erat ſeiunctum a Dei amicitia, pax eſt acquiſita; quam acclamarunt Angeli in Chriſti Natiuitate; ac poſtea, vt completam poſt Chriſti reſurrectionem. Apoſtoli publicarunt: quorum ſpecioſi pedes celebrantur a Propheta; vt, qui pulchrum curſum, huius immenſæ pacis nuncij exiſtentes, per totum orbem fecerint. Addit [Theodor.] Theodoretus, quòd pulchri pedes Apoſtolorum, vt qui manibus Domini fuerint abluti.

E *Quis credidit auditui noſtro?* Vt animaduertit [Origen.] Origenes, in ſcripturis hic tropus orationis pro raritate ſumitur; prout, *quis ſapiens, & intelliget hæc?* [Pſalm. 106.] [Pſalm. 23.] Et illud: *quis aſcendet in montem Domini?* Generalis igitur eſt auctoritas, quòd pauci credunt, & obediũt Euangelio. Per *auditum* autem, vel ſermo intelligitur, qui prædicatus ab alijs auditur; vel id, quod Propheta audierit a Deo per reuelationem ſibi factam in anima; nam & id auditum dici poteſt; vnde Dauid: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* [Pſalm. 84.] Et Chriſtus Diſcipulis ſuis. *Quæcunque audiui a patre meo, nota feci vobis.* [Ioan. 15.] Et Apoſtolus Paulus: *Audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* [2. Cor. 12.] Ex quibus auctoritatibus patet, quòd quæcunque intellectui humano a Deo reuelantur, & ſi abſque tinnitu vocis fiat reuelatio; attamen audita dici poſſunt, vt quæ ſint percepta ex Dei manifeſtatione. Propheta autem dixit: *Auditui noſtro, quis credidit?* Complectens non ſe ipſum ſolum, verũ etiam alios prophetas veteris teſtamenti; nec non & Apoſtolos; per quos omnes, Chriſti Euangelium eſt prędicatũ, licet pauci obediant Euangelio. [Ambr. c. 28.] Ambroſius interpretatur, quòd Propheta per *auditum* intelligit, quę audiuit a Deo, & alijs ipſe loquitur.

F. *Ergo fides ex auditu.* Certe, niſi vel interna, vel externa reuelatione proponatur, quid nam ſit credendum, nequaquam in anima hominis fides ingenerabitur; quę tamen, nõ ex hoc ſolum gignitur, quòd audiantur, quæ proponuntur credenda (ſiquidem plurimi eadem audientes non credunt) verum etiam oportet, vt homo ijs, quæ audierit, præſtet aſſenſum; quem, vt pręſtet, datur vnicuique ex dono Dei, excitantis hominis intellectum, ac voluntatem; non cogentis, ſed libere commouentis; quod donum, reliquis omnibus, qui eadem audientes non credunt, Deus impertiret, niſi ipſi, propria duritie obicem ponerent. Igitur ex auditu, vt cauſa efficiente, inſtrumentali, & naturali, qua Deus vtitur, fides ingeneratur in nobis. Sed quid de ſurdis dicendum, quibus ex auditu fides ingenerari nequit? Dicendum, quòd nutibus, & conuerſatione erudiuntur. Sed & hæc propoſitio, quòd fides ſit ex auditu, eſt vniuerſalis in genere ad populos, non ad ſingulos quoſque homines.

G *Auditus autem per verbum Chriſti.* In Cod. Gręco legitur, *Dei*, loco Chriſti: Ac ſi dicat Apoſtolus, pro fide exercenda in animis hominum, requiritur auditus, qui ſit iuxta verbum Dei, & iuxta reuelationem a Deo factam; vt prædicatio ſit ſincera, & nõ ſecundum doctrinam erroneam, & alienam. Vel auditus eſt per verbum Chriſti, vt Chriſti myſterium propaletur, per quem nobis ſalus comparata eſt; & ſimul manifeſtetur, quid nam ex parte hominis requiratur pro hac tanta ſalute conſequenda. Vnde ſcribens Apoſtolus Corinthijs, dicebat: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum:* [1. Cor. 1.] & ſupra: *hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus, quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, &c.* [Rom. 10.]

H *Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Hæc ex Pſal. 18. deſumpta ſunt; quę Paulus accommodauit prædicationi Apoſtolorum. Auguſtinus autem (vt patet ex epiſtola ad Heſych. Epiſcopum, cenſuit) tempore Apoſtolorum nõ fuiſſe completam hanc vniuerſalem Euangelij prędicationem: quando, vt inquit [Auguſt. ad Heyſich. epiſc. epiſt. 80.]

ipſe,

ipſe, temporibus ſuis aderant Gentes, quę nondum acceperant fidem. Et huic opiniani videtur fauere *Matth. 24.* dictū illud in Euangelio: *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gētibus; & tunc veniet conſummatio.* Vnde ipſe interpretatur, hoc dictū extendi ad oēs Prędicatores, qui ſunt futuri in eccleſia vſq; ad finem mundi: prout & *Matth. 28.* illa promiſſio Dñi: *& ecce vobis cum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi;* non ad ſolos Apoſtolos, verum etiam ad omnes alios fideles in eccleſia Dei facta eſt. Quin & a Propheta enunciata ſunt hæc; *in omnem terram exiuit, &c.* tãquam iam confecta, licet eſſent futura. Quare & Paulus, hoc eodem ſenſu potuit hęc eadem proferre, vt futura. *Chryſoſt. homil. 76. in Matth.* Chryſoſtomus autem explicans locum adductum Euangelij ex Matth. cenſuit, tempore Apoſtolorum, prędicationem euãgelicam fuiſſe per totum orbem dinulgatam; cuius ſentetiæ fauent quamplurimum *Marc. 16.* ea, quę ſcripta ſunt in Euangelio apud Marcum; dum Dominus aſcenſurus ad cęlos, dixit Diſcipulis ſuis: *Euntes in vniuerſum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et paulo poſt ſubiungit Euangeliſta: *Illi autē profecti abierunt prædicantes vbique.* Nec non etiam partitio orbis facta inter Apoſtolos, *Euſeb. lib. 3. cap. 1. Idem lib. 2. cap. 3.* vt habetur in hiſtoria Eccleſ. ſuadere nos poteſt, quòd Apoſtoli, diuino præſertim auxilio ſuffulti, cum eſſent pręcones Euangelij, orbem vniuerſum habitatum, ac notum temporibus illis, peragrarint; ita, vt in omnem terram exierit ſonus eorum; vt, ſi non in ſingulam quamq; ciuitatem, & in ſingulū quodq; caſtellum eorum prædicatio fuerit audita; at ſaltem ſonus, & fama huius prędicationis ad omnem terram peruenerit; vt facta prædicatio in vno loco, per loca vicinia diffamaretur, & per alios edoctos ab Apoſtolis in regiones omnes extenderetur. Cum autem dicitur; *& in fines orbis terræ verba eorum.* Ex ijs inſinuatur, ꝙ Apoſtoli ad vltimos vſq; terminos orbis peruenerint, nullam quantumuis longinquam orbis partem relinquentes abſq; auditu, & fama ſuorum verborum; vt ita in omnes partes terræ fides plantari potuerit. Suſpicari etiam poſſumus, ꝙ apud aliquas Gentes, fides prius recepta, poſtea interierit, ac longo temporis interuallo fuerit iterum ab ipſis recepta, tãquam ſi numquam antea eam ſuſceperint. Sed quid de Gentibus, quę nouiſſimis temporibus ſunt manifeſtatæ, cum antiquis ignotæ eſſent, quę ſine Chriſti fide inuentę ſunt ab ijs, qui ad illas acceſſerunt? Id (vt arcanum) Dei prouidentiæ relinquendum eſt. Sed illud etiam dici poſſet, ab Apoſtolis, teſtibus pręordinatis a Deo, emanaſſe prædicationem, & diffamationem Euangelij futuram per vniuerſum mundum; quoniam, ex illorum prædicatione, & doctrina, omnes alij fuerint inſtructi; & ita hac ratione ipſorum verba, & ſonum in vniuerſum orbem perueniſſe dici poſſet; etiam ſi adhuc relinquerentur Gentes, quibus nondum eſſet prædicatum Euangelium; vt ita etiam ſit dicendum, poſtremam, quæ futura eſt in mundo, prædicationem, ex ſono, & verbis Apoſtolorum pendituram.

I *Sed dico numquid?* Digreſſionem habitam de fidei prædicatione applicat Apoſtolus ad inceptam diſputationem reprobationis Iudæorum; quã etiam innuit tribus ex locis ſanctæ ſcripturæ. Primo ex *Deut. 32.* Deut. *ego ad emulationem vos adducam in non gentem &c.* Deinde ex Eſa. *Inuentus ſum a non quærentibus me.* *Eſa. 65.* Item ex eodem. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, ſed contradicentem mihi.* Clare autem patet, quòd Moyſi prædictio eſt verificata; cum iam pridem Iudæi cognoſcere potuerint, vti etiam nunc conſpiciunt, Gentes, quæ longe aberant a Deo, multis diuinis fauoribus, & beneficijs cumulatas eſſe; ipſos autem in dies reddi deſpectiores; vt ex hoc acerrimo zelotipiæ ſtimulo, iam ipſis denunciato per Moyſem, debuerint reſipiſcere, & ad fidem Chriſti conuerti; quod tandem, poſtremis tēporibus, illis eueniet ex hoc zelotipiæ ſtimulo: qui quidem in animus humanis tãtam vim obtinet, vt infans (quemadmodum doctiſſime hoc loco adnotauit Chryſoſtomus) qui ex matris bra- *Chryſoſt. hom. 18.* chijs iracundus aufugerit, ac contentioſe renuat ad illam redire; ſi alium paruulum in matris complexum viderit, illico ad ipſam recurrat. Et ſi Deus inuentus eſt a non quærentibus ſe, & apparuit ijs, qui ipſum non interrogabant, quales erant Gentiles: quanto igitur magis cognoſci potuit a Iudæis, ad quos ita appropinquauit ſuis ſermonibus, & ſignis mirabilibus? ad quos & primo Chriſtus miſſus eſt? quibus & prædicauit, ac tanta apud eos ſigna, atque prodigia fecit? Et Deus non ne extendit manum ſuam perpetuo ad hunc populum, poſtquam eum in electum ſibi aſciuit, vſque ad reiectionem Euangelij factam ab ipſis? At ipſe ſemper duræ ceruicis populus, non credidit, ſed contradixit Deo. Chriſtus quidem apud ipſos natus eſt ex ipſorum ſemine; illos edocebat ſua prædicatione: de peccatis arguebat: ad pœnitentiam hortabatur: exemplo ſanctitatis inuitabat: beneficijs alliciebat; cum ipſorum curaret infirmos; mortuos ſuſcitaret; innumerabilibusque ſignis potentiam, ac diuinitatem ſuã manifeſtaret: & nihilominus tamen, cum tanta fecerit apud eos, vt dicitur in Euangelio, non crediderunt *Ioan. 12.* in eum, propter duritiem ipſorum, & animi peruerſitatem. Ex quibus omnibus apparet, Iudæos ob ipſorum culpam reprobatos fuiſſe; vt qui, cum potuerint cõſpicere veritatem; nihilominus tamen ex proprijs cupiditatibus ad flagitia procumbentes, in infidelitate obſtinati permanſerunt. Ex quo colligi poteſt, peccatum infidelitatis in voluntate noſtra conſiſtere: Niſi enim aliquo affectu dimoueamur, veritatem ab intellectu cognitam, proprio aſſenſu ſequimur. Ducimur autem ad Chriſti fidem, tum ob timorem pœnæ; tum ob præmij dulcedinē; tum ob ipſius bonitatis diuinæ excellentiam, qua accenſi in ipſum toto corde trahimur; vt omnino (non ſine voluntatis munere, quod eſt appetere) in Deum, ac Chriſtū credamus, a quo ſummam beatitudinem expectamus. Et quicunque deficiunt a fide, vt Apoſtatę, vel eam ſuſcipere nolunt, vt Pagani, id eis contingit; quoniam proprijs cupiditatibus addicti manent; quas, dum explere volunt, non abnegantes prauam voluntatem, hinc fit, vt Chriſti fidem, quæ prohibet illicita, & carnalia, illi deſerãt, hi autem non admittant.

PARAPHRASIS. Cap. XI.

DIco ergo; numquid Deus repulit populum ſuum Iſraeliticum, ita vt illum omnino a ſe abiecerit? Abſit: nam & ego, qui Iſraelita ſum, ortum habens ex ſemine Abrahæ de tribu Beniamin, repulſus eſſem. Non repulit Deus populum ſuum, quem vere ſuum præſciuit. An neſcitis in Helia, quid dicit ſcriptura? Quomodo hic interpellat Deũ aduerſus Iſrael, criminãs vniuerſum populum? Domine prophetas tuos occiderunt; & altaria tua ſuffoderunt; & ego relictus ſum ſolus; & quærunt animam meam. At; quod datum eſt illi diuinum reſponſum? non ne hoc ipſum, quo ſignificatum eſt, non omnes ex populo, Heliæ accuſationi eſſe obnoxios? Reliqui (inquit dominus) mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Sic ergo, & in hoc tempore, quo per prædicationem Apoſtolorum, multi ex Iudæis cõuerſi ſunt ad fidem Chriſti. Illi, qui pertinent ad reliquias, quas ſibi Deus ſeruauit ſecundum electionem gratiæ Dei, ſalui facti ſunt. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non eſſet gratia; cum hæc inuicem aduerſentur; ita quidem, vt, quod gratia acquiritur, id operi nequaquam ſit tribuendum: ſicuti neque gratiæ adſcribendum, quod operi debetur. Quid ergo volumus innuere? An, quod quærebat Iſrael, iuſtitiam proprijs viribus ſibi comparare ſtudens, non eſt conſequutus? electi autem a Deo, eam ſunt conſequuti? reliqui vero obcæcati ſunt? ſicut ſcriptũ eſt apud Eſaiam. Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, quo, inuidiæ mœrore, tanquam clauo amxi, manent oculos, vt non videant, & aures, vt nõ audiant vſque ad hodiernum diem. Et Dauid in hanc eandem ſententiam dicit. Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionem illis: obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua. Dico ergo; numquid Iudęi ſic offenderunt, vt caderent, tanquam ex decreto Dei, non amplius reſtituendi? prout adducta ſcripturæ loca teſtari videntur? Abſit: ſed, ex illorum delicto, Deus ſalutem operatus eſt Gẽtium; vt mox, ex Gentium conuerſione, Iudęi ad ęmulationem, & per hanc, ad ſalutem excitentur. Quòd ſi delictum Iudæorum, occaſio fuit, vt mundus, penes alias omnes nationes, floreret diuitijs gratiæ diuinę; & eorũ imminutio ceſſit in diuitias Gentium, quæ per prędicationem Euangelij ad ſalutem peruenerunt: Quanto magis ipſorum plenitudo, quæ mundo accedat, in diuitias ſalutis vniuerſi generis humani redondabit? Ego quidem id tanti facio; vt vobis Gentibus id denunciem: quòd (in quantum Apoſtolus ſum Gentium) in hoc meo munere Euangelizandi, miniſterium meum honorificabo; ſi quomodo contingat mihi, vt ad ęmulationẽ prouocem carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex illis. Etenim, ſi ex reiectione, & amiſſione Iudæorum, ſubſecuta eſt mundi reconciliatio quo ad alias Gentes; quæ tandem, ac quanta eorumdem Iudæorum in gratiam Dei futura eſt aſſumptio? Vitam certe cenſendum eſt hinc mundo (ac ſi ex mortuis excitaretur) eſſe reddendam. Et ſi primitiæ (veluti Abraham cum alijs patribus) ſunt ſanctę, vtique & ſanctus eſt aceruus, & maſſa, quę ex illis eſt deducta. Et ſi radix huius nationis ſancta extitit, certe & rami ex ea pullulantes ſancti ſunt cenſendi. Quòd ſi ex ramis aliqui ex hac ſancta radice prouenientes, defracti ſunt; non propterea tu Gentilis, cum prius oleaſter fores, ab illo bono arbore ſeparatus, & poſtea in locũ ramorum fractorum inſertus es, & ſocius effectus radicis, & illius pinguedinis, quę a Dei gratia in oliuam influxit; iam non debes aduerſus ramos ſanctę radicis gloriari. Alioquin, ſi illis inſultaueris, ſcito, quòd tu radicem non ſuſtines; ſed ab illa tu ipſe ſuſtentaris; vti & ab illa pendes. At inquies, tu Gentilis hoc in loco: fracti ſunt igitur rami, vt ego infererer? Probe id dixeris; cum inde te Deus ad ſalutem prouocarit. Verum conſidera, quo nam modo hęc ſint geſta. Illi quidem propter infidelitatem fracti ſunt; tu autem fide ſtas, ſine qua non conſiſteres. Nam ſi Deus ramis naturalibus, qui deriuarunt ab illis ſanctis patribus, quos elegerat ſibi in populum acceptum, non pepercit, cum offenderunt; maximopere timendum eſt tibi o Gentilis, ne forte, ſi de fide cadas, atque labaris, te impunitum relinquat Deus. Itaque, attẽte ſpectanda eſt tibi, & Dei bonitas, & ſeueritas. Seueritas in eos, qui ceciderunt: in te autem bonitas, qui in gratiam aſſumptus es; ſi tamen Dei bonitati adhęſeris, ipſi obtemperando: alioquin, pro bonitate, experieris & tu ſeueritatem. Quia & illi defracti rami, ſi ab infidelitate receſſerint, rurſus in radicem, ex qua prodierunt, inſerentur: potens eſt enim Deus inſerere illos. Nam ſi & tu ex naturali exciſus es oleaſtro; cui adnatus eras; & pręter naturam inſertus es in bonam oliuam: quanto magis illi, qui, ex origine ad hanc bonam pertinent oliuam, in eandem ſibi connaturalem inſerentur? Etenim nolo vos fratres ignorare hoc myſterium, ac magnum arcanum; vt hinc diſcatis, non alta ſapere, neque vobis aſſumere, quòd in gratiam Dei vos Gentiles perueneritis; Iudęos autem ex eadem excluſos conſpiciatis. Illud hoc ipſum eſt. Aliquos de Iſrael cęcitate fuiſſe perculſos, ipſorum certe reatu; atque ita fore, donec numerus Gentilium, qui ſalutem ſunt accepturi, compleatur. Mox vero, quæ reliquiæ aderunt Gentis Iſraeliticæ, omnes ſaluæ fient, vt ſcriptũ eſt apud Eſaiam. Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem Iacob; & hoc a me illis teſtamentum, & pactum, cum abſtulero peccata eorum. Nunc quidem (quantum attinet ad Euangelium, quod modo a ſe reiecerunt Iudæi) ex hoc inimici ſunt Dei; idque propter vos, in veſtram ſcilicet vtilitatem; quatenus ad vos Gentes, Deus tranſtulit Euangelium, a Iudęis reiectum; vt ei credentes ſalutem conſequeremini. Secundum autem electionem eorum, qui ſuſcipient fidei vocationem, ſunt ſibi cariſſimi, propter patres, qui Deo fideles ſe præſtiterunt; quorum cauſa, ſalus filiorum, quàm maxime accepta ſibi ſemper eſt futura. Etenim, quæ dona largitur, aut promittit Deus, carent pœnitudine; ac ſimiliter eius

vocatio, qua attrahit homines ad dona percipiēda: vt nequaquam Deus de ſuo propoſito deducatur, quin velit ſaluos fieri, quicūque ſuis adhæſerint vocationibus: Ac propterea ſemper, ex ſua bonitate, ad largienda dona ſua eſt paratus omnibus illis, qui illum quærunt. Etenim, ſicut aliquando, & vos non credidiſtis Deo; nunc autem miſericordiam conſequuti eſtis, fidem ſuſcipiendo; idque propter infidelitatem Iudæorum; nempe, dum ipſi Deo rebelles, atque increduli effecti, reiecti ſunt, & vos in eorum locum introducti eſtis. Ita & hi, quo tempore vos miſericordiam conſecuti eſtis, increduli deprehendūtur; vt hinc Deus, ex veſtra ęmulatione illos prouocans, in ipſos ſuam exerceat miſericordiam; qua egent quicunque ab ipſo receſſerunt. Concluſit enim, & deprehendit Deus omnes in incredulitate, vt omnium miſereatur: vt iure ita exclamare nos deceat. O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm imperſcrutabilia ſunt iudicia eius? quibus hos punit, illos donat muneribus? hos reſpuit, & alios vocat, & gratos ſibi reddit? & quàm inuestigabiles viæ eius? quibus progreditur in omnibus ſuis operibus: ſed in hoc præcipue, quòd, ſeruata libera hominis volūtate ad arbitrium ſuum operantis; attamen omnia, quæcunque ſibi ſunt placita, ſuauiter operetur? & aliquorum malitiam in aliorum vertat ſalutem? Ac iure quidem imperſcrutabilia iudicia Dei, & inuestigabiles viæ eius. Quandoquidem eius mentem notam eſſe oporteret ei, qui ad profunda arcana ſua penetrare vellet. Sed quis vnquam ſciuit mentem Dei? Aut quis eius conſiliarius fuit? Aut vero quis illi aliquid prius contulit? ex quo retributionem ab ipſo expectandam præſumat? Non ne ipſe rerum bonarum omnium eſt auctor, atque dator? quoniam ſcilicet ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia; ipſi honor, & gloria in ſecula ſeculorum amen.

Editio vulgata.

DICO Ergo: Numquid Deus repulit populum ſuum? Abſit: Nam, & ego Iſraelita ſum, ex ſemine Abraham, de tribu Beniamin. Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit. An neſcitis in Helia quid dicit ſcriptura: quemadmodum interpellat Deum aduerſum Iſrael? Domine Prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt, & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi diuinū reſponſum? Reliqui mihi ſeptem millia virorū, qui non curuauerunt genua ante Baal. Sic ergo, & in hoc tempore, reliquiæ ſecūdum electionem gratiæ, ſaluæ factæ ſunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non eſt gratia. Quid ergo? Quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus? electio autem conſecuta eſt? cęteri vero excęcati ſunt? ſicut ſcriptum eſt: Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis: oculos, vt non videant, & aures, vt non audiant vſque in hodiernum diem. Et Dauid dicit: Fiat menſa eorum in laqueum, & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionem illis. Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua. Dico ergo, numquid ſic offenderunt vt caderent? Abſit. Sed illorum delicto, ſalus eſt Gentibus, vt illos æmulentur. Quòd ſi delictum illorum diuitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ Gentium: quanto magis plenitudo eorum? Vobis enim dico Gētibus, quandiu quidem ego ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo, ſi quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex illis. Si enim amiſſio eorum, reconciliatio eſt mundi: quæ aſſumptio, niſi vita ex mortuis? Quòd ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa: & ſi radix ſancta, & rami. Quòd ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cum oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduerſus ramos. Quòd ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te. Dicis ergo: Fracti ſunt rami, vt ego inſerar. Bene: propter incredulitatem fracti ſunt: tu autem fide ſtas: noli altū ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis nō pepercit: ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem, & ſeueritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, ſeueritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate: alioquin, & tu excideris. Sed & illi ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur: potens eſt enim Deus iterum inſerere illos. Nam ſi tu ex naturali excisus es oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonam oliuam, quanto magis ij, qui ſecundum naturam, inſerentur ſuæ oliuæ? Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc (vt non ſitis vobis ipſis ſapientes) quia cęcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo Gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem a Iacob. Et hoc illis a me teſtamentum: cum abſtulero peccata eorum. Secundum Euangelium quidem, inimici propter vos: ſecundum electionem autem, chariſſimi propter patres. Sine pœnitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei. Sicut enim aliquando, & vos non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter incredulitatem illorum: ita, & iſti nunc non crediderunt in veſtram miſericordiam, vt, & ipſi miſericordiam conſequantur. Concluſit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur. O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſecula. Amen.

ADNOTATIONES.

A *QVAM præſciuit*: Ex adductis ſacræ ſcripturæ auctoritatibus cum clara appareret reprobatio Iudæorum; hinc infert Apoſtolus; numquid repulit Deus populum ſuum, quem ſibi acceptum delegerat? Abſit hoc, inquit; neque reſpondet abſolute, quòd non repulerit. Sed ait, quòd non repulit plebem, *quam præſciuit*: Quod interpretās Chryſoſtomus inquit: Non repulit Deus plebem, quam antea clare cognouerat aptam, & fidem recepturam. Theodoretus autem ſic: *eos non repulit, qui ſunt digni Dei cognitione, qui ſplendorem fidei ſuſceperunt*. Auguſtinus vero in lib. de bono perſeu. hanc vocem, *præſciuit*, id eſt, prædeſtinauit, inter-

Chryſoſt. hom. 18. Theodor. Auguſt. de bon. perſeue. c. 18.

interpretatus eſt; corroborans hanc ſuam expoſitionem ex his, quæ ſubiungit Apoſtolus. *Reliqui mihi ſeptem millia virorum;* quod, ſecundum ipſum, eſt idem, ac dicere, elegi; & ita ſecundum gratiæ electionem, quę prædeſtinationem inſinuat, per quam eſt præparatio gratiæ ad vitam ęternam. Atqui, ſi vera eſt interpretatio adducta circa verba cap. oct. *quos præſciuit, hos, & prædeſtinauit, conformes fieri imaginis filij ſui, &c.* dici poſſet, per verbum hoc, *præſciuit,* ſignificari hoc loco ordinem decreti diuini ibi explicati penes illos, qui ſunt futuri ſalui: Quia, quos præſciuit cõformes imagini filij in hac vita; eoſdem prædeſtinauit conformes imagini eiuſdem filij in gloria: & ideo, quos tales pręſciuit Deus ex populo Iudęorum, hos minime repulit.

B *Sic ergo, & in hoc tempore reliquiæ, ſecundum electionẽ gratiæ, ſaluę factæ ſunt.* In gręco cod. deſunt hęc duo, *Dei,* & *ſaluæ:* vt ita legatur: *reliquiæ ſecundum electionem gratiæ factæ ſunt:* Qua lectione ſuppoſita, verborum hic eſſet ſenſus: quòd in hoc tempore poſt Chriſti conſummationem, reliquiæ, id eſt, qui pertinent ad reliquias, quæ ſaluę ſunt futuræ ex populo Iudæorum, facti ſunt ſecundũ electionem gratiæ; id eſt, ad electionem gratiæ peruenerunt, qua Deus hos ab alijs ſelegit; vnde ad ſalutem quoque peruenerunt. Et ideo interpres reſpiciens ad hunc ſenſum, legit: *reliquiæ ſecundum electionem gratiæ Dei, ſaluæ factæ ſunt.* Et cum reliquię nominantur, pauci denotantur, prę vniuerſo populo Iudęorum; qui conuerſi ſunt per prędicationem Apoſtolorum ad Chriſti fidem.

Chryſoſt. hom. 18.

C *Si autem gratia.* Dubitat Chryſoſtomus: ſi ex gratia ſalus, cur non omnes ſaluantur? Et reſpondet; quia aliqui nolunt. Nam gratia, licet ſit gratuita, ſolos tamen volentes ſaluat; non eos, qui nolunt, qui contradicunt, & aduerſantur.

Auguſt. de præde. ſan. c. 6.

D *Electio autem conſequuta eſt; cęteri vero excęcati ſunt.* De his verbis Auguſtinus in lib. de prędeſt. ſanc. ſic ait: *ecce miſericordiam, & iudicium: miſericordia, quæ conſequuta eſt in iuſtitia Dei; iudicium in cæteris obcæcatis: & tamen illi, quia voluerunt, crediderunt; illi, quia noluerunt non crediderunt: miſericordia igitur, & iudicium in ipſis voluntatibus facta ſunt.* Ex quibus apparet: per electionem, intelligi debere electos e maſſa perditionis; qui ex gratuita gratia Dei vocati, non renuunt; ſed adhęrent vocationi; & ei obſequentes propriũ ſtudium adhibent: vt ſalutem, quam Deus illis procurat, conſequantur. Vnde Chryſoſtomus ponderat hoc verbum, *conſecuta eſt,* poſitum eſſe ad denotandum, quòd electi, & ipſi concurrunt pro finis conſequutione. Inquit enim. *Neque ideo conſequutos eſſe dicit, quòd liberam arbitrij poteſtatem ſublatam velit: Sed vt bonorum magnitudinẽ declaret; & quòd potior quidem pars gratiæ ſit, non tamen totum.* Per illud autem verbum, *excæcati ſunt,* Theodoretus ait, ſignificari, quòd infidelitas cor eorum durius reddidit. Et cum prius dixerit Apoſtolus, quòd *Iſrael non eſt conſequutus, quod quærebat;* intellexit illud, quod ſupra dictum eſt; quòd propriam iuſtitiam ſtatuere profitebatur; & ita iuſtitiam Dei non eſt conſequutus.

Chryſoſt. hom. 19.

Chryſoſt. homil. 19.

E *Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis.* Chryſoſtomus. *Quemadmodum,* inquit, *qui in pietate compungitur, non facile in aliud transfertur; ita quoque, qui in malitia compungitur, ab hac non facile immutatur: Compungi ſiquidem eſt, quaſi incluſo clauo ad aliquid configi, vt non auelli poſſit.* Theodoretus. *Dedit,* inquit, *pro eo quod eſt, tradidit, id eſt, permiſit: & ſpiritum compunctionis appellauit mentem immutabilem. Nam, vt qui habet laudabilem compunctionem, non ſuſcipit conuerſionem ad deterius; ſic ex oppoſito, de mala compunctione.* Vnde dicemus, quod Deus dedit ſpiritum compũctionis Iudæis; vt oculos habentes, non videant, neque cum auribus audiant; quoniam ſcilicet non videant, neq; audiant (quæ vident, & audiunt) ad ipſorum ſalutem. Et hæc eueniunt ipſis, vt dixit Auguſt. in tract. pſal. 68. (iuſto Dei iudicio) in retributionem ſuorum malorum. Vnde ſupponendum eſt, quòd, ſicut Deus ijs, qui ſuæ vocationi obediunt, pręſto eſt cũ omni auxilio, vt de virtute in virtutem procedant, obſecundans eorum bonæ voluntati; ita quoque permittit, vt, qui abnuunt ſuam gratiam, labantur in cæcitatem; & ex malo in malum procumbant, ad quod vltronei feruntur; non auertens Deus ab ipſis prauam voluntatem, in qua conſiſtunt; & conſiſtẽtes in ea, ſemper ad grauiora præcipitantur. Et cum hæc nõ niſi Deo permittente, ſubſiſtant; ideo Deus dicitur dare peccatoribus cæcitatem; quatenus ſinit eos agere mala, quę volunt; nolens naturam humanam ſoluere ab ea libertate, in qua eam condidit. Et, dum ita obſtinate ſe gerunt, non conuertuntur; quod ſi faciunt, id fit eis ex gratia Dei: qui nolens peccatores perire, ſed conuerti ad pœnitentiam, ſuis nũquam deeſt opportunis vocationibus; quas ſi audiunt, poſſunt a cęcitate reuerti ad agnitionem veritatis; opem ſemper Deo ferente homini, qui velit reſipiſcere. Quod autem attinet ad verba illa, *ſicut ſcriptum eſt; dedit illis Deus ſpiritum, &c.* Origenes fatetur ſe neſcire, vbi hæc ſcripta ſunt: ideo cenſet eſſe appoſita ab Apoſtolo, ac ſi oratio ita diſponeretur: *dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, ſicut ſcriptum eſt; oculos, vt non videant, &c.* Vt hæc, *ſicut ſcriptum eſt,* referantur ad hæc; *oculos, vt non videãt, & aures vt non audiant;* poſtrema vero verba, *vſque in hodiernum diem;* ſint propria ipſius Apoſtoli; qui ex ſe dixerit. *Deus dedit illis ſpiritum compunctionis, vſque in hodiernum diem, ſicut ſcriptum eſt apud Eſaiam:* hunc quidem in modum. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, &c.* Quorum ſenſum, & non verba eadem; Apoſtolus attulit.

August. in Pſal. 68

1. Pet. 3.

Orig. lib. 8. c. 11. ad Romanos.

Eſa. 6.

F *Numquid ſic offenderunt, vt caderent?* Adeo quòd (vt inquit Origenes) caſus Iudæorum ſit accipiendus, prout Lucifer cecidit, non amplius ſurrecturus? Abſit hoc, inquit Apoſtolus: Quin tanta eſt benignitas Dei, qui vellet omnes homines ſaluos fieri, vt ex caſu Iudęorum, ſalutem Gentibus procurarit; dum, neglecto ab Hebræis Euãgelio, Apoſtoli ad Gentes conuerſi ſunt, prout dicitur in Act. Apoſt. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicaſtis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad Gentes.* Deinde vero ex Gentium conuerſione prouidebit Deus, vt

Orig. lib. 8. c. 11. ad Roman.

Act. 13.

per

per ipſarum ęmulationem, Iudæi conuertantur, extimulati inuidentia quadam,& zelotipia; quum viderint, quod ipſis erat promiſſum, in Gentes eſſe translatum.

Theodor. G *Diuitiæ ſunt mundi*. Theodoretus inquit. *Si cum plures non crediderunt ex Iudæis, qui crediderunt, diuinę cognitionis diuitias Gentibus attulerunt; ſi omnes credidiſſent, maiora hominibus bona conciliaſſent*. Vnde colligitur, ob caſum Iudæorum, diuitias bonitatis diuinæ mundo aduenille in Gentiũ conuerſione: quoniam ad ipſos euangelicæ doctrinæ pręcones ex Iudæis acceſſerunt. Ex Iudæorum autem conuerſione ad Chriſti fidem, fiet, vt tanto magis Gentes ad ipſam excitentur; dum conſpiciẽt Iudæos, olim tam rebelles, atque aduerſarios fidei; omnes (quotquot reliqui erunt) illam amplexari; vnde maiores diuitiæ bonitatis diuinę, in mundo, in ſalutem Gentium tunc profundentur. Notat

Theodor. autem Theodoretus, ex his Apoſtolum duo moliri; & vt faſtum detrahat Gentibus; & vt Iudæos ad paternæ hæreditatis ſanctitatem conuertat. Ex quo colligitur, epiſtolam pro vniuerſi generis humani beneficio eſſe conſcriptam.

H *Quàm diu quidem ego ſum Gentium Apoſtolus*.

Orig. lib 8. c. 11. ad Roman. Matth. 28. Origenes animaduertit; quòd ſicuti, dum Chriſtus dixit. *Vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi*; illud, *vſque*, pro ſemper dictum eſt; ita Apoſtolus, quàm diu erit Apoſtolus Gentium, ad hunc ſenſum dixit, vt qui ſemper erat futurus Apoſtolus Gentium, dum viueret; & hoc ex impoſito ſibi munere. Neque tamen ipſi prohibitum erat, quin etiã Iudæis pręđicaret, licet non teneretur. Et cum dicat, honorandum ſe ſuum miniſterium, ſi aliquos ex fratribus ſuis conuertat; hinc documẽtum datur Chriſtianis; vt dent operam pro conuertendis Hebręis; per quos, Gentes (vt dictum eſt antea) beneficium redemptionis acceperunt.

Orig. lib. 8. c. 11. ad Roman. I *Niſi vita ex mortuis*. Origenes inquit, quia tunc erit aſſumptio Iſrael, quãdo iam mortui vitam recipient; quaſi id conuenerit reparationi ipſius Iſraelis; vt, vna cum ipſa, fiat reſurrectio mortuorũ.

Theophyl. Ambr. c. 27. Theophylactus inquit; per hęc verba, *niſi vita ex mortuis*; infinita prope bona ſignificari. Ambroſius. *quæ erit in hac parte, & quanta plenitudo ſalutis, ſi aſſumantur etiam Iudæi ad fidem Chriſti? niſi, vt ex mortuis viuificetur mundus in hominibus?* Poteſt etiã animaduerti, ita dictum eſſe, ad denotandum magnum opus Dei, qui Iudęos mortuos, non ſolum quatriduanos, ſed longiſſimo tempore iacentes in ſepultura peccatorum, excitabit ad vitam ſalutis ęternæ.

K *Infidelitate fracti ſunt*. Ecce propria ipſorum culpa. *Tu autem fide ſtas*. Hinc patet in gratia Dei conſiſtere, qui fidem per dilectionem operantem ſeruat, vt decet: *ſi permanſeris in bonitate*: Dei parata eſt bonitas ad omnes: in hac autem tueri ſe debet quiſque, ne deſit ſibi, auxilium Dei negligendo. *Et ſi illi non permanſerint in infidelitate, inſerentur*. Ecce iterum requiri ex parte hominis non nihil, vt diſcedere habeat ab infidelitate; quod fit, dũ Dei vocationes admittit, & ſuſcipit oblatam gratiam diuinę bonitatis. Ex quibus patet, gratiã Dei non deeſſe illam inuocantibus (ſicuti, nec deſunt ſtimuli excitantes ad inuocandum) & neminem, abſque proprię voluntatis ſtudio, ad ſalutem perduci.

L *Nam ſi & tu ex naturali exciſus es oleaſtro & contra naturam inſertus es in bonam oliuam*. Auguſt. in Pſal. 72. id, *contra naturam*, intelligi ait, quod eſt contra conſuetudinem naturę, quã notitia humana comprehendit. *Eſt, ſiquidem*, inquit, *naturale, vt oleaſter producat ex ſe baccas: vt autem producat oliuã, oportet, vt oliua in ipſum inſeratur. At quòd oleaſter inſeratur in oliuam, & oliuam proferat, eſt contra naturam: ſed non apud Deum, cuius poteſtati omnia ſubduntur. Vnde, cum facit ea, quæ ſunt ſupra naturæ conſuetudinem, mirabilia dicuntur apud homines; nunquam autem contra ſummam naturæ legem a notitia remotam, ſiue impiorum, ſiue infirmorum, tam Deus vllo modo facit, quàm contra ſeipſum non facit*. Idem in tract. Pſal. 72. animaduertit, ex hoc dicto de oleaſtro inſerto contra naturam in oliuam, non baccas, ſed oliuam proferente, Apoſtolũ ſignificare voluiſſe Dei omnipotentiam, qua fecit, vt Gentes; quę, erãt oleaſtrum contra naturam, inſererentur in oliuam, & fructum facerent. Ita autem accipiẽdum, Gentes fuiſſe oleaſtrum ex ſua natura; quoniã, in ignorantia Dei exiſtentes, ipſorum culpa, non quod tales fuerint creati; non pertinebant ad genealogiam radicis ſanctę, & oliuę, quę in Abrahã, ob ipſius fidẽ, ſumpſit initium; cum prius, & ipſe degener eſſet a bona natura hominis. A quo deinde poſteri ab ipſo prouenientes, a bonę oliuę arbore procedere ſecundum naturã dicebantur, dummodo fideles ſe pręſtarent, fidei patrum inhęrentes; nam aliter ſe gerẽtes, fracti ſunt, & exciſi rami a bona oliua. Vt ex his pateat, non ex natura creari, ſeu naſci alios bonos, & alios malos; ſed omnes vniformes, ex proprio ſtudio, ac voluntate (vnũquemque) vel in malos, vel in bonos perduci mores: in bonos, qui Dei fidei adhæſerit: in malos, qui infidelem ſe pręſtiterit, ſicut hoc in loco animaduertit Origenes, inquiẽs: *ſicut omnis materia corporalis, cũ ſine dubio vnius naturæ ſit, per accedentes ſibi qualitates, diuerſas ſpecies profert, vel corporũ, vel arborum, vel herbarum; ita, & cum omnium rationabilium vna natura ſit arbitrij ęqualiter libertate donata, vniuſcuiuſque proprij motus ex arbitrij poteſtate prolati, vel ad virtutem, vel ad libidinem, ſubiectam ſibi animam perducentes; vel in bonæ eam, vel in malæ arboris formant ſpeciem; vt, aut bona dicatur arbor, ſi per arbitrij poteſtatem delegerit bona, aut mala dicatur, ſi elegerit mala; & ſic vnuſquiſque, ſecundum propoſita ſui motus, aut bona oliua, ſi iter virtutis incedat; aut (ſi contraria ſectetur) oleaſter nominabitur*. Vnde Dominus in Euangelio, *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum*; vt oſtenderet arborem bonam, vel malam, non naſci, ſed fieri. Hæc ex Origene.

Auguſt. in tract. Pſ. 72.

Auguſt. in Pſal. 72.

Orig. lib. 8. cap. 11. ad Romanos.

Matth. 12.

M *Cæcitas ex parte contigit in Iſrael*. Secundum Ambroſium ad tempus facta eſt excęcatio in Iſrael. At Chryſoſtomus, Theophylactus, & Origenes referunt hoc ad gentẽ Iſraeliticã; quę, ex parte, eſt excęcata. Quòd ſi ex parte, ergo poſſumus dicere, quod ſemper poteſt eſſe ſpes, vt aliqui cõuertantur: nõ enim in omnibus contigit cęcitas, ſed ex parte ipſorum,

Ambroſius.

Origen. Chryſoſt. Theophyl.

N *Secun-*

N *Secundum Euangelium inimici propter vos*. Nam, ex repugnantia facta Euangelio, Iudæi facti ſunt Deo inimici; hinc (præter alia ipſorum delicta) conciliantes maius etiam odium Dei aduerſus ſe ipſos. Sed id, *propter vos*: quoniam hinc Deus, ex Iudæorum contumacia, ſalutem contulit Gentibus; non quaſi hinc exercens inimicitias aduerſus Iudæos; ſed ex eorũ delicto magis proſpiciens Gentibus. *Secundum electionem autem cariſſimi propter patres*. Natio Iudæorum, partim Deo inimica, partim cariſſima: non illi met cariſſimi, & inimici. Sed, qui fuerunt rebelles Euãgelio; hi inimici ſunt Deo; qui vero fuerunt ſecundum electionem, ſuſcipientes gratiam Dei, & ita ſelecti ab alijs perditis, cariſ-

1.Timot.2. ſimi hi ſunt Deo, *propter patres*: vt hinc denotetur, apud Deum, qui vult omnes homines ſaluos fieri, maxime, ac præcipue curæ eſſe; vt gens Hebræorũ ortum trahẽs ab Abraham, Iſaac, & Iacob (qui Deo, ob eximiam eorum fidem cariſſimi fuerunt, quibus que promiſſiones æternæ hæreditatis ſunt factæ) in portum ſalutis perducantur: quod, ſi non fit, ex ipſorum fit obduratione.

O *Sine pœnitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei*. Promiſſiones factæ ſunt patribus a Deo. At, quæ promiſit Deus, ſunt apud ipſum immutabilia, & ſtat alta ſua mente repoſtum, hæc præſtare ijs, qui dignos ſe curabunt, ſuffulti eius auxilio. Qui pariter quos vocat, non vocat, & eligit quaſi de hac vocatione mutandus, cum ſit Deus, qui non mutatur: inuitat ad præmiũ, quod certum erit, dum per nos non ponatur obex eius gratiæ; qua paratus eſt efficere nos beatos: quod exequuturus eſt indubie erga omnes illos Iudæos, qui ſibi non defuerint, iuxta promiſſiones factas patribus.

P *Concluſit enim Deus omnia in incredulitate*. Græci legunt. συνέκλεισε γὰρ ὁ θεὸς τοὺς πάντας: id eſt, *omnes*, non τὰ πάντα, id eſt, *omnia*; prout habet editio vulgata: cui reſpondet & concors eſt illud,

Gal.3. quod habetur in epiſtola ad Gal. vbi dicitur. *Sed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato*: & eſt idem ſenſus. Theodoretus autem verbum illud, *concluſit*,

Orig. pro *conuincit*, interpretatus eſt. Origenes vero animaduertit, non intelligendum, quòd Deus concluſerit omnes in infidelitate, quaſi iniecerit incredulitatis propoſitum: ſed ex propoſito incredulitatis Iudæorum, aditum patefecerit alijs credendi. Sententia autem ad Gal. eſt diuerſa ab hac præſenti, in qua dicitur, quòd *Deus concluſit omnes ſub incredulitate*; Nam ſub peccato (vt dicitur in epiſtola

Rom.5. ad Rom.) ita comprehẽſum eſt totum genus humanum ob delictum primi parentis, vt etiam infans vnius diei comprehendatur ſub Adæ peccato: non autem ſub infidelitate; de qua argui non poteſt, niſi qui ad ætatem peruenerit diſcernẽdi bonum a malo. Ita autem omnes comprehenſi dicuntur in infi-

Oecum. delitate ſecundum Oecumenium; quoniam, in genere, impromiſcue increduli vtriuſque populi, & Hebræorum, & Gentium ſic denotantur, quorum omnium Deus miſereatur, vt neque Iudæus, neque Gentilis gloriari habeat, niſi in Domino.

Orig. lib 8. c.11. ad Ro. Q *O altitudo diuitiarum*. Origenes hanc admirabilem Apoſtoli exclamationem perpendens, inquit, *In tantum eſt apud Deum virtuti locus, vt & malitiæ opus, quamuis illi pernicioſa ſit, de quo procedit, beneficium tamen præſtare diſpenſetur, & agones commouet, cum fuerit ſeparata. Hinc conſiderans Sanctus Apoſtolus tantum diuinæ ſapientiæ opus erga rationabiles creaturas; & bonitatem, ac patientiam, & miſericordiam Dei immenſam perpendens; & interioribus cordis oculis intuens, ſtupore ſimul, ac pauore percuſſus, exclamat, & dicit. O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, &c. Vnde enim* (inquit Origenes) *humanæ mentis ſenſus ita poſſit opinari; vt, ſeruata vnicuique arbitrij libertate, alterius malitiæ opus vertatur alteri ad ſalutem?* Chryſoſtomus autem, cum quo etiã ſentit Oecumenius, ait. Quòd perpendens Apoſtolus ab initio mundi rerum omnium curſum, peruidens neſcio quid; ſed nequaquam complectens imperſcrutabilia iudicia, & ſapientiam Dei immenſam, in hanc altiſſimam exclamationem prorupit; ſtupens, quomodo Deus contraria per contraria curet, vt, ex quorumdam infidelitate, proſpiciat aliorum ſaluti. Vt puta, ſi ita dixerimus: quòd, cum prius Gentes per ea, quæ facta ſunt Deum cognoſcentes, neque ipſum glorificantes, reiectæ ſunt, vt idololatræ; hincque electus fuerit populus Hebræorum ex fideli Abraham propagatus; erga quem ſua conferens beneficia, eum ad ſeſe excolendum alliceret: Ac rurſus ex hoc ipſo populo ad infidelitatem declinante, viam ad Gẽtes reuocandas in ſalutem inuenerit: & ex ſalute Gentium iterum in gratiam ſuam Iudæos ſit reuocaturus, omnia agens iuſte; ac neminem opportuno auxilio deſtituens, omniaque hæc perficiens, ſaluata ſemper libera hominis voluntate.

Chryſoſt. hom.19.

Occum.

O altitudo diuitiarum; Hæc duo, altitudinem, ſcilicet, & diuitias ſimul complexus eſt Apoſtolus; ad denotandam celſitudinem ſapientiæ diuinæ, qua omnia creauit, prouidet, & diſpenſat, *& ſcientiæ*, quam habet de rebus omnibus, vt nil ipſum lateat, quamuis abſconditum in corde hominum. *Quàm ſunt imperſcrutabilia iudicia eius*; vt puta quare hæc agat, & diſpenſet in vno homine; alia in alio; vni quidpiam largiatur; alteri deneget, ac dona varia diuerſis tribuat; ſic puniat aliquos; ſic aliquos glorificet; quæ omnia agit Deus ſumma cum ſapientia, iuxta imperſcrutabilia iudicia ſua; ad quę nemo penetrare poteſt; *& inueſtigabiles viæ eius*; vt dicit Auguſtinus in epiſt. ad Sixt. presbit. *Viæ Domini ſunt miſericordia, & veritas*; hæ igitur ſunt inueſtigabiles. Et in lib. de Cor. & gratia, inquit. Agamus gratias Deo de ijs, quæ nobis reuelari voluit conſiliorum: in alijs ſimus humiles; & putemus omnia nobis ſalutaria conſilia eius. Forte autem dicere poſſemus, hoc nobis notum eſſe ex doctrina Apoſtoli ſuperius tradita; quod, quos Deus præſciuit conformes imagini filij ſui in hac vita; prædeſtinauit etiam conformes imagini eiuſdem in gloria; & quòd hos vocat, iuſtificat, & glorificat. Quibus autem modis Deus procedat in his agendis, aut quas inueniet vias, abyſſus eſt cogitare; vt nulla creatura ad hoc pertingere poſſit. Quin & ininueſtigabiles viæ Dei ſunt etiam apud cœleſtes Angelos: non autẽ ſimpliciter ſunt imperſcrutabilia iudicia Dei;

Auguſt. ad Sixt. epiſt. 105.

Idem de Corn. & gr. c.8.

aut

aut ininueſtigabiles viæ eius. Quia (vt inquit Origenes) omnia aperta ſunt filio, qui in Euangelio dicit: *Pater, mea omnia, tua ſunt*; Ac pariter ſpiritui ſancto; cum dicit Apoſtolus; *quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei*: quod etiam confirmari, ait Origenes, ex his verbis: *quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*. Nam (vt alibi dixit Apoſtolus) vnus Deus Pater, ex quo omnia; & vnus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, per quem omnia; & ſpiritu Dei dixit omnia reuelari; vt in his omnibus deſignet prouidentiam trinitatis. Sic (inquit Origenes) per hoc; *o altitudo diuitiarum*, patrem ſignificat, ex quo omnia dicit eſſe; & per ſapientiæ altitudinem, Chriſtum oſtendit, qui eſt ſapientia patris; & per ſciẽtiæ altitudinem, Spiritum ſanctum denotat, qui etiam alta Dei nouit. Idem Origenes per hoc; *ex ipſo*, inquit ſignificari, quòd ſcimus: *per ipſum*, quòd per eius prouidentiam diſpenſamur in vita: *in ipſo*, per hoc denotari, quòd perfectio omniũ, & finis in ipſo erit; tunc, cum erit Deus omnia in omnibus. Verum poſſet etiam intelligi, *ex ipſo*, quòd ex fonte potentiæ, & voluntatis diuinæ omnia procedant; per quod Deus Pater denotatur: *per ipſum*, quòd per eius ſapientiam omnia facta ſunt; & ita filij perſona ſignificatur: *& in ipſo*, quòd in eius bonitate omnia conſeruentur, & vigeant, & Spiritus ſancti perſona innuitur. Auguſtinus in lib. contra Maxim. ponderans hæc verba, *ex ipſo, per ipſum, & in ipſo*, deducit; quòd ſi hæc ad vnam perſonam referantur, igitur non referuntur hæ præpoſitiones, vna patri, alia filio, alia Spiritui ſancto (vt aſſerũt aduerſarij) communis eſſentię trinitatis. Si autem tota trinitas per hęc intelligitur; ergo cuique perſonæ conuenient prępoſitiones, quæ totę trinitati conueniunt; quod eſt contra ſuppoſitum aduerſariorum. Quod autem attinet ad illa verba: *quis cognouit ſenſum Domini? aut quis eius conſiliarius fuit?* huc tendere videntur, ad ſignificandum, quòd vię domini nobis ſunt in inueſtigabiles, & iudicia eius imperſcrutabilia. Sẽſus autem Domini non ita accipiendus, quaſi Deus ſit pręditus ſenſibus; ſed hac voce innuitur intellectio, ſententia, ſeu conſilium (iuxta noſtrum dicendi modum) quo Deus rebus omnibus proſpicit. Illa vero verba: *aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* pertinent ad denotãdum, quòd ipſe miſeretur omnium ex ſua gratuita miſericordia. Nemo enim (vt inquit Origenes) aliquid *factori ſuo prior contulit: cum etiam hoc ipſum quod eſt, vnuſquiſque a conditore ſuſceperit*. Quòd autem Lutherani hinc deducant, opera noſtra nullius eſſe valoris, clariſſime patet, quàm temere, & extra ſenſum Apoſtoli loquantur; cum ipſe dicat, neminem prius tribuiſſe Deo, vt quid debeat ab ipſo rependi. Quod eſt dicere: nemo prius quicquam contulit Deo, antequam Deus tribuerit, vt ex ſua bonitate homo crearetur, & cõſeruaretur. Accedit, quòd nil tribuitur Deo, quaſi egeat aliquo, cum omnia ſua ſint, & pendeant ab ipſo.

Orig lib. 8. c. 11. ad Ro. — Ioan. 17. — 1. Cor. 2. — Rom. 11. — Aug. contr. Maxim. libro 3. c. 23. — Orig. lib. 8. c. 11. ad Ro. — Aduerſus Lutheranos.

PARAPHRASIS. CAP. XII.

OBSECRO itaque vos, fratres per miſericordias Dei, qui vos tantis beneficijs cumulauit, vt exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Et nolite conformare vos moribus hominum huius ſeculi, qui veteri Adæ peccato ſunt addicti. Sed illud ſtudete, vt vos exhibeatis conformes illi renouationi ſenſus, atque mentis, quam accepiſtis in baptiſmate; vt re ipſa probetis, quæ ſit voluntas Dei, quid bonum, quidve beneplacens, atque perfectum in oculis eius. Etenim per gratiam illam Apoſtolatus, quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, ego denuncio; ne quis ſibi aſſumat ſapere ſupra id, quod decet: Sed hoc potius vnuſquiſque ſtudeat ſapere, vt ſe præbeat in omnibus moderatum, illo gratiæ munere perfungens, quam accepit, & vt accepit in fidei ſuſceptione; ad quam (iuxta Dei placita) vnicuique datur gratiarum diſtributio ad menſuram. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, & omnia membra non eumdem actum habent; ſed ſingula ad diuerſa munera ſunt deſtinata. Ita & nos, & ſi multi; attamen vnum corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem membra, quæ inuicem ſeruientia eſſe debemus. Habentes autem diuerſa dona ſecũdum gratiam, quæ data eſt nobis: ſi prophetiæ donum quis obtineat, id ipſum exequatur ad fidei rationẽ, atque conuenientiam. Qui autem adminiſtrationem in eccleſia ſuſcepit, in ipſa adminiſtranda ſe contineat. Qui munus habet docendi, in doctrina alijs tradenda verſetur. Qui donum alios adhortandi obtinuit, hoc ipſo ſuo officio ſit contentus. Qui tribuit, & diſpenſat bona, id agat in ſimplicitate, abſque vlla mali admiſtione. Qui præeſt alijs, ſuſceptum munus ſolicite curet. Qui miſeretur, opera miſericordiæ præſtet cum hilaritate. Dilectio ſit non ſimulata: odio proſequentes ſitis praua; adhærentes bono, fraterna charitate vos inuicem diligentes: honore vos inuicem præuenientes: ſolicitudine non ſegnes; ſpiritu feruentes; Domino ſeruientes, ſpe gaudentes; in tribulatione patientes; orationi inſtantes; neceſſitatibus ſanctorum communicantes; hoſpitalitatem ſectantes. Benedicite perſequentibus vos: benedicite, & ne maledicatis, aut malum illis imprecetis. Gaudete cum gaudentibus: flete cum flentibus, prout ſtatus, & hominum conditio poſtulat. Secundum Deum, id ipſum inuicem ſentientes, vt concordes, & vnanimes ſitis: non alta ſapientes, ac de vobis præſumentes: ſed humilibus conſentientes, vt & vos tales præbeatis. Nolite eſſe prudentes apud vos metipſos, vt aliena conſilia renuatis. Nemini malum pro malo reddentes; prouidentes bona non ſolum coram Deo, qui videt in abſcondito; ſed etiã coram omnibus hominibus, vt illis luceant opera veſtra bona. Si fieri poteſt (quod ex vobis eſt) cum omnibus pacem habentes: non vos metipſos vlciſcentes chariſſimi: ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim in Eccleſiaſtico: mihi vindictam, & ego retribuam,

dicit

dicit Dominus. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius, quibus accendi poſſet in eo charitas ad te diligendum. Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum.

Editio vulgata.

OBSECRO itaque vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Et nolite conformari huic ſeculo: ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus, qui ſunt inter vos: Non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes, ſecundum gratiam quæ data eſt nobis, differentes: ſiue prophetiam ſecundum rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando, ſiue, qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſolicitudine, qui miſeretur in hilaritate. Dilectio ſine ſimulatione. Odientes malum, adhærentes bono. Charitatem fraternitatis inuicem diligentes, Honore inuicem præuenientes. Solicitudine non pigri. Spiritu feruentes. Domino ſeruientes. Spe gaudentes. In tribulatione patientes. Orationi inſtantes. Neceſſitatibus ſanctorum communicantes. Hoſpitalitatem ſectantes. Benedicite perſequentibus vos; benedicite, & nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Idipſum inuicem ſentientes. Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes. Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos. Nulli malum pro malo reddentes. Prouidentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non voſmetipſos defendentes cariſſimi, ſed date locum iræ, ſcriptum eſt enim: Mihi vindictam: & ego retribuam, dicit Dominus, Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi. hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius. Noli vinci a malo: ſed vince in bono malum.

ADNOTATIONES.

A OBSECRO *itaque vos*, Hoc eſt initium ſecundæ partis principalis huius epiſtolæ, iuxta argumentum antea exaratum: In qua Apoſtolus tractat, quæ agi debẽt ab homine iam iuſtificato, vt teſtatur Theophylactus inquiens, *Poſtquam, ſatis ſermoni dogmatico immoratus eſt; ad moralem pertranſit*: Quod etiam Chryſoſtomus, & Theodoretus, & alij ſentiunt. In hac igitur parte habentur, quæ debent a Chriſtiano obſeruari pro ſanctitate vitæ, & pro bono regimine in congregatione fidelium, & in politia Principum,

Theophyl.
Chryſoſt.
Theodor.

Ex quo (luce clarius) apparet ſupponi ab Apoſtolo, teneri hominem iuſtum incumbere bonis operibus, vt in dies magis iuſtificetur. Quod autem attinet ad ſanctitatem, poſtulat Apoſtolus a Romanis, vt exhibeant propria corpora Deo, hoſtiam viuentem, non mactatam, vti pecudes, & alia animalia in lege veteri immolabantur; ſed viuam, & placentem Deo; corpus immaculatum, & cuſtoditum a peccatis, offerendo illud in cultum Dei, & rationabile obſequium præſtando; quale erit, ſi ſpiritui deſideria carnis ſubdiderint; & facta carnis mortificauerint, vt efficiantur, ſicuti dicit B. Petrus: *ſicut modo geniti infantes rationabiles, & ſine dolo*; ita enim rationalis homo, ſecundum rectam rationem, erit obſequens, & inſeruiens Deo. 1. Pet. 2.

B *Quæ ſit voluntas Dei bona, bene placens, & perfecta*; Græce ita legitur. τί τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, τὸ ἀγαθὸν, καὶ εὐάρεστον, καὶ τέλειον. vt poſſint verba ita etiam conuerti: *quæ ſit voluntas Dei, quid bonum, beneplacens, & perfectum*; quaſi inſinuentur, quę ſint ea, quæ ſunt ſecundum voluntatem Dei; nempe ipſum bonum, beneplacens, & perfectum, Quod diſcrimen lectionis agnouit etiam Origenes, licet adhæreat noſtræ lectioni; inquiens, quòd & ſi Dei voluntas ſit ſemper bona; non tamen bona eius volũtate, & beneplacita, & perfecta meremur ſemper diſpenſari: ſicuti fuit voluntas Dei, ſed non beneplacita, & perfecta, vt Saul in regem vngeretur, & quòd Hebręi hoſtias ſibi immolarent, quod tamen ſimpliciter Deo non placebat; Vnde illud in Pſal, *Sacrificium & oblationem noluiſti, & holocauſtomatum, & pro peccato non poſtulaſti*. Sed & Propheta in perſona Dei dicit. *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis*. Et ita fit aliquando voluntas Dei in his, quæ deſideramus; ſed non in his adimpletur beneplacita, & perfecta Dei voluntas.

Orig lib. 9. c. 13. ad Roman.
Pſal. 39.
Pſal. 80.

C *Sapere ad ſobrietatem*: Vt quiſque in omnibus ſe præbeat moderatum: quoniam (vt inquit Origenes) oportet in omnibus procedere temperate, & ſecundum temperantiam, quæ nouit modum ſeruare.

Orig. lib 9. c. 12. ad Romanos.

D *Sicut Deus diuiſi menſuram fidei*. Non eſt ſermo de dogmatibus fidei, quæ ab vnoquoq; ſunt credenda; ſed de donis, quæ Deus largiebatur vnicuique in ſuſceptione fidei; dum vni donum largiebatur linguarum, alij prophetiam, alij aliud; & ita ad menſuram, vnum vni, & aliud alteri; de quibus donis amplus eſt ſermo in epiſt. ad Corint. Vult igitur Apoſtolus, vt quiſque ſe contineat inter terminos doni proprij, manum non immittens in meſſem alienam: & vt munere ſuo quiſque fungatur cum humilitate, in ędificationem aliorum, vt interpretatur Ambroſius.

1. Cor. 12.
Ambr. c. 31.

E *Siue prophetiam ſecundũ rationem fidei*. Theodoretus prophetiam intelligit, non ſolum eorum quę futura ſunt pręſcientiam; verum etiam eorum, quę occulta ſunt, cognitionem. Sed accipiendo prophetiam proprie, Apoſtolus vult ipſam tractari ſecundum rationem, & proportionem fidei; vt fidei correſpondeat munus prophetadi, vt non ad auguria procedatur, vel circa ea, quæ non pertinẽt

Theodor.

ad

ad fidem, prophetia exerceatur. Nam vt dicitur ad Corinth. *Spiritus prophetarum prophetis* ſubiectus eſt, vt poſſint ſe intra certos terminos cohibere; quando etiam, aliena a prophetia, ex proprio capite commiſcere queant.

F *Qui tribuit, in ſimplicitate*. Vt, non vnum manibus fiat, aliud habeatur in corde; vt puta ſi largi-

Orig. lib. 9. c. 12. ad Ro. Theodor. tio fiat ob vanam gloriam, vt Origenes & Theodoretus interpretantur. Quod quidem eſt aliud ab eo, quod ſubiungitur: *qui miſeretur, in hilaritate*; quoniam in hoc deſcribitur gaudium in erogando, ſicuti Deus hilarem datorem diligit: in alio autem ſupponitur, vt abſit longe hypocriſis in largiendo eleemoſinam.

G *Id ipſum inuicem ſentientes*. id eſt, ſecundum

Orig. lib. 9. c. 12. ad Roman. Theodor. Origenem; vt de fratribus ſentiamus, quod de nobis; & velimus proximo, quod nobis. Illud vero: *nolite eſſe prudentes apud vos ipſos*. Theodoretus ſic: *ne veſtra conſilia, vobis ſufficiant, ſed aliorum conſilia accipite*. Illud autem. *nulli malum pro ma-*

Orig. lib. 9. c. 12. ad Ro. *lo*: Sic Origenes. *Si, inferre malum, peccatum eſt, reddere malum, quoque peccatum erit*. Quin videtur hoc grauius eſſe ſecundum ipſum; quoniam, qui prior contulit malum, non ſenſit eſſe malum, quod fecit: qui autem reddit malum ob vindictam, iam confeſſus eſt, ſe ſenſiſſe malum, quod reddidit.

Orig. lib. 9. cap. 12. ad Roman. H *Carbones ignis congeres*. Origenes inquit, *videns aliquis beneficium, & humanitatem erga ſe ab eo; quem læſerat; ſic compungi, & accendi poteſt eius conſcientia compunctione, vt ipſum pœniteat illatæ iniu-*

Theodor. *riæ*. Theodoretus, *non ſic*, inquit, *obſeruandus eſt inimicus, aut bona illi conferenda, vt maiores pœnas luant apud Deum; non hæc eſt ſententia Apoſtoli*: qui ſubiungit, *noli vinci a malo; ſed vince in bono ma-*

Amb. c. 42. *lum*. Ambroſius & priorem expoſitionem agnouit, & hanc aliam potius approbauit; quòd, vt carbones ignis mortui, ſic animus inimici ſemimortuus reuiuiſceret ex beneficijs ſibi collatis. Hoc præceptum Apoſtoli reſpondet dictis domini. *Di-*

Matt. 5. *ligite inimicos veſtros, benefacite ijs, qui oderint vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos*.

Tho. Aqui. Et ſecundum S. Thomã, tenemur ex præcepto, non excludere inimicum a communi noſtra oratione; & in caſu neceſſitatis, illi ſubuenire. Perfectio autem erit, ſi particulari affectu oremus pro inimico, & ſine neceſſitate illi ſubueniamus. Qui autem petit veniam iniuriæ illatæ, non amplius pro inimico

Eccleſ. 28. habendus eſt: iuxta illud Eccleſ. *Relinque proximo tuo nocẽti te; & tunc deprecãti tibi peccata ſoluentur*.

PARAPHRASIS. CAP. XIII.

OMNIS anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Quandoquidem nõ eſt poteſtas, niſi a Deo illam ſtatuẽte. Quæ autem a Deo ſunt poteſtates, eædem ordinatæ, atque optime inſtitutæ ſunt: ex quo ſequitur, vt, quicunq; poteſtati obſiſtit, Dei ordinationi, atque decretis obſiſtere conuincatur; atque ſibi iudicium damnationis acquirat. Neque enim principes conſtituuntur a Deo, vt formidine pœnæ coerceãt homines ab operibus bonis, ſed a malis. Vis autem non extimeſcere poteſtatem? quod bonum eſt, agito in conſpectu domini. Omnem a te non ſolum expelles timorem; verum etiam laudem hinc conſequeris. Nam Princeps eſt Dei miniſter, conſtitutus ad te excitandum, vt recte viuas. Quòd ſi perperam te geſſeris, ille quidem tibi pertimeſcendus eſt; vt qui non fruſtra, nec ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vt ſit vltor ad iram, quam aduerſum ſe prouocat, qui male agit. Ideo oportet vos ſubijci poteſtatibus, non ſolum propter iram Principum, verum etiam propter conſcientiam, ne peccetis, poteſtate a Deo propoſitas contemnentes. Ideo enim & tributa illis ſoluitis, quoniã Dei ſunt miniſtri, in munus, quod dictum eſt, incumbentes. Reddite ergo omnibus, quod debetis: cui vectigal, vectigal; cui tributum, tributum; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem; nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam illa præcepta, non adulterabis; non occides; non furaberis; non falſum teſtimonium dices; non concupiſces; & ſi quid eſt aliud mandatum in lege, in hoc vno ſermone inſtauratur: diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. Dilectio proximi malum non operatur. Et cum hoc pernoſcatis, temporis inſtantiam, quòd hora eſt, vt iam e ſomno excitemur (propior enim eſt nunc noſtra ſalus, vt redimamur, quàm erat tunc, cum Chriſti fidem ſuſcepimus: nox præceſſit ignorantiæ; dies autem veritatis illuminator appropinquauit) abijciamus ergo opera tenebrarum, ipſa peccata aggrauantia peccatores; & induamur arma lucis, quibus ſecuri reddimur ad vincenda omnia nobis aduerſantia. Et tanquam in die verſantes, & non in tenebris, honeſte ambulemus; non in comeſſationibus, & ebrietatibus; non in cubilibus, & immunditijs; non in contentione, & æmulatione; ſed induimini Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſectando eius veſtigia; & carnis curam ne feceritis, in eius explendis concupiſcentijs.

Editio vulgata.

OMNIS *anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Nõ eſt enim poteſtas niſi a Deo: quæ autem ſunt, a Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt; nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: nõ enim ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt: vindex in iram, ei qui malum agit. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ideo enim & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributũ: cui vectigal, vectigal: cui timorẽ, timorẽ: cui honorẽ, honorẽ. Nemini quicquam debeatis: niſi, vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam: Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falſum teſtimonium dices, Non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mãdatũ: in hoc verbo inſtau-*

ratur, Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Dilectio proximi, malum non operatur. Plenitudo ergo legis eſt dilectio. Et hoc ſcientes tempus, quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Nunc enim proprior eſt noſtra ſalus, quàm cum credidimus. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Abijciamus erga opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honeſte ambulemus: non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione: ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſiderijs.

ADNOTATIONES.

A OMNIS *anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*. Hinc innuitur, quòd non ſolum priuati homines; verum etiam qui in inferiori poteſtate ſunt conſtituti, debent ſubijci poteſtati ſublimiori. Quam poteſtatum diſtinctio-
1. Pet. 2. nem B.Petrus ſignificauit, inquiens; *ſubiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue regi, quaſi præcellenti, ſiue ducibus, tanquam ab eo miſſis.*

B *Non enim eſt poteſtas niſi a Deo*. Hinc colligitur, quòd etiam mala poteſtas, ſeu malus dominator eſt a Deo; non enim eſſet, niſi Deus illum
Ioan. 19. permitteret; iuxta illud apud Ioannem. *Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſ-*
Theodor. *ſet deſuper*. Theodoretus animaduertit, Apoſtolum ſtatuere, quòd magiſtratus gerere, & illis parere, pendet a Dei prouidentia; non autem quòd hic, vel ille ſit magiſtratus, cum iniquorum poteſtas a Dei electione non procedat. *Quæ autem ſunt, a Deo ordinatæ ſunt*. Aduertendum, aliquos ſubpungere, & comam ponere huic verbo *ſunt*; ita legentes, *quæ autem ſunt*, ac poſtea ſubijcientes; *a Deo ordinatæ ſunt*, vt ita interpretentur: quæ poteſtates ſunt, hæ a Deo ſunt ordinatæ. Cui expoſitioni id incommodi ſequi videtur, quòd bis idem continuatis verbis enuncietur ab Apoſtolo. Nam illa ſententia prior: *non enim eſt poteſtas niſi a Deo*, eundem habet ſenſum cũ hac alia: *quæ autem ſunt, a Deo ordinatæ ſunt*. Accedit, quòd in codice græco verba illa αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι, ſuſpenſa ſunt, vt poſtulent aliquid, cui innitantur; ac ſi ita conuertantur: *exiſtentes autem poteſtates a Deo*, vt hic pungatur; ac poſtmodum ſubijciantur hæc alia: *ordinatæ ſunt*; vt ſit ſenſus; quæ poteſtates ſunt a Deo, quas ille conſtituit ad normam, & nutum ſuum; ſunt ordinatæ, recteque procedunt. Et hoc ad differentiam earum poteſtatum inordinatarum, quas ſibi aliqui vſurpant; quæ etiam permittũtur a Deo, at non ſecundum ordinationem diuinam ſunt di-
Oſe. 8. ſpoſitæ. Vnde illud apud Oſeam. *Ipſi regnauerunt, & non ex me principes extiterunt*. Et hęc quidem interpretatio conſentiens eſt ijs, quæ ſubiunguntur; quòd, *qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*: & quòd *Principes ſunt propter vindictam malorum, & in laudem bonorum*: quæ non niſi bene ordinato principatui conueniunt. Quæ etiam attigit B.Petrus loco citato, dum dixit, Reges, atque Duces a Deo miſſos ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Neque vero propterea dicendum, quin etiam diſcolis principibus debeant obedire chriſtiani, quamuis iniuſta patientes; dummodo nil agant contra honorem Dei, vt & Petrus ſtatuit ſeruis; quòd debeant obedire dominis ſuis etiam diſcolis propter Ieſum Chriſtum. Et vt in- 1. Pet. 2.
quit Auguſtinus in ſerm. de Natal. S. Lauren. *Si iuſta* Aug. ſer. de
eſt poteſtas, te benefaciente, laudem habebis ex illa, Nat. S. Lau.
etiam ipſa laudante; ſi iniqua, & mortem patiaris pro iuſtitia; habebis etiam ex illa laudem, non ipſa laudante; ſed ipſa tibi laudis occaſionem præbente.

C *Ideoque neceſſitati ſubditi eſtote*: Græca lectio eſt diuerſa. διὰ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι. hoc eſt, *neceſſe eſt ſubijci*. Interpres autem ſenſum expreſſit; quòd ſubditi ſimus neceſſitati; nempe poteſtati, cui neceſſarium eſt, vt ſubdamur; tum propter iram principum; tum propter conſcientiam, ne peccemus. Et quamuis in priori epiſt. ad Timot. dicatur, quòd 1. Timot. 1.
lex non eſt poſita iuſto; attamen non inferendum, quòd iuſtus dominio principis non debeat eſſe ſubiectus, quin munia obeat ſubditis impoſita; ſoluendo tributum, & vectigal; hoc pro mercatura, illud vero pro agris, vt aduertit Theodoretus. Sic Theodor.
autẽ intelligitur, ꝙ non eſt poſita lex iuſto; quoniam prohibitiones contra mala non imponuntur iuſto, qui non delinquit, ſed ſua electione, & ob amorem Dei viuit iuxta legem Euangelicam: ſed iniuſto; vt timore pœnarum a malefactis coerceatur.

D *Qui enim diligit proximum, legem impleuit*. Auguſtinus in expoſitione epiſt. ad Gal. cauſam aſ- Auguſt. in
fert, cur, ex ſola commemoratione dilectionis pro- epiſt. ad Gal.
ximi, Apoſtolus dicat impleri legem. Nempe; quoniam dilectionem Dei homines poſſunt mentiri; quia rariores tentationes eam probant. In dilectione autem proximi, facilius conuincuntur, eam non habere, dum inique cum hominibus agunt. *Conſequens autem eſt* (vt inquit Auguſtinus) *qui diligit Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, diligat etiam proximum, ſicut ſe ipſum; quoniam hoc mandat ille, quem homo diligit ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente: diligere autem proximum ſicut ſe ipſum, quis poteſt, niſi eum diligat, cuius præcepto, & dono, dilectionem proximi poſſit implere? opportunius autem commemoratur dilectio proximi, quoniam facilius hinc quiſque conuincitur, an diligat.* Aduertendum autem, ab Apoſtolo colligi plenitudinem legis ex dilectione proximi; quoniam, qui diligit proximum, non adulterabit, non occidet, neque offendet omnino, neque concupiſcet; ex quo præcepto ſeruato, nec quicquam impudicum in corpore ſuo patietur; aut in cibi, & potus vſu indecẽs, & immodeſtum quicquam efficiet. Animad-
uertit autem Chryſoſtomus in dicto Apoſtoli, in Chryſoſt.
hoc verbo *inſtauratur*, non dici πληροῦται, id eſt, hom. 23.
impletur, ſed ἀνακεφαλαιοῦται, quo compendium ac breuitatẽ exprimeret: eſt enim totius legis compendium in charitate poſitum.

E *Et hoc ſcientes tempus &c.* Iunguntur hæc verba ex communi interpretatione cum præcedentibus: *& hoc ſcientes*; nempe, quòd dilectione proximi legis fiat adimpletio. Verum & ad ſequentia coniungi poſſe videntur hunc in modum; *& hoc ſcientes*, expoſitiue; tempus ipſum, & opportunitatem

tunitatem temporis: quod etiam magis explicatur per hoc; quòd *eſt hora de ſomno ſurgere*: quoniam nunc propinquius accedimus ad diem ſalutis; cum magis in dies appropinquetur redemptio, quo vlterius progredimur in hoc ſeculo. *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit*. Auguſt. in tract. Pſal. 87. inquit: *in hac luce fidei verſantur Chriſtiani, quæ in comparatione tenebrarum infidelium, dies eſt; ſed in comparatione diei, vbi videbimus facie ad faciem, nox eſt*.

Auguſt. in Pſal. 87.

PARAPHRASIS. CAP. 14.

IMBECILLUM autem, & non roboratum in fide ſuſcipite, ac ſubleuate, ita quidem; vt eius infirmitati potius proſpiciatis humaniter, quàm diſputationum diiudicationibus infirmam eius fidem magis illaqueetis. Id dico, quando inter vos adeſt, qui confidit tuto poſſe ſe veſci omnibus cibis abſque offenſa; & ob id nullius cibi comeſtionem ſibi denegat. Adeſt vero & infirmus, ac imbecillis; qui ſibi ex alijs cibis timens ne labatur ſi eos edat, olere ſe ſe paſcit. Qui igitur omnibus edulijs veſcitur confidenter, is non manducantem ne ſpernat. Et qui non manducat, manducantem ne diiudicet, tanquam peccato eum hinc obnoxium futurum; nam Deus hunc ipſum aſſumpſit, & aſciuit in ſuorum dilectorum numero. Tu quis es, qui alienum ſeruum iudicas? ſtat enim, qui veſcitur omnibus cibis, ſuo proprio domino; vel eidem cadit: ſtatuetur autẽ ne labatur; cum potens ſit Deus ipſum ſtantem tueri, ne cadat. Alius pariter, inter vos, diſcernit diem a die; vt certis quibuſdam diebus præſcribat, ac iudicet ſibi abſtinendum a nonnullis cibis. Alius autem pares omnes iudicat, ac ducit dies. In hoc igitur veſtro diſcrimine, conuenit, vt ita vos regatis, vt vnuſquiſque mẽte ſua conſtitutum, atque exploratum ſibi habeat, in huiuſmodi rebus, quæ ſunt indifferentes, ſicut quiſque ſibi conſulit, ita illud præſtare, quod Deo ſit acceptum: Vt, qui diſcernit diem a die; id Deo, & ad Dei laudem, iuxta ſenſum conſcientiæ propriæ diſcernat. Qui autem non diſcernit, idem ad laudem Dei non diſcernat: Nam vtrumque fieri poteſt. Atque ita, qui veſcitur omnibus edulijs, Domino veſcitur, cum Deo gratias agat. Et qui non veſcitur certis cibis, idem non veſcitur domino, ad eius laudem id referens, & de hac ſua abſtinentia gratias agit Deo. Ad Deum quippe omnia noſtra ſtudia ſunt referenda; cum nemo noſtrum ſibi viuat, aut ſibi moriatur. Sed & dum viuimus, Domino viuimus; & dũ morimur, Domino ſimiliter morimur; vt illud nobis ſit ſtatuẽdum, ſiue viuimus, ſiue morimur, Domini nos ſub poteſtate eſſe, ad eiuſq; imperium nos pertinere. Ad id enim Chriſtus, & mortuus eſt, & ſurrexit; vt & viuorum, & mortuorum dominetur. Tu autem qui infirmus es, ac laboras in fide, dum parum tibi confidis; cur fratrem tuum iudicas vti dignum cõdemnatione? quod rebus a Deo creatis libere vtatur? Vel & tu qui confidenter omnibus veſceris cibis; cur fratrem tuum ab illis abſtinentem, tanquam ab illis ſibi timẽtem, habes in contemptum? cur hæc alterutrum agitis? quando nobis omnibus ſiſtendum eſt ante tribunal Chriſti; ibique iudicandi ſumus? Scriptum eſt enim apud Eſaiam. Viuo ego, dicit dominus, quoniam mihi curuabitur omne genu; & omnis lingua cõfitebitur Deo. quare vnuſquiſque noſtrum de ſe rationem reddet Deo. Ne ergo amplius iudicia huiuſmodi inuicem exerceamus. Quin potius in hoc iudicium incumbitote, vt non detur fratri occaſio offenſionis, aut ſcandali. Scio (& certus ſum in Domino Ieſu) quòd nihil eſt per ſe, atque ſua natura commune, quod pro impuro, atque abominabili ſit habendum: niſi apud eum, qui ſuo iudicio reputat aliquid eſſe commune, & immundũ, atque ideo deteſtandum. Verum, ſi frater tuus aliquo ex edulio conturbatur, quo tu (illo inſpectante) veſcaris; non ſane ſecundum charitatem ambulas, id agendo. Ne quæſo, cibo tuo, illum interimas, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Non ergo blaſphemetur bonum veſtrum, & optima veſtra fides, ex ijs mutuis conuicijs, atque diſſenſionibus. Non enim in eſca, atque potu conſiſtit regnum Dei; ſed in iuſtitia, & pace, & gaudio, quod ſitum eſt in Spiritu ſancto. Qui enim in his Chriſto inſeruit, tum gratus Deo euadit, tum probatus apud homines. Proinde, quæ pacis ſunt, ſectemur, & ea, quæ conferunt ad ædificationẽ mutuam. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei; ſalutem, quam in fratre tuo operatus eſt Dominus. Omnia quidem (vti cuncta, quæ Deus creauit, valde bona ſunt) ita eadem etiam ſunt munda. Verum in malum, & in damnum recidunt illius hominis, qui illis veſcitur cum offenſione proximi. Bonum eſt non edere carnem, neq; vinum bibere, neque quid aliud, in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur. Tu fidem obtines, vt non hæſites, quin ijs rebus tuto vti poſſis; hanc fiduciam, ac valentem fidem tuam apud te ipſum habe coram Deo. Beatus, ac vt perfectus, ad voluntatem Dei maxime accedens, qui non iudicat, & nequaquam commendat ſe ipſum in eo, quod probat commendandum: ſed ad Dei iudicium penitus ſe dimittit. Qui vero diſcernit inter cibos, a quibus ſtatuit abſtinere, tanquã non ſibi fidens quin offendat, ſi illis veſcatur; is, ſi hac ſibi propoſita conſcientia; illos poſtea comederit, iure condemnatur, vt tranſgreſſor, atque peccator. Idque, non ex eo, quòd cibis illis vtatur, quorum vſus ſimpliciter non eſt per ſe malus, aut vetitus; ſed quoniam illud agit, quod non eſt concors ei fidei; & conſcientiæ, quam habet; ac iuxta quam ſibi ſtatuit, non edendos hos, vel illos cibos, ne labatur. Conſtat autem, quòd illud omne; quod non eſt ex A ex fide, atque conſcientia, quam quiſque ſibi præſcribit, ſed ab ea receditur; peccatum cenſendum eſt; quoniam in hoc Dei contemptus cadit, propter quem arguitur conſcientia de peccato, quòd homo id non præſtiterit, quod præſtandum eſſe, vt conueniens coram Deo, crediderat, atque ſibi propoſuerat.

Editio vulgata.

INFIRMVM autem in fide aſſumite: non in diſceptationibus cogitationum, Alius enim credit ſe manducare omnia: qui autem infirmus eſt, olus manducat. Is qui manducat, non manducantem non ſpernat; & qui non manducat, manducantem non iudicet. Deus enim illum aſſumpſit. Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit, ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum. Nam alius iudicat diem inter diem: alius autem iudicat omnem diem: vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. Qui ſapit diem, Domino ſapit. Et qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo. Nemo enim noſtrum ſibi viuit, & nemo ſibi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus: ſiue morimur, Domino morimur. Siue ergo viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit: vt & mortuorum, & viuorum dominetur. Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti: ſcriptum eſt enim. Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genus, & omnis lingua confitebitur Deo. Itaque vnuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo. Non ergo amplius inuicem iudicemus: ſed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum. Scio, & confido in Domino Ieſu, quia nihil commune per ipſum, niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt. Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur: iam non ſecundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum. Non eſt enim regnum Dei eſca, & potus: ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto: qui enim in hoc ſeruit Chriſto placet Deo, & probatus eſt hominibus. Itaque quæ pacis ſunt, ſectemur, & quæ ędificationis ſunt, inuicem cuſtodiamus: Noli propter eſcam deſtruere opus Dei. Omnia quidem ſunt munda: ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat. Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur. Tu fidem habes? penes temetipſum habe coram Deo: Beatus qui non iudicat ſemetipſum in eo quod probat. Qui autem diſcernit, ſi manducauerit, damnatus eſt: quia non ex fide. Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

ADNOTATIONES.

A INFIRMVM *autem in fide.* Scopus Apoſtoli in hoc cap. & in parte ſequentis eſt, hortari valentes, & roboratos in fide, vt non cum nauſea ferant infirmiores: ſed amplexentur eos cum omni manſuetudine. Infirmum autem in fide intelligit Apoſtolus, non eum, qui anceps exiſteret circa dogmata fidei; ſed eum, qui in vſu ciborum, & obſeruatione dierum, cum quadam animi puſillanimitate, ſeu infirmitate ſe gerebat, timens ne, ſi legem, quam ſibi præſcriberet, prætergrederetur, procumberet in peccata. Qui etiam conſpiciens aliquem non abſtinentem a cibis, a quibus ipſe abſtineret; aut non obſeruantem dies, quos ipſe obſeruaret, turbabatur quàmplurimum, & ſcandalum patiebatur; ſiniſtrorſum de illo tanquam peccante, aut ad peccatum labente, iudicium proferens. Hic autem alius, ex aduerſo, abſtinentem, vt infirmum in fide contemnebat, & diſputationibus, & ratiocinijs eum illaqueans, contaminabat. Et hæc quidem circa hunc tractatum communis eſt interpretum ſententia. Diſcrimen autem eſt, quòd Græci fere omnes, dum in initio cap. eſt ſermo de vſu ciborum, id referunt determinate ad cibos, qui in lege prohibiti erant; quibus, qui erant firmioris fidei, indifferenter veſcebantur; alij vero infirmi in fide, ab illis abſtinebant. Dum vero eſt ſermo de diſcrimine dierum (in quibus, a certo vſu ciborum, quidam abſtinerent) omnes fere cóueniunt, vt hoc referant ad abſtinentiam ciborum, non eorum tantum, qui ex legis præſcripto prohiberentur; ſed etiã aliorum, ſicut Chryſoſtomus, Theophylactus, & Origenes interpretantur; & cum ijs Ambroſius. Qui ait: *ſunt quidam, qui feria quarta carnem non edendam ſtatuerunt; ſunt, qui ſabbatis; ſunt iterum, qui a Paſcha vſque ad Pentecoſten edant.*

Chryſoſt.
Theophyl.
Orig.
Ambr. c. 47.

Cuius conſuetudinis ſeruatæ inter Chriſtianos, tempore Auguſtini, partim meminit ipſe, in epiſt. 86. ad Caſulan. partim 119. ad Ianuarium. Cum autem illud conſtet, quòd Apoſtolus ſcribens ad Gal. & ad Coloſſ. in illos inuehatur; quoniam in obſernatione dierum, & in ciborum delectu obſtringi ſe paterétur a pſeudo Apoſtolis: hinc inferri poſſe videtur, non fuiſſe ex Romanis Chriſtianos, qui opinarentur, quòd opus eſſet dies, & cibos legales obſeruare. Alioquin, & ab Apoſtolo redarguendi fuiſſent: prout & Galatæ, & Coloſſenſes, tanquam hæreſim in fide Chriſtiana ſubmonétes. At patet, quòd Apoſtolus hoc loco permittit, vt quiſque in ſuo ſenſu abundet; & ad proprium arbitrium abſtineat, aut non abſtineat a certo ciborum eſu: vel certo quodam tempore præfinito, vel nullo pręfinito tempore. Atque ideo ſentiendum videtur, quòd ſermo ſit in hoc cap. de dicta contentione orta inter fratres; quoniam aliqui minus ſibi fidentes, ne laberentur in peccata allecti a concupiſcentia ciborum nonnullorum delicatiorum, idcirco a plurimis cibis abſtinebãt, aut perpetuis diebus, aut certo præfinito tempore. Qui itidem, conſpicientes alios, qui, ad hanc ſuam normam, vitæ rationem non inſtituerent; ſed impromiſcue, abſque aliquo delectu cibis veſcerentur omnibus, de ipſis male iudicabant; quòd, aut peccarent, vti conuicti a concupiſcentia; aut quia labi hinc in peccata poſſent; hi autem illos alios contemnebant, vti infirmos in fide. Cui explicationi conuenire videntur, quæ habet Apoſtolus in initio cap. dum inquit: *Alius enim credit ſe manducare omnia: qui autem infirmus eſt, olus manducat.* Et paulo infra. *Bonum eſt non manducare carnem, neque bibere vinũ, ne frater offendatur.* Quę dicta indicant ſermonem eſſe generalem, de

Auguſt. ad Caſul. epiſto. 86. & ad Ianuar. epiſto. 119.
Gal. 4.
Coloſſ. 2.

potu,

potu, & cibo, & non limitatum ad cibos legis. Accedit huc ſententia illa Apoſtoli in fine huius cap. quòd qui diſcernit cibum, a quo indicat ſibi abſtinendum, & de illo edat; is labitur in peccatum, non quia comederit; ſed quia non conſtiterit in fide, quam habet. Atqui fides in huiuſmodi homine, non ſupponitur talis, quòd abſolute crederet, peccatum eſſe, rem hanc, vel illam comedere; ita enim contra legem Dei peccaret, opinans aliquid ex ſe immundum, cum nihil immundum eſſe eorum, quæ creauit Deus, in hoc cap. Apoſtolus affirmet. Signum igitur id pertinere ad vſum cibi, cuius eſu, qui infirmus, & non bene roboratus erat in fide, ſe cõtaminari, & duci in peccatum poſſe ſuſpicabatur; & timens ſibi de hoc, ſtatuebat ab illo cibo abſtinere; &, non conſtans poſtea ſibi, hinc comedens de eo, peccatum ob cauſam aſſignatam committebat. Nil autem prohibet, quin, inter hos cibos, adnumerentur & illi, qui erant prohibiti in lege; & illi, qui ex victimis ſacrificatis idolis conficerentur; a quibus vna cũ vino nonnulli abſtinerent, timentes ab illis, ob illicitam concupiſcentiam, aut alio modo, ob ſcrupulum immundorum idolothythorũ, contaminari poſſe. Et ijs conformia videntur, quæ habet Auguſtinus in lib. de Sermone Do. in Monte, dum inquit. *De genere autem ciborum, quia poſſunt bono animo, & ſimplici corde ſine vitio concupiſcentiæ, quicunque humani cibi ſumi, prohibet Apoſtolus, eos, qui carnibus veſcebantur, & bibebant vinum, iudicari ab ijs, qui ab eiſdem abſtinebant.* Origenes quoque explicat illa verba Apoſtoli. *Alius iudicat inter diem,* inquiens, *vt aliquod tempus ſtatuat ad abſtinentiam; alius iudicat omnem diem, vt in continua perſtet abſtinentia.*

Aug. lib. 2. de Ser. Do. in Monte, c. 28.
Orig. lib. 9. c. 14. ad Ro.

B *Tu quis es, qui iudicas?* Chryſoſtomus hæc accommodat ad firmiorem. Alij ad infirmum, cui Apoſtolus in hoc cap. ſemper hoc obijcit, quòd vellet iudicare ſiniſtrorſum de comedente cibos, a quibus ipſe abſtineret. Vnde ſubiungit, quòd *Domino ſuo ſtat, aut cadit, ſtabit autem; potens eſt enim Deus ſtatuere illum.* Vt hinc innuatur, firmiorem cibis veſci poſſe indifferenter ſine peccato. Nam potens eſt Deus facere, vt non cadat.

Chryſoſt. homil. 25.

C *Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.* Non (vt inquit Theophylactus) eſt ſermo de dogmatibus, vel doctrina, quoniam oportet firmiter tenere, quę accepimus: ſed eſt ſermo de vſu, ſeu abſtinentia ciborum, iuxta regulam, quam ſibi quiſque pręſcribit, aut abſtinendi, aut nõn abſtinendi. Vnde hortatur Apoſtolus, vt quiſque, prout ducitur a ſuo ſenſu, in eo abundet, ac firmus maneat, non hęſitans, dummodo quæ agit, agat in honorem Dei: quę quidem ad propriam cuiuſque deuotionem attinent; non autem ad pręcepta ieiuniorum, & abſtinentiæ ſtatuta in eccleſia Dei.

Theophyl.

D *Non ergo amplius inuicem iudicemus.* Auguſtinus in lib. de Ago. Chriſti. *Non nobis,* inquit, *tollitur intelligentia iudicandi;* cum Propheta dicat: *Si vere vtique iuſtitiam loquimini, recte iudicate;* & Dominus. *Nolite perſonaliter iudicare; ſed vbi vetat nos iudicare, admonet, ne damnemus aliquem, cuius cognitio nobis non eſt aperta; vel neſcimus, qualis poſtea ſit futurus.*

Aug. in lib. de Agon. Chriſt. c. 27.
Pſalm. 57.
Ioann. 7.

E *Scio, & confido in Domino Ieſu, quia nihil eſt commune per ipſum.* Aduotat Origenes, quòd in veteri lege vaſa accepta in miniſterio templi, vaſa Dei appellabantur; alia autem erant vaſa communia: hinc communes cibi dicti ſunt, qui erant prohibiti. *Per ipſum;* ſunt, qui hoc referant ad Ieſum, quod nihil eſt immundum, propter Ieſum, qui facit cibum non eſſe immundum. Alij ad cibum ipſum, qui, *per ipſum,* id eſt, ex ſua natura, non eſt immundus, niſi ei, qui reputat illum eſſe immundum.

Orig. lib. 9. cap. 14. ad Roman.

F *Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum.* Vt ſiue vtamur cibis, vt poſſumus in honorem Dei, qui illos fecit, ſiue etiam abſtineamus ab ipſis in honorem Dei, nulla ſit inter Chriſtianos ob hanc varietatem diſſenſio: ne, qui foris ſunt, vituperent Chriſtianiſmum.

G *Non eſt regnum Dei eſca, & potus.* Auguſtinus in lib. 2. Quæſt. Euang. animaduertit, quòd iuſtitia non conſiſtit in abſtinendo, nec in manducãdo; ſed in ęquanimitate tolerandi inopiam, & in temperantia non ſe corrumpendi per abſtinẽtiam, atque importunitatem ſumendi. Nõ enim intereſt, (vt dicit etiam Gloſſ. Ordin.) quid alimentorum, vel quantum quis accipiat, dummodo id faciat pro cõgruentia hominum, cum quibus viuit, & perſonæ ſuæ, & pro valetudinis ſuæ neceſſitate; ſed quanta facilitate, ac ſerenitate animi careat, cũ ijs, vel oportet vti, vel etiam neceſſe eſt carere. Quamuis autem dicat Apoſtolus, quòd regnum Dei nõ eſt eſca, vel potus: non propterea tamen quiſpiam inficiari debet; quin, pro pœnitentia peccatorum, opus ſit ieiunijs vti, & a certis cibis abſtinere, pro ſatisfactione iniunctæ pœnitentiæ; non quidem, dum ſacro baptiſmate quis adultus inſignitur; per quem, abſq; alicuius alterius operis abſolutione faciẽda, ab omnibus peccatis liberatur (niſi, ob deuotionem tanti ſacramenti in eius ſuſceptione ieiunijs vacare velit) ſed quando, poſt baptiſmum ſuſceptum lapſus ſit homo in peccata, vt ita cum corporis caſtigatione pœnam luat, quam dare teneretur ob iniquitates ſuas; ac ſimul caſtigãs corpus, ipſum in ſeruitutẽ redigat, vt facilius, cum Dei auxilio carnis concupiſcentijs reſiſtat. Hoc enim potiſſimo ſcopo, in eccleſia Dei inſtituta ſunt præcepta ieiuniorum, & abſtinẽtiæ a cibis: & ad honorem quoque Chriſti, & ſanctorum, qui ieiunia, propria obſeruatione decorarunt. Vnde & ſanctiſſimus Leo Papa in ſermone de ieiunio ſeptimi menſis ſcriptum reliquit. *Ideo enim ipſa continentiæ obſeruantia quattuor eſt aſſignata temporibus, vt in idipſum totius anni redeunte decurſu cognoſceremus; nos indeſinenter purificationibus indigere, ſemperque eſſe nitendum, dum huius vitæ varietate iactamur; vt peccatum, quod fragilitate carnis, & cupiditatum pollutione contrahitur, ieiunijs, atque eleemoſinis deleatur.*

Aug. lib. 2. Quæſt. Euãge. c. 11.
Gloſſ. Ord.
Leo. Papa. ieim. 9.

H *Aut offenditur.* Vt turbetur infirmus in fide contra comedentem: *aut ſcandalizatur,* vt ad cadẽdum in peccato prouocetur: *aut infirmatur,* vt veniat in dubium, num aliquid ſit agendum, nec ne, ex ſcrupulo ſibi connato. Ita S. Thomas hęc interpretatus eſt. Forte poſſet etiam ita fieri interpretatio.

Tho. Aqu.

Aut offenditur, qui prouocatur ad peccãdum, committendo id, quod non licet, exemplo aliorum, cum
3.Cor.8. ſit infirmus, vt dicitur in epiſt. ad Corinth. *Videte autem, ne forte hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis; ſi enim quis viderit eum, qui habet ſcientiam, in idolis recumbentem, non ne conſcientia eius, cum ſit infirma, ędificabitur ad manducandum Idolothyta?* Ille vero, *ſcandalizatur*, qui de facto alieno ſcandalum patitur, ſiniſtrorſum de alio iudicans: quod eſt quid minus, quàm ſi offendatur, vt ipſe peccet labendo; *infirmatur* autem, qui ſcrupulum patitur in propria conſcientia, qua, vt infirma, circa agenda mutet, & vacillet.

I *Tu fidem, quam habes, penes temetipſum habe coram Deo*. Id eſt, quam firmam fidem quis habet, vt non hæſitet de comeſtione ciborum, vel quòd poſſit edere quęcunque ſine peccato, nolit iſtam fidem oſtentare cum proximi detrimento; ſed ſat ſit illi eam habere coram Deo.

K *Beatus qui non iudicat ſe ipſum in eo, quod pro-*
Orig. lib. 10. cap. 14. ad Roman. *bat*. Origenes. *Beatus*, inquit, *qui non peccat in eo, quod vitare debet, vel ſeipſum de hoc non damnat, aut iudicat tanquam errantem*. Forte Apoſtolus hæc habet ad valentem in fide, quòd ſit beatus, ſi in eo quod probat, & cognoſcit ſe bonum, non tamen ſe iudicat tanquam bonum, ſed ſe ſubmittit iudicio Dei, quod attinet ad perfectionem humilitatis. Et videtur ſimile ei, quod habet Apoſtolus in epiſt. ad
1. Cor. 4. Corinth. *Nihil enim mihi conſcius ſum; ſed non in hoc iuſtificatus ſum, qui autem iudicat me, Dominus eſt*.

L *Damnatus eſt, quia non ex fide*. Ait Apoſtolus damnari illum, vti peccantem, qui diſcernens cibum non manducandum, ipſum tamen manducat. Accidit autem ei vt damnetur, quoniam, quod agit, non eſt ex fide, & iuxta propriæ cõſcientię propoſitum; qua, cum credat offendi Deum, ſi tali cibo vſus fuerit (cuius vſus ſimpliciter non eſſet peccatũ) ideo agens contra fidem, quam habet erga Deum, peccat, & ſic damnatur. Non autem hoc loco fides iuxta dogmata eſt accipienda; ſed ex conſcientia, vti dictum eſt; per quam etiam, ex nõ fornicari, apud eum, qui crederet eſſe fornicãdum, peccatum committeretur; quoniam, non iuxta propriam conſcientiam ageret: qui tamen etiam fornicando peccaret, quoniam faceret contra legem Dei, per quam conſcientia erronea, vt non excuſanda, damnatur.

M *Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*. Abſque dubio peccatum eſt ſupponere pro vero id, quod eſt contra fidei dogmata. Apoſtolus autem hic loquitur de fide, quam quis habet, iuxta propriam conſcientiam: ſecundum quam ſtatuit aliqua agere, aut omittere, ne peccet; quæ ſi agit, aut omittit; ideo facit peccatum, quoniam hæc non reſpondent propoſitæ fidei. Ex his deductum eſt à nonnullis, quòd omnia opera infidelium ſint peccata, quoniam non ſunt ex fide. Et hanc ſententiam
Auguſt. in lib. Senten. Proſp. ſenten. 106. tribuunt Auguſtino, qui in lib. ſenten. Proſp. habet hæc verba. *Omnis infidelium vita peccatum eſt; & nihil bonum ſine ſummo bono, vbi enim deeſt agnitio æternæ, & incommutabilis veritatis, falſa virtus eſt etiam in optimis moribus*. Verum id non voluiſſe Apoſtolum, ex eo apparet, quòd non loquitur de fide iuxta veram Dei cognitionem; ſed alio modo, vt explicatum eſt.

Illud autem videretur poſſe dici ex Apoſtoli ſententia, quòd coinquinatis, & infidelibus (vt dicit
Tit. 1. in epiſt. ad Tit.) nihil eſt mundum; nempe, quatenus iuxta infidelitatem operantur. Verum, ſi Paganus pauperi eroget pecuniam, eius miſertus, licet hoc opus non poſſit eſſe meritorium, vt factum extra charitatem Dei; attamen neque peccatum eſt; illud inquam, quod in natura bonum eſt, nempe pauperi ſubuenire; quamquam poſtea non ſimpliciter ſit bonum, ex eo quòd ſine conuenienti careat. Et forte ita intelligi poſſet adducta Auguſtini auctoritas, quòd omnis infidelium vita ob hoc ſit peccatum, quatenus ſcilicet peccato infidelitatis irretiti ſemper ſunt; vnde nunquam ſine peccato ſunt; non quòd opera prædicta ſint peccata; licet imperfecta ſint.

PARAPHRASIS. CAP. XV.

DEBEMVS autem nos, qui potentes ſumus, & firmiores in fide, imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere, vt quæ noſtra ſunt, tantummodo curemus; auertamus autem animum ab imbecillitate infirmorum, quibus mederi poſſimus; Vnuſquiſque enim aptare, atque accommodare ſe debet ad bonum, quod eſt in ſalutem, atque ędificationem proximi. Et id quidem exemplo Chriſti, qui non ſibi placuit; ſed (vt ſcriptum eſt) opprobria exprobrantium tibi ceciderunt in me; ita quidẽ, vt Chriſtus omnes offenſas ab hominibus Deo illatas, in ſuo corpore tulerit, atque luerit. Quæcunque autem ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt; vt per patientiam, & per conſolationem & exhortationem ſcripturarum, ſpem habeamus, qua recreemur in expectatione futuræ beatitudinis. Deus autem patientiæ, & conſolationis largitor, eam det vobis gratiam, vt inuicem idem ſapiatis ad normam Ieſu Chriſti; ita quidem, vt vnanimes, & vno ore honorificetis Deum patrem D. N. Ieſu Chriſti. Quapropter mutuo vos ſuſcipite, tolerate, atque auxiliamini ad honorem Dei; prout & Chriſtus aſſumpſit nos, noſtram ſcilicet miſeriam, atque pœnalitatem, in honorem Dei. Id autem dico, Chriſtum miniſtrum fuiſſe circuncïſionis propter veritatem Dei, ad cõfirmandas promiſſiones factas patribus; cum ſcilicet circuncïſio impoſita Abrahæ in ſignum iuſtificationis fidei, quam habuit erga Deum, ex Chriſti morte ſuum robur obtinuerit. Qua in re, cum Chriſtus mortem tam acerbam atque ignominia onuſtam perpeſſus eſt; non ſuæ certe fœlicitati, ſed alienæ, ipſorum nẽpe Iudæorum ſtuduit ſaluti. Quin & Gentes, cum à Deo longiſſime aberrarẽt, Chriſtus in humeris ſuæ humanitatis aſſumpſit; dum illas ad Deum cognoſcendum per fidem perduxit. De quo quidem beneficio Gentiles multo magis, quàm Hebręi, tenentur

tur laudare, atque magnificare Deum; vti illi, erga quos maiori etiam vſus eſt Deus miſericordia, cum Gentibus non eſſet facta promiſſio, ſed Iudæis. Et hæc quidẽ ex ſcriptura patent: dum dicitur in Pſal. confitebor tibi in Gentibus domine; & nomini tuo cantabo. Et iterum: lętamini Gentes cum plebe eius. Et ruſſus. Laudate omnes Gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi: Et iterum ex Eſa. Erit radix Ieſſe: & qui exurgat regere Gentes; in eo Gentes ſperabunt. Ex quibus omnibus ſanctæ ſcripturæ locis, patet, iam longe ante pręuiſum, quòd Gẽtes in Dei gratiam eſſent recipiendę; quod certe non aliunde, quàm ex Chriſti morte Gentibus eſt comparatum. Deus autem ſpei largitor, impleat vos omni gaudio, & pace in credendo; vt hinc abundetis in ſpe, in virtute Spiritus ſancti. Mihi autem de vobis (fratres) etiam illud eſt perſuaſum, quòd pleni eſtis omni bonitate, repleti omni cognitione; vt inſtituere inuicem vos valeatis. Audacius autem ſcripſi vobis aliqua ex parte, tãquam in memoriam vobis reuocans, quę noſtis; idque ob gratiam, quæ data eſt mihi a Deo, vt ſim miniſter Ieſu Chriſti ad Gentes, ſancte adminiſtrans Euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium acceptabilis, ſanctificata in Spiritu Sancto. Hincque habeo gloriationem in Chriſto Ieſu; in ijs quidem, quæ attinent ad Dei gloriam. Non enim auſim (quaſi mihi aſſumens) aliquid loqui eorum, quæ in me non operatus ſit Chriſtus, ad deducendas Gentes in obedientiam fidei, tum ſermone, tum opere, in potentia ſignorum, atque prodigiorum, in potentia Spiritus ſancti; ita vt a Ieruſalem, & per circuitum vſque ad Illyricum impleuerim Euangelium Chriſti, vt mihi impoſitum fuit prædicandum. Sic autem ſtudens prædicare Euangeliũ; non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem, quaſi architectum ibi me conſtituens; ſed, ſicut ſcriptum eſt apud Eſaiam. Quibus non eſt annunciatũ, de eo videbunt; & qui non audierunt, de eo intelligent. Ideo ad eos, qui non audierunt Euãgelium, me contuli, & ieci fundamẽta prædicationis Chriſti. Propter quod impediebar frequenter venire ad vos, & prohibitus ſum venire vſque adhuc. Nũc autem, cum nullus iam locus mihi reliquus ſit in ijs regionibus, vbi prædicem Euangelium, deſiderioq; ferueam multis iam annis viſendi vos, cum proficiſcar in Iſpaniam, ad vos veniam. Spero enim pertranſiens ex itinere videre vos; & per vos me deduci in Iſpaniam; dum tamen prius (ſaltem ex parte) veſtra fuero ſaturatus conuerſatione. Nunc autem pergo in Ieruſalem ad ſeruiendum ſanctis. Placuit enim Macedoniæ, & Achaiæ, collationem aliquam facere pecuniarum in pauperes ſanctos, qui ſunt in Ieruſalem, vti facere tenebantur. Nam ſi ſpiritualium bonorum ipſorum participes facti ſunt Gentiles; debent & ipſi viciſſim illis ſubminiſtrare, quę ad corporis ſuſtentationem ſunt neceſſaria. Hoc igitur munere cum functus fuero, illiſque fructum hunc obſignauero, decedam deinceps per vos in Iſpaniã. Scio autem, quòd veniẽs ad vos, in plenitudine veniam benedictionis Euangelij Chriſti. Obſecro autem vos fratres per D. N. Ieſum Chriſtum, & per charitatem Sancti ſpiritus, vt vna mecum collaboretis in deprecationibus pro me ad Deum; vt liberer ab infidelibus, qui ſunt in Iudæa; & vt hæc miniſtratio mea ad ſanctos accepta ſit in Ieruſalem; vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refociller vobiſcum, Deus autem pacis, ſit cum vobis omnibus amen.

Editio vulgata.

DEBEMVS autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. Vnuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem. Etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt. Improperia improperantium tibi, ceciderunt ſuper me. Quæcunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus. Deus autem patientiæ & ſolatij, det vobis id ipſum ſapere in alterutrum ſecundum Ieſum Chriſtum: vt vnanimes, vno ore honorificetis Deum, & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Propter quod ſuſcipite inuicem: ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei. Dico enim Chriſtum Ieſum, miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum. Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum, ſicut ſcriptum eſt. Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit: Lętamini Gentes cum plebe eius. Et iterum. Laudate omnes Gentes Dominum; & magnificate eum omnes populi. Et rurſus Eſaias ait. Erit radix Ieſſe, &, qui exurget regere Gentes, in eum Gentes ſperabunt. Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo, vt abundetis in ſpe, & virtute Spiritus ſancti. Certus ſum autem fratres mei, & ego ipſe de vobis, quoniam, & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, ita vt poſſitis alterutrum monere. Audacius autem ſcripſi vobis fratres ex parte, tanquam in memoriam vos reducens, propter gratiam quæ data eſt mihi a Deo, vt ſim miniſter Chriſti Ieſu in Gentibus, ſanctificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu ſancto. Habeo igitur gloriam in Chriſto Ieſu ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me nõ effecit Chriſtus in obedientiam Gentium, verbo, & factis, in virtute ſignorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus ſancti, ita vt ab Ieruſalem per circuitum vſque ad Illyricum repleuerim Euangelium Chriſti. Sic autem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ędificarem, ſed ſicut ſcriptum eſt. Quibus non eſt annunciatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent. Propter quod, & impediebar plurimum venire ad vos. Nunc vero vlterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam præcedentibus annis, cum in Iſpaniam proficiſci cæpero, ſpero quòd præteriens videam vos, & a vobis deducar illuc, ſi vobis primum ex parte fruitus fuero. Nunc igitur proficiſcar in Ieruſalem miniſtrare ſanctis. Probauerunt enim Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum,

ſanctorum,

ctorum, qui ſunt in Ieruſalem. Placuit enim eis, & debitores ſunt eorum. Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles: debent, & in carnalibus miniſtrare illis. Hoc igitur cum conſummauero, & aſſignauero eis fructum hunc: per vos proficiſcar in Iſpaniam. Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Chriſti veniam, Obſecro ergo vos fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem ſancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum, vt liberer ab infidelibus, qui ſunt in Iudæa, & obſequij mei oblatio accepta fiat in Ieruſalem ſanctis, vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, vt refrigerer vobiſcum. Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis. Amen.

ADNOTATIONES.

A DEBEMVS *autẽ nos firmiores.* Græce οἱ δυνατοί, id eſt, potentes, ac validi, qui neque dubio intelligẽtiæ turbari poſſint (veluti quòd in dubium veniant, num quod comedãt, ſit immundum, cum certi ſint nihil per ſe eſſe immundum) neque concupiſcentiæ vitio opprimantur, ſi aliquo cibo, vt puta carne veſcantur, aut vinum bibant. Vult igitur Apoſtolus; quòd hi firmiores ferant, ac ſubleuent imbecillitates infirmorum; & non ſibi ipſis
Ambr. c. 49 placeant. Quod fit, (vt interpretatur Ambroſius) cum id, quod nobis proſit, & placeat; & non quod fratribus, id nobis vendicare ſtudeamus. Nam non ita ſe geſſit Chriſtus, cui tenemur nos conformare; ipſe enim non ſibi placuit, vt qui, cum eſſet in for-
Philipp. 2. ma Dei (vt dicitur in epiſt. ad Philipp.) ac potuiſſet cum maieſtate æquali Patri degere; attamen in ſe omnium peccatorum improperia, quibus Deus offenſus erat, obeundo mortem pertulit pro noſtra ſalute.

B *Vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum.* Tanquam ex ſacra ſcriptura, tum exempla patientiæ ſanctorum depromi poſſint, tum conſo-
Amb. c. 50. latio; vel (vt legit Ambroſius) *cohortatio*: vox enim græca παρακλήσεως, vtramque recipit ſignificationem. Sed poſſemus etiam intelligere, quòd per patientiam (qua nobis opus eſt) & per cohortationem, ſeu conſolationem, quam ſumimus ex doctrina ſacræ ſcripturæ, hinc in ſpe roboramur; ita vt a ſcriptura conſolatio, aut confortatio ſit expectanda; non autem patientia, quæ aliunde pendet.

C *Propter quod ſuſcipite inuicem.* Nos aſſumpti ſumus a Chriſto, dum infirmitates noſtras accepit, & dolores noſtros ipſe portauit; vt, hoc exemplo, & nos mutuo noſtras infirmitates per patientiam toleremus.

D *Dico enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circuncisionis.* Iudæis, per pacta & perſcripturã, quaſi per ſtipulationem (non tamen ſine miſericordia) promiſſus fuit Chriſtus: quibus etiam ſe exhibuit
Aug. tract. 31. in Ioan. per præſentiam corporalem, vt Auguſtinus dicit in tract. 31. Euang. in Ioan. vt illum viderent, & audi-
Matt. 15. rent. Vnde dixit dominus in hunc ſenſum; *non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* Gentibus autem (licet de ipſis plura exstiterint vaticinia in ſcriptura ſancta) attamen ipſis non promiſſus eſt Chriſtus: vnde, ex ſumma miſericordia Dei, ad ipſos Chriſti oblatio, quaſi præter omnem ſpem, contigit; de quibus tamen dixit Dominus: & *alias* Ioan. 10.
oues habeo, quæ non ſunt de hoc ouili, & illas oportet me adducere. Vtrique igitur populo, cum Chriſtus, portãs noſtras iniquitates, ſua morte proſpexerit; clare patet, quòd non ſibi placuit; non ad ſuam (ita dixerimus) commoditatem hæc paſſus eſt; ſed propter noſtram ſalutem, & ad Dei gloriam. Cum autem dicitur, quòd Chriſtus fuit miniſter circuncisionis; ſic intelligi debere videtur; quòd Chriſtus illius iuſtificationis, quæ eſt ſecundum fidem, cuius ſignum in circunciſione continebatur, fuit executor, atque conſummator; cum; ſua morte dirimens peccatum (quo inquinati exiſtentes, procul a iuſtitia Dei tenebamur) nos in ipſum credentes, ac peccato per baptiſmum commorientes, apud Deum patrem iuſtos conſtituit.

E *Audacius autem ſcripſi vobis fratres, ex parte.* Cum ea libertate (quæ decet verum Chriſti præconem) tribus præcedentibus capitibus, admonitiones, & quaſdam veluti incuſationes intulerat Apoſtolus. Vnde (vt mitiſſimus magiſter) de hac re ſe excuſat apud Romanos, quos nondum viderat, ſi acriori ſermone vſus eſſet; hunc ipſum valde mitigans per prius dicta hoc loco, nempe hæc, *Certus ſum autem fratres mei, & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, ita vt poſſitis alterutrum monere.*

F *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit Chriſtus.* Hæc Ambroſius ita inter- Amb. c. 50.
pretatur, vt dicat Apoſtolus, omnia ſibi præſtita a Deo; vt, quia idoneus inuentus eſt diſpenſator, conſequutus ſit, quæ ad conuerſionem Gentium per ſignorum virtutem perficeret. Origenes autem hanc Orig. li. 10. c. 15. ad Ro.
aliam interpretationem eſt ſequutus, inquiens. *Quæ loquor non ſunt alienæ operis verba, ne aliorum geſtorum laudator efficiar. Sed, quæ ſcio Chriſtum per me effeciſſe, hæc ſcribo vobis, quæ per obedientiã Gentium, verbo, & opere in me perfecit.* Et huic interpretationi videntur admodum conſentanea, quæ paulo poſt ſubiungit Apoſtolus, dicens; ſe prædicaſſe Euangelium, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificaret.

G *In virtute ſignorum, & prodigiorum.* Quæ ita diſtinguit Theophylactus, vt prodigia ſint opera Theophyl.
maiora: ſigna autem minora: & hæc quodammodo ſunt etiam cõgruentia naturæ; pro vt curare febrim verbo, vt faciebat dominus. Prodigia autem ſunt ſuperantia naturam; ſicuti mortuos ſuſcitare. Ori- Orig li. 10.
genes autem animaduertit, ſignis denotari aliquod c 15. ad Ro-
mirum, quo quid aliud ſignificatur; vnde linguæ in man.
ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus; prodi- 1. Cor. 14.
gia autem continere mirum aliquod abſque alia ſignificatione.

H *Ne ſuper alienum fundamentum ædificarem.* Ambroſius doctrinam pſeudo Apoſtolorum intel- Amb. c. 50.
lexit, quam falſis dogmatibus ſeminabãt, vnde corrigere poſtea magni erat laboris. Alij ſic interpretantur, ne veluti ſermonem iaceret exordiens, vbi ab alijs iacta fuiſſent fundamenta fidei; ita enim arripere

ripere

ripere ſibi gloriam aliorum viſus eſſet Apoſtolus; qui ſane, vbi nondum erat prædicatus Chriſtus, iaciebat fundamentum fidei cum oſtenſione Spiritus ſancti, cum ſignis, atque prodigijs. Vbi autem Chriſtus erat prædicatus, id moliebatur, vt confirmaret fideles in ſuſcepta fide. Vnde in initio epiſt.
Roman. 1. dixit. *Deſidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad, confirmandos vos.* Et in hoc cap. inquit. *Audacius autem ſcripſi vobis fratres, ex parte, tanquam in memoriam vos reducens.* Ex quibus apparet, quòd quoniam Romani iam ſuſceperant Euangelium a Beato Petro, antequam Paulus ad ipſos acceſſiſſet; ideo non profitetur annunciare illis Euangelium, tanquam a fundamento; ſed illud quidem ſtudet, eos confirmare in fide Euangelij.

I *Nunc igitur proficiſcar in Ieruſalem miniſtrare*
Chryſoſt. Origen. *ſanctis.* Hunc locum Chryſoſtomus, Origenes, & alij obſeruarunt, ex quo deducunt, epiſtolas ad Corint. ſcriptas fuiſſe ante hanc ad Roman. ob coniecturas olim allatas in præfationibus ex Chryſoſtomi ſententia.

K *Vt adiuuetis me in orationibus veſtris.* Græce *συναγωνίσασθαι*, ad denotandum, vt animaduertit
Orig. lib. 10. cap. 16. ad Romanos. Origenes, agonem, & certamen a nobis ſuſcipiendum in orationibus, cum pugna ſit aduerſus poteſtates aereas, quæ nobis obſiſtunt. Vnde (vt dicitur
1. Tim. 2. in epiſt. ad Timoth.) oportet nos in hoc munere orandi longe eſſe ab ira, & cogitationes vanas ex cordibus expellere, neque ſummis labijs dinumerare pſalmos; ſed inſtantes eſſe in oratione, ad exemplum Chriſti, qui ante ſuam paſſionem ter Patrem orauit.

PARAPHRASIS. CAP. XVI.

COMMENDO autem vobis Phœbem ſororem noſtram, quę eſt miniſtra eccleſiæ Chenchrenſis, vt illam excipiatis in Domino, vt decet ſanctos, ac præſto illi ſitis omni opera, vbi opus ei fuerit, vti & ipſa adfuit multis, & mihi ipſi. Salutate Priſcam, & Aquilam, cooperarios meos in Chriſto Ieſu (qui pro mea ſalute ceruices ſuas ſuppoſuerunt, quibus ob id, non ego ſolus habeo gratias, ſed & omnes eccleſiæ Gētium) ac domeſticam illorum eccleſiam, Salutate Pœnetum dilectum meum, qui in Achaia primitias obtinet in Chriſti fide. Salutate Mariam, quæ noſtri cauſa multum adlaborauit. Salutate Andronicum, & Iuniam affines meos, & concaptiuos meos; qui quidem ſunt inſignes inter Apoſtolos; & ante me Chriſto ſe dedidere. Salutate Ambliam dilectum meum in Domino. Salutate Vrbanum cooperarium noſtrum in Chriſto; & Stachym dilectum meum. Salutate Appellem probatum in Chriſto Ieſu. Salutate eos, qui ſunt ex Ariſtoboli familia. Salutate Herodionem affinem meum; ſalutate eos, qui ſunt in Narciſſi familia in Domino. Salutate Triphenam, & Triphoſam, quæ laborant in Domino. Salutate Perſidem dilectam, quæ multum laborauit in Domino. Salutate Rufum electum in Domino, ipſiusque matrem, & meam. Salutate Aſincritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Mercurium, & qui cum ipſis ſunt fratres. Salutate Philologum, & Iuliam, Nereum, & ſororem ipſius; & Olympiadem, & qui cum ipſis ſunt omnes ſanctos. Salutate vos inuicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes eccleſiæ Chriſti. Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis cum multa cautela eos, qui diſſidia, & offendicula pariunt, aberrātes ab ea doctrina, quam didiciſtis. Huiuſmodi enim Ieſu Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ipſorum ventri, blandiloquentiaque, & aſſentatione ſeducunt corda innocentium. Etenim veſtra ad fidem perfacilis obedientia, apud omnes eſt diuulgata. De quo gaudeo in vobis; volo autem vos ſapientes eſſe in bono, ſimplices autem in malo. Deus autem pacis largitor, conteret Satanam ſub pedibus veſtris velociter. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit cum omnibus vobis. Salutant vos Timotheus cooperarius meus, & Lucius, & Iaſon, & Soſipater affines mei. Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi epiſtolam in Domino. Salutat vos Caius hoſpes meus, & vniuerſæ eccleſiæ. Salutat vos Eraſtus Arcarius ciuitatis, & Quartus frater. Gratia Dñi noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen. Ei autem, qui potens eſt confirmare vos, iuxta euāgelium meum, & prędicationem Ieſu Chriſti (nempe ſecundum illam reuelationem myſterij ęternis temporibus taciti; nūc autem manifeſtati poſt Aduentum Chriſti incarnati, ac per ſcripturas etiam Prophetarum indicati, ſecundum imperium ęterni Dei ad deducendas omnes gentes in obedientiam fidei) ſoli Deo ſapienti, per Ieſum Chriſtum, cui honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Editio vulgata.

COMMENDO *autem vobis Phœben, ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio eccleſiæ, quæ eſt in Cenchreis: vt eam ſuſcipiatis in Domino digne ſanctis: & aſſiſtatis ei in quocunque negotio veſtri indiguerit. Etenim ipſa quoque aſtitit multis, & mihi ipſi. Salutate Priſcam, & Aquilam adiutores meos in Chriſto Ieſu (qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt: quibus non ſolus ego gratias ago, ſed, & cuncta eccleſiæ Gentium) & domeſticam eccleſiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi: qui eſt primitiuus Aſiæ in Chriſto. Salutate Mariam, quæ multum laborauit in nobis. Salutate Andronicum, & Iuliam cognatos, & cōcaptiuos meos: qui ſunt nobiles in Apoſtolis, qui, & ante me fuerunt in Chriſto. Salutate Ampliatum dilectiſſimum mihi in Domino. Salutate Vrbanum adiutorem noſtrum in Chriſto Ieſu, & Stachym dilectum meum. Salutate Apellem probum in Chriſto. Salutate eos, qui ſunt ex Ariſtoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui ſunt ex Narciſſi domo, qui ſunt in Domino. Salutate Perſidem cariſſimam, quæ multum laborauit in Domino. Salutate Rufum electū in Domino, & matrem eius, & meā. Salutate Aſyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, &, qui cum eis ſunt, fratręs. Salutate*

Philo-

Philologum, & Iuliam: Nereum, & ſororem eius, & Olympiadem, & omnes, qui cum eis ſunt, ſanctos. Salutate inuicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti. Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter doctrinã, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis. Huiuſcemodi enim Chriſto Domino noſtro nõ ſeruiunt, ſed ſuo ventri: & per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium. Veſtra enim obedientia in omnem locum diuulgata eſt. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo. Deus autem pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris velociter: Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum. Salutat vos Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Iaſon, & Soſipater cognati mei. Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi epiſtolam, in Domino. Salutat vos Caius hoſpes meus, & vniuerſa eccleſia. Salutat vos Eraſtus Arcarius ciuitatis, & Quartus, frater. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen. Ei autem, qui potens eſt vos confirmare iuxta Euangelium meum, & prædicationem Ieſu Chriſti, ſecundum reuelationem myſterij temporibus æternis taciti (quod nunc patefactum eſt per ſcripturas Prophetarum, ſecundum præceptum ęterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis Gentibus cogniti, ſoli ſapienti Deo per Ieſum Chriſtum, cui honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

ADNOTATIONES.

Oecumen. SORORE M *noſtram*. In primitiua eccleſia; ſicuti mares, fratres, inuicem appellabantur, ſic fœminæ, ſorores. Oecumenius inquit: Forte erat ex ſanguine ſoror Apoſtoli. At Paulus infra, appellat matrem Rufi, etiam ſibi matrem, dum inquit. *Salutate Rufum electum in Domino, & matrem eius, & meam.* Quidam autem ſuſpicati ſunt Phœbem hanc fuiſſe vxorem Pauli, cum qua tamen non concubuerit, poſtquam conuerſus eſt ad fidem
Ignatius. Chriſti. Nam vxoratum fuiſſe, referunt B. Ignatius,
Clemens Alexand. & Clemens Alexand. Verum in epiſt. ad Corinth.
1. Corin. 7. loquens de innuptis, & viduis, inquit. *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego.* Ex quibus patet, dicendum eſſe; quòd, cum Paulus ijs verbis inter non nuptos ſe numeret, aut numquam vxorem habuit; aut, quòd tunc ſaltem viduus erat, dum hanc epiſtolam ſcriberet ad Romanos; quæ poſterior fuit ab illis, quas ſcripſit Corinthijs; prout in Præfationibus generalibus conſtitutum eſt. *quæ eſt in miniſterio*. Hinc
Orig. lib. 10. c. 16. ad Romanos. colligit Origenes, fęminas deputatas fuiſſe in miniſterium eccleſiæ, vt miniſtrarent ſanctis, de quo eſt
1. Timot. 5. ſermo in epiſt. ad Timot.

B *Primitiuus*. Græcè ἀπαρχὴ, vt innuatur, quòd eſſet ex his, qui primis ſuſceperat fidem Chriſti in
Hebr. 12. Aſiæ eccleſia. In epiſtola autem ad Hebræos hanc vocem, πρωτοτόκων, interpres, *primitiuorum*, etiam vertit.

C *Nobiles in Apoſtolis*; id eſt, inſignes, & ſecun-
Orig. li. 10. c. 16. ad Romanos. dum Origenem, forte erant de numero 72. Diſcipulorum Domini.

D *Electum in Domino*. Theodoretus, iuxta illud, Theodor.
inquit. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Matth. 20.

E *In oſculo ſancto*. Ex hoc colligit Origenes, Orig. li. 10. cap. 16. ad Romanos.
morem fuiſſe in eccleſijs, vt, poſt orationes, oſculo inuicem ſe ſuſciperent.

F *Salutant vos omnes eccleſiæ Chriſti*. Vel illę, quibus Paulus præerat; vel quoniam (ſecundum Ori- Orig. ibid.
genem) vnus ſpiritus erat in Paulo, & in omnibus eccleſijs. Aut ſalutare ſumitur pro iungi per fidem, & ſpiritum, vt idem Origenes explicat.

G *Vt obſeruetis eos*. Admonet, vt caueant ab illis, qui falſam doctrinam ſeminabant, præcipue ex Iudæis, de quibus Oecumenius in ſcholio ante ex- Oecum.
poſitionẽ huius epiſtolæ narrat; qualiter Scribæ, & Sacerdotes, litteras exarauerant per vniuerſas regiones, vt non admitteretur, ſed impugnaretur doctrina fidei Chriſtianæ.

H *Præter doctrinam, quam vos didiciſtis*. In hoc Paulus (vt obſeruat Theodoretus) laudat prædica- Theodor.
tionem Principis Apoſtolorum, qui Romanis prędicauerat; cui, ſi Paulus non iniungit ſalutationem, exiſtimandum, quòd Petrus tunc temporis abeſſet ab vrbe.

I *Arcarius ciuitatis*. Ambroſius exponit, quòd Ambroſius.
eſſet diſpenſator, ſeu curator ciuitatis, maxime in pretijs moderandis.

K *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.* Theodoretus inquit. *Hoc & epi-* Theodor.
ſtolæ proœmium conſtituit, & finem impoſuit. Ori- Orig. li. 10. cap. 16. ad Rom.
genes autem docet, quòd quicquid habẽt homines in Deo, gratia eſt: nihil enim ex debito habent: Gratiæ ergo eſt, quicquid habet is, qui non fuit, & eſt; accipiens a Deo, qui ſemper fuit, & eſt, & erit in ęternum.

L *Ei autem, qui potens eſt*. Refert Origenes, quòd Origen. in calce lib. 11.
Marcion, (a quo ſcripturæ Euangelicæ, atque Apoſtolicæ interpolatæ ſunt) de hac epiſtola penitus abſtuliſſe hæc, quæ hic leguntur; & non ſolum hæc: ſed ab eo, vbi ſcriptum eſt in fine cap. 14. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; vſque ad finem, cuncta diſſecuit. Idem animaduertit, a nõnullis poſt illud; *omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; apponi hanc particulam: *ei autem qui potens eſt, &c.* Et hunc ordinem obſeruarũt Chryſoſtomus, Theo- Chryſoſt. Theophyl.
phylactus, Oecumenius, & Theodoretus. In qui- Oecum.
buſdam autem alijs codicibus in fine epiſtolę apponitur: quem ordinem Origenes ſequutus eſt. Quidam in ſua editione noui Teſtamenti Græc. aſſerit, ꝙ codices omnes manuſcripti habent eam particulã in calce cap. 14. In Commentarijs vero, qui habentur in epiſt. Pauli, Ambroſij nomine (qui, ſi non Ambroſius extitit, fuit ęqualis Ambroſio, aut ſuperior ętate, ſicuti antiquior Chryſoſtomo, ex quo arguitur, quòd editio latina fuit antiquiſſima) in operibus excuſſis habetur coronis illa. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis*, non ſtatim poſt ſalutationem; ſed poſt totam illam periodum: *Ei autem, qui potens eſt*, ſubiungitur, vt eo fine epiſtola claudatur; quod ferme in omnibus epiſtolis Pauli eſt vſitatum.

Quod autem attinet ad Marcionem, is (vt legitur apud Euſebiũ lib. 4. de hiſt. Eccl.) in ea fuit hæreſi, Euſebius.
vt di-

vt diceret, non Deum fabricatorem huius vniuerſi, ſed alium longe potẽtiorem patrem eſſe Ieſu Chriſti; & q̃ Prophetæ diſcordes inter ſe fuerint. Hinc, cum cõtenta hoc in loco ſuæ opinioni aduerſarentur, ea diſſecuit ab epiſtola. Nũ vero magis accommodate iaceat illa particula in calce epiſtolæ, an in calce cap. 14. Græci omnes (excepto Origene) hunc in modum coniunxerunt ad præcedentia capit. 14. quòd Deus infirmos in fide, de quibus antea fuerat ſermo, poterat confirmare. Sed illud obijci poſſe videtur, quòd Apoſtoli ſermo ad omnes factus apparet, & non ad ſolos infirmos, cum dicat; *ei autem qui potens eſt confirmare vos &c.* Accedit, quòd paulo ante in hoc poſtremo capite hortatus erat Romanos, vt eſſent ſapientes in bono, & ſimplices in malo, vt cauerent ab ijs, qui offendicula proponerent. Cui dicto congrue ſubiunctum videtur, quòd gloria ſit danda Deo, qui poterat illos confirmare, vt ſapientes eſſent. Verum aptius etiam videretur, ſi dicamus, quòd generalis eſt hæc coronis ad ſcopũ epiſtolæ; qui erat, vt cõfirmarẽtur Romani in Euangelio, prout in initio quoque epiſtolæ illis denunciauerat Apoſt. vtens hac eadem voce, dum inquit, εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς, ſicut & hic dum ait, τῷ δὲ δυναμένῳ ὑμᾶς στηρίξαι; id eſt, *ei autẽ qui potens eſt cõfirmare vos*. In qua nam autem re? aut quomodo? *ſecundum Euangelium meum*; ad normam ſcilicet Euangelij, quod Apoſtolus acceperat a Chriſto: *& ſecundum prædicationem Ieſu Chriſti*, vel quæ facta ſit a Chriſto, vel a Paulo de Ieſu Chriſto: *ſecundum reuelationem myſterij*: hoc eſt explicatiuum prius dicti. Quoniam Euangelium continet reuelationem myſterij de verbo incarnato: *æternis temporibus taciti*: dum maneret in conſilio Dei, & non publicabatur. *Quod nunc patefactum eſt*; nimirum per prędicationem Apoſtolorum; *per ſcripturas prophetarum*. Græce διά τε γραφῶν προφητικῶν, quæ verti poſſunt, *& per ſcripturas prophetarum*; ad innuendum, quòd myſteriũ prædictum ſit manifeſtatum per prędicationem Apoſtolorum; & ſimiliter etiam cognitum, & indicatum per ſcripturas prophetarum, vt illud verbum φανερωθέντος, iungatur illis alijs διά τε γραφῶν προφητικῶν: ita autem cognitum, vt prophetæ cõſentiant cum prædicatione Apoſtolorum: iuxta illud in Act. *huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent, &c.* Et hæc ita diſpenſata fuerunt: iuxta imperium, & præceptum æterni Dei ad gentes omnes perducendas in obedientiam fidei. Neque vero dubitandum, quin Euangelij veritas multo magis cõfirmetur per teſtimonia adhibita prophetarum; vti & prophetiæ inuicẽ, magis etiam cõfirmatę ſunt poſt conſummationem, & publicationem Euangelij. Vnde Petrus dicebat. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem.* Act. 15. 2. Pet. 1.

Illa vero verba. *Soli Deo ſapienti*, non ita accipienda, quaſi Deus factus ſit ſapiens, vt contigit nobis, vt notat Origenes. Sed quia ipſe auctor, & genitor eſt ſapientiæ; & ita ſolus ſapiens. *ipſi ſit honor, & gloria per Ieſum Chriſtum; cui* (vt qui eſt etiam Deus, & non ſolum homo) ſit pariter honor, & gloria in ſecula ſeculorum amen. Alij cenſent hic eclipſim eſſe, vt ſupplendum ſit, *gratias agamus.* Theophylactus autem putat, in oratione redundaſe illud, *cui.* Thomas autem, & cum eo Auguſtinus in lib. 2. contra Maxim. ita verborum ordinem conſtruunt. *Gloria, & honor ſit ei, qui potens eſt &c.* per Ieſum Chriſtum, cui eſt honor, & gloria. Ponderans autem Auguſtinus hæc verba, *ſoli ſapienti Deo*, animaduertit, quòd etſi Apoſtolus dixiſſet, ſoli ſapienti Patri, non propterea hinc ſeparatus eſſet filius. Sicuti etiam in Apoc. dum dicitur de filio; *habens nomen ſcriptum, quod nemo ſcit niſi ipſe*; non propterea dicitur, quod Pater neſciat hoc nomen, a quo eſt inſeparabilis filius. Cũ autem dicat Apoſtolus. *Soli ſapienti Deo*, ſic Trinitas denotatur, vt ſit ſolus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſapiens, vt etiam dicitur ſolus potens. Idem animaduertit eodem loco, illud, *Per Ieſum Chriſtum*, non ita ſumendom, vt ita intelligatur, quòd Deus ſit ſapiens per Ieſum Chriſtum; ſed quòd Deo ſit gloria per Ieſum Chriſtum, qui gloriam claram, nempe notitiam Trinitatis mundo manifeſtauit. Theophyl. Tho. Aqui. Aug. lib. 2. cõtra Max. Apoc. 19.

EX VERBIS

EX VERBIS APOSTOLI, CONTRA HAERETICOS,

De Iuſtificatione explanatio.

Origen. QVONIAM (vt ait Origenes in præfatione epiſtolæ ad Roman.) Hæc epiſtola difficilis eſt, eo quòd in ea multæ quęſtiones moueãtur, quibus inhęrentes hęretici, quidam eorum libertatem noſtri arbitrij deſtruere conantur; alij vero (præſertim hæretici noſtri temporis) hominis iuſtitiam ſoli fidei adſcribentes, opera penitus excludunt, idq; ex Apoſtoli verbis aſtruere profitẽtur. Idcirco, quod attinet ad hoc caput iuſtificationis, quo maiori breuitate licuerit, ea examinanda ſuſcepimus, quæ, vti præcipua argumenta, ab aduerſarijs adducuntur; vt his (Dei ſpiritu nos adiuuante) ſublatis, atque deletis, ſi qui ſcrupuli in animis puſillorum ſuboriri poſſint, funditus tollantur, quod potiſſimum nobis eſt curæ. Illud autem ante omnia præmittendum duximus, tanquam totius huius diſputationis maximum, atque præcipuum fundamẽtum, quod ex Apoſtoli mẽte emanaſſe nemo poteſt inficiari, niſi quis, quę manifeſte expreſſa ſunt in hac epiſtola, non eſſe Apoſtoli, neque ab eo prodijſſe ſumma cum temeritate audeat affirmare. Idipſum eſt; Paulum, in hac epiſtola, Romanis, quos in Dei gratia iam receptos, & per baptiſmum regeneratos ſupponit, diſertiſſima, & copioſiſſima oratione, ea omnia opera iniũgere; quibus, & Deum cum omni pietate colant, & vitam agant cum honeſtate, & ſanctitate coniunctã: nec nõ ab omni iniuria, & offendiculo abſtinentes, proximum (quamuis inimicum) cum pura charitate amplexentur, & omni officiorũ genere proſequantur. Etenim (poſt expletum Tractatum de Iuſtificatione, quem vndecimo epiſtolæ capite concluſit) mox exordiens Apoſtolus cap. 12.

Rom. 12. ita habet: *Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrũ. Et nolite cõformari huic ſeculo; ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit volũtas Dei, bona, beneplacens, & perfecta.* Quibus deinceps, ad planiorem præceptorũ explicationem, quæ Romanis obſeruanda proponit, hanc longam ſubtexit orationẽ, inquiens. *Dico enim per gratiam, quę data eſt mihi, omnibus, qui ſunt inter vos, nõ ſapere plus, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatẽ, & vnicuique; ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autẽ membra nõ eundem actum habent, ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes, ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis differentes, ſiue prophetiam, ſecundum rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando; ſiue, qui docet in doctrina; qui exhortatur in exhortando; qui tribuit in ſimplicitate; qui præeſt, in ſolicitudine; qui miſeretur, in hilaritate. Dilectio ſine ſimulatione, odientes malum, adhærentes bono. Charitatem fraternitatis inuicem diligentes: honore inuicem præuenientes: ſolicitudine non pigri: ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes: ſpe gaudentes: in tribulatione patientes: orationi inſtantes: neceſſitatibus ſanctorum communicantes: hoſpitalitatem ſectantes. Benedicite perſequentibus vos; benedicite, & nolite maledicere; gaudete cum gaudentibus; flete cum flentibus: Idipſum inuicem ſentientes. Non alta ſapientes; ſed humilibus conſentientes. Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos. Nulli malum pro malo reddentes. Prouidentes bona, non tantum coram Deo, ſed etiam corã omnibus hominibus. Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes: non voſmetipſos defendentes cariſſimis; ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius. Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum.*

QVibus quidem ſermonibus, & alijs ſubſequẽtibus, quis luce meridiana clarius non videt; Paulum, ſanctificatis, & regeneratis per baptiſmum, ea omnia opera iniungere, quæ ad ſobrie, & iuſte, & pie viuendum, non ſolum vtilia, verum etiam ſunt pernecеſſaria? Quandoquidem, ſi recte cogitemus, nemo eſt, qui (dum vitam agit in hoc mortali corpore) euadere, aut effugere poſſit, quin, aut carnis faciat deſideria, aut non faciat; Deum, qua decet, pietate colat; aut non colat; opera miſericordiæ tã ſpiritualia, quàm corporalia erga proximũ præſtet, aut nõ præſtet. Et in his quicũq; defecerit (vti peccabit, non obſeruans, quæ ſibi iniuncta ſunt opera ex Dei mãdato, & ideo ex Dei gratia illico cadet) ita quoq; qui hæc perfecerit (ſicuti iuſtus iam effectus per baptiſmum, magis etiam ex perfunctis his operibus iuſtificabitur) ita pariter, ex ijs ipſis magis merendi apud Deum, maximam ſibi acquiret facultatem.

Et hæc quidem conſona ſunt ijs, quæ a Domino aſcenſuro in Cœlis, apud Matth. commiſſa ſunt di- Matt. 28.
ſcipulis ſuis, dũ dixit: *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quęcunque mãdaui vobis.* Quæ explicans Hieronymus, ait. *Iuſſit* Hieron.
Apoſtolis, vt primum docerent omnes gentes; deinde de fidei intingerẽt ſacramento; & poſt fidem, ac baptiſma, quæ eſſet obſeruanda, præciperent. Ac ne putemus leuia eſſe, quæ iuſſa ſunt, & pauca; addidit, omnia quæcunque mandaui vobis, vt quicunque crediderint, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant, quæ præcepta ſunt. Quòd ſi obſtrepent hoc loco aduerſarij, cõtenden-

tendentes, ꝙ opera iniuncta Chriſtiano; licet, ſi ab ipſo omittatur, eum arceant a regno cœlorum, non tamen ſint huiuſmodi, vt per eam quiſpiam mereri poſſit nitam ęternam, propterea quòd quæcunque vel optima opera ab homine pronenire poſſunt, ſint finita, & temporalia, atqoe ideo nō digna, pro quibus ei tribuatur ęterna beatitudo, quæ manet electos Dei. Ad id facile eſt occurrere ex Apoſtoli ſententia, ſi dixerimus (vt ipſe ait in hac epiſtola) verū eſſe, quòd *non ſunt cōdignæ paſſiones huius temporis*
Roman. 8. *ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Quod eſt dicere, ꝙ non ſont ęquiparandæ cum futura gloria afflictiones, & damna, quæ ſancti patiantur in hac vita, etiam mortem pro Chriſti nomine obeundo; cum hęc ſint momētanea, vt quę citiſſimo tempore præteruolent, & finita acerbitate concludantur. Gloria autem electis, & ſanctis Dei parata, in ſempiternum eſt duratura, inexhauſtam, inconſummabilem, & infinitam cōtinens beatitudinem. Verū Deus benignus, & miſericors, qui voluit ex immenſa ſua gratuita gratia acceptam habere fidem in ſe credentium; vt propterea omnes in ipſum (vt decet) credentes, & de peccatis pœnitentes, baptiſmateque inſigniti, ex impijs iuſti efficiantur, atque ſalutem cōſequantur; ita quoque voluit multo magis, vt ſibi placerent, qui iuſtificati per fidem, opera iuſtitiæ, quæ obſeruari debere & docuit, & mandauit, ad eandem fidē adijcerent, adeo quòd, cæteris paribus, ad eūdem gradum fidei accedentibus etiā operibus charitatis, meritorum quoque apud Deū acceſſionem fieri dicendum eſt. Quæ deinde merita, ad maiorem etiam gloriationem fidelis, & iuſti hominis creſcunt, ſi opera ad perfectiora ferantur, vt ita merces ſupererogationis acquiratur. De qua
s. Corin. 9. Beatus Paulus ſcribens Corint. meminit, dum dixit: mercedem ſibi propriam inde prouēturam, ſi prædicans euangeliom, ſine ſumptu ponat euangelium, vt nō exigat ab hominibus debitam ſibi mercedem ex opere prædicationis; cuius exigendæ poteſtatem
Math. 10. haberet, cum mercenarius, vt dixit Dominus, ſit dignus mercede ſua. Cui quidē non attendens Apoſtolus, vt maiori tum liberalitate, tum animarum prouentu Dei inſeruiret, propterea dignus fiebat, vt hinc ad maiorem quoq; gloriam apud Deum proueheretur; quod omniū illorum eſt proprium, qui vitam perfectam ſequontur. Datur ſiquidem facultas homini (ex Dei benignitate) vt ad ęternam vitam per gratiam Dei peruenire poſſit, ſi Dei mandata obſeruet; qoemadmodum dixit Dominus in Euan-
Matth. 19. gelio. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Datur etiam eidem facultas, vberiorem qnoque ſibi gloriam comparandi, ſi ea exeqnatur, quę concernunt uitæ perfectionem; ſicut in eodem loco dixit eadē
Math. 19. veritas. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo.* Quæ omnia tamen, non abſque ſpeciali gratia Dei aſſiſtente, perficiuntur.

Verum aduerſarij ex nonnullis huius epiſtolæ locis tela arripiētes, hęreſim de iuſtificatione, quòd ex ſola fide homini adſcribatur a Deo, operibus penitus excluſis, aſtruere ſibi perſuadent, ex ijs præcipue Apoſtoli dictis, Nam ex 3. cap. hæc omnia pro-ferunt: in primis hoc. *Quia ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo.* Item illud. *Nunc* Roman. 3.
autem, ſine lege, iuſtitia Dei manifeſtata eſt. Et hoc aliud. *Arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* Item, & hoc. *Quoniam vnus eſt Deus, qui iuſtificat circuncisionem ex fide, & præputium per fidem.* Deinde, & ex primo cap. adducunt Abacuc Prophetę auctoritatem, quam refert Apoſtolus. *Iuſtus autem ex fide viuit.* Præterea ex Roman. 1.
quarto cap. hoc aliud interſerūt. *Credidit Deo Abraham, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Ac denique ex Roman. 4.
cap. 5. hoc aliud dictum Apoſtoli afferunt. *Iuſtificati ergo ex fide &c.* Ex quibus omnibus erroneum, & Roman. 5.
falſum dogma de iuſtificatione, quam ab operibus penitus ſecludunt, aſtruere contendunt.

Quare, ot ordine quodam congruo ſeruato, his omnibus obiectionibus reſpōdeamus, eas in primis diluemus, quę deſumootur ex illis Apoſtoli verbis, quibus aſſerit, hominem ex operibus legis nō iuſtificari. Qua quidem aſſertione haud dubitandom eſt, quin Paulus illud potiſſimum intenderit, vt Iudęorum uanam illam, atq; erroneam exiſtimationē proſterneret, penitusq; demoliretur, qua, proprijs ex viribus, ſe iuſtificari poſſe ſibi aſſumebāt, ſpē omnē, ſeorſum a fide, in illis tantum externis, atq; cęremonialibus operibus collocantes; quæ ad hoſtias, & ad animalium ſacrificia pertinebāt, ad circuncisionem, ipſam carnis præputij mutilationem, ad dierum, & menſiom obſeruatiouem, ad ablutionem carnis, aut ad ciborum communium abſtinētiam. Quæ omnia Deus per legem Moyſi illis mandauerat, ne io idololatriam procumberent, &, vt ijs obſeruationibus ad Deum animum erigerēt, eiusq; cultui, atque religioni interno ſpiritu deſeruirent; non autem, ꝙ ex huiuſmodi operibus, tanquam ex eorum propria uirtute, ſalus eſſet expectanda. Vnde de immolatorum animaliū ſacrificijs tractans Apoſtolus in epiſt. ad Hebræos, inquit. *Impoſſibile eſt enim ſanguine* Hebr. 10.
taurorum, & hircorum auferri peccata. Et de circūciſione agens in epiſt. ad Rom. ita habet. *Non enim* Roman. 2.
qui in manifeſto, Iudæus eſt, neque quæ in manifeſto in carne, eſt circunciſio; ſed qui in abſcondito, Iudæus eſt; & circunciſio cordis in ſpiritu, non littera, cuius laus, non ex hominibus, ſed ex Deo eſt. Et rurſus in hac eadem epiſt. ediſſerens, & perpendens, quidnā Abraham ſecundum carnem inueniſſet, innuens circūnciſionem ab ipſo ſuſceptam, inquit. *Si enim Abrahā* Roman. 4.
ex operibus legis iuſtificatus eſt, habet gloriam; ſed non apud Deum. Et paulo poſt ſubiungens, ꝙ ipſi Abrahæ adſcripta fuerit fides a Deo ad iuſtitiā, non in circuncilione, ſed cum præputio adhuc exiſtenti, ita quęrit, & percontatur. *Quomodo ergo reputata?* nempe Abrahę fides ad iuſtitiam: *in circunciſione?* Roman. 4.
an in præputio? Et reſpondet: *Non in circunciſione, ſed in præputio;* hinc manifeſte demonſtrans, ex circunciſione, ſeorſum a fide, hominem nequaquam iuſtificari. Idē in epiſt. ad Hebręos agens de ijs, quæ ad abluriones, & iuſtificationes carnis attinent, & ad hoſtias, & munera, & ad ciborum, & potuum vſum, ita habet: *Quæ parabola eſt temporis inſtantis, iuxta* Hebr. 9.
quam munera, & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt, iuxta conſcientiam, perfectum facere ſeruientem: ſo-

lummodo in cibis,& in potibus, & in varijs baptiſma-
tibus, & iuſtitijs carnis vſque ad tempus correctionis
Act.13. *impoſitis.* Idem in Act.Apoſt.hæc omnia ſignifica-
uit, docens,ex operibus legis hominem non iuſtifi-
cari, ſed per fidem Ieſu Chriſti, dum ait: *Notum*
igitur ſit vobis viri fratres, quia per hunc nobis remiſ-
ſio peccatorum annunciatur ab omnibus, quibus non
potuiſtis in lege Moyſi iuſtificari. Quę omnia procul-
dubio huc tendunt, ut confirmet Apoſtolus hanc
ſententiam, quòd ex operibus legis,ſeorſum a fide
nō poteſt homo a peccatis expiari,& iuſtificari co-
ram Deo.Et iure id quidem. Quādoquidem (vt ha-
Hebr.11. betur in epiſt. ad Hebr.) *Sine fide impoſſibile eſt pla-*
cere Deo. Atqui lex fidem non confert, neque vitæ
Galat.3. ſpiritum ſubminiſtrat; vnde in epiſt. ad Galat. *Lex*
autem non eſt ex fide. Sed ipſa quidem, tanquam
pædagogus exiſtēs, ut ibidem dicitur, hominem ad
fidem inducit; dum ei indicat, ad Dei auxilium, &
ad mediatorem Chriſtū in lege promiſſum, fide,&
ſpe confugiendū eſſe. In qua ſententia mirifice etiā
conſentiunt, quę habentur in eadē epiſt. ad Galat.
Vbi Paulus refert,in faciem Petro ſe reſtitiſſe, quo-
niam a Gentibus,quibus cum prius conueſcebatur,
nil cauens cibos communes,ſe ſubſtraxiſſet,cū nun-
cij a Iacobo ex Ieroſolymis ad eum acceſſiſſent; ita
Galat.2. enim habet. *Si tu,cum Iudæus ſis, gentiliter viuis,&*
non Iudaice, quomodo Gentes cogis iudaizare? Nos
natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores; ſcientes
autem,quòd nō iuſtificatur homo ex operibus legis,niſi
per fidem Ieſu Chriſti,& nos in Chriſto Ieſu credimus,
vt iuſtificemur ex fide Chriſti,& nō ex operibus legis,
propter quod ex operibus legis non iuſtificabitur omnis
caro. Ex quibus omnibus clare colligitur, Apoſto-
lum hoc moliri, ut erroneā, & falſam tollat opinio-
nem Iudæorum (quę ipſam ſapit Pelagianam hære-
ſim) & ſciatur, nequaquam hominem,ſeorſum a fi-
de, qua ad Deum fit acceſſus, iuſtificari poſſe ex
operibus illis cęremonialibus,quę precepta erant in
lege Moyſi. Et huc tendunt,quæ habentur in tertio
Roman.3. cap. huius epiſt. veluti illud. *Nunc autem ſine lege iu-*
ſtitia Dei manifeſtata eſt; ipſa nēpe fides Chriſti, per
quam iuſtitia, & ſalus homini in Chriſtum creden-
ti comparatur. Item illud. *Arbitramur enim iuſti-*
ficari hominem per fidem ſine operibus legis. Et hæc
quidē ita ſunt pſpicua,ut nō alia egeant diſcuſſione.

Iam vero occurrendum eſt & alijs difficultati-
bus, quę maioris uidentur eſſe ponderis,ob ea loca,
in quibus Apoſtolus, nō amplius ad opera legis re-
ſpiciens, videtur abſolute aſſerere,ex ſola fide,ſeor-
ſum ab operibus, hominē iuſtificari. Veluti cū dixit
Roman.1. in 1.cap. Abacuc ſententiam referens,ꝙ *iuſtus ex fi-*
Roman.3. *de viuit.* Et in 3.cap. *Quoniam vnus eſt Deus, qui iu-*
ſtificat circumciſionem ex fide,& præputium per fidem.
Roman.4. Et in 4.cap. *Credidit Deo Abraham,& reputatum eſt*
illi ad iuſtitiā. Et in 5.cap. *Iuſtificati ergo ex fide,&c.*
Quæ omnia videntur importare, quòd iuſtificatio
ex ſola fide homini contingat.

Quare, vt ad hęc omnia obiecta ſatisfaciamus,il-
lud in primis,tanquam commune ad omnia diſſol-
Hebr.11. uēda, animaduertimus,qđ eſt veriſſimum,ſine fide
impoſſibile eſſe placere Deo. Quod quidē eſt, Deo
mente adhærere,& in Deum propēſa voluntate fer-
ri,& eius prouidentię nos ſubmittere,& ab ipſo,cō-
fiteri cuncta bona nobis dari, & ſperanda, & expe-
ctanda eſſe. Vnde iure dictum eſt a Propheta, & ab
Apoſtolo, ꝙ *iuſtus ex fide viuit;* ſed qua fide? nēpe
ea;quę,vt dicitur in epiſt.ad Gal.per dilectionē ope- Galat.5.
ratur. Etenim (vt habet Origenes.) *Fides initium iuſti-* Orig.lib 10.
ficationis, & tanquam radix (hymbre ſuſcepto) hæret c.16.ad Ro-
in animæ ſolo, vt, cum ex lege Dei excoli cęperit, ſur- manos.
gant in ea rami, qui fructum operum ferant, vt non ex
operibus radix iuſtitiæ; ſed, ex radice iuſtitiæ, fructus
operum creſcat. Vnde & Chryſoſtomus in ſermone Chryſoſt.
de fide, & lege naturæ, multa habet de fidei cōmen-
datione,cui primas tribuit, vt, ſine ipſa, opera nulla
viuificare hominem valeāt apud Deum; ſed hęc in-
ter alia. *Nihil enim,*inquit, *extra fidem bonum; & vt*
(quadam verbi ſimilitudine vtar) fratres, ſimiles mihi
videntur, qui operibus bonis florent,& Deum pietatis
ignorant, reliquijs mortuorum,pulchre quidem indutis,
ſenſum autem pulchrorum non habentibus. Quæ enim
vtilitas animæ mortuæ? Deo quidem mortuæ, fide, &
ratione, bonis autem operibus veſtitæ? opera in ſpe ſiūt
retributionis, & coronarū. Quòd ſi agonothetam igno-
ras, pro quo certas? Non oportet quidem nudā ab ope-
ribus eſſe fidem, vt ne vituperetur. Verumtamen ſubli-
mior eſt fides,quàm opera. Sicut enim hominibus, qui
hominis nomen merent, opus eſt primum, vt præcedat
vita, & ſic enutriantur,conſeruat enim vitam noſtram
alimentum:ita neceſſarium,vt præcedat vitam noſtram
ſpes in Chriſtum, quæ poſtea paſcenda bonis operibus.
Conceditur viuere quempiam,qui non nutritur; nō con-
ceditur autem nutriri aliquem non viuentem. Ieiunauit
Moyſes diebus quadraginta:ſed quia habuit in ſe animā
viuentem,nihil detrimenti ex terrenorum penuria acci-
dit ei;ita & opus quidem habet anima,vt operibus ala-
tur: ante opera tamen fides primum inducenda eſt. Eū
qui operatur opera iuſtitiæ, ſine fide nō poſſum probare
viuum fuiſſe; fidelem autem ſine operibus poſſum mon-
ſtrare, & vixiſſe, & regnum cælorum aſſecutū. Nullus
ſine fide vitam habuit. Et infra hæc habet Chryſoſt. Chryſoſt.
Latro enim credidit duntaxat, & iuſtificatus eſt a mi-
ſericordioſiſſimo Deo. Atqui hic ne mihi dixeris defuiſ-
ſe ei tēpus, quo iuſte viueret, & honeſta faceret opera.
Neque enim de hoc contenderim ego: ſed illud vnum
aſſeuerauerim, quòd ſola fides per ſe ſaluū fecerit. Hoc
autem nunc quæritur,& agitur,quòd & fides per ſe ip-
ſum ſaluum fecerit,opera autem per ſe nullos vnquam
operarios iuſtificarunt. Hæc & alia habet Chryſoſt.in
prędicto ſermone de fide,& lege naturę,quibus cō-
firmatur,& explicatur dictū Apoſtoli Pauli,& Aba-
cuc Prophetę, ꝙ iuſtus ex fide uiuit, & ꝙ fides, eſt
primum,& præcipuum in acquiſitione iuſtitiæ;non
ita tamen, ut ſine operibus ſit relinquenda fides.
Vnde paulo inferius idem Chryſoſt. loco citato, ad
prędicta, hæc ſubiunxit. *Oportet igitur, & ante opera*
lucere fidem, & fidei pediſſequa eſſe opera, vt ne quis
fidem propter ſterilitatē,& neque opera,propter incre-
dulitatem vituperet. Quod de regeneratis per baptiſ-
mum (aut aliter ante baptiſmi inſtitutionem iuſtifi-
catis) proprie eſt intelligēdū; quemadmodum, & ex
Apoſtoli ſententia antea conſtitutum eſt. Vnde ex
verbis ipſiuſmet Chryſoſtomi aperte colligitur,eius
ſermonem in hoc loco eſſe de operibus illis, quę ex

Dei

Dei mãdato exequi tenetur, quicunque in Dei gratiam ſit receptus. Nempe, *vt iuſte viuat.* (Vt verba Chryſoſtomi repetamus) *& honeſta faciat opera*, Deũ, qua decet pietate, atq; religione colẽdo, & erga proximũ omnia charitatis officia impẽdẽdo, a quibus (ait Chryſoſtomus) latronẽ animo non abfuiſſe; ſed ſolũ opere, quoniã, morte preuẽtus, in operibus miſericordię verſari, & ſe exercere non potuerit, In quam ſententiam hęc quoq; ſcripta reliquit Aug. in

Auguſt. lib. Quæſt. 83. q.76.

lib. Quęſt. 83. q.76. inquiens. *Quod ſi quis cum crediderit, mox ex hac vita deceſſerit, iuſtificatio fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus; quia non merito ad illum, ſed gratia peruenerit; nec conſequentibus, quoniam in hac vita eſſe non ſinitur.* At nõ tollitur in eiuſmodi, quin actus bonę ad Deum cõuerſionis pręceſſerit, & peccatorum deteſtatio, & Dei gratiæ pręuenientis vltronea ſuſceptio, ex quibus impij iuſtificatio perficitur. Quæ quidẽ in latrone, qui crucifixus eſt cum Domino, eminenter enituiſſe palam

Luc. 14.

fecit Luca Euãgeliſta: recitans, quòd, cũ alius nequã latro Chriſtum blaſphemaret, bonus increpabat eũ, dicens; *neque tu times Deum, qui in eadem dãnatione es. Et nos quidem iuſte, nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali geſſit.* Ita enim & bonam cõfeſſus eſt cõfeſſionẽ ſuorum peccatorũ, & Chriſtum innocentiſſimum pręḋicauit. Ac deinde Chriſti humiliter ſe commendãs, dũ dixit: *Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum:* Deum omnium gratiarum datorem, atq; remuneratorẽ faſſus eſt. Vnde mortis ſuæ ſacrificiũ pie hunc io modũ offerens agno crucifixo, ex Dei immenſa benignitate, in illa pręſertim Agni immaculati immolatione, meruit a Chriſto audire tanquã iuſtificatus. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Sed quòd fides viua in Deũ, dũ hanc vitã agimus, ſubſiſtere nequeat ſine illis operi-

Chryſoſt. in Matth. Hom. 19.

bus, quę Chriſtus obſeruanda mandauit, idẽ Chryſoſt. diſertiſſimis verbis teſtať in expoſitione Euãg. in Matth. dum ita habet: *Incredulitatis ſermo, & ad confeſſionem reſpicit, & ad actũ. qui ergo ſic confitetur Chriſtum, ſicut ipſe docuit, ille credit Chriſto; qui autem non ſic confitetur, quomodo docuit ille, non credit. Et ſi conuerſatur quomodo mandauit, ille credit Chriſto. Et qui non ſic conuerſatur quomodo ille mandauit, nõ credit Chriſto. Credere enim Chriſto, obedire eſt Chriſto. Qui autẽ, aut non confitetur, aut non conuerſatur ſecundum verbum eius, ille nec obaudit Chriſto, nec credit, propterea tam ille, quàm iſte non intrabunt in regnum*

Auguſt. in tracta. 29. Euangel. in Ioann.

cælorum. Hinc & Aug. in tract. 29. Euangelij Ioannis, diſtinguens inter credere in Deum, & credere Deo, ſupponit, ꝙ qui credit in Deum, etiam credit Deo: non autem e contra; qui credit Deo, credit in eum. Et ideo ſtatuit, *credere in Deum, eſſe, credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & eius membris incorporari.* Vnde colligitur, ꝙ, ſicuti iuſtus ex fide uiuit, & qui ſine fide eſt, vitã habere non poteſt, ſed mortuus eſt; ita quoq; dicendum eſt, quòd fides ſeiuncta ab operibus, erit mortua, quoniã non erit fides in Deum eo modo, vti dictum eſt.

Sed quę reliqua ſunt loca ex Apoſtoli verbis magis nos vrgere uidentur, quoniam ſint eiuſmodi, vt iuſtificationem noſtram ſoli fidei adſcribant, nulla penitus incluſa operũ mentione, aut ſuppoſitione. Vt, cũ dictum eſt. *Vnus eſt Deus, qui iuſtificat circumciſionẽ ex fide, & præputium per fidem.* Item, *credidit Deo Abraham, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Itẽ, *iuſtificati ergo ex fide, &c.* Ad hęc igitur quid reſpõdebimus? Numquid ab hac difficultate euadendi ulla eſt uia? vtiq; adeſt, & illa facillima. Siquidem, citra omnẽ cõtrouerſiã, in omnibus adductis locis, & ſi qua alia ſunt huiuſmodi, vbiq; eſt ſermo Apoſtoli de initio iuſtificationis; dum homo, ex impio, conuertitur ad pietatẽ. De quo quidem, dum in impij ſtatu degit, quis vmquã exiſtimare poterit, ulla iuſtitiæ opera ab eo prouenire poſſe? quæ, ſi pręcederent, ſequeretur, ꝙ antequam iuſtificaretur, iuſtũ eum reddidiſſent, quod minime dici poteſt. Omnes enim natura ſumus iræ filij, tã circuncisi, quàm pręputiati, vt nulla ſit diſtinctio. Vnde io 3. cap. huius epiſt. dicit Apoſtolus. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, &c.* Et in hanc eandem ſententiam conueniunt, quę habet in epiſt. ad Tit. dum inquit. *Cum autem benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrũ regenerationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abunde per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, vt iuſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ ęternæ.* Verũtamen impius ad iuſtificationem non peruenit, niſi media fide, quam ex corde ſuſcipiat erga Deũ. Qua quidem fide, Deum uniuerſorum Dominum, & Creatorem fatetur; eiusq; ſe egere auxilio, atq; miſericordia. Vnde, ſi penſentur actus illi, qui aguntur in corde hominis, dum ex impio cõuertitur ad pietatem; vt pote, quòd ex gratia Dei vocatus ad reſipiſcendum, vocationem vltronee ſuſcipiat, delictorũ ſuorum dolore afficiatur, propitiatorẽ ſibi Deum, per Ieſum Chriſtum mediatorem precetur, & quem antea tranſgreſſionibus læſerat, animum iam ad ipſum amandum, & excolendum cõuertat: & ob eius amorem io poſterũ ſibi ſtatuens ab operibus prauis abſtinendum, & bonis iuxta Dei mandata incumbendum, deuote deinde baptiſmi ſacramento inſignietur (vnde in nouum hominem, veteri exuto, regeneratur, & ſanctus, & iuſtus coram Deo efficitur) vtique dicendum erit, in his actionibus, quę fidem habent pro fundamẽto, ſacrificium Deo gratiſſimũ offerri, ac quodammodo opus pręſtari ab homine, qui ita ad Deũ conuertitur, in Ieſum Chriſtũ fidei ſuę ſpem omnem collocãdo. Cum præſertim (vt ait Chryſoſt. in homil. 8. huius epiſt.) *Non eſt quid modicum, atque tenue, ꝙ homo per fidem magnifica de Deo cogitet, ſentiat, & credat.* Qua quidem fide & Abraham iuſtificatus eſt; cum ante fidem, & ſine fide nullum bonum opus eſſe poſſit, quoniã ſine recti finis directione erit; vt ait Aug. in expoſitione pſ. 31. Siquidem, ut ibidem ait. *Bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit.*

Rom 3. Roman. 4. Roman. 5. Epheſ. 2. Roman. 3. Tit. 3. Chryſoſt. Hom. 8. Auguſt. in Pſal. 31.

Quamobrem concludendum eſt, neq; hominem ſine fide iuſtificari poſſe, vt reſurgat a peccatis, neq; poſtquã conuerſus, & iuſtificatus fuerit, vitam iuſti agere poſſe, niſi fidei adiuncta opera, quæ Chriſtus mandauit, obſeruet. Quę omnia numquam ex ſolis

proprijs viribus, ſed ex gratuita Dei gratia (quæ ſemper pręſto eſt inuocãtibus eum,) vir fidelis efficit, & præſtat.

Sanctorum Pauli, & Iacobi de iuſtificatione conſenſio.

Roman. 4. HIs autem ita cõſtitutis, facile eſt tollere diſcrimen, quod videtur eſſe inter dicta B. Pauli, & B. Iacobi, dũ Paulus dixit, Abrahã ex fide, quia credidit Deo, iuſtificatum eſſe. Iacobus autem eumdẽ ex operibus iuſtificatum aſſerit, ita inquiens in ſua
Iac. 2. epiſtola Canonica. *Abraham pater noſter, non ne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt?* Et enim B. Iacobus ſupponit, quòd Abraham, cuius fides a Deo iam accepta erat ad iuſtitiam, operibus eandem fidem conſummauerit, offerens filium ſuũ Iſaac ſuper altare. At B. Paulus, dum ait, Abraham ex fide iuſtificatum eſſe, de ipſo loquitur ſecũdum initium iuſtificationis, quam, fidẽs in Deum, aſſecutus eſt; tum ꝙ exierit de terra ſua, & de cognatione patris ſui, & venerit in terram, quam ei demonſtrauerat Deus; tum quòd, ſeparato ab ipſo Lot, crediderit (quod promiſerat ei Deus) daturum ſe ei omnem terram, quam oculis poterat conſpicere; tum, vel maxime cum credidit Deo, ꝙ ex ipſo, & vxore eius Sara veteri, & ſterili, proditurũ eſſet ſemen ad numerum ſtellarum. Nõ autem loquitur Paulus de ſtrenuo, & illuſtri illo facinore, quum Abraham aggreſſus eſt immolare ſuper altare filium ſuum Iſaac Deo; ita fidem opere conſummans, atque ei cooperans. Siquidem (vti conſtitutum eſt antea) vult Paulus, quòd omnes, qui in gratia Dei fide ſint recepti, operibus eam complere debeant. Alioquin, fidem in illis mortuam ſine operibus futurã, vt & Iacobus in ſua aſſerit epiſtola. Accedit ꝙ Paulus & illud voluit innuere (contra Iudæorum ſententiã) ꝙ ſeorſum a fide nequit homo iuſtificari; qui, deinde iuſtus effectus ex fide (eo modo vti dictum eſt) magis etiam iuſtificabitur opera præſtans, quæ ſint aſſecla, & pediſſequa fidei.

Fidem ſine charitate haberi poſſe, licet ſit mortua.

ILLVD etiã hoc loco perpẽdendũ eſt, quod hæretici aſſerunt; nempe, fidẽ tunc amitti ab homine, cum ob peccatũ exciderit a gratia Dei, nequaquam admittẽtes, ꝙ fides poſſit a charitate ſeiungi. Nam ſi ita intelligunt, vt intelligere videntur, ꝙ quæ de Deo, & de alijs rebus ſunt credenda, iuxta omnes articulos fidei, homo credere non poſſit, abſque ꝙ Deum diligat, conuerſus exiſtens ad peccatum, vtique hæreticum eſt dogma, quod re ipſa manifeſte impugnatur. Quandoquidẽ multi peccatores non ſolum fidem retinent articulorum, verum etiam interdum, inter peccandum, offenſam quam norunt ſe facere Deo, quodam modo ęgre ferunt; quãquam illecti a concupiſcentia, a concepto peccato non deſiſtant. Vnde Origenes in expoſitione 2. cap. huius
Origen. epiſtolæ ad Rom. inquit. *Duram eſſe ſententiam, dicere, quòd, qui peccat, ex hoc arguatur, quòd non credat. Nam quis,* inquit, *in terris inuenitur, qui vitam ſuam ita libret, vt in nullo offendat? cum dicat B. Ioannes: ſi quis dixerit, peccatũ non habere, mẽdax eſt &c.* 1. Ioan. 1.
Et, cũ Apoſtolus ſcribẽs Timotheo, eum hortetur, 1. Timot. 1.
vt habeat fidem, & bonam conſcientiam; nempe, vt non ſolum dogmata teneat ſincera, verum etiam ſimul præditus ſit bona conſcientia, & vitæ ſit inculpatæ; ſubiungens, ꝙ qui repellunt bonam habere conſcientiam, circa fidem naufragium facillime patiuntur; hinc clare colligitur ex Apoſtoli dictis, fidem haberi poſſe abſque bona conſcientia, & ita ſine charitate fidem eſſe poſſe. At ſi ita diceretur, quòd fides ſine charitate ſubſiſtere nequeat, hac facta ſuppoſitione; quòd, credere in Deum, ſit Deo adhærere, iuxta illud. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam*: ac iuxta aſſenſum credendorum nil velle aduerſus Dei voluntatem, hoc vtique conſonum eſſet veritati fidei Catholicæ. Et hunc in modum deſcriptam fidem certe nõ haberet, quicunque ſe gereret aduerſus voluntatem, atque præcepta Dei; prædictaque fides, a Sancta Catholica eccleſia, viua fides nuncupatur. Quemadmodum, ex ſententia Beati Iacobi, illa fides dicitur mortua, quæ ſeiuncta eſt ab operibus charitatis. Quam fidem charitati coniunctam, ſi quis poſt ſuſceptum baptiſma non præſtet, non obſeruans Dei mandata, non propterea tollitur, quin, dummodo fidem credendorum dogmatum firmam retineat, non ſolum Chriſtianus nomine ſit cenſendus, verum etiam ex ſocietate eius eccleſiæ; quæ (vt militans eſt) regno cœlorum aſſimilatur. In quo, ad ſimilitudinem illarum decem Virginũ, quarum quinque erãt fatuę, quinque vero prudentes, tum boni, tum mali Chriſtiani eiuſdem fidei ſectatores comprehenduntur, ſuo deinde tempore inuicem ſegregandi. A quo regno, & a qua ſocietate Eccleſiæ, excluſi omnino intelliguntur (vt iam iudicati) quicunque vel Chriſti fidem ſuſcipere noluerunt; prout infideles, qui Euangelio credere recuſant; aut ſuſceptam turpiter reijciunt, vt, qui Apoſtatæ facti ſint, vel hæretici deuenerint. Qui quidem hæretici (ſicuti doctiſſime expoſuit Sãctus Auguſtinus in Euangelio Matth. in parabolam. *Si-* Auguſt. in
mile eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit bo- Euãg. Matt.
num ſemen, &c. a malis catholicis ſic diſtinguuntur, quòd hæretici falſa credunt, illi autem vera credentes non viuunt ita, vt credunt: ac propterea hæreticos pro zizania intelligi debere in illa parabola aſſerit Auguſtinus, vt qui ſocietatem ſolius nominis Chriſtiani habeant cum Catholicis, cum quibus in hoc ſeculo ſunt permiſti; in fidei autem, & dogmatum fundamento, a tritico, & a vera fidei doctrina ſunt ſeiuncti. Quemadmodum, ex ſententia eiuſdem Doctoris, pro palea, mali Catholici intelliguntur; vt qui cum bonis in eodem fidei fundamento conueniant; prout etiam palea idem habet fundamentum cum tritico, radicemque communem, ſed ſine bono fructu viuunt.

ARGV.

ARGVMENTVM
IN PRIOREM EPISTOLAM
Sanćti Pauli ad Corinthios.

BINAS *ſcripſit Apoſtolus Paulus epiſtolas ad Corinthios : in quibus ille potiſſi-
mum fuit ei ſcopus , vt Corinthios in fide (quam ex eius prædicatione ſuſce-
perant) quodam modo nutantes, confirmaret : ſimulque ad eam morum , & vi-
tæ diſciplinam retinendam,augendamque cohortaretur , qua decet Chriſti fideles;
cum ab ea aliquantulum declinaſſent . Vtriuſque autem epiſtolæ conſcribendæ
hæc fuit occaſio . Nam , poſt diſceſſum Apoſtoli e Corintho , & publicatum ibi
ab ipſo Euangelium , nonnulli falſi fratres ſubintroierant , primas ſibi vendi-
cantes in Eccleſia Corinthiorum ; maxime ex illis , qui philoſophiam , & ina-
nem eloquentiam profitentes , lenocinio verborum , & vanis ex falſa huius ſe-
culi ſapientia petitis rationibus, Chriſti fidem apud quorundam animos adultera-
bant : illos paulatim abducentes a Pauli beneuolentia ; quo facilius , quod moliebantur , perficerent . Siqui-
dem tumentes hi pſeudo Apoſtoli, auctoritati S.Pauli detrahere omnibus technis non deſiſtebant : diffamantes,
quòd homo abiectus eſſet , neque pro Apoſtolo cenſendus : vt qui de eorum collegio non fuiſſet , qui a Chriſto
delecti fuerant ad munus Apoſtolatus . Quorum quidem vocibus , vt aſſentiretur , non nihil illud proficiebat ,
quòd Paulus , non diuitijs, aut humanis fauoribus innixus (quin in infirmitate , & in timore atque tremore de-
gens apud Corinthios, vt teſtatur in priori ad eos epiſtola) Chriſtum Crucifixum illis prædicauerat ; non in ſa- 1.Cor.2.
pientia , ſed in ſimplicitate ſermonis . Contra vero illi alij, acerrimi eius æmulatores, fimbrias magnificantes ,
atque ſe ſe iactantes , quædam in ſuis ſermonibus inſerebant ſecundum humanam huius ſeculi ſapientiam ;
quam multi ſuſpicerent, atque admirarentur. Vnde etiam diſſectiones inter Corinthios obortæ erant : dum eorum
aliqui, huic miniſtro, alij altero, quem quiſque præſtantioris ingenij cenſeret , adhæſiſſent . Hinc factum eſt , vt
in vtraque epiſtola diuiniſſimi Apoſtoli ille præcipuus fuerit conatus , vt munus Apoſtolicæ dignitatis ſibi
commendatæ roboraret , ſuæque prædicationis auctoritatem tueretur , atque technas, doloſque pſeudo Apoſto-
lorum detegeret, & demoliretur: vt hinc,cauti facti Corinthij, ab eorum decipulis illæſos ſe conſeruarent . Quos
etiam perterefacit , vt eos ſibi magis obſequentes reddat . Idque præſtat , dum eis potentiam a Deo ſibi col-
latam ad vlciſcendam omnem inobedientiam comminatur, eam , ſæpius in vtraque epiſtola inculcans . Nam in
priori quidem epiſtola, ita habet : Tanquam non venturus ſim ad vos , ſic inflati ſunt quidam : Veniam 1.Cor.4.
autem ad vos cito , ſi Dominus voluerit : & cognoſcam non ſermonem eorum , qui inflati ſunt ; ſed vir-
tutem : non enim in ſermone eſt regnum Dei ; ſed in virtute . Quid vultis , in virga veniam ad vos ? an
in charitate , & ſpiritu manſuetudinis ? *Et Paulo infra* . Ego quidem abſens corpore , præſens autem 1.Cor.5.
ſpiritu, iam iudicaui (vt præſens) illum,qui ſic operatus eſt, in nomine D.N.Ieſu Chriſti , congregatis vo-
bis & meo ſpiritu cum virtute D.N.Ieſu Chriſti , tradere huiuſmodi hominem Satanæ in interitum car-
nis , vt ſpiritus ſaluus ſit . *Et alibi in poſteriori epiſt.ſic ait* . Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, 2.Cor.10.
ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollen-
tem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti ;
& in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit veſtra obedientia . *Et rurſus* .
Prædixi enim, & prædico, vt præſens vobis, & nunc abſens ijs, qui ante peccauerunt,& cęteris omnibus, 2.Cor.13.
quoniam ſi venero,iterum non parcam . An experimentum quæritis eius , qui in me loquitur Chriſtus ?
Et paulo poſt ibidem . Ideo enim hæc abſens ſcribo , vt non præſens durius agam ſecundum poteſtatem,
quam Dominus dedit mihi in ędificationem . *Vtramque autem hanc epiſtolam Apoſtolus ſingulari, & di-
uina quadam prudentia contexit . Nam, cum, inter Corinthios adeſſent, tum boni , pijque homines; tum alij in
fide nutantes , & animi morbo laborantes ; nonnulli etiam (tanquam anteſignani) qui ſe aliorum tanquam præ-
ſules conſtituiſſent ; horum omnium habuit rationem: dum & bonos collaudauit , hinc illos magis excitans ad
amplexandam virtutem : & collabantes corripuit, vt reſipiſcerent : & ſimul pſeudo Apoſtolorum tanquam in-
flatorum demolitus eſt technas . Prioris autem epiſt.exordium ſumpſit a quadam veluti gratulatione ſeu com-
mendatione donorum, quæ diuinitus per Spiritum ſanctum in primitiua Eccleſia immittebantur ſuſcipientibus
baptiſmum . Sicuti erat, donum linguarum, prophetiæ,& alia huiuſmodi . Idque eo conſilio fecit, vt cum de ijs
ſibi multum placerent Corinthij, hinc, ex horum commendatione, facilius allicerentur ad epiſtolam alacriter le-
gendam, & audiendam. In qua tamen Apoſtolus noſter, ſuam inſinuat orationem ad criminationes deſcendens,
quas aduerſus Corinthios emiſſurus erat . Propterea quòd non vnanimes eſſent in Chriſto , a quo diuina illa do-
na in omnes proueniſſent . Hinc etiam redarguens miniſtros , qui diſſectionis inter Corinthios fuerant auctores :
docens, miniſtros Chriſti in opere Euangelij omnes eſſe pares , vt non ſit aliquid,qui plantat , aut qui rigat ; ſed
ſunt omnes adiutores Dei, qui dat incrementum . Particulatim autem redarguit ipſos , quòd ſcortatorem faci-*

noroſum, qui cum vxore patris ſui commiſcebatur, ex ipſorum conſortio non eieciſſent. Aduerſus quem, quid illis ſit agendum, ſtatuit: nec non contra omnem publicum atque famoſum peccatorem, qui chriſtianorum collegio ſit aſcitus? Ad hæc, eoſdem corripit, quòd litium diſſidia inter ſe habentes, iudices ſibi ſtatuerent, homines infideles. Et, cum a nonnullis iniectus eſſet ſcrupulus Corinthys, quòd non deceret, Chriſtianos vxoratos rei vxoriæ vltra operam dare: hinc Apoſtolus, hoc falſum, atque periculoſum dogma corripiens, atque moderans, præſcribit illis, quomodo, qui matrimonio ſint coniuncti, ſe gerant in mutua copula: & quomodo, aut quando ab ipſa debeant abſtinere. Simul etiam hac occaſione de viduis, ac de ſolutis viris ab vxore, necnon de virginibus, & de illis vxoratis, quorum alter infidelis, altera vero eſſet fidelis, edocens, & præcipiens, & conſulens id, quod vniuiuſque ſtatui congruum, atque conueniens foret. Increpat præterea ex ipſis, eos, qui magna cum libertate ad idolia conuenirent, veſcentes magna cum licentia rebus, quæ idolis eſſent immolatæ, nullam interim rationem habentes infirmorum, quorum conſcientia ex huiuſce rei conſpectu valde concutiebatur. De conuentu quoque eorum ad eccleſiam, longum habet ſermonem, perſcribens illis modum, ac formam, quam ſequantur in orando, & prophetando, tum viri, tum mulieres: illos interim acriter pungens, quòd conſuetudinem illam laudabilem intermiſiſſent conueniendi ad ſumptionem Euchariſtiæ; quando diuites pro ipſis quoque pauperibus cœnam parabant, ſimulque omnes ſumma cum charitate epulabant. De donis præterea ſpiritualibus agit, eorum miram diuinitatem ſummopere celebrans: & quomodo in illis ſe ſe regant, Corinthios inſtruit: & quæ ex ijs donis, vti præſtantiora, & eccleſiæ præcipue vtiliora, ſectari debeant: ſtatuens, prophetiam dono linguarum (niſi ei coniuncta ſit interpretatio) præferendam eſſe. Charitatem autem ſuper omnia eſſe ſectandam, ſine qua omnia ruunt, & vana ſunt. Denique de reſurrectione mortuorum tractat, cum de ea aliqui hæſitaſſent: illam futuram omnino comprobans efficaci diſputatione; ſimulque declarans, quomodo, qualive cum corpore mortui ſint ſurrecturi; & quo ordine ſit futura reſurrectio, tum dormientium, tum eorum, qui viui inuenientur in aduentu Domini; & qualis rerum omnium creatarum ſit futurus exitus. Suppoſitaque exhortatione, qua Corinthios excitat ad collectiones faciendas pro pauperibus, qui erant in Ieruſalem, vt illis ſubueniretur, epiſtolæ finem imponit.

IN PRIO-

IN PRIOREM EPISTOLAM

Sančti Pauli ad Corinthios.

PARAPHRASIS. Cap. I.

.1. PAVLVS vocatus, vt eſſet Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, & Soſthenes frater, Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Ieſu, vocatis ad ſanctitatem, cum omnibus, qui inuocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti in omni loco, tum ipſorum, tum noſtro. Gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis, ob gratiam, quam nobis largitus eſt Deus in Ieſu Chriſto, a quo omnia ad nos bona proueniunt, quòd in omnibus diuites facti eſtis in ipſo, in omni ſermone, & in omni ſciẽtia; prout teſtimonium Chriſti (dum fidem ſuſcepiſtis, & baptizati eſtis) in vobis confirmatum eſt per dona Spiritus ſancti in vos diuinitus emiſſa; ita vt nullum deſit donum vobis, qui expectatis reuelationem, & aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti; qui (quod ad ipſum attinet) etiam confirmabit vos vſque in finem, vt ſine crimine damnationis inueniamini in illa die, qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus veniet ad iudicandũm mundum. Fidelis eſt Deus (vt de hoc minime ſit vobis hæſitandum) per quem vocati eſtis ad ſocietatem regni, & gloriæ filij ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti. Obſecro autem vos, fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idem dicatis omnes, & non ſint inter vos ſectæ; ſed ea ſit animorum veſtrorum perfecta vnio; vt idem ſit omnium ſenſus, & eadem ſcientia. Id ipſum dico: quoniam mihi ſignificatum eſt ab ijs, qui ſunt Chloes, quòd contentiones ſunt inter vos; id ipſum eſt, quòd vnuſquiſque veſtrum dicit: Ego quidem ſum Pauli; ego autem Apollo: ego vero Cephæ; ego autem Chriſti. Chriſtus diuiſus eſt? vt non ſint omnes eius fideles vnum corpus in eo? Num Paulus eſt crucifixus pro vobis? vel in nomine Pauli baptizati eſtis? Gratias ago Deo (quando huc peruenerunt veſtræ diſſectiones, vt de baptiſmi miniſtris inuicem decertetis) quòd neminem veſtrum baptizaui, niſi Criſpum, & Caium (ne forte quiſpiam eo ducatur ſtultitiæ, vt dicat, quòd in nomine meo fuerit baptizatus:) domum quoque Stephanæ baptizaui: cæterum neſcio, ſi quem aliũ veſtrum baptizauerim. Neque enim miſit me Deus, Apoſtolumque conſtituit ad baptiſmi munus; ſed ad prædicandum Euangelium. Et id ipſum quidem, non in ſapientia orationis; vt non euacuetur crux Chriſti (tãquam ſuffulta hominum ingenio, & eloquentia) ab illa gloria, quam propria virtute ſibi comparauit. Verbum enim, & prędicatio Crucis, ijs, qui pereunt, ſtultitia eſt; illis autem, qui ſalui fiunt, id eſt, nobis, potentia eſt Dei, qua ſalutem operatur in nobis. Scriptum eſt enim apud Eſaiam. Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Vbi ſapiens? philoſophus nuncupatus? Vbi ſcriba? legis profeſſor? Vbi conquiſitor huius ſeculi? Non ne Deus ſtultam fecit ſapientiam huius mundi? Nam, quando in ſapientia Dei, quę in hac admirabili mundi fabrica erat comprehendenda, mundus euaneſcens in ſuis cogitationibus, non cognouit Deum per hanc ſuam ſapientiam; placuit Deo, per ſtultitiam prædicationis, quę ſapientibus huius ſeculis ita viſa eſt, ſaluos facere credentes in ipſum; & ſapientum huius mundi perdere ſapientiam. Id autem patet, quando Iudæi, legis profeſſores, in eo ſunt poſiti, vt ſignum grande rerum ſibi dari petant; & Græci ſapientiam inquirunt: Nos autem prędicamus Chriſtum crucifixum; Iudæis quidem ſcandalum; Gentibus autẽ ſtultitiam; ipſis autem Iudæis, & Gentibus vocatis ad ſalutem, Chriſtum Dei potentiam, & ſapientiam. Neque id mirum. Nam, quod ſtultum eſt Dei apud humanũ iudicium, ſapientius eſt hominum ſapientia. Et quod infirmum eſt Dei ad mundi cenſuram; fortius eſt omni hominum potentia. Hoc ipſum enim ſpectate, fratres, in veſtra vocatione; quoniam nõ multi, ex vobis, qui ſapientes ſecundum carnem eſſent; non multi potentes; non multi nobiles vocationi, ac crucis prædicationi adhæſerunt. Verum Deus ſtulta huius mundi elegit, vt confundat ſapiẽtes; & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, & pro nihilo habentur, vt deſtrueret ea, quæ ſunt, & in magno precio cenſentur; vt hinc nulli hominum fas ſit, ex ſe ipſo gloriari in conſpectu Dei. Ex ipſo autem (ex Dei nempe electione) eſtis vos in Chriſto Ieſu: qui (Deo ita volente) factus eſt nobis, ad noſtram vtilitatem, ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio: vt hinc (ſicuti ſcriptum eſt apud Ieremiam.) Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Editio vulgata.

PAVLVS vocatus Apoſtolus Ieſu Chriſti, per voluntatem Dei, & Soſthenes frater, Eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Ieſu, vocatis ſanctis, cum omnibus qui inuocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti in omni loco ipſorum, & noſtro. Gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu, quòd in omnibus diuites facti eſtis in illo,

in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia, (ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis) ita vt nihil vobis deſit in vlla gratia, expectantibus reuelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui & confirmabit vos vſq; in finem ſine crimine, in die aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti. Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius, Ieſu Chriſti Domini noſtri. Obſecro autem vos fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſcientia. Significatum eſt enim mihi de vobis fratres mei, ab ijs qui ſunt Chloes, quia contentiones ſunt inter vos. Hoc autem dico, quòd vnuſquiſque veſtrum dicit: Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Chriſti. Diuiſus eſt Chriſtus? Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Gratias ago Deo, quòd neminem veſtrum baptizaui, niſi Criſpum & Caium: ne quis dicat, quòd in nomine meo baptizati eſtis. Baptizaui autem, & Stephanæ domum. Cæterum neſcio, ſi quem alium baptizauerim. Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare: non in ſapientia verbi: vt non euacuetur crux Chriſti. Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt: ijs autem qui ſalui ſunt, ideſt nobis, Dei virtus eſt. Scriptum eſt enim: Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens? vbi Scriba? vbi conquiſitor huius ſeculi? Non ne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? Nam quia in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Quoniam & Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt: nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum: Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam. Ipſis autem vocatis Iudæis, atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam: quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Videte enim vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt cõfundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret: vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia a Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio, vt quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur, in Domino glorietur.

ADNOTATIONES.

A VOCATVS *Apoſtolus Ieſu Chriſti, per voluntatem Dei*. Si per voluntatem Dei, igitur non ab hominibus, neque per voluntatem humanam, aut propriam, aut alienam, electus eſt Paulus ad Apoſtolatum. Ex quo patet hæc verba, *vocatus Apoſtolus*, non eam ferre interpretationem, quam ſecuti ſunt nonnulli dicentes, hac Apoſtoli nominatione, antonomaſtice, Paulum deſignari; ſicuti apud Græcos, cum poeta nominatur, Homerus intelligitur; Id enim, neque humilitati Apoſtoli conueniret, et (qui ſe indignum vt vocaretur Apoſtolus, atque minimum Apoſtolorum enunciauit in ſuis Epiſtolis) hoc faſtu ſe nominaret: neque verbis, quę hic affert, eſt conſentaneum; dum dicit, *vocatus Apoſtolus, per voluntatem Dei*, quod eſt dicere, ex beneplacita Dei vocatione ſe deſtinatum fuiſſe ad Apoſtolatum. 1. Cor. 15.

B *Et Soſthenes frater*. Hic ille cenſendus eſt Soſthenes, de quo in Act. *Apprehendentes autem omnes Soſthenem principem Synagogæ, percutiebant eum ante Tribunal*. Hunc igitur Paulus ſibi adiungit ſocium, vt maius auctoritatis pondus adijceret epiſtolæ; cum pręſertim de multis grauiter eſſet criminaturus Corinthios. Act. 18.

C *Sanctificatis in Chriſto Ieſu, vocatis ſanctis*. Sanctificati intelliguntur, qui ſunt regenerati in Chriſto per baptiſmum. Vocati autem ſancti dicuntur; vt qui vocati a Deo ad ſanctitatem, intelligerent in ea debere ſe conſeruare: Quod Apoſtolus protulit, vt Corinthijs innueret, quòd crediderint, non ipſorum eſſe opus; ſed quoniam a Deo ſunt vocati ad fidem; & hinc (vt adnotat Oecumenius) tumor ipſorum reprimeretur. Occum.

D *In omnibus diuites facti eſtis in ipſo*. Id eſt, per ipſum; vt Theophylactus, & quidam alij interpretantur. Verum, commodus etiam haberetur ſenſus; dicendo, quòd diuites eſſent facti in Chriſto, in ipſo ſcilicet; quando, qui coinſiti ſunt in Chriſto, in eo dona accipere dicuntur, tanquã eius corporis myſtici mẽbra, ad quæ, a Chriſto, qui eſt caput Eccleſię, dona influunt. Quæ autem eſſent hęc omnia, in quibus diuites facti eſſent Corinthij, exponit Apoſtolus, ſubiongens: *in omni verbo, & in omni ſcientia*; ijs dictis, forte alludens ad ea, quæ infra habentur: *Vnuſquiſque veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet, apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet*; de ijs enim donis Spiritus ſancti ſupponit Theod. hic eſſe ſermonẽ. Theophylactus autẽ animaduertit; ideo dictũ eſſe, *in omni verbo, & in omni ſcientia*; quoniam verbum, & ſermo poteſt eſſe ſine ſcientia; vt, cum quis nullo ſenſu ſuperuacanea tractat. Et rurſus ſcientia poteſt eſſe ſine verbo: vt, cum quis altiora complectitur mente, caret autem ſermone, quo illa tractet. Theophyl. 1. Cor. 14. Theodor. Theophyl.

E *Sicuti teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis*. Græce legitur καθὼς, quod nonnulli, vt Theophylactus, & Oecumenius ſumunt pro eo, quod eſt δι᾽ ὧν, id eſt, *quibus*; vnde mentem Apoſtoli ita interpretantur. Diuites facti eſtis in omni verbo, & in omni ſcientia, quibus etiam (nempe verbo, & ſcientia) confirmatum eſt in vobis teſtimonium Chriſti. Verum, cum editio vulgata ſequatur hanc lectionem, καθὼς, ideſt, *ſicut*; ideo, iuxta hanc lectionem, ſenſus hic valde accommodatus videretur: vt ſupponamus, Apoſtoli ſermonem eſſe conditionatum, hunc in modum. Vos diuites facti eſtis per Chriſtum in omni verbo, & in omni ſcientia; prout, teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis. Teſtimonium autem Chriſti erat prędicatio redemptionis humani generis factæ per Chriſti mortem, in ſalutem credentium in ipſum. Theophyl. Oecumen.

Huius

Huius autem teſtes erant Apoſtoli, præordinati a
Deo, vt ipſam publicarent per vniuerſum orbem,
vti illi, quibus dixit dominus poſt reſurrectionem
Act.1. ſuam, iam aſcenſurus ad Cœlos: *eritis mihi teſtes in
Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque
ad vltimum terræ.* Qui igitur ex hominibus hanc
admittebant prædicationem teſtatam ab Apoſto-
lis Chriſti præconibus, & fide ei adhærebant,
hi teſtimonium Chriſti habitum ab Apoſtolis ſu-
ſcipere dicebantur; ipſorumque fides, vt Deo ac-
cepta, donis confirmabatur, atque comprobaba-
tur; quæ diuinitus viſibiliter, in illa prima naſcen-
te Eccleſia, ſuper fideles ſuſcipientes baptiſmũ im-
mittebantur. Hæc autem dona (vt dicitur in epiſt.
Rom.12. ad Rom. & colligitur etiam ex his quæ infra dicun-
1.Cor.12. tur) vnicuique, ſicut Deus diuiſit menſuram fidei,
impertiebantur: vnum donum vni; aliud alteri ad
ædificationem Eccleſiæ. Ad quæ reſpiciens Apo-
ſtolus, dicit in hoc loco; *diuites facti eſtis in illo, in
omni verbo, & in omni ſcientia, ſicut teſtimonium
Chriſti confirmatum eſt in vobis*: id eſt, iuxta colla-
tionem donorum cuique in ſuſceptione fidei com-
municatorum. Et hac quidem interpretatione fa-
cillime tuemur Apoſtolum, non niſi vera loqui de
Corinthijs; neque illis blandiri; neque contraria ſibi
dicere; ſi eos poſtea appellat carnales, & ineptos ad
audienda myſteria, quæ ſunt ſecundum ſapientiam
Theophyl. Dei. Cui quidem difficultati occurrentes Theophy-
Oecum. lactus, & Oecumenius dixerunt, quòd inter Corin-
thios aderant, & ſpirituales, de quibus hic eſt ſer-
mo, dum laudantur; aderant & carnales, de quibus
infra, dum vituperantur. Sed, iuxta allatam inter-
pretationem, facilius omnis diluitur ſuſpicio, &
omne dubium euacuatur; cum Apoſtolum facia-
mus ita loquentem, quòd Corinthij, *diuites facti
eſſent in omni verbo, & in omni ſcientia*, hac condi-
tione; nempe, prout in ipſis, in ſingulis ipſorum,
teſtatæ à præconibus, & ab ipſis ſuſceptæ fidei teſti-
monium, confirmatum erat per dona in ipſos diui-
nitus emiſſa; quod in ſingulis non eadem, ſed di-
uerſa menſura effectum erat. Vnde etiam cum ſub-
iungit: *ita vt nihil deſit vobis in vlla gratia*. Hoc
dictum pariter non erit verum de omnibus Corin-
thijs indiſcriminatim; ſed de illis tantummodo, qui
innuuntur per hæc ſequentia. *Expectantibus reue-
lationem Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Siquidem cen-
ſendum eſt, nullam illis deeſſe gratiam, qui expe-
ctant reuelationem, & aduẽtum Ieſu Chriſti; quod
certe non contingit niſi illis, qui recte ſe gerunt in
fide, & bona ſuffulti ſunt conſcientia. Quibus iti-
dem conueniunt, quæ ſubiecit Apoſtolus inquiens.
*Qui & confirmabit vos vſque in finem ſine crimine in
die aduentus D. N. Ieſu Chriſti*; Iis verbis eos deno-
tans, qui cum deſiderio expectant diem iudicij: hi
enim ita diſponuntur, vt (Dei gratia fauente) im-
munes a crimine mortifero ſe conſeruent; quando
labi in peccata venialia etiam iuſti ſolent. Et hæc
quidem conſentiunt ijs, quæ ſcripta ſunt ad Titum;
Tit.2. *Apparuit enim gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus
hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, &
ſecularia deſideria, ſobrie, & iuſte, & pie viuamus in
hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum
gloriæ magni Dei*. Ex quibus apparet, rectam chri-
ſtianæ vitę inſtitutionem optime concludi in expe-
ctatione aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ad
quem quidem aduentũ quicunque intenti manent,
& deſiderio feruntur, vt illum videant; ij ſane vt im-
munes a peccatis ſe conſeruent, omni ſtudio eni-
tuntur; iuxta illud Eccleſ. *memorare nouiſſima tua*, Eccleſ.7.
& in æternum non peccabis.

Singularis autem, atque diuina Apoſtoli pruden-
tia hic eſt ſpectanda, & admiranda; qui initiũ huius
Epiſtolæ ſumpſerit a commendatione donorũ, quæ
per Spiritum ſanctum fidelibus impertiebantur. Id
enim plurimum conferebat ad confirmandos Co-
rinthios in ea Chriſti fide, per quam mira illa mu-
nera accepiſſent, ob quæ etiam tantopere ſibi ipſis
placerent, atque gloriarentur: hinc Apoſtolus pru-
denter eorum animos captans, atque demulcens, &
inducẽs quodammodo ad epiſtolam alacriter per-
legendam, & audiendam; in qua tamen de multis
illos eſſet criminaturus. Sed & ab eiuſmodi exor-
dio epiſtolæ id commodi Apoſtolus cõſequebatur,
vt Corinthijs hinc ad memoriam reuocaret, illiſque
confirmaret, Chriſti verum Apoſtolum apud illos
ſe ſe extitiſſe; cum, ipſo apud eos concionante, ſi-
gna ea ſuper illos cecidiſſent, de quibus meminit
in ſequenti epiſtola, dum inquit. *Signa autem* 2.Cor.12.
*Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos, in omni pa-
tientia, in ſignis, & prodigijs, & virtutibus*. Acce-
dit, quòd, dum generatim de Corinthijs præclara
loqueretur; hinc, qui in via Domini ſe bene gere-
bant, magis etiam excitabantur ad ſe ſe mendos in
ſuſcepta fide; & qui a recta ſemita declinabant, ta-
cite admonebantur ad reſipiſcendum.

F *In eodem ſenſu, & in eadem ſcientia*. Ita ha-
bet editio vulgata. Græci autem cod. loco huius vo-
cis, γνώσει, quam noſter interpres ſecutus eſt, tranſ-
ferens, *ſcientia*, legunt γνώμῃ: id eſt, *ſententia*.
Et Theodoretus hunc locum exponens, inquit. Theodor.
*Prædicationis erat vnus ſenſus, ſed non eadem affe-
ctio in ipſis Corinthijs*. & Theophylactus, *multi*, Theophyl.
inquit, *poſſunt idem ſentire; at animis, & charitate
diſtingui*. Ex quibus patet, ab ijs accipi ſententiam
pro ipſa animi affectione. Verum non diſcedentes
ab editione vulgata, poſſumus interpretari, quòd
verbo iſto, *ſenſu*, comprehendatur affectio, ad quam
quiſque proprio mentis iudicio ducitur: qua in ſi-
gnificatione vſus eſt etiam Apoſtolus in epiſt. ad
Rom. dum diceret, *vnuſquiſque in ſuo ſenſu abun-* Rom.14.
det: nempe quo ad eſum, ſeu abſtinentiã ciborum,
de quibus eſt ibi ſermo; prout quiſque ex propria
affectione ducebatur. Ibi enim Græca quoque vox
eadem quæ hoc loco, habetur, videlicet νοΐ, quæ
pro ſenſu, & affectione ſumitur. Per illud autem,
in eadem ſcientia, dicimus denotari, quòd, vti con-
ueniebant in eadem fidei cognitione, vt puta, quòd
eſſet vnus baptiſmus, ſicuti eſt vna fides (vt dicitur
in Epiſt. ad Epheſ.) ita in hoc pariter deberent con- Epheſ.4.
uenire, vt miniſtros baptiſmi, alios alijs ex propria
affectione præferendos non cenſerent; ſed omnes
abſque vllo diſcrimine, vti Dei miniſtros, pariter
ęſtimarent, atque venerarentur. Quòd ſi in epiſt.
ad Rom. dicitur, quòd quiſque in ſuo ſenſu debeat Rom.14.
abundare,

abundare, hic autem quòd omnes in eodem ſenſu conſentiant; aduertendum, quòd indifferenter ibi ſermo erat de eſu, & abſtinentia ciborum, prout in alterutram partem indiſcriminatim quiſque (iuxta propriã animi affectionem) declinare poterat abſq; erroris, & hæreſis periculo. Hic autem, cum eſſent Corinthij diniſi in diuerſas factiones; dum vnus vnius miniſtri aſſeclam ſe profiteretur, alter vero alterius, adeo quòd quiſque proprium delectum ſibi miniſtrum, alijs miniſtris præferendum exiſtimaret, hinc in id periculi eorum contentio deducebatur, vt crederent aliquid referre, ſi baptiſmus ab vno potius, quàm ab alio miniſtro ſuſciperetur; vnde locus hæreſi dabatur, tanquam quòd a miniſtro virtus baptiſmi, & non ab ipſa functione ſacramenti (ſecretius Deo in ipſo operante) proueniret. Ac propterea hac de re Apoſtolus admoneus, & tanquam obiurgans Corinthios, ſubiunxit; *ne quis dicat, quòd in nomine meo baptizati eſtis*. Quæ verba variant in Græco codice: vbi, pro hac dictione, *baptizati eſtis*, legitur, *baptizani*; qua voce, ipſi pręſertim miniſtri vrgentur, vti auctores borum diſſidiorum. Vnde & tacite connotantur, quaſi ſibi id vendicantes, quòd in nomine ipſorum baptizarẽt, aut diſcipulos inducerent ad enunciandum, quòd in nomine buius, vel illius miniſtri baptizati eſſent. Miniſtros autem, Apoſtolus, tacite redarguens, non eos nominat; ſed ſe ipſum, & Apollo, & Petrum pro ipſis, vt interpretes Græci communiter ſentiũt, iuxta ea quæ infra habentur. *Hæc autem transfigu-*

1. Cor. 4.

raui in me, & Apollo &c.

Chryſoſt. hom. 5.

G *Ego autem Chriſti*. Chryſoſtomus animaduertit, hæc apposita ſuiſſe ad redarguendum, non quòd dicerent, ſe eſſe Chriſti. Sed quoniam non

Auguſt. in Matth. ſer. 13.

omnes id dicerent. Auguſtinus autem in tract. 13. Euang. ſecundum Matt. refert hoc ad eos, qui boni erant ex Corinthijs, inquiens. *Alij, qui volebant ædificare ſuper petram, dicebant; ego autem Chriſti*. Forte potuit id dixiſſe Apoſtolus, ad deteſtationem, & correptionem eorum, qui dicerent: ego ſum Pauli; ego ſum Petri; adeo vt ipſe Apoſtolus in propria perſona, quaſi indignabundus, & criminans eos, ſubiunxerit; ego autem ſum Chriſti.

H *Non enim miſit me Chriſtus baptizare*. Alijs quidem Apoſtolis impoſitum ſuit munus baptizandi; dum dictum eſt ipſis.

Matt. 28.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Act. 9.

De Paulo autem dictum eſt. *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Iſrael*. Verumtamen prohibitum non erat Paulo, ne baptizaret, quamuis ad munus prædicandi potiſſimum eſſet delectus. Quod munus quidem prædicandi, munere baptizandi longe eſt *difficilius*: cum prædicatio (vt in-

Theophyl.

quit Theophylactus) ſit admodum grauis, & operoſa; *quando per ipſam a patrijs legibus, & inſtitutis, (quod eſt maxime difficile) homines eſſent deducendi. At paratum, & volentem ad baptiſmum excipere, & baptizare, facile eſt, & cuique licet id muneris obire, qui Sacerdotio fungatur*.

I *Non in ſapientia ſermonis*. Vt adnotauit Ariſtoteles in 6. libro Ethic. Sapientiæ nomen proprie cõuenit vniuerſali rerum omnium atque præcipuarum cognitioni; improprie autem & cuiuſuis artis excellentiæ accommodatur; vt propterea Polycletus, eo quòd mirifice excelleret in arte ſtatuaria, ſapiens ſtatuarius appellaretur. Hinc ſapiẽtiæ nomen ſermoni attribuitur; dum ſignificatur excellentia, qua aliquis polleat in arte dicendi. Abſque igitur huiuſmodi ſapientia ſermonis, Apoſtolus ait ſe prędicaſſe Corinthijs. Quod quidem aſſerit ad obtundendũ tumorem eorum, qui inter Corinthios eloquentiam profitentes, Paulum deſpiciebant, tanquam imperitũ ſermonis. Verum hoc loco ſapientia ſermonis poſſet etiam accipi pro ſyllogiſmis humanis, qui ad Dei myſteria explicanda ita ſunt inepti, vt verba tantum ſint inania; quod dominus ſignificauit apud Eſa. dum dicitur. *Non videbis po-* Eſa. 33.

pulum alti ſermonis, ita vt non poſſis intelligere diſertitudinem linguæ eius, in quo nulla eſt ſapientia. Et hanc quidem interpretationem innuiſſe videtur

Theophyl.

Theophylactus, dum inquit. *Si rogatus a Gentili de diuinitate quidpiam, quod ab homine comprehendi non poſſit, ſi enitar ſyllogiſmis, & exterioris huius ſapientiæ rationibus patefacere, ſuccumbam deficiens; & ita crux euacuabitur*.

K *Vt non euacuetur crux Chriſti*. Si humanam ſapientiam, & eloquentiam adhibuiſſent Apoſtoli in Chriſti cruce prædicanda, exiſtimari facile potuiſſet, quòd, qui illis credidiſſent, ex perſuaſibili Apoſtolorum ſermone inducti eſſent ad Chriſti fidem ſuſcipiendam; vnde gloria crucis euacuata eſſet; quæ, vt erat ex ſe deſpectibilis, & turpiſſima, ita quoque enuncianda erat abſque lepore, & ornatu, & artificio verborum. Vnde & illiterati, & rudes Apoſtoli, a diuina prouidentia, primi huius prędicationis præcones delecti ſunt; cum tamen crux Chriſti prædicata ſingularem ſecum afferret potentiam in ſignis, atque prodigijs mirabilibus, quæ ad prædicationem Chriſti Crucifixi conſequebantur: lenocinia autẽ, & ornamenta ſermonis eadem abhorrebat. Hinc factum eſt, vt Heraclius Imperator, dum crucem, cui affixus ſuerat Dominus, a rege Perſarum recuperatam, ad mõtem Caluariæ in humeris deportaret, ornatus amictu Imperiali, gemmis, & auro, non potuerit progredi, donec, detractis calceis, plebeioque amictu indutus, ipſam reaſſumpſit.

L *Verbum enim crucis*. Probat Apoſtolus, Euangelium Chriſti vana ſermonis ſapientia nõ eſſe tractandum. Nam eius generis eſt verbum crucis, vt pro ſtultitia cenſeatur ab ijs, qui pereunt; ſuntque illi, qui non credunt, propria inflati ſapientia, ſtultum exiſtimantes dicere, quòd Deus, qui eſt immortalis, aliqua ratione mortem pati potuerit, atque voluerit. At ijs, qui ſalui fiunt, Chriſti crux eſt Dei virtus, atque potentia, quæ magna ſane exigebatur pro conuertendo ad Deum impio, qui intellectu, & affectu perperam diſpoſitus erat circa veritatẽ. Dei autem potentia, & ex hoc ipſo maxime detegitur, quòd per auditũ mortis turpiſſimæ, quam paſſus eſt Chriſtus filius Dei pro peccatis noſtris, credẽtes in ipſum crucifixũ redemerit, & homines induxerit ad credendum in ipſum affectũ ſupplicio deſpectibili,

M *Per-*

M *Perdam ſapientiam ſapientium, & pruden-*
Theoph. Eſa.29. *tiam prudentium reprobabo*. Aut (vt exponit Theo-
phylactus) hæc verba ex Eſaia deſumpta, eo tēdunt,
vt pateſiat ex hac auctoritate, quòd ſapientes, ſe-
cundum humanam ſapientiam, perduntur. Aut
Apoſtolus voluit his verbis ſignificare, quòd crux
Chriſti non capitur ab humana huius ſęculi ſapien-
tia; quæ a Deo eſt repudiata, atque deſtructa, & fu-
tilis oſtenſa. Illud autem, *perdam ſapientiam ſapien-*
tium: referri poteſt ad philoſophiam Græcorum. Et
illud, *prudentiam prudentium reprobabo*, ad Iudęos;
qui ad captum, & vanitatē proprij ingenij, ſcriptu-
ram interpretabantur. Græce enim legitur: καὶ τὴν
σύνεσιν τῶν συνετῶν quibus vocibus proprie vis intel-
ligendi ſignificatur, vt patet apud Ariſtotelem in
lib.6. Ethic. vbi agit de virtutibus intellectiuis. Et
huic quidem interpretationi cōſentiunt verba, quæ
Eſa.33. ſubiuncta ſunt, ſumpta ex eodem Eſaia, & ab Apo-
ſtolo aliquātulum, more ſuo, immutata ad rem ſibi
propoſitam explicandam, dum inquit; *Vbi ſapiens?*
vbi ſcriba? vbi conquiſitor huius ſeculi? Quæ verba
Theodor. a Theodoreto ita explicantur; vt per *ſapientem*,
intelligat eum, qui ornatus erat græca facundia; per
ſcribam autem, Iudaicum magiſtrum; per *conquiſi-*
torem vero, eum, qui ex illis, & ijs artem diſſerendi
Theoph. exercuerunt. Theophylactus vero per *ſapientem*,
intelligit philoſophū, ipſum Græcum: per *ſcribam*,
Iudæum. *Conquiſitorem* autem dicit eſſe eum, qui
opinationibus, & inueſtigationibus quibuſdā per-
Chryſoſt. homil.4. mittit omnia; quem Chryſoſtomus diſputatorem
Ambr.c.6. nominat. Ambroſius illum eſſe cenſet, *qui a con-*
ſtellationibus regi mundum, & in ſignis ortus, & oc-
caſus fieri decernit calculis, & nihil ſine horum motu
fieri poſſe putat. Arridet autem nobis plurimum
Theophylacti explicatio, quo ad illam partem, vt
per, *ſapientem*, philoſophus intelligatur, iuxta Græ-
cam philoſophiam: per *ſcribam* autem, litteratus,
atque peritus in lege: qui (vt dicitur loco ante cita-
to apud Eſa.) ponderabat verba legis, & doctor ap-
pellatur paruulorum, ad proprij captum ingenij
verba accommodans, tanquam inflatus, ex propria
ſcientia. Pro illa autem parte, *vbi inquiſitor huius*
ſeculi? placeret, ſecundum interpretationem Theo-
doreti, intelligere vtrumque profeſſorem; nempe,
tum philoſophum, tum ſcribam: quando vterque,
iuxta mundanam ſcientiam proprijs ingenijs inni-
xam, conquirere profitetur rerum veritatem, &
vterque vanus, & longe a ſcopo aberrare oſtenſus
eſt; dum Deus ſtultam oſtendit eſſe ſapientiā, quam
mundani homines inſectantur; ſiue ex Græcis, ſiue
ex Iudæis. Quomodo autem Deus id præſtiterit,
Apoſtolus oſtendit ex ijs, quæ ſubiungit.

N *Nam quia in Dei ſapientia non cognouit mun-*
Theophyl. *dus per ſapientiam Deum*. Theophylactus hunc lo-
cum explicās, ſupponit Dei ſapientiam in operibus
mundi inexiſtentem; & quòd homines mundani,
cupidine leporis, & vanæ ſapientiæ inducti, quę
conſtat ex verbis inanibus, per hanc ſapientiam ad
Dei cognitionem peruenire nequiuerunt. Theo-
Theodor. doretus autem ſupponit in primis vnam ſapiētiam
datam hominibus, per quam & ratione præditi ſu-
mus, & ea quæ ſunt agenda diſcernimus, & artes,
ſcientiasque inuenimus, & Deum cognoſcere poſ-
ſumus. Deinde vero aliam dicit eſſe ſapiētiam, quæ
in rerum creatarum contemplatione verſatur. Ter-
tiam vero, quæ per Saluatorem noſtrum oſtēditur;
quam qui non credunt, appellant ſtultitiam; vnde
ita explicat hunc locum. *Oportebat* (inquit) *homi-*
nes, naturali a Deo accepta cognitione, per creaturas,
tanquam per pedum veſtigia deduci, & earum opifi-
cem adorare. Sed, quoniam ex ijs nullam vtilitatem
accipere voluerunt; benignus, ac clemens Deus, eis alia
ratione ſalutem procurauit; vt per eam ſapientiam,
quæ a ſtultis vocatur ſtultitia, eos ab errore liberaret.
Igitur, cum inquit Apoſtolus, *in Dei ſapientia*, in-
telligit ſapientiam, qua Deus mundum conſtruxit,
Cum vero ſubiungit. *Non cognouit mundus per ſa-*
pientiam Deum; innuit, per hæc, ſapientiam reſiden-
tem in ipſa mundi conſtructione; de qua agitur in
epiſt. ad Rom. cum dicitur, quòd inuiſibilia Dei per Rom.1.
ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur; vt per
viam creatarum rerum mundus potuerit peruenire
ad Dei notitiam, dum homines perpenderent tanti
opificis ſapientiam in mundi fabrica relucentem.
Et, quādo homines in proprijs cogitationibus eua-
neſcentes, hac via abuſi, Deum (vt decebat) non
cognouerunt, neque glorificauerunt; hinc clemen-
tiſſimo Deo placuit aliam inſtituere viam, qua ſalui
fierent credentes in ipſum. Quam quidem viam
audiens mundus, ſtultitiam exiſtimauit: nempe, ꝙ
Deus, per mortem filij ſui, genus humanum in pec-
catis mortuum redemerit. Hoc autem opus, & ſi
infirmitatem præ ſe tulerit, vt in quo ſupplicium
mortis perpeſſæ a Chriſto interuenerit (quod plu-
rimum differt ab illa magnifica potentia, qua Deus
mundum condidit) attamen & id ipſum, nō abſq;
Dei ſumma ſapientia, atque potentia perſectū eſt,
Quemadmodum hinc etiam ſumma Dei bonitas,
atque clementia eſt patefacta; cum morte filij Dei
(quod omnem ſapientiam principum huius ſeculi
latuit) mortis, atque diaboli imperium ſit deſtru-
ctum; & genus humanum redemptum ab ęterna
morte, ob immenſam erga nos Dei charitatem.

O *Quoniam, & Iudæi ſignum petunt, & Græci*
ſapientiam quærunt. His verbis Apoſtolus patefacit,
quatenus Deus ſaluos facere voluit credentes in ip-
ſum per ſtultitiam prædicationis, & ſtultam hinc
oſtendere ſapientiam ſapientum huius mundi. Si-
quidem Iudæi mundani, & carnales, huic erant ad-
dicti prudentiæ, & intelligentiæ, quòd pro redem-
ptione Iſraelis, a Deo mittendus eſſet, qui non ſo-
lum ſigna præſtaret magnæ potentiæ, qualia pręſti-
ta fuerunt ipſorum patribus, dum ipſos educeret
Deus de terra Egypti (quibus tamen longe maiora
Chriſtus pręſtitit) verum etiam, qui, iuxta mundi
conſuetudinem, potens opibus, & in magna huma-
ni falſique ſplendoris maieſtate appareret: a quibus
longe abſuit paupertas, & abiectio, & ipſa denique
mortis perpeſſio, quæ omnia Chriſtus elegit pro ſa-
lute mundi. Hinc itaque Iudæi audientes ab Apo-
ſtolis Chriſti præconibus prædicationem ab ipſo-
rum vana expectatione longe remotam; nempe
mundi Saluatorem ab ipſis expectatum, illū ipſum
extitiſſe, quem abiectum, ac morte turpiſſima con-
demnatum

condemnatum conſpexiſſent: idcirco, vt impingentes in id, quod minime omnium cogitarant, ſcandalum in Chriſto perpeſſi ſunt; ne dum, ſtultum exiſtimauerint, prædicari, quòd Dei filius mortẽ obijſſet. Quod factum etiam auditum a Græcis mundanæ philoſophiæ ſectatoribus, pro magna ſtultitia ab ipſis reputatum eſt; cum tamen hæc rei ſit veritas; hanc vnam eſſe viam ad ſalutem pro illis omnibus, qui fide confugiunt ad Chriſtum crucifixum.

August. lib. de prædest. ſanct. c. 16.

P *Ipſis autem vocatis.* Augnſtinus in lib. de prędeſt. ſanct. hunc locum interpretans, inquit: non accipi hoc loco vocationem, qua vocati ſunt, qui noluerũt venire ad nuptias; ſed certam quandam vocationem eorum, qui, ſecundum propoſitum Dei, vocati ſunt, quos ante præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui. De qua vocatione

Rom. 8.

eſt ſermo in epiſt. ad Rom. vbi ſalus confirmata ſupponitur in electis; prout in eius loci explicatione in Adnot. latius oſtenſum eſt: cum tamen effectus conſequens ad Dei vocationem, ex noſtro quoque electionis ſtudio, atque progreſſu pendeat: quemadmodum inſinuauit B. Petrus, dum dixit.

2. Pet. 1.

Quapropter fratres magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis. Vnde, quòd Chriſtus ſit potentia Dei ipſis vocatis, vt hic dicitur, poſſemus interpretari, id fieri, quatenus homines vocati, diuinæ vocationi adhærent, illamque ſectantur, ſectando Chriſtũ crucifixum: quod eſt factũ ſingularem Dei arguens potentiam. Et cũ Deus ſit non ſolum Iudæorum Deus, verum etiam Gen-

Rom. 3.

tium, vt dicitur in epiſt. ad Rom. idcirco, hinc Apoſtolus, cum prius dixiſſet, Chriſtum crucifixũ ſcandalum eſſe Iudæis mundanis, Gentibus autem ſtultitiam; poſtea ſubiunxit, quòd ex vtroque populo; ijs, qui ſint vocati ſecundum prædictam vocationẽ, Chriſtus eſt Dei potentia, vnde deluditur ſcandalum Iudæorum; & Dei ſapientia, vnde exploditur ſtultitia, quam Gentes reputarunt, quòd Chriſtus, Dei filius, dicatur crucifixus pro nobis. Quomodo autem Chriſtus ſit dicendus Dei potentia, atque ſa-

Theodor.

pientia: Theodoretus nequaquam cenſet per hæc appellari vnigeniti diuinitatem, ſed ad crucis prædicationem referri, ne Arianis, & Eunomianis detur occaſio hinc eliciendi, ſapientiam nominari Deum Verbum; tanquam Verbum ſit ſapientia, vt

Theophyl.

quid aliud a Deo Patre. At Theophylactus id minime veritus, inquit. *Si Iudæus ſigna ſequitur; ecce Chriſtus eſt Dei virtus, quæ ſignorum operatrix. Si Græcus ſapientiam, adeſt Chriſtus, qui patris eſt ſa-*

Auguſti. in pſal. 18.

pientia. Auguſtinus autem in tract. Pſal. 18. explicans, quòd Deus fecit verbo, ſapientia fecerit; & quod manu, virtute fecerit; ſupponit Chriſtum eſſe Dei virtutem, & Dei ſapientiam, & omnia in ipſo

Idem li. 15. de Trinit. ca. 5.

facta eſſe, & ſine ipſo nihil factum. In lib. autem 15. de Trinit. animaduertit, non ita filium eſſe ſapientiam patris; quaſi pater per filium intelligat. Alioquin, cum Deo eſſe ſit idem, quod ſapere, ſi a filio ſapientiam acciperet, nõ filius a Patre, quod verum eſt, ſed a filio potius Pater haberet eſſentiam. Sed Deus Pater ſapiens eſt, ea, qua ipſe eſt, ſua ſapientia; & filius ſapientia Patris de ſapientia (quod eſt Pater) de quo genitus eſt filius. Iuxta igitur hanc explicationem, Chriſtus dictus eſt Dei ſapientia; qui etiam ſimili ratione diceretur Dei Virtus: ſiquidem vbi eſt Dei ſapientia, adeſt quoque Dei potentia. Verum accommodantes hæc verba Chriſto ſecundum humanitatem, vti magis cõgruentia ijs, quæ ſequuntur, in quibus conſideratur, & perpenditur id quod infirmum, & ſtultum eſt Dei, quod ſane pertinet ad Chriſti paſſionem; non verebimur aſſerere, Chriſtum ſecundum humanitatem, quam geſſit in terris, Dei potentiam extitiſſe, qua Deus redemit genus humanum ab imperio mortis, & diaboli: quod etiam ſumma cum ſapientia Dei effectum eſt. Vnde Chriſtus crucifixus dicendus eſt Dei potentia, & ſapientia illis, & Iudæis, & Gentibus, qui vocati, ad certam perueniunt ſalutem.

Q *Quoniam quod ſtultum eſt Dei,* Quæ ſubiungit Apoſtolus, pręclare inſinuant, & comprobant (quæ dicta ſunt antea de ſapientia, & potentia Dei) ad Chriſtum, quatenus paſſus eſt mortem, accommodanda eſſe. Nam, quod ſtultum eſt Dei, & quod infirmũ eſt Dei, proculdubio inſinuant quid alienum a magnifica illa potentia, & ſapientia, quæ in mundi huius admirabili ſtructura eluceſcit; quam omnes, qui eam contemplantur, facile poſſunt conſpicere. Deum autem incarnari, & mortem ſubire turpiſſimam, hæc oculis humanis (primo ſaltem intuitu) nequaquam Dei ſapientiam, aut potentiam præſeferre videntur; ſed quandã potius inſcitiam, & infirmitatem, iuxta regulas ſapientiæ carnalis: cum tamen in eiuſmodi infirmitate, atque ſtultitia, ſingularis vigeat Dei ſapientia, omnem exuperans mundi ſapientiam: quòd, morte ſua, genus humanum mortuum ob delicta, ad vitam reuocarit: myſterium ſane adeo magnum, & abſconditum, vt ad eius profunditatem, huius corrupti ſeculi princeps Diabolus ſua ſagacitate pertingere nequiuerit; ſed hoc mirum conſpiciens ſpectaculum, defecerit magna confuſione ſuffuſus.

R *Et quod infirmum eſt Dei, eſt fortius hominibus.* Infirmum vtique fuit, quòd Verbum incarnatum humanas noſtras ſuſceperit infirmitates. Verum, licet hoc ſit infirmum in hominis natura; attamen Deus idipſum ita validum reddidit, vt moriendo in aſſumpta humanitate, ipſam mortem deſtruxerit. Quid hoc fortius? Quæ potentia huic valet potentiæ comparari? cum præſertim Deus per mortem filij ſui, & crucis deſpectibilis prædicationem, homines ob proprias nefarias cupiditates a ſe maxime alienos, atq; auerſos, ad ſequẽda crucifixi veſtigia pellexerit, eorum præconum opera: qui, & ſi pauperes, ignobiles, impotentes, & illiterati exiſtentes, & mundum ſibi ipſis quàm maxime aduerſarium habentes, attamen ſua prædicatione (Deo ita cooperante) Chriſti fidem per vniuerſum plantauerint orbem, & ad Crucifixi inſignia tam præclaram, atq; magnificam conſtruxerint Eccleſiam: in qua tenellæ virgines (& non ſolum fortes viri) diuina ea potentia ſunt corroboratæ, vt ſummis, acerbiſſimiſq; ſupplicijs affectæ, a fidei Chriſtianæ confeſſione non defecerint; ſed, inuicta animi magnitudine, conſtantiſſime mortem ſubire valentes,

ob

ob Chriſti nomen, ſanguine proprio eam decorarint, atque confirmariut.

S *Videte enim vocationem veſtram*. Propoſitam ſeotentiam; quòd Deus ſapientiam mundanam infatuauerit crucis prædicatioue, comprobat Apoſtolus ex ipſamet Coriuthiorum vocatione; cum ipſi poſſint eſſe teſtes, quòd ex ipſis ooo multi ſapientes ſecuodum carnem, & vſum mundanum Chriſti Euangelio adhæſerint. Hinc igitur, ſi ſapientes de ingenio proprio ſibi placentes, crucis prædicationem uon admiſerunt, eo quòd ad eorum vanam ſapientiam non arrideret, & ob id a ſalute ſe louge fecerunt; manifeſte arguitur, ſtultam ipſorum fuiſſe ſapientiam, qua ſe ſapientes prædicarent, cum neſcierint ſapere, quæ ad propriam ſaluté attinerent. Siquidē ſapientes mundani abhorrentes, tanquam ſtultitiam, crucem filij Dei, difficilius ad fidem Chriſti conuertebantur, quàm rudes, & illitterati homines; qui obicem ex propria ſapieuria non ponentes, facilius admittebant Euangelicam prædicationem, tot præſertim miraculis confirmatam. Quemadmodum etiam ignobiles, & pauperes facilius Euangelium ſuſcipiebant quàm poteutes, & nobiles: vt qui magis obſiſterent legi Euangelicæ, quæ humiles, atq; pauperes ſpiritu requirit. Et hæc qmdem præcipue euenere in initio Euangelij ob rei nouitatem; cum poſtea propalata, & amplificata, atque glorificata exiſtente in multis Chriſti prædicatione, non pauci etiam ex ſapientibus, & potétibus, & nobilibus ad Chriſti fidem aſciti fuerint. Verum in initio prædicationis Euangelicæ, Deus quàm maxime ſibi complacuit (vt ſubiungit Apoſtolus) eligere, tum quæ ſtulta ſunt ſecundum mundum, vt confunderet ſapientes; tum infirma, vt confunderet fortia; tum ignobilia, & contemptibilia, vt confunderet quæ maxime æſtimantur in mundo. Et id quidem, vt palam fieret, quòd nemo ex hominibus poteſt gloriari ex ſe ipſo coram Deo. Non quidem ignobiles, ſtulti, & infirmi; tum hi neque ſecundum mundum habeant vnde glorientur. Sed neque qui ſunt ſapientes, aut poteutes ſecundum mundum; quãdo per eos (qui ſecundum mundum cenſentur ſtulti & contemptibiles) ad ſcitos ad ſe, Dens ſapientiã ſapientum ſecundũ mundum confudit, & potentium potentiam deſtruxit.

T *Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Ieſu*, id eſt, vos, qui coinſiti eſtis iu Chriſto, eſtis ex Deo, ab ipſo pendentes, ab eius parte eſtis, non ex muudo, ſed ex Deo; qui, Chriſto mediatore, ſapientes vos effecit, & iuſtos, atque redemit. ſiquidem Chriſtus factus eſt oobis ſapientia, & iuſtiria, & redemptio; ita vt per ipſum & ſapientiam, & iuſtitiam & redemptionẽ cumulatiſſime conſecuti ſimus; vt hinc qui gloriatur, in Domino glorietur, a quo & creatus, & redemptus eſt homo.

Aduertendum eſt autem, quòd crucis prædicatio (vt colligitur ex ijs quæ habentur iu hoc cap.) nullo indiget ornatu orationis; ſed ſimplici ſui contenta eſt enarratione; quæ deinde ſignis, atq; prodigijs confirmabatur. Quæ quidem ſimplex ratio prædicandi, remota ab omni lenocinio orationis, maxime conueniens fuit eo tempore, quo cœptum eſt publicari Euangelium. Et id quidé diuina prouidentia effectum eſt, vt omnino hinc perſpicuum fieret omnibus hominibus, noo ab eloquentia conuerſionem pendere eorum, qui fidem ſequerentur Chriſti crucifixi. Atque ideo elegit Deus ab initio, (qui eſſent præcones Euãgelij, & crucis Chriſti) homines iufirmos, & ignobiles, & ſecundũ humanã ſapientiam ſtultos, imperitos, & illitteratos, vt fortia mundi, & ſapiẽtes mundi, & ea quæ in mundo magni fiunt, vna cum eorum ſuperbia demoliretur: ita ordinans diuina prouidẽtia, vt hinc potentes, & ſapientes mundi excitarentur ad reſipiſcendum; dum contemplarentur mira illa opera, quæ Apoſtoli piſcatores, rudes, & nullius ſecundum mundum pretij homines præſtitiſſent; mundum ad ſe trahentes, effecti piſcatores hominum. Et id qnidem perficientes, quanquam prouinciam hanc difficillimã ſuſcepiſſent, vti doctiſſime, & elegantiſſime perpendit Chryſoſtomus in commentarijs huius primi capitis. Chry ſoſt. homil. 3. Nempe, quòd infirmi vicerint potentes, non victi fuerint: quòd difficilia, & ſenſui repugnantia loquerentur, & proponerent hominibus de ſpretu rerum mundi, & humanarum voluptatum: quòd periculis multis agitarentur; pauci eſſent, ijdemq; diſperſi per vniuerſum orbem; quòd rudes, indocti, ſine eloquentia; quòd barbaros ſceleribus onuſtos ad fidem conuerterint; quamquam illis bona non præſentia, ſed futura promitterent: quodq; articulos fidei illis perſuaſerint: Deum hominem factum; corporum reſurrectionem; & alia huiuſmodi: quæ certe non niſi magna Dei potentia, atq; ſapientia, quæ ſuperant omnem humanam potentiam atque ſapientiam, præſtari potuerunt. Verum, quamquam crux Chriſti eloqueotia non egeat ad hoc vt magnificetur: attamen non inficiandum, quin magnum eloquentiæ campum recipere poſſit, in quo valeat miris in modis exultare oratio, vel in Dei patris, & Chriſti filij immenſa erga nos charitate commendanda, quòd pater filium tradiderit pro peccatis noſtris, & filius pro nobis impijs mortem turpiſſimam ſubire voluerit, vt nos Deo patri reconciliaret: vel in deteſtanda peccatorum turpitudine: vel ad Deum diligendum, eiuſq; præcepta obſeruanda genus humanum cohortando: vel & martyrum qui pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum fuderunt, & aliorum ſanctorum laudes celebrando, quorum veſtigia reliqui imitentur. Vnde (vt aduertit hoc loco Theodotetus) nõ damnat Apoſtolus eloquentiam; ſed eos, qui ipſa ſunt abuſi, eam fraudis eſcam efficientes. Theodot. Nam Deus (inquit ipſe) *ſuppeditat eloquentiam, cum diuiſerit ipſe linguas, & vnicuique linguæ proprios characteres tribuerit, & linguæ græcæ quoq; elegantiam & ſplendorem donauit.*

Quod vero attinet ad ſapientiã humanam, quam Apoſtolus videtur in hoc cap. reprobare, aduertendum, quòd vſus ille rationis quo homo poſſit Deũ ex viſibilibus cognoſcere, nõ reprobatur, Dei enim eſt lumen, quod largitur hominibus: ſed reprobatur ſapientia illa carnalis, qua homo ſuperbe ſibi aſſumpſit, quaſi ex ſeſe ſapiens eſſet: & quoniam etiam vanis ſuis cogitationibus, & ratiocinijs diui-

næ maieſtati detrahere ſit auſus, limitans Dei potentiam ad arbitrium proprij iudicij, ſtatuenſque plurima iniqua & falſa dogmata; propter quæ ingenia ſuperborum hominum in reprobum ſenſum ducta ſunt, Deo ita permittente ipſorum culpa, vt hinc in infinita propemodũ genera malorum inciderint, quæ longa oratione perſequitur Apoſtolus
Rom. 1. in Epiſt. ad Rom. Cum autem hoc loco dicat Chry-
Chryſoſt. hom. 4. ſoſtomus, quòd rationibus ex contemplatione fabricæ huius vniuerſi erat cognoſcenda infinita Dei potentia, & nunc fide opus eſſe; Ad id addere hoc quoque poſſumus; quòd, quantum attinet ad proceſſum, quo mens humana lumine naturali, per ea quæ facta ſunt, ducitur ad Deum cognoſcendum; vtique via hæc firma manet reſidens in libro creaturarum: quam qui ingreditur, ſtimulum inde validum obtinet ad ſupponendã diuinitatem, & æternam Dei potentiam, quam nonnulli philoſophi aſſeruerunt, ab effectibus, ab ipſa rerum ſenſibiliũ generatione, & motu argumentantes. Verumtamen & illud eſt certiſſimum apud omnes, qui fidem de Deo infuſam ſuſcipiunt (quam nemo niſi ex ſpeciali & ſupernaturali diuino auxilio obtinet) aliquid ſemper præcedere, tanquam ſtimulum quendam, vnde poſſint incitari ad fidem huiuſmodi rerum inuiſibilium amplexandam; ſiue ſint internæ inſpirationes, ſiue externa ſigna rerum ſenſibiliũ; quod in expoſitione Epiſtolæ ad Hebr. vbi ab Apoſtolo deſcribitur fides, luculentius erit explicandum. Adfuit quidem ſemper, vti & nunc manet mirabilis hæc mundi fabrica, ex cuius contemplatione ad Deum excolendum homines (præſertim ſapientiores) induci poterant, & eorum exemplo, & auctoritate alij rudiores. Sed procedente tempore, cum mundus magna cęcitate laboraret, in dieſque longius fieret a Dei cognitione, hinc Deus nouis quibuſdam ac mirabilibus ſuæ potentiæ operibus (quæ præſtitit præter rerum ordinem) electum ſibi populum Hebræorum ad ſui notitiam, & cultum excitauit; quibus etiam (ſub nube tamen ac certis in figuris) opus redemptionis humanæ, quale nam eſſet futurum, ſignificatũ eſt: quod deinde in Chriſti aduentu magis cępit manifeſtari ex eius prædicatione, ac miris, innumeriſq; operibus, quæ fecit: quibus, qui ea ſpectarunt, & Chriſtum concionantem audierunt, induci quàm maximè potuerunt ad credendum, illum ipſum eſſe, per quem mundi redemptio eſſet perficienda; quam à patre impetrauit, mortem obeundo, quam paſſus eſt, electo illo populo Hebræorum eam procurante, & acclamante quòd reus eſſet mortis. Cumq; Deus opus humanæ redemptionis per Chriſti filij ſui turpiſſimam crucis mortem perfeciſſet (qui deinde reſurrexit tertia die, & ad cœlos aſcendit, ſedens ad dexteram Dei patris, omni obtenta poteſtate in cœlo, & in terra) myſteriumq; hoc immenſum per homines delectos ſibi Apoſtolos, qui ipſum ſecuti fuerant, dum viueret in hac carne mortali, mundo publicandum eſſet; his ipſis poſt paſſionem, & reſurrectionem ſuam a mortuis, præbuit ſe viuum,
Act. 1. (vt dicitur in Act. Apoſt.) in multis argumentis, per quadraginta dies apparens eis: nimirum, vt hinc Apoſtoli ipſi in fide magis roborarentur. His deinde præconibus vſus eſt Deus ad prædicandũ Euangelium, & ad inducendos homines ad fidem amplexandam Chriſti filij ſui crucifixi; quam ſane, cum eſſent illitterati, rudes, & ignobiles, in animis humanis infigere, vt fecerunt, non potuiſſent; niſi Deus eiſdem potentiam ſignorum, quæ operarentur in nomine Ieſu Chriſti, contuliſſet; quibus qui audirent verbum Euangelij, ad ipſum ſuſcipiendum inducerentur. Et id quidem diuinæ ſapientiæ, quæ diſponit omnia ſuauiter, maxime conueniens fuit; nempe, vt in naſcente Eccleſia, dum ipſius fundamenta iacerentur, ex miris operibus e manibus Apoſtolorum prodeuntibus, eorumdem prędicatio confirmaretur. A quibus deinde, poſt cõfirmatã Chriſti fidẽ, & auctã auctoritatẽ Eccleſię, interim ſeſe ſubtraxit diuina potentia: cum tamen horũ loco plurima ſucceſſerint: quibus, qui ſubſequentibus ſeculis aduenerunt, tum ad ſuſcipiendam fidem, tum ad confirmandũ in ea iam ſuſcepta animum, quàm maxime corroborari poſſent. Adeſt ſiquidem (præter mundi fabricam, cuius liber reſeratus ſemper manet) certa, ac mirum in modum idonea, & potens rerum præteritarum cognitio, rebus ſubſequentibus non mediocre lumen afferens; & martyrũ item teſtimoniũ tot myriadum pro Chriſti nomine occubitorum; aliorumq; ſanctorum, qui Chriſti fidem confeſſi ſunt, caterua innumerabilis; inter quos & viri litteratiſſimi, & potentes Reges, & Imperatores extiterunt, cum poſt Chriſtum totus pene mundus ierit. Accedit ad hæc Eccleſiæ Chriſtianæ ſtabilitas; ac veteris cum nouo teſtamento ſumma conſtanſq; concordia; necnon & educatio teneris ab annis in hac religione, quam multæ nationes multis iam ante ſeculis receperunt. Ac ſuper omnia potens diuina illa gratia emanans e ſuſceptione ſacramentorũ, quæ animis fidelium maximum robur affert ad conſiſtendum in fide: quæ omnia (accedente etiã poteſtate clauium atq; potentia Eccleſiæ Romanæ) hominem, qui rationis imperio regatur, ad ſuſcipiendam Chriſti fidem quàm maxime cõmouere poſſunt, & qui eam iam ſuſceperint, eos in eadem validiſſime confirmare.

PARAPHRASIS. CAP. I I.

ET ego fratres (vt in me ipſo quoque, quod modo dixi, animaduertatis) veniens ad vos, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, vt vobis alta proponerem, dum denunciarem vobis Chriſti teſtimonium. Etenim nihil aliud iudicaui (quoniam ita cõueniret tunc ad rem noſtrã) me ſcire inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hũc crucifixum. Et ego quidem in infirmitate, non in potentia; ſed in timore, atque tremore multo apud vos fui, multis grauiſſimis oppreſſus perſecutionibus: orationque mea non in perſuaſibilibus fuit humanæ ſapientiæ ſermonibus: ſed in oſtenſione ſpiritus e cœlo ſuper vos dimiſſi, & potentiæ diuinæ ſignis, atque prodigijs propalatæ; vt ita fides veſtra, non a ſapientia humana, ſed ab ipſa Dei potentia omnino

omnino pendere omnibus appareret. Sapientiam autem loquimur inter perfectos, non quidem vanã ſapientiam huius ſeculi; neque eam, quam habent Principes huius ſeculi, qui deſtruuntur, atque deficiunt. Sed Dei ſapientiam loquimur in myſterio de Verbo incarnato, abſconditam ſcilicet in carne ſapientiam, quam Deus ante ſecula prædeſtinauit in gloriam noſtram; eam nempe, quam nemo ex Principibus huius ſeculi cognouit. Quandoquidem, ſi eam percepiſſent, numquam Ieſum Chriſtũ huius tantæ glorię Dominum crucifixiſſent. Verum (vti ſcriptum eſt apud Eſaiam) quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit, quæ pręparauit Deus diligẽtibus ſe; nobis Deus reuelauit per Spiritum ſanctum ſuum. Siquidem ſpiritus cuncta ſcrutatur, etiam quæ ſunt profunda Dei. Nam, quemadmodum nullus hominum nouit, quæ ſunt in corde hominis, niſi in ipſo fuerit ſpiritus eiuſdem hominis; ita quoque, quę Dei ſunt, nemo nouit, niſi ſpiritus Dei. Nos autem ex fidei, atque baptiſmi ſuſceptione, accepimus ſpiritum, nõ mundi, ſed eum ſpiritum, qui ex Deo procedit; ita quidem, vt dignoſcamus, quę nobis ſunt dono a Deo datã. Quę etiam loquimur, non ſermonibus ex doctrina humanæ ſapientiæ petitis; ſed illis, qui a doctrina Spiritus ſancti nobis ſubminiſtrantur; ſpiritualibus rebus ſpiritualia quoque comparantes, & aptantes verba. Homo autem animalis, qui carnali eſt addictus concupiſcentiæ, non percipit, quæ ſunt ex ſpiritu Dei; pro ſtultitia enim ab ipſo cenſentur. Idque propterea quòd ſpiritualiter iudicatur, atque redarguitur, tanquam incapax harum rerum diuinarum. Homo autem ſpiritualis iudicat omnia, & quæ ſunt ſecundum ſpiritum, & quę ſine ſpiritu ſunt: & ipſe a nemine iudicatur. Quis enim non habens ſpiritum Dei, nouit mentem Domini? aut quis inſtruit eum? Nos autem, qui in Chriſto ſumus inſiti per fidem, Chriſti mentem tenemus; vt quæ ſunt ſpiritualia, atque ſecundum Dei ſpiritum, percipere valeamus.

Editio vulgata.

ET ego cum veniſſem ad vos fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientia, annuncians vobis teſtimonium Chriſti. Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtũ, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos: & ſermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis: vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Sapientiã autem loquimur inter perfectos. Sapientiam vero non huius ſeculi, neque principum huius ſeculi, qui deſtruuntur: ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram, quam nemo principum huius ſeculi cognouit: ſi enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Sed ſicut ſcriptum eſt, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum; nobis autem reuelauit Deus per Spiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei. Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt: vt ſciamus, quæ a Deo donata ſunt nobis: quæ, & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis: ſed in doctrina Spiritus, ſpiritalibus ſpiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere: quia ſpiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia: & ipſe a nemine iudicatur. Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis inſtruxit eum? Nos autem ſenſum Chriſti habemus.

ADNOTATIONES.

IN *ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ.* A
Theodoretus explicans hunc locum, per Theodor.
ſermonem, intelligit eloquentiam, & per
ſapientiam, artem dicendi. Theophylactus autem Theophyl.
humanam intelligit ſapientiam. Forte ijs verbis potuit Apoſtolus innuere, quòd in ſuo primo acceſſu ad Corinthios, dum iaceret apud eos fundamentum fidei (quod Chriſti teſtimonium nũcupat, quoniam prædicaret teſtando, quę de Chriſto erant credenda) abſtinuit a ſublimitate illa ſermonis, ſeu ſapientiæ, quam loqui conſueuerat inter perfectos; ita quidem, vt hoc loco ſermo eatenus diſtinguatur a ſapientia; quatenus ſermo eſt ille, qui continet, & exprimit conceptiones, quę referunt ſapientiam, iuxta illud vulgatum; voces ſunt ſigna eorum, quæ ſunt in animo. Adiudicauerat enim Apoſtolus, (quoniam ita conueniret) nil aliud apud Corinthios profiteri ſe ſcire, quàm Ieſum Crucifixum; cuius morte redẽptos illos omnes edoceret, qui in ipſum crederent; myſteria interim diuinitatis, quæ latebant in Chriſto, reticens; cum tamen, quę de Chriſto mũdi redemptore prædicaret, ſignis, atque prodigijs, & virtutibus Spiritus ſancti diuinitus emiſſis confirmaret: ſed & in hoc abſtinens a ſermonibus, quibus ad perſuadendum inniti ſolet humana ſapientia. Et id quidem ex Dei ſumma prouidentia effectum eſt, vt ita Corinthiorum fides ab omni ſuſpitione eſſet remota, quòd non ab hominum ſapientia, ſed a Dei potentia manifeſte penderet, qui eam in ipſorum animis infixiſſet. Et cum dicat Apoſtolus, quòd Corinthijs prędicauit Euangelium in timore, & tremore conſtitutus, vt qui tribulationibus
plurimis affectus eſſet (vt legitur in Act. Apoſtol.) Act. 18.
hinc optime confirmat dictum in pręcedenti cap. nempe, quòd Deus elegit infirma, vt confunderet fortia; & quòd crux Chriſti non innititur humanæ ſapientiæ, atque potentiæ viribus; ſimulque obtundit eorum tumorem, qui gloriabantur in diuitijs, aut in ſapientia humanæ eloquentiæ; vti etiam redarguuntur non veri eſſe concionatores Chriſti, qui vijs iſtis humanis innitterentur. Quòd vero hinc colligatur, Beatum Paulum ſibiipſi etiam timuiſſe imminentia pericula; nil mirum eſſe debet, cum & ipſe homo eſſet. Etenim, ſi non timuiſſet, quid (vt

Chryſoſt. hom. 6. perpendit Chryſoſtomus) ex illis mereri poterat? Verumtamen illud potiſſimum timebat, atque verebatur Apoſtolus; ne, prędicatione ſua impedita ob perſecutiones ſibi factas Corinthi, obex Chriſti fidei in illa ciuitate poneretur; vnde, vt huic tanto incommodo proſpiceret, omni ſuo conatu, atque vigilantia curabat.

B *Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Ex ijs patet, quòd Paulus, & ſi ſapientiam humanã declinabat, at non illam, quę eſt ſecundum Deum, quam tamen non loquebatur ijs, qui nouiſſime initiati erant in fide Chriſti; quibus (quòd nondum eſſent apti ſolido cibo) lac ſuggerebat, tradẽs illis elementa inchoationis Chriſti ſermonum; de quibus Hebr. 6. eſt ſermo in epiſt. ad Hebręos. Perfectioribus autem ſapientiam ſuppeditabat; dum, de Chriſti diuinitate diſſerebat, vel circa myſterium aliquod veteris teſtamenti philoſopharetur; prout pulcherrima, & diuiniſſima eſt illa ſpeculatio, quam habet de Melchiſedech in eadem epiſtola ad Hebręos. Hinc norma proponitur, ne quæſtiones, & abſtruſæ admodum difficultates penes dogmata fidei rudibus, & idiotis proponantur, quos ſimplici enarratione, iuxta traditionem eccleſiæ, de fidei articulis decet erudire; & non cibo grauiſſimarum quæſtionum, Theophyl. cui non ſunt apti, eorum ſtomacum onerate. Theophylactus autem hoc loco perfectos intelligit, ipſos fideles, cum tamen inter ipſos poſſit eſſe hoc diſcrimen, quòd horum aliqui ſint imperfecti, tanquam infantes, quibus opus eſt lacte; & alij perfecti, qui ſunt valde ſpirituales; qui (vt dicitur in epiſtola ad Hebr. 5. Hebr.) pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, & mali; quibus etiam cibus ſolidus conuenit, & ſermo continens ſapientiam di-Chryſoſt. homil. 39. in Math. cap. 11. uinitatis myſteriorum Dei. Vnde Chryſoſtomus hunc de lacte, & pane ſermonem interpretans in Euang. Math. ait, quòd *omnis prima inductio fidei, id eſt, ſimplex doctrina, lac dicitur. Quoniam, ſicut lac ſine labore, & ſine opere dentium manducatur, & manducatum ſuauitate ſua delectat: ſic & mirabilia nullum laborem videntibus ponunt: ſed videntes admiratione delectant, & ad fidem molliter inuitant. Panis autem perfectionis, doctrinam iuſtitiæ ſignificat, quam accipere non poſſunt, niſi exercitati ſenſus circa res ſpirituales: quoniam, qui audit, neceſſe habet intra ſe tractatibus quibuſdam diſcutere, & meditari, quaſi quibuſdam dentibus ſpiritualibus molere*: Hæc Chryſoſtomus.

C *Sapientiam vero non huius ſeculi.* Hanc ſapien-Theophyl. tiam, de qua hic eſt mentio, Theophylactus, & alij Græci expoſitores temporariam, & momentaneam ſapientiam intelligunt cum hoc ſeculo euaniturам. Cum vero ſubiungit Apoſtolus. *Neque principum* Theodor. *huius ſeculi qui deſtruuntur.* Theodoretus ait intelligi Sophiſtas, Poetas, Philoſophos, & Oratores, vt qui, ob eloquentiã in hac vita ſint clari, & illuſtres. Forte, per *ſapientiam huius ſeculi*, Apoſtolus intellexit corruptam, & falſam ſapientiam huius mundi, qui poſitus eſt in maligno. Et per, *principes huius ſeculi*, intelligit dæmones; de quibus (ait Apoſtolus) quòd *corrumpuntur*: vt qui in primo Chriſti aduentu proſtrati fuerint, expoliati ab illa tyrannide, qua captiuos detinebant patres; quos Chriſtus deſcendens ad inferos, eoſque liberans ex lymbi ergaſtulo, ſecum euexit ad gloriam regni cœleſtis. In ſecundo autem Chriſti aduentu penitus deſtruentur, vt prorſus in ipſis deficiat omnis illa poteſtas, quam adhuc (Deo ita permittente) dæmones exercent, vt homines male perdant, aut ſuis technys eos ad ſe perdendos inducant, iuxta illud Beati Petri. *Sobrij* 1. Pet. 5. *eſtote, & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Et Paulus hoc idẽ ſignificauit in epiſtola ad Epheſios, Epheſ. 2. dum ait. *In quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſeculum mundi huius, ſecundum principem poteſtatis aeris huius ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ.*

D *Sed Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt.* Sapientia, quam loquebatur Apoſtolus inter perfectos, eſt filius Dei vnigenitus, qui eſt ſapiẽtia patris, quę ſapientia poſita eſt in myſterio, quatenus abſcõdita eſt in carne, quam Verbum aſſumpſit, iuxta illud ad Coloſſen. *Quia in ipſo inhabitat* Coloſſ. 2. *omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, vt ſit idem, & verus Deus, & verus homo. Et hunc horum verborum ſenſum inſinuant, & patefaciunt, quæ ſubſequuntur verba. *Quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram*; nempe, vt Verbum, ſapientia Patris, homo fieret, & mortem obeũdo redimeret genus humanum, ad gloriam regni cęleſtis ſuos fideles trãsferendo. Cui operationi (quoniam tempore ſubſequente, quod erat deſtinatum in mente diuina euenturum erat) idcirco perbelle ratio prædeſtinationis conuenit. Theophylactus autem cum Theophyl. alijs Græcis interpretibus, *ſapientiam*, de qua hic eſt ſermo, referunt ad crucem. Siquidem in cruce, dicunt, eatenus ſapientiam inexiſtere, quatenus per hanc ipſam, qui credunt in Chriſtum, tum ſalutem, tum gloriam conſequuntur. Myſterium autem appellari (inquit Theophylactus) tum quoniam latuit Theoph. Angelos, antequam fieret incarnatio; tum quoniam aliud ſpectamus, & aliud intelligimus: vt puta, paſſio videtur, & virtus cognoſcitur: ſeruus auditur, & Dominus adoratur: ex quibus, diuinitatem quoq; comprehendi, poteſt eſſe perſpicuum.

E *Quam nemo principum huius ſeculi cognouit.* Chryſoſtomus Herodem, & Pilatum intelligit. Chryſoſt. homil. 7. Theodoretus adiungit Annam, & Cayphã, & alios Theodor. Principes Iudæorum. Cum autem ſubiungit Apoſtolus. *Si enim cognouiſſent, numquam gloriæ Dominum crucifixiſſent*; hæc verba ponderans Oecumenius, inquit; Oecum. *ſi per principes intelliguntur Herodes, & Pilatus, facilior euadit expoſitio verborum. Nam*, inquit, *ſi hi cognouiſſent, Dominum gloriæ non crucifixiſſent; non enim tanta capti erant inſania, cum eos non occuparet inuidia, vt iudæi obcæcati erant. Si autem principes ſacerdotum intelligantur*, inquit, *ſi cognouiſſent per Chriſtum Gentes in ſalutem perducendas, ne id efficeretur, Dominum gloriæ non crucifixiſſent.* Cum autem in Act. per Petrum dictum ſit, Act. 3. quòd Iudęi Chriſtum per ignorantiam condemnarunt, vti & ipſorum principes fecerunt; hinc non viderentur Iudæi culpandi, tanquam rei peccati. Verum in oppoſitum dixit Dominus apud Ioann. Ioan. 17.

Si non

Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, & opera non feciſſem in eos, quæ nemo alius fecit, peccatū non haberent. Idcirco dicendum eſt, quòd Iudæi, & eorum principes ignorarūt in Chriſto latentem diuinitatē, quòd eſſet Deus. Id enim ſi cognouiſſent, Dominum gloriæ neutiquam crucifixiſſent; non enim animum vmquam induxiſſent, vt Deum cru-

Chryſoſt. hom. 25. in Matt. c. 10.

cifigerent. Quod pronunciauit Chryſoſtomus in Matth. inquiens. *Si manifeſte cognitus fuiſſet filius Dei, nemo fuiſſet auſus manus inycere in eum.* Verumtamen non excuſandi, ſed graui ſupplicio plectendi erunt ex Iudæis illi, qui tot ſigna, atque prodigia videntes, quæ Chriſtus faciebat cum mira vitæ ſanctitate coniuncta, & eius irreprehenſibilem doctrinā audientes; ipſum nihilominus tamen, ob

Ambr. c. 9.

liuorem, morti damnarunt. Ambroſius, per Principes huius ſeculi, intellexit dæmones, qui præcipui auctores extiterūt necis Domini; quam certe numquam procuraſſent, ſi hinc cognouiſſent, ſalutem, & gloriam humano generi peruenturam. Nam inuidi noſtræ ſalutis exiſtentes, vtique (quantum in illis fuiſſet) vt Chriſti mors diuerteretur, operati eſſent; vt patuit ex eo, quòd vxorem Pilati grauibus ſomnijs concitarūt, vt Pilatum ab occidendo Chriſto deterreret; nimirum, vt, qui iam præſagirent neſcio quid illius demolitionis, & ruinæ circa potentiam regni eorum, quæ hinc ſubſecutura erat.

Leo Papa ſerm. 11. de paſſio. Domini.

Et in hanc ſententiam ſcripſit etiam S. Leo Papa, inquiens. *Si enim crudelis, & ſuperbus inimicus conſilium miſericordiæ Dei noſſe potuiſſet, Iudæorum animos manſuetudine potius tēperare, quàm iniuſtis odijs ſtuduiſſet accendere, ne omnium captiuorum amitteret ſeruitutem, dum nil ſibi debentis perſequitur libertatem.*

Luc. 4.

Quòd ſi legitur apud Lucam, *quod exibant dæmonia a multis clamantia, & dicentia, quia tu es filius Dei, & increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.* Dicendum ad hoc, dæmones, ſaltem ex pluribus coniecturis potuiſſe cognoſcere, quòd Chriſtus eſſet Meſſias, qui venturus erat. At quòd idem eſſet verus filius Dei, ipſum Verbum, Deus de Deo in aſſumpta carne, id minime cognouerunt; aut quòd per ipſum, eiusq; mortem redimendum eſſet genus humanum. Nam, ſi hoc de Verbi incarnatione myſterium latuit Angelos bonos (ſicuti in generali Præfatione. cap. 1. explicatum eſt) id multo magis de dęmonibus eſt

Auguſt.

aſſerendum. Quod etiam inſinuauit Aug. in Quæſt. Nou. Teſtam. quęſt. 66. dicens, quòd dęmonia ſciebant quidem ipſum eſſe, qui per legem fuerat promiſſus, myſterium autem diuinitatis eius ignora-

Ambr.

bant. Hoc etiam habet Ambroſius in huius loci cōment. inquiens, quòd *dæmones ſciebant ipſum eſſe, qui in lege promiſſus erat, myſterium tamen eius, quo filius Dei eſt, neſciebant.*

F *Sed ſicut ſcriptum eſt.* Id vult Apoſtolus hoc loco, quòd quamuis Principes huius ſeculi ignorarunt ſapientiam abſconditam in myſterio, quam Deus prędeſtinauit in gloriam noſtram; attamen Deus manifeſtauit eam hominibus, dum ipſis ea reuelauit, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit; nempe, quę prępa-

Theophyl.

rauit Deus diligentibus ſe. Vnde infert Theophyl. quòd prophetæ non oculis mortalibus hæc ſpectabant, neque auribus hauriebant humanis, nec mente hac mortali intelligebant, quæ de Chriſto prædicerent, ſed cuncta diuinitus per eos enunciabantur.

G *Scrutatur omnia ipſe ſpiritus Dei.* Non ignoratione autem ſcrutatur, quaſi indigens inueſtigare, quę ſibi ſint ignota, vt aduertunt Theodoretus, & Theophylactus. Alioquin, cum etiam dicatur de Deo, qui ſcrutatur corda hominū, videretur, quòd & ipſe ſcrutaretur quaſi ignorans. Scrutari igitur ſpiritum, nil aliud eſt dicere, niſi quòd ad omnia pertingit, ſicuti & Deus.

Theodor. Theophyl. Roman. 8.

H *Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt?* Ex hac Apoſtoli ſententia clare colligitur, quòd homo non poteſt certo ſcire, quę lateant in corde alterius hominis: ſed neque dęmon, neque Angelus (vt inquit Thomas) quoniam non illabuntur menti humanę, vt ſunt in corde hominis: atque ideo ſoli Deo relinquitur hęc facultas, vt ſit ſcrutator cordium. Et Aug. in lib. 2. Retract. cap. 30. retractans alibi hoc a ſe dictum, quod *dæmones aliquando, & hominum diſpoſitiones non ſolum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum ſigna quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiſcere*; ait, *rem ſe dixiſſe occultiſſimam audaciore aſſeueratione, quàm debuiſſet: quoniam peruenire iſta ad notitiam dæmonum, per nonnulla etiam experimenta compertum eſt; ſed vtrum ſigna quædam dentur ex corpore cogitantium illis ſenſibilia, nos autem latentia, an alia vi, & ea ſpirituali iſta cognoſcant*; ſubiungit, *aut difficillime poteſt ab hominibus, aut omnino non poteſt inueniri.*

Tho. Aqui

Auguſt.

I *Spiritualibus ſpiritualia comparantes.* Chryſoſtomus, & Theophylactus inquiunt; cum incidunt quęſtiones, illas diſſoluimus per alias quęſtiones; vel ſenſu, vel hyſtorijs; veluti Chriſti reſurrectionem, cum probamus ex hiſtoria Ionæ Prophetæ. Theodoretus inquit. *Habemus & veteris teſtamenti teſtimonium, & nouum per illud confirmamus.* Theodorus autem Gręcus prędicta verba ita interpretatus eſt. *Quapropter, cum doctrina nobis ſpiritus ſufficiat, humana ſapientia opus non habemus; & ſpiritualibus ſpiritualia comparantes, ideo per Spiritus ſancti miracula, doctrinam illius confirmamus.* Num vero, & ita interpretari poſſumus? *Spiritualibus ſpiritualia comparantes*; id eſt, ſpiritualium rerum conceptiones nobis per ſpiritum Dei communicatas, ſpiritualibus etiam eloquijs enunciamus; ita vt ſapientia ab elocutione non diſſideat.

Chryſoſt. homil. 7. Theophyl.

Theodor.

Theodorus Græcus.

K *Quoniam ſpiritualiter examinatur.* Refert hæc Theophylactus (vti etiam Thomas) ad ea, quæ ſunt Dei, quę non poteſt percipere homo carnalis, qui ſine ſpiritu Dei viuit; quoniam hæc fide, & per ſpiritum Dei, quo ipſe carent, demoſtrantur. Ambroſius refert ad hominem, qui exiſtens animalis, & carnis concupiſcentijs addictus, percipere non poteſt, quę Dei ſunt: quoniam ſpiritualiter ipſe examinatur; id eſt, iam damnatus eſt. Ac ſi diceremus, quòd huiuſmodi ſe darguitur ſpiritualiter, iuxta legem, ſcilicet ſpiritualem, vti male diſpoſitus, & perperam viuens; vnde non idoneus, neque capax

Theophyl. Tho. Aqui.

Ambr. c. 11.

eſt doctrinę ſpiritualis, quę eſt ſecundum Deum: ſiquidem in animam maleuolam non introibit ſa-
Sapient. 1. pientia.

L *Spiritualis autem iudicat omnia.* Quemadmodum apud Ariſtot. in 2. lib. de Ani. dicitur, quòd rectum eſt iudex ſui, & obliqui; ita propemodum, iuxta hanc rationem aſſerere videtur Apoſtolus, quod homo ſpiritualis, cum regatur ſpiritu Dei, qui omnia nouit, iudicat, tum quę ſunt ſecundum ſpiritum Dei; tū quæ ſecus ſe habent. Animalis autem homo, vt qui ſolum rebus, & affectionibus carnalibus eſt addictus, non ſapit niſi carnalia, quę autem ſunt ſecundum ſpiritum, non attingit, aut percipit.

M *Et a nemine iudicatur.* Spiritualis homo a nemine iudicatur, aut reprehēditur, vt qui ſecundum ſpiritum Dei ſe regat, & vita viuat irreprehenſibili.
Chryſoſt. homil. 7. Chryſoſtomus inquit, *a nemine iudicatur, aut diſcutitur; id eſt, nemo de eius doctrina, & ſcientia inquirit. Quæ enim nota ſunt ſpirituali, non attingit animalis homo, de vita futura, de præmijs, de pœnis,*
Aug. in lib. de ver. reli. cap. 31. *& alijs huiuſmodi, quæ ſunt reuelata fidelibus.* Auguſtinus in lib. de vera relig. hæc Apoſtoli verba ita interpretatur. *Spiritualis homo iudicat omnia, ipſe autem a nemine iudicatur, id eſt, a nullo homine; ſed a ſola ipſa lege, ſecundum quod iudicat omnia; quia ſuper omnia eſt, quando cum Deo eſt; cum illo autem eſt, quando puriſſime intelligit, & tota charitate diligit, quod intelligit; vnde etiam quantum poteſt, ipſa lex fit; ſecundum quam iudicat omnia, & de qua nullus iudicare poteſt,*

PARAPHRASIS. Cap. III.

Et ego fratres, non potui loqui vobis tanquam ſpiritualibus, ſed vt carnalibus; vt paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi; non ſolidum cibum, quem ferre, vt nuper geniti infantes, non poteratis, ſed neque nunc poteſtis, cum adhuc ſitis carnales: vbi enim inter vos zelus eſt, & contentio; nonne carnales eſſe hinc redarguimini? & ambulare ſecūdum hominem, qui addictus ſit carni? Quando enim inter vos aliquis ita effatur. Ego quidem ſum Pauli: Alius autem ego ſum Apollinis; nonne ex hoc carnales vos eſſe detegitis? Quid nam igitur eſt Paulus? quid Apollo? niſi miniſtri, per quos, iuxta munus quod cuique noſtrum largitus eſt Deus, credidiſtis? Ego (ita dixerim) plantaui verbum Dei. Apollo rigauit: At Deus incrementum dedit; cuius opus, & donum eſt fides; vt omnino illud ſtatuendum ſit vobis; quòd neque qui plantat, aliquid eſt, neque qui irrigat, quo ad operis productionem, quod eſt ſolius Dei, qui dat incrementum, vnde planta viuit, & exurgit, Qui autem plantat, & qui irrigat (& ſi duo numero) attamen vnum ſunt; vt qui in idem opus, vt Dei miniſtri, conſentiant, & conlaborent, Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet iuxta proprium laborem, quem impenderit in Dei opus. Dei ſiquidem ſumus cooperatores, atque ideo mercede donandi, quiſque ex propria ſua cooperatione. Dei eſtis agricolatio; Dei eſtis ædificatio. Ego ſecundum gratiam, quæ data eſt mihi a Deo, vt ſapiens architectus, fundamentum poſui apud vos fidei Ieſu Chriſti, Alius autem ſuperædificat, quaſi hanc gloriam ſibi vendicans. Verum vnuſquiſq; inſpectet, quonam modo ſuper ipſum ſtruat. Nam (quod attinet ad fundamentum) abſque dubio nemo vllum aliud ponere poteſt præter illud, quod eſt poſitum, Ieſus Chriſtus; per quem ſolum nobis ſalus eſt comparanda. Si autem quiſpiam ſuper hoc fundamentū ædificat aurum, argentum, lapides precioſos (præclara & indiſſolubilia opera) aut ligna, fœnum, ſtipulam (opera abolenda vt impura) vniuſcuiuſque opus, quale fuerit, manifeſtabitur. Dies enim illa, in qua iudicandus eſt mundus, omnia faciet conſpicua; cum per ignem, qui præcedet aduentum Domini, ſit dies illa reuelanda. Ille igitur ignis, cuiuſque opus, quale ſit, propalabit, atq; probabit. Si alicuius opus extructum ſuper Ieſu Chriſti fundamentum, manſerit innoxium ab igne; accipiet mercedem quicunque præclarum & indiſſolubile hoc opus perfecerit. Si alicuius opus arſerit, vt ab ipſo impuritas omnis per ignem abſumatur, huius factor operis, in recipienda mercede detrimentum patietur, quam aſſequi maiorem potuiſſet, ſi opus non affectionibus carnalibus maculatū præſtitiſſet. Veruntamen ipſe, quoniam a Chriſti fundamento non diſceſſerit, ſaluus erit: ſic tamen, vt qui prius tranſierit per ignis purgationem. Neſcitis quòd eſtis templum Dei? & ſpiritus Dei in vobis habitat? ſiquis templum Dei deſtruit, hunc diſperdet Deus: templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Nemo ſe ipſum fallat. ſiquis inter vos ſibi ſapiens videtur, fiat in hoc ſeculo ſtultus, vt ſit ſapiens in alio apud Deum: ſicuti ſcriptum eſt apud Iob, comprehendam ſapientes in aſtutia eorum. Et rurſus in Pſal. Deus nouit cogitationes ſapientū, quoniam vanæ ſunt. Nemo itaque glorietur in hominibus, quaſi ſalutis veſtræ auctoribus. Omnia enim veſtra ſunt; ſiue Paulus; ſiue Apollo; ſiue Cephas; ſiue mundus; ſiue vita; ſiue mors; ſiue præſentia; ſiue futura: omnia enim veſtra ſunt, & ad gloriam veſtram parata; dummodo in Chriſto coniuncti ſitis. Vos vero eſtis Chriſti, qui vos redemit ſanguine ſuo. Chriſtus autem eſt Dei, cuius eſt filius; & cui ſecundum humanitatem eſt ſubiectus. Quare de cętero nemo dicat, ſe eſſe Pauli, aut Apollinis: ſed vos omnes Chriſti eſſe vnanimiter cognoſcite, ſentite, & pronunciate.

Editio vulgata.

Et ego fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus. Tanquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis: adhuc enim carnales eſtis. Cum enim ſit inter vos zelus & contentio: nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? Cum enim quis dicat, Ego quidem ſum Pauli: alius autem, Ego Apollo: nonne homines eſtis? Quid igitur eſt Apollo, quid verò Paulus? Miniſtri eius cui credidiſtis, & vnicuique ſicut

Dominus

Dominus dedit. Ego plantaui: Apollo rigauit: ſed Deus incrementum dedit. Itaque, neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui incrementum dat Deus. Qui autem plantat, & qui rigat, vnum ſunt. Vnuſquiſq; autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Dei enim ſumus adiutores: Dei agricultura eſtis: Dei ædificatio eſtis. Secundum gratiam Dei quæ data eſt mihi, vt ſapiens architectus fundamentum poſui: alius autem ſuperædificat. Vnuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet. Fudamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt: quod eſt Chriſtus Ieſus. Siquis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides precioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſq; opus manifeſtum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit quod ſuperædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit: ſic tamen quaſi per ignem. Neſcitis quia templum Dei eſtis: & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt: quod eſtis vos. Nemo ſe ſeducat: ſi quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat vt ſit ſapiens. Sapientia enim huius mundi, ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim: Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum. Et iterum. Dominus nouit cogitationes ſapientium, quoniam vanæ ſunt. Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim veſtra ſunt: ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura, omnia enim veſtra ſunt: vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei.

ADNOTATIONES.

A E*T ego fratres non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus.* Cum illud quàm maxime intenderet Apoſtolus in hac Epiſt. vt Apoſtolatus ſui dignitatem tueretur apud Corinthios; quoniam id plurimum conferret ad ipſos confirmandos in fide, quam ex eius prædicatione ſuſceperant; cumq; periculum inſtaret, ne a quibuſdam seducerentur, qui ſermones eloquentia innixa humanę ſapiētiæ cōtexerent, quibus Corinthiorum animi non mediocriter alliciebantur; vnde (vt imperitus ſermonis, & expers ſapientiæ) Paulus contemptibilis reddebatur, qui ipſis Chriſtum crucifixum nudis verbis, ſeorſum ab omni elegantia, & artificio ſermonis prædicauerat. Hinc illud in primis in primo cap. epiſt. patefecit. Chriſti crucem abhorrere lenocinia, ornatumque verborum; ſimplicem autem ſui amare prædicationem; qualem apud eos ipſe denunciauerat, ipſam tamen ſignis, & prodigijs confirmatam, & roboratam. Verum, cum crucis myſterium ſapientiam quoque cōtineat, non illam mundanam, ſed diuinam, quam a ſe non eſſe alienam non eſt inficiatus Apoſtolus, ſed ipſam loqui inter perfectos aſſeruit cap. præcedēti; hinc ſcrupulus oboriebatur, cur accedens ad Corinthios, hāc ſapientiam nō eſſet illis concionatus. Cui obiectioni occurrens, huius rei cauſam, ſeu culpam trāsfert in ipſos Corinthios; quoniam ſcilicet illos alloqui non potuerit vti ſpirituales, & qui ſolido cibo, diuinæ ſcilicet ſapientiæ apti eſſent; ſed vt carnales, vt paruulos in Chriſto, quibus lacte opus erat. Inter carnalem autem, & animalem (qua voce vſus eſt Apoſtolus in cap. præcedenti) hoc appoſuit diſcrimen Auguſtinus in tract. 98. Euang. ſecundū Ioan. inquiens: quòd animalis homo dicitur ab anima: carnalis autem a carne, quia ex carne, & anima conſtat totus homo. Idē in lib. 14. de Ciuit. Dei inquit; *non eſt aliud animalis homo, aliud carnalis; ſed idem ipſum eſt vtrumque; id eſt, ſecundum hominem viuens homo.* Verum, cum in ſuperiori cap. dixerit Apoſtolus, quòd animalis homo non percipit, neque percipere poteſt ea, quæ Dei ſunt; & in hoc cap. dicat, quòd Corinthijs loqui nō potuit, tanquam ſpiritualibus, ſed tanquam carnalibus, ita vt ipſos carnales, non autem animales nuncupet; hinc videretur dicendum, quidpiam minus graue innui hac voce, *carnalis*, quàm hac alia, *animalis*; vt animalis ille cenſendus ſit, qui fidem Chriſti non admittens, peccatorum nolit pœnitere, neque vitam turpem, & animalem deſerere. Corinthij autem eatenus poterant eſſe carnales, quatenus, poſt ſuſceptam Chriſti fidem, carnis quibuſdam cupiditatibus inhęrebant; ambulantes in eis, vt homines, qui ſpiritu Dei non regerentur, neque exacte in nouum hominem eſſent transformati. Et ideo, tāquam adhuc paruuli exiſtentes in fide, lacte egebant, cibo ſolido nōdum apti erant. Lac autem continent initia eloquiorum Dei circa fidem, quæ & elementa dicuntur: de quibus eſt ſermo in Epiſt. ad Hebr. vti eſt pœnitentia ab operibus mortuis; doctrina baptiſmi; dogma de reſurrectione mortuorum, & futuri iudicij. Et vt dicit Auguſtinus in tract. Euang. loco ante citato, Chriſtus crucifixus omnibus proponitur; *ſed carnalibus paruulis, id tantum credendo tenentibus, ſpiritualibus autem capacioribus, id etiam intelligendo tenentibus.* Idē in tract. Pſal. 118. *Paruulis proponitur Ieſus Chriſtus, vt crucifixus, vt lac, quod ſugere habent; quod autē Ieſus Chriſtus ſecundum diuinitatem, in principio erat Verbum apud Deum, filius Dei, id ad ſolidū cibum pertinet, quod perfecti deguſtare poſſunt.*

August. in Ioan. tract. 98.

Idem li. 14. de Ciuit. Dei. c. 4.

Hebr. 6.

August. in Ioan. tract. 98.

Idem in Pſal. 118.

B *Itaque neque qui plantat eſt aliquid.* Sicut plantator arboris, aut irrigator, vitam arbori non conferunt, aut incrementum præbent, quæ Deus ſua ordinatione largitur; & quemadmodum in hoc conueniunt (ac ſi vnum idemque ſit plantator & irrigator) vt in opere vitæ, & incrementi arboris, nihil ſint, cum tamen ſit aliquid ipſum plantare, & irrigare; ita quoque, qui Chriſti fidem plantat prædicatione, & qui eam irrigat doctrina vel baptiſmo; ambo quidem ſunt miniſtri; non tamen effectores fidei, vt vel concipiatur, vel coaleſcat in animis hominum: id enim ſolius Dei eſt opus. Atque ideo vnum ſunt, & in hoc pariter conueniunt, quòd ipſorum opera non fit, vt fides coaleſcat; qui tamen, vt miniſtri Dei exiſtentes, aliquid ſunt ſecundum gratiam, quæ vnicuique eſt data a Deo. Vnde ab Apoſtolo Dei cooperatores dicuntur, tanquàm inſtrumenta, quibus Deus ſua opera perficit; dum

eius

eius potentia ſecretius per miniſtros operatur. Qui etiam vnum eſſe dicuntur, quatenus ſimul habent conuenire, vt ſint vnanimes in ædificationē Eccleſiæ. Ex his colligitur, miniſtrum miniſtro non eſſe præferēdum, quaſi eorum alter opus Dei ex ſe ipſo præſtare poſſit, alter non poſſit, cum neuter ex ſe ſe ad hoc ſit idoneus, vt dictum eſt. Verum non propterea aſſerendum, quòd gradus miniſtrorum in Eccleſia Dei omnes ſint pares, adeo quòd nō adſint inter eos, & qui maioris, & qui minoris ſunt auctoritatis. 1.Cor.12. Siquidem infra enumerans Apoſtolus varia munia miniſtrorum Dei, primo loco ponit Apoſtolos; deinde prophetas; tertio loco doctores; & deinceps alios miniſteriorum gradus. Vnde ſupponendum, in hierarchia eccleſiaſtica eſſe quendam primatum, collatum Petro principi Apoſtolorum a Chriſto, & eius ſucceſſoribus, & alios quoq; dignitatis gradus reperiri, tum maioris, tum minoris auctoritatis. Id enim maxime decebat diuinam prouidētiam, vt, quadam ordinis diſpoſitione ab omni confuſione remota, Dei eccleſia in terra regeretur: cum tamen & hoc ſit veriſſimum, nulli vel minori, vel ſupremæ dignitati Eccleſiaſticæ illud ineſſe potentiæ, vt mere ex ipſa promatur opus, quod ex ſola gratia, atque potentia Dei prodit, quamuis illud per delectos ſibi miniſtros exequatur.

C *Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem &c.* Quamuis miniſtri, quatenus Dei cooperatores, omnes ſint vnum, vt hac ratione nullum inter ipſos ſit diſcrimē; attamen laborantibus in vinea Domini, præmia non dabuntur paria; ſed vnicuique merces (vt hic dicit Apoſtolus) ſecundum proprium laborem tribuetur. Omnibus quippe electis, & ſaluis, denarius ille dabitur Euangelicus, ipſa beatitudo, quæ in Dei eſt poſita viſione. Vnde, ſi duo infantes baptiſmate inſigniti, non dum apti operibus ab electione prodeuntibus decedant, ob fidem ſuſceptam in baptiſmate, ęqua beatitudine donabuntur. Communicari autem præclarius Dei viſionē, aut certis proprijs laureolis inſignioribus ornari, ſingulis continget, tum ob intenſiorem charitatem, qua affecti fuerint erga Deum; tum ob præſtantiam actionum, generiſque vitæ, qua quiſque ſit perfunctus. Vt puta virgo, quę virginitatem vouerit, atque ſeruauerit (cęteris paribus) maiori gloria cohoneſtabitur, quàm Theodor. vxorata. Ponderans autem Theodoretus hęc Apoſtoli verba, inquit, quòd iudex non opus, ſed laborem reſpicit: Ait enim. *Vnus ſæpe offert ducentos Saluatori cum magna facilitate. Alter, cum plurimum laboris ſuſceperit, vnum, vel duos ab errore liberat. Similiter aliquis*, inquit, *a natura adiutus, abſque vllo labore exercet continentiam: Alter, cum quo natura belligeratur, cum multis laboribus id, quod deſiderat, aſſequitur; veluti vt ieiunet, & illæſum ſe conſeruet a fornicatione.*

Ex his colligitur, opera noſtra, iuxta meritum compenſari; cum tamen illud ſit aſſerendum, ex mera Dei liberalitate pendere, vt cœleſtia nobis retribuat pro temporarijs actionibus, quæ rebus cœleſtibus non ſunt comparandæ, vt dicitur in epiſt. Rom.8. ad Romanos. *Quoniam non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Ex iuſto autem Dei iudicio, per legem nobis ab ipſo propoſitam, iſtud fit, vt non inremuneratum velit permanere vllum opus, quod coram ipſo placitum homo perfecerit; quippe qui pollicitus ſit, mercedem nobis donaturum, ſi eius pręcepta ſeruauerimus; ipſeque retributionem diſpenſet ſecundum uniuſcuiuſque uoluntatem, & operationem, atque laborem.

D *Alius autem ſuperędificat.* Forte his verbis Apoſtolus innuit aliquem ambitioſum, qui primatum apud Corinthios ſibi vendicabat, tāquam fundator illius eccleſię, cuius tamen fundamentū Paulus iecerat, vti primus, qui apud illos Chriſti fidem prædicauerat. Non ita autem ſe geſſit Apoſtolus, qui ſcribens Romanis, inquit. *Sic autem prædicaui* Rom.15. *Euangelium hoc, non, vbi nominatus eſt Chriſtus; ne ſuper alienum fundamentum ędificarem, &c.*

E *Fundamentum, enim aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* In epiſt. ad Epheſios ſcriptum eſt. *Eſtis ciues ſan-* Eph. 2. *ctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Ieſu Chriſto.* Ex quibus verbis apparet, ſupponi ab Apoſtolo, quòd Chriſtus ſit firma petra habens ex ſe ſoliditatem, ſuper quam erigitur ſtructura totius eccleſię. Hanc igitur petram ſtatuerunt Apoſtoli, dum iacerent fundamentum fidei chriſtianæ. Siquidem in Chriſto, quem prædicabāt, poſitum eſt fidei fundamentum. Apoſtoli autem, tanquā columnæ quędā extiterūt ſuperpoſitæ huic Chriſti petræ; dum munijs ſuis, quæ obierunt, & ſanguine quem fuderunt, Chriſti ędificium ſuſtentarunt, & auxerunt; innixi tamen ſemper ſoliditati petræ Chriſti, a qua omnes ipſorū pendebant operationes. Petrus autem Princeps Apoſtolorum electus eſt a Chriſto pro petra, ſuper quam ſtructurus erat Eccleſiam; ita tamen, vt Chriſtus ſe conſtituerit totius fabricæ fundamentum. Sed cum Petro tribuerit primatum auctoritatis, ab ipſo quoque ſumpſit exordium extruendæ, atque amplificandæ fabricæ; adeo quòd Petrus extitit petra, Chriſti petræ ſuperpoſita, ſuper quam Chriſtus, regimine ſui Vicarij, ſuorū fidelium conſtruxit eccleſiam; quam etiam ſucceſſorum Petri moderamini cum poteſtate ligandi, & ſoluendi commiſſam fouet, atque tuetur; quod præſtabit vſque ad conſummationem ſeculi, vt portæ inferi non poſſint præualere aduerſus eam.

F *Vnuſquiſque autem videat, quomodo ſuperædificat:* De ijs, qui foris ſunt ab Eccleſia, neque poſito fundamento fidei, quod eſt Chriſtus, inhærent; clare patet, quòd hic non eſt ſermo. Nam, ſi huiuſmodi ſunt extra Chriſtum, certe dici non poſſunt, quòd ædificēt ſuper ipſum. Dubium eſt autem, num Paulus hęc loquatur ad omnes, qui Chriſti fidem ſuſceperint, an ad ipſos ſolos doctores, atque præcones Euangelij. Græci enim expoſitores, ferme omnes, Gr.Expoſi. cenſent generalem eſſe ſermonem, quaſi hic proponat Apoſtolus, quo nam modo ſit viuendum ab ijs, qui ad Chriſti fidem ſint aſſumpti. Et ideo hanc ædificationem (vt interpretatur Theophylactus) Theophyl.

intel-

intelligunt opera ſingulorum, tam opera doctrinæ,
quàm alia cuiuſuis generis, & non ſolum bona, ve-
Amb. c. 13. rum etiam mala, veluti ſunt peccata. Ambroſius au-
tem refert hæc ad doctrinam: cuius interpretatio
admodum cōſona videtur verbis Apoſtoli; qui ſer-
monem cęptum de miniſtris continuat, & de fun-
damento, ſuper quod poteſt conſtrui, tum precio-
ſum aliquid, tum id, quod ſit damnandum.

G. *Siquis autem ſuperædificat ſuper fundamentum
hoc; aurum, argentum, lapides precioſos.* His verbis
ſecundum communem interpretationem compre-
henduntur opera bona facta ſuper Chriſti funda-
mentum; quorum alia alijs magis præclara eſſe, ijs
vocibus, auri, argenti, & lapidum precioſorum, ſi-
gnificantur. Ambroſius autem refert hæc ad bonam
doctrinam, quam poſſumus dicere aſſimilari auro,
dum fiunt eloquia de diuinitate; argento, quatenus
de Chriſti humanitate diſſeritur; lapidibus vero
precioſis, quatenus fructus emanantes ex Verbi in-
carnatione explicantur. Alij hæc referunt ad bona
opera; vt puta aurum, ad caſtimoniam; argentum ad
nuptias; lapides vero precioſos ad paupertatem, vt
Theophyl. exponit Theophylactus. Per hæc vero, *ligna, fœ-*
Ambroſius. *num, ſtipulam.* Ambroſius intelligit corruptam, &
vanam doctrinam, quam qui ſeminauerit, ſi reſipi-
ſcat, ſaluus erit; non tamen, niſi prius ignis pœnas
patiatur. Alij autem referunt hæc ad peccata, vt
Theophyl. Theophylactus, & alij Gręci; vel ad venialia, prout
Aug. in lib. Auguſtini, & aliorū noſtratū eſt communis expoſi-
de fid. & o- tio. Verum hi cum prioribus in hoc conueniunt,
per. cap. 1. & cum quòd ijs vocibus, *ligno, ſtipula, fœno*, magis &
25. minus impura facta denotantur; tū quòd hæc ope-
ra (ſiue ad doctrinam, ſiue ad vitæ actiones referan-
tur, quæ ſuper Chriſti fundamentum ſuperędificata
ſupponuntur, ſiue ſint bona, & præclara facinora,
ſiue mala, & impura) omnia; qualia ſint dies vni-
uerſalis iudicij manifeſtabit: quæ per ignis confla-
grationem erit reuelanda, ita vt per ignem cuiuſuis
actiones ſint probandæ. Et modus probationis ſub-
iungitur ab Apoſtolo, dum inquit; *Si cuius opus
manſerit, quod ſuperędificauit*; quod eſt dictum; ſi
opus factum ſuper Chriſti fundamentum manſerit
in die iudicij illęſum ab igne, adeo quòd non com-
buratur, huius operis factor accipiet mercedem de
bono opere, vti grato, & accepto apud Deum. Et
hæc quidem optime aptantur miniſtro; de quo di-
ctum eſt antea, quòd eſt Dei cooperator; & quòd
ſecundum proprium laborem eſt accepturus mer-
cedem. *Si cuius opus arſerit*; ita vt ab igne combu-
ratur, & deſtruatur, tanquam lignum, aut ſtipula;
aut fœnum; huius operis factor detrimentum pa-
tietur; vel, dum punietur; vel quoniam non conſe-
quetur mercedem, quam acquirit ille, cuius opus
illęſum ab igne mãſerit, tanquam opus vndequaq;
præclarum, & nulla ex parte pollutum: & poſſet id
intelligi de eo opere miniſtri, cui aliquid vanitatis
ex eloquentia, vel quid aliud eiuſmodi fuerit admi-
ſtum, de quo ſibi complacuerit; adeo vt peccato
veniali conſpurcauerit opus factum ſuper Chriſti
fundamentum, a quo tamen fide non receſſerit. Si-
quidem hæc omnia ſunt purgãda; cùm nihil impu-
rum, & conquinatum, vel quo ad opus, vel quo ad
ac

affectum animi ingredi poſſit in regnum Dei. *Ipſe* Apoc. 21.
tamen ſaluus erit; ſic tamen quaſi per ignem; operator
operis impuri, quod per ignem eſt deſtruendum,
ipſe ſaluus erit; ſed ita tamen, *quaſi per ignem*;
Græce legitur ὡς, id eſt, vt per ignem tranſeat,
purgandus igne purgatorij. Vnde peccata hęc ſup-
pnnenda ſunt venialia, quę aut miniſter euangelij,
aut quiuis alius commiſerit, propter quę ipſorum
perpetrator igne plectendus, atque purgandus eſt;
ita vt peracta purgatione ad gloriam fruendam de-
inde perueniat; non eam tamen aſſequens merce-
dem, quæ donabitur, qui fuerit operator operum,
quæ ſint immunia ab omni labe peccati. Ideo au-
tem ſaluabitur, & qui purgãdus eſt per ignem, pro-
pterea quòd a fidei fundamento, & a Dei charitate
non receſſerit, quamuis affectionibus nonnullis im-
puris, non tamen mortiferis laborauerit. Quòd ſi
peccata venialia igne ſunt purganda, quanto igitur
magis pro pœna peccatorum mortiferorum puniē-
di veniunt peccatores, quos prius pœnituerit, ante-
quam deceſſerint? niſi forte ea pœnitudine affecti
fuerint, qua Magdalena ſua luxit peccata; & ea er-
ga Deum immenſa charitate accenſi, vt propterea
vniuerſa commeriti ſupplicij pœna in hac vita illis
condonetur; quod perpaucis admodum contingit.
Alioquin, igne purgatorio de peccatis commiſſis
pœna luenda erit, donec Dei iuſtitię ſit ſatisfactum.
Theodorus autem Gręcus hunc locum exponens, Theodor.
inquit. *Hunc ignem credimus eſſe purgatorium, in
quo animæ, tanquam aurum in conflatorio, purgantur.*
Quod etiam innuiſſe videtur Oecumenius, dum Oecum.
inquit. *Saluabitur autem ipſe quoque dolorem paſ-
ſus; ſicuti veriſimile eſt de eo, qui per ignem tranſie-
rit, ſibique vnitas modicas ſordes expurgarit; ſolius
enim Dei eſt perfecte peccato carere, homines vero,
& ſiquàm maxime iuſti fuerint, non perfecte puri
ſunt*; hæc ille. Quidam alij (inter quos Baſilius) Baſilius.
ignem metaphorice acceperunt pro purificatione,
quæ etiam per afflictiones in hac vita paſſas perfici-
tur. Aliqui autem fuerunt in hac hæreſi, quòd om-
nia opera mala, & peccata ſint igne comburenda,
& quòd tandem omnes homines, & ipſi quoque
dęmones ſalui fiant. Aduerſus quos (præter alia
innumera quæ poſſent adduci) Apoſtolus aperte 1. Cor. 6.
reclamat infra, dum dicit; quòd iniqui non poſſi-
debunt regnum Dei, non adulteri, non fornicarij,
non molles, & alij peccatores, quos ibi enumerat.

Chryſoſtomus autem, & alij Græci expoſitores, Chryſoſt.
intelligendo per *lignum, ſtipulam*, & *fœnum*, pec- hom. 9.
cata mortalia, interpretantur, quòd in illa die iudi-
cij comburentur, & non vltra cenſebuntur illa ope-
ra, ob quæ puniendus erit peccator, quoniam in-
vanum erunt ſuſcepta; ipſe autem peccator ſaluus
erit; id eſt (inquiunt ipſi) ſaluabitur, & conſerua-
bitur eius perſona, vt ab igne numquam *conſuma-
tur*, ſed ſemper ardeat. Quæ interpretatio valde
dura videtur alijs doctoribus, quòd ſaluari per ignem,
ſit non deſtrui, cùm tamen ignis proprium opus, &
munus ſit deſtruere. Accedit ad hoc, quòd non vere
dici poſſe videtur, quòd peccata mortalia abolean-
tur. Siquidem, tanquam præſentia, habent remane-
re in teſtimonium punitionis, & confuſionis pecca-
torum;

Eſa. 66. torum, iuxta illud apud Eſa. *Vermis eorum non morietur;* ſicuti etiam bona opera permanebunt. Idcirco, cum Apoſtolus dicat; *ſi cuius opus manſerit, quod superędificauit;* hinc innuere videtur, dari quoque opus nõ ſuperędificatum, quod maneat, cuiuſmodi eſt crimen mortiferum, cuius hominem non pœnituerit. Vnde tria erunt operum genera. Vnum eorum, quæ facta ſuper Chriſti fundamentum immanent (vt irreprehenſibilia) illęſa ab igne, ob quæ merces eſt accipienda. Aliud vero genus operum erit ædificatum ſuper Chriſti fundamentum, habẽs impuritatem admiſtam, quod propterea ab igne comburetur, vt non amplius maneat, ſed deleatur, & eius vltra Deus non recordetur; ex quo quidem non merces illud operanti, quinimmo damnũ adueniet; quoniam minorem accipiet mercedem de alijs bonis ſuis operibus, qui in nonnullis defecerit; præterquam quòd etiam igne erit purgandus ab affectionibus, quibus nimium adhęſerit rebus temporarijs; licet a fidei fundamento, & a Dei charitate non diſceſſerit. Tertium denique genus operum erit illud, quod nõ ſuperędificatum fuerit ad Chriſti fundamentum, quod ſemper permanebit ad perpetuam confuſionem eorum, qui aduerſus Chriſti fidem, & charitatem opera fecerunt, & de ipſis pęnitentiam non egerunt. Siquidem non dubitandum eſt, quin peccata mortal a exiſtãt contra Chriſti fundamentum. Ligna autem, & fœnum, & ſtipulam ſupponit Apoſtolus, eſſe opera facta ſuper Chriſti fundamẽtum; ſicuti & præclara opera (quæ denotantur per aurum, argentum, & lapides precioſos) ſuper idem fundamentum Chriſti ſupponit eſſe ædificata. Atque ideo per *lignum, fænum,* & *ſtipulam,* cenſendum eſt, ſignificari peccata venialia quæ ſunt comburenda, ob quæ, eorum perpetrator (quoniam a Chriſti fide, & Dei charitate nõn fuerit ſeiunctus) non damnabitur; ſed ſaluus erit, eo vti dictum eſt modo.

H *Neſcitis quia templum Dei eſtis?* Hęc ſecun-
Theophyl. dum Theophylactum Apoſtolus proponit, volens deinceps agere de peccato cuiuſdam adulteri. Verum, cum dicat Corinthijs, quòd ſunt templum Dei, & quòd in ipſis inhabitat ſpiritus Dei, & quòd qui violauerit templum Dei, ſeu corruperit (vt gręce legitur, φθείρει.) Deus illum diſperdet, & ad hæc addens, quòd qui ſapiens ſibi videtur in hoc ſeculo, debeat ſtultus fieri: ex his omnibus videtur Apoſtolus hoc loco ſuam orationem dirigere ad Doctores, terrens eos; quia, ſi corruperint templum Dei, ipſos nempe fideles, aut praua doctrina, aut prauæ doctrinę exemplo; pro certo ſciant, ꝙ Deus illos diſperdet. Cum vero Apoſtolus ſubiungit, *Nemo itaque glorietur in hominibus;* alloqui videtur diſcipulos, vt eos coerceat a factioſa ſequela, qua adhærebant ſinguli huic, vel illi miniſtro, in ipſo gloriantes; cum tamen in Chriſto ſolo fideles gloriari habeant, a quo ſunt redempti.

I *Chriſtus autem Dei;* nempe eſt filius ſecundum diuinitatem, genitus ante ſecula, habens a patre originem; ſecundum autem humanitatem (de qua videtur hic eſſe ſermo) in tempore factus eſt homo, virtute Dei Virginem obumbrante. Et ipſe venit in mundum, & paſſus eſt mortem ob gloriam patris; vt ita Chriſtus, ſit Dei miniſter, ob Dei gloriam factus obediens vſque ad mortem crucis.

PARAPHRASIS. CAP. IIII.

ITA igitur (vti deſcripſimus) ęſtimet homo, nos miniſtros eſſe Chriſti, & meros diſpenſatores myſteriorũ Dei. Quod vero amplius requiritur in diſpenſationibus, vt quiſpiam fidelis inueniatur; apud me quidem hæc eſt regula, vt mihi pro minimo ſit, vt talis a vobis iudicer, aut ab humano die, atque iudicio; ſed neque me ipſum iudico huiuſmodi; neque enim decet. Nam, & ſi nihil mihi conſcius ſum, in quo reprehendar; attamen non propterea me iuſtificatum cenſeo: ſed eſt Dominus, qui me iudicat, cuius certo, atque infallibili iudicio me ſubmitto. Quare nolite ante tempus huiuſmodi ſtatuere iudicia; quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit cõſilia latentia in corde hominum, quę ſoli Deo ſunt perſpicua; homini autem de alio homine non poſſunt eſſe cognita. Hęc autem, fratres, egi vobiſcum per figuram, transferens ſermonem in me ipſum, & in Apollo propter vos, ad veſtram inſtitutionem, vt in nobis ipſis, in typo ſcilicet noſtrarum perſonarum, diſcatis non ſapere ſupra normam iam deſcriptá; ſed, vt miniſtros Chriſti, & Dei coadiutores tantummodo vos eſſe agnoſcatis, neque vobis quidpiam aſſumatis in veſtro miniſterio; vt hinc quoq; ea eripiatur ſubditis peccandi occaſio, ne vnus infletur aduerſus alium pro ſui miniſtri gloria, quem præferat alteri. Tu enim, qui tibi multum aſſumis in miniſterio; dicito mihi, quis te diſcernit, quaſi præferendus ſis alio miniſtro? cum ſoli Deo hoc certum iudicium ſit relinquendum? Quid autem habes, quod a Deo non acceperis? ſi autem a Deo accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Iam ſaturati eſtis, iam diuites facti eſtis, iam nunc ſine nobis regnatis; vtinam regnetis, vt & nos vobiſcum vna regnemus. Videre enim videor, quòd Deus nos poſtremos ſibi delectos Apoſtolos, oſtendit tanquam morti deſtinatos; quando ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto; nos infirmi, vos autem fortes; vos honorati, nos autem ignominioſi. Vſque ad hanc horam, & eſurimus, & ſitimus, ac nudi ſumus, & colaphis cedimur, & incertis vagamur ſedibus, & laboramus proprijs operantes manibus: iniurijs affecti, benedicimus: perſecutionibus petiti, ſubſiſtimus: maledictis laceſſiti, obſecramus: vt purgamenta, ac quiſquiliæ huius mundi vſque modo facti ſumus. Non vt confundam vos, hæc ſcribo; ſed vt filios mihi cariſſimos moneam. Nam etſi decem millia pędagogorum habeatis in Chriſto, at non multos patres habetis. In Chriſto enim Ieſu per Euangelium ego vos genui. Rogo ergo uos ut ſitis mei imitatores, ſicut & ego ſum Chriſti. Idcirco enim dimiſi ad vos Timotheum filium mihi cariſſimum, & fidelem in Domino,

vt uos inſtituat de uijs meis, quæ ſunt ad Chriſti normam; quemadmodum ubique in omni eccleſia doceo. Proinde uero, ac ſi ipſe non ſim uenturus ad uos, inflati ſunt quidam. Veniam autem cito ad uos, ſi Deus permiſerit, & reſpiciam, non ſermonem eorum, qui inflati ſunt; ſed potentiam. Non enim in ſermone regnum Dei, ſed uiget in potentia ſignorum, atque prodigiorum. Quid vultis? vt ueniam ad uos in uirga? an in charitate, & ſpiritu ueritatis?

Editio vulgata.

SIc nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Mihi autem pro minimo eſt, vt a vobis iudicer, aut ab humano die: ſed neque me ipſum iudico. Nihil enim mihi conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum: qui autem iudicat me, Dominus eſt. Itaque nolite ante tempus iudicare: quoaduſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit vnicuique a Deo. Hæc autem fratres transfiguraui in me, & Apollo, propter vos: vt in nobis diſcatis, ne ſupra quàm ſcriptum eſt, vnus aduerſus alterum infletur pro alio. Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Iam ſaturati eſtis, iam diuites facti eſtis: ſine nobis regnatis, & vtinam regnetis, vt, & nos vobiſcum regnemus. Puto enim, quòd Deus nos apoſtolos nouiſſimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos, quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & angelis, & hominibus. Nos ſtulti propter Chriſtum: vos autem prudentes in Chriſto: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Vſque in hanc horam, & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris, maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc. Non vt confundam vos hæc ſcribo: ſed vt filios meos cariſſimos moneo. Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto: ſed non multos patres. Nam in Chriſto Ieſu, per euangelium ego vos genui. Rogo vos, imitatores mei eſtote. Ideo miſi ad vos Timotheum, qui eſt filius meus cariſſimus, & fidelis in Domino: qui vos commonefaciat vias meas, quæ ſunt in Chriſto Ieſu, ſicut vbique in omni eccleſia doceo. Tanquam non venturus ſim ad vos, ſic inflati ſunt quidam. Veniam autem ad vos cito, ſi Dominus voluerit, & cognoſcam; non ſermonem eorum, qui inflati ſunt, ſed virtutem. Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute. Quid vultis? in virga veniam ad vos: an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?

ADNOTATIONES.

SIc nos æſtimet homo, vt miniſtros Chriſti. A
Concludit Apoſtolus ex antedictis, quod Apoſtoli, & omnes, quotquot pro Chriſto legatione funguntur, non ſunt cenſendi niſi Chriſti miniſtri, & in miniſteriorum diſpenſatione inuicem pares, vt vnus alio non ſit præferendus in opere, quod Deus peragit per manus miniſtrorum. Qua regula conſtituta (in deteſtationem eorum, qui dicerent, ego ſum Pauli, ego ſum Cephæ, tanquam opus Dei diſcriminantes ex diuerſitate miniſtrorum) ſubiungit modo Apoſtolus hanc aliam diſceptationem penes eoſdem Corinthios ortam; quam etiam, vti erroneam, vult ex ipſorum animis euellere. Id ipſum erat, quòd decernerent, quiſnam fidelis eſſet inter diſpenſatores; ita vt in hoc etiã aliũ alio anteferrent. Quod factum deteſtatur Apoſtolus, & iure merito. Nam, cum nemo ſcire poſſit, quid lateat in corde hominis, quod Deus ſolus ſcrutatur (vnde in lib. Reg. legitur) *nec iuxta intuitum hominis ego iudico, homo enim videt quæ parent, Dominus intuetur cor;* (1.Reg.16.) poſſint que opera alicuius, quæ extrinſecus bona apparent, ex eius interiori praua animi affectione non vacare culpa; vel ob vanam gloriam; vel quòd hinc dignitates ſibi comparare ſperet: idcirco, miniſtrorum alterum alteri præferre, tanquam fideliorem, & de hac re certum iudicium ſtatuere non licet; cum quiſque in his iudicijs longe a veritate poſſit aberrare. Laudare quidem opera debemus, quæ bona extrinſecus apparent, & de his glorificare Deum. Quemadmodum etiam ea opera, quæ manifeſte ſunt mala, deteſtari, & damnare non dedecet. Sed neque miniſter laudem ſibi præripere debet, tanquam probatum ſe conſtituens; etiam quòd de nullo crimine ſit ſibi conſcius. Quandoquidem (vt dicit hoc loco Apoſtolus loquens de ſe ipſo) etiam quòd de nulla re homo ſibi ſit conſcius; attamen ſe iuſtificatum nõ debet cẽſere; ſed a Deo iudicium de ſe expectare. Et id quidem, quoniã in multis poſſumus aberrare; tum circa propria facta; tum circa aliena, quæ nobis non ſint perſpicua. Vnde illud pſalmographi; *ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo.* (Pſal.18.) In multis enim hallucinamur ob affectiones, quæ nos circunſtant; & multa etiam præteruolant a cogitationibus noſtris, quæ non ſpectamus. Accedit, quòd laus iuſtificationis ab extrema eſt expectanda die; cum interim & ex bonis mali; & ex malis boni, dum viuimus in hoc mortali corpore, permutari poſſimus; neque vlla ſit certitudo in rebus humanis. Vnde ſubiungit Apoſtolus, quòd non debemus ante tempus iudicare, *quoad vſque veniat dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique a Deo.*

B *Mihi autem pro minimo eſt, vt a vobis iudicer; aut ab humano die.* Non propter hæc verba cenſendum eſt, quòd a Dei miniſtro ſit contemnenda eius bona fama, præſertim, ſi id interſit ad ſalutem ſubditorum. Verumtamen pro re minima habendum eſt (quod attinet ad propriam perſonam miniſtri)

vt iudicetur bonus ab hominibus, cum hinc nihil aſſequatur pro ſecuritate ſalutis. Humanum autem diem nominans Apoſtolus (ſecundum Theodore- Theodor. tum) intellexit breuitatem humanę vitę. Sed poſſet etiam intelligi pro luce eius cognitionis, quam homo habere poteſt circa probationē actionum alienarum; vbi iudicium, ad tempus, quaſi ad diem cadit; non firmum manens, ſed prętenuolans. Dei autem iudicium manet in ęternum. Cum autem Apoſtolus prohibeat iudicium, quo miniſter miniſtro pręferatur; certe multo magis cenſendum eſt ab ipſo prohiberi, ne iudicia fiant ſiniſtrorſum: iuxta Matth. 7. illud apud Matth. *Nolite iudicare, & non iudicabimini*. Iudicium autem aduerſus aliquem inſtituere, ex auctoritate Eccleſię, nō ſolum licitum eſt; verum etiam neceſſarium, quod fit de manifeſtis. In quo Matth. 7. ſenſu dictum fuit a domino; ex *fructibus eorum cognoſcetis eos*. Nam iuxta opera, quę ſint manifeſta, iudicium & poteſt & debet exerceri; & pertinet ad prudentiam regiminis chriſtiani. Addamus, quòd etiam iudicium, quo examinatur propria conſcien- 1. Cor. 11. tia, eſt neceſſarium; vt habetur infra; *probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*: & rurſus, *ſi nos diiudicaremus, non vtique iudicaremur*.

C *Vt in nobis diſcatis, ne ſupra quàm ſcriptum eſt, vnus aduerſus alterum infletur pro alio*. Adnotandum eſt apud Gręcos, ad hęc verba; *ne ſupra quàm ſcriptum eſt*, adiungi hęc alia, μὴ φρονεῖν, id eſt, *de vobis ſentire*, aut ſapere, vt habet Theophylactus in ſuo commentario: quibus deinde ſubnectuntur hęc alia; *ne vnus aduerſus alterum infletur pro alio*. Quorum verborum hic eſſet plenus commētarius. Nempe Apoſtolum tranſtuliſſe inſtitutum ſermonem de miniſtris, in ſui perſonam, & in Apollo, vt ex his, quę tradidit, partim corrigendo, quę eſſent abſurda, partim docendo, quę vera ſunt, & vtilia; hinc illi arrogantes miniſtri, qui erant apud Corinthios, diſcerent non ſibi ipſis aſſumere, gloriantes, ac ſe ſe magnificantes. Idque vt hinc tolleretur occaſio ſubditis, ne ſe inflarent vnus aduerſus alterum ob miniſtros, quibus adhęrerent. Illis vero verbis, *ſupra quàm ſcriptum eſt*, ſunt qui referunt, in- Matth. 7. telligi dictum illud apud Matth. *nolite iudicare, &* Luc 14. *non iudicabimini*, vel illud: *qui ſe humiliat exaltabi-* Mar. 9. *tur*. Alij referunt ad illud Marci. *Qui vult in vobis eſſe primus, ſit omnium vltimus*. Forte prędicta verba. *Supra quàm ſcriptum eſt*, ita accipienda ſunt: nempe, ſupra illud, quod antea docuit ſub ſui perſona, & Apollo; quòd ſunt mere miniſtri Chriſti, & non eſt aliquid, neque qui plantat, neque qui irrigat, ſed Deus ſolus dat incrementum. Item non ſibi aſſumendum, quòd quiſpiam, pręaltero, ſit fidelis diſpenſator miniſteriorum Dei: neque conuenire, vt Dei miniſter pendeat ab hominum decretis; ſed humiliter ſubijcere ſe ſe debere iudicio Dei.

Auguſt. ad Valent. epiſtola 46. D *Quis enim te diſcernit?* Auguſt. in Epiſt. ad Valentiniana interpretatur hunc locum: *hoc ideo dicit; quia de maſſa illius perditionis, quæ facta eſt ex Adam, non diſcernit hominem, vt eum faciat vas in honorem, aut in contumeliam, niſi Deus*. Alij autem interpretantur de iudicio, quo Corinthij præponerent, hi vnū, illi alium, alio miniſtro. Vndé arguuntur ſubditi, qui auderent hæc certa ſtatuere iudicia. Sicuti ex hoc alio dicto. *Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* arguuntur doctores, & miniſtri, vti totius gloriationis, & horum iudiciorū promotores.

E *Iam ſaturati eſtis, iam diuites facti eſtis*. Hæc vel ironice ſunt prolata. Aut forte interrogatiue, vt Corinthios magis pudefaceret, & ad reſipiſcendum excitaret: & eſt locus ad inuehendum, & obiurgandum valde accommodus, & opportunus; cum prius iam attigiſſet gloriationem, qua optime ſecum agi ſibi perſuaderent Corinthij, & mox hæc obiurgatio ſubinferatur.

F *Nos Apoſtolos nouiſſimos*. Id dicit, vel quia, vt minimi cenſerentur, & deſpectibiles, Vel nouiſſimi intelliguntur: quoniam Paulus, & Barnabas, poſtremi ab alijs Apoſtolis fuerint delecti ad Apoſtolatum. Dum autem humilitatem ſtatus ſui admodum depreſſi commemorat Apoſtolus, multaq; mala congerit, quæ pateretur, ipſos autem Corinthios dicit multis bonis eſſe cumulatos; hinc eos valde commouere potuit. Siquidem perpeti mala indebite, & pro malis bona reddere, id ſit maxime Chriſti veſtigia imitari; vt non immerito dicat, factum ſe, & Barnabam, ſpectaculum Angelis, & mundo, & hominibus; vt omnes admirentur, quòd tam præclare, & ſancte ſe gererent in tribulationibus, quas ſuſtinerent. Ac propterea non adhibendas eſſe aures pſeudo Apoſtolis, qui auctoritati tanti Apoſtoli omnibus technys detrahere ſtudebant.

G *In Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui*. Id, vt miniſter Euangelij præſtitit; non autem ex propria virtute. Vnde dixit, *In Chriſto Ieſu vos genui*.

H *Et cognoſcam non ſermonem eorum qui inflati ſunt, ſed virtutem, non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute*. Græce legitur, τὴν δύναμιν, id eſt, potentiam; Vnde minus accommodata videtur eorum interpretatio, qui dicunt; *approbabo non ſermonem, ſed virtutem*, nempe bonos mores; cum id videatur Apoſtolus voluiſſe inſinuare; non reſpiciam, aut approbabo leporem ſermonis, quo aliqui ſunt inflati; ſed potentiam, qua fiunt ſigna & prodigia. Theodoretus, *non cognoſcam* (inquit) *ſer-* Theodor. *monem eorum, qui inflati ſunt, ſed actionem; & quòd non ſufficit ad ſalutem, regnum Dei prædicare; ſed ea etiam conuenit facere, quæ regno ſunt digna*. Theophylactus autem ſic, *ſpectabo non veſtram dicacitatem, cum opus ſit virtute potius, quæ ſignis conſtet: quippe cum non oratione exculta, ſed miraculis ſpiritus ſit prædicatum cælorum imperium*. Et cum ſubiungit Apoſtolus. *Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute*. Græce legitur, ἐν δυνάμει, vt denotetur virtus cōſiſtēs in potētia, & hoc inferat Apoſtolus; non conſiſtere regnum Dei in ſermone, ſed in potentia ſignorum, atque miraculorū, quæ a Dei potentia emanant, & per manus miniſtrorum Dei perficiuntur. Et forte voluit Apoſtolus ijs verbis innuere potentiam tradendi delinquentes in interitum carnis, & in mortem; ſicuti ad verbum Petri cecidit Ananias mortuus, & eius vxor ſapphi- Act. 5.

ra; vt

ra; vt hinc Corinthijs timorem incuteret. Vnde etiam ſubiunxit. *Quid vultis? in virga veniam ad vos? an in charitate?* quæ præſertim allata ſunt ad obtundēdam vanitatem miniſtrorum, qui multum ob eloquentiam ſibi aſſumebant: vt hinc admonerentur ad conſpiciendum, num, vt Paulus, valerent in potentia ſignorum; qua verum ſe miniſtrum eſſe, & non contemnendum, voluit ſignificare.

PARAPHRASIS. CAP. V.

OMNINO, ex certa cōſtantique fama, auditur inter vos fornicatio, & eiuſmodi fornicatio, quæ neque inter Gentes nominatur, vt quis habeat vxorem patris ſui in fornicationem. Et vos inflati eſtis? & non potius eiulaſtis, vt abſcinderetur de medio veſtrum, qui hoc facinus commiſit? Ego quidem, vt qui corpore abſens, præſens autem ſim iſtic ſpiritu, iam iudicaui (ac ſi præſens eſſem) in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatis vobis vna cum meo ſpiritu, cum potentia Domini noſtri Ieſu Chriſti, in cuius virtute hæc fiunt; tradere hunc facinoroſum hominem in interitum carnis, in qua *affligatur*, vt hinc reſipiſcens de peccato, ſpiritus eius ſaluus fiat in die Domini Ieſu Chriſti. Non eſt bona gloriatio veſtra. An neſcitis, quòd modicum fermenti totam maſſam farinæ aquę permiſtam permutat, atq; corrumpit? Expurgate igitur ex vobis vetus fermētum, quicquid redolet veterem hominem, vt ſitis noua cōſperſio, noua paſta, ſicut eſtis azymi, noua aſperſione renouati per ſanguinem Chriſti in baptiſmate. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus; qui, ſi hoſtiam ſe præbuit Deo, vt nos mundaret a peccatis; decet vt & nos epulemur, non in fermento veteri, ſecundum veterem hominem ambulantes; neque in fermento malitiæ, & nequitiæ; ſed in azymis præſeferentibus ſinceritatem, & ueritatem. Scripſi vobis in Epiſtola, dum vos hortatus ſum ad expurgationem ueteris fermenti, vt non commiſceamini fornicarijs. At non omnino ſcripſi nobis, ut in genere non commiſceamini cum fornicarijs huius mundi; aut cum auaris, aut rapacibus, aut idololatris; alioqn debueratis de hoc mundo exiſſe. Verum (vt clarius uobis aperiam mentem meam) hoc ſcripſi uobis, & hoc uolui uobis denunciare, quòd, ſi quis fratrum neſtrorum, qui Chriſti fidem iam ſuſceperit, comperiatur famoſe cognitus & publicatus, uel fornicator, uel auarus, uel idolis ſeruiens, uel conuiciator, uel ebrioſus, aut rapax; ut cum huiuſmodi ne cibum quidem ſumatis. Nam de ijs, qui foris ſunt, & extra Eccleſiam, quid ad me attinet iudicare? Nonne uos ex inſtituto Eccleſiæ illos iudicatis, qui ſemel in poteſtatem Eccleſiæ ſe tradiderunt? illi autem, qui foris ſunt, Dei iudicio ſubduntur: & illum facinoroſum ex uobis auferte.

Editio vulgata.

OMNINO auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita vt vxorem patris aliquis habeat. Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrum, qui hoc opus fecit? Ego quidem abſens corpore, præſens autem Spiritu, iam iudicaui, vt præſens, eum, qui ſic operatus eſt; in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatis vobis, & meo ſpiritu; cum virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti, tradere huiuſmodi Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. Non eſt bona gloriatio veſtra: Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio ſicut eſtis azymi. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ: ſed in azymis ſynceritatis, & veritatis. Scripſi vobis in epiſtola. Ne commiſceamini fornicarijs, non vtique fornicarijs huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis ſeruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiſſe. Nunc autem ſcripſi vobis non commiſceri: ſi is, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax: cum eiuſmodi nec cibum ſumere. Quid enim mihi de ijs, qui foris ſunt, iudicare? Nonne de ijs, qui intus ſunt, vos iudicatis? nam eos, qui foris ſunt, Deus iudicabit. Auferte malum ex vobis ipſis.

ADNOTATIONES.

A EGO *quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu iam iudicaui.* Ex ijs, quæ refert Apoſtolus, ſe ſtatuiſſe in abſentem fornicarium; apparet, prælati iuriſdictionem, & decreta, vim habere etiam in abſentes. Subiungens autem, hæc ſe ſtatuiſſe *in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti*; innuit omnia ad Chriſti gloriam eſſe peragenda; eiusque nomen ſemper implorādum in noſtrum auxilium. Per hæc uero: *congregatis vobis, & meo ſpiritu*: edocet interuentu fratrum deputatorum, exercendum eſſe canonicum iudicium aduerſus incorrigibiles. Illud uero: *cum virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti*, Græce legitur, σὺν τῇ δυνάμει, id eſt, cum potentia, qua tradendus erat Satanæ fornicator ille facinoroſus in interitum carnis. Quam quidem poteſtatē Dominus largitus eſt omnibus ſuis Apoſtolis, tanquam maxime neceſſariam, illo præſertim initio naſcentis Eccleſiæ, pro confirmanda tum ueritate, quam prædicarent, tum auctoritate ipſis a Chriſto delata; ut hinc, qui excruciarentur in carne, mente reſipiſcerent; necnon eorum exemplo cęteri commoti, a peccatis ſe conſeruarent immunes.

B *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Hæc eadem ſententia affertur in epiſt. ad Galatas. In Euangelio autem, *ſimile eſt regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit &c.* Fermentum accipitur in bonam partem, hic autem in malam ob

Gal. 5.
Matt. 13.

adiectionem huius voculæ, *vetus*, qua denotatur priſtinus Adam, & vetus homo; a quo, per mortem Chriſti pro nobis immolati, expurgamur.

C *Neque in fermento malitiæ*; quo denotantur mala, quæ quis operatur; *neque nequitiæ*; cum (vt Theoph. exponit Theophylactus) homo mente eſt nequam, vt mente iniqua, & malitiæ quadam profunditate mala peragat. Quibus opponuntur hæc alia; *ſed in azymis ſynceritatis*, ad oppoſitũ malitię, & nequitiæ; *& veritatis*, ad differentiam veteris paſchatis, & azymorum cum typo ſumptorum. Aduertit au- Oecum. tem hoc loco Oecumenius, quòd, ſicut qui ſub lege viuebant, immolato ab ipſis temporario ac irrationali agno, ſeptem diebus erant azymi; id eſt fermento carentes (neque enim licebat fermentatum panem, aut domi habere, aut edere) ita quoque & nos æterno, ac rationali agno, qui tollit peccata mundi, pro nobis immolato, debemus ſemper fermento carentes, & eſſe noua conſperſio, vt nihil veteris teſtamenti, ſiue peccati nobis ipſis cõferamus.

D *Scripſi vobis in epiſtola*, Non in alia, quæ deſideretur; ſed in hac eadem, & in hoc cap. dum dixit; *vt tollatur de medio veſtrum, qui hoc opus fecit*; Item dum dixit. *Expurgate vetus fermentum*; hinc Chryſoſt. hom. 15. Theoph. Theodor. denotans (vt aduertunt Chryſoſtomus, Theodoretus & Theophylactus) quòd non erat conuerſandum cum illo ſcelerato fornicario. Et quoniam id in genere locutus erat, hincque exiſtimare potuiſſent Corinthij, quòd Apoſtolus eis præcepiſſet, vt ab omnibus facinoroſis, ab illis etiam qui eſſent extra cœtum fidelium, abſtinerent; idcirco ſubiunxit: *Nũc autem ſcripſi vobis ne commiſceri, ſi is, qui frater nominatur inter uos, eſt fornicator &c.* Ac ſi diceret, declaro vobis nunc meam ſententiam, quæ eſt huiuſmodi: quòd, ſi quis inter fratres exiſtat, nominatus (vti famoſus, & notus Eccleſiæ) vel fornicator, vel auarus, vel idololatra, vel maledicus, aut ebrio- Oecum. ſus (ita enim interpretatur Oecumenius) cum huiuſmodi ne cibum quidem ſumatis; vt ſeparetur a veſtro conſortio, ne contaminet alios; ipſe autem reſipiſcat. De hæretico autem homine præcipit B. 2. Ioan. 1. Ioannes, ne aue quidem illi dici debere.

E *Quid enim mihi de his qui foris ſunt iudicare?* Cum infideles ſint extra Eccleſiam, idcirco de his non pertinet iudicium ad Prælatum; ſed hos iudicat Deus ſecundum ſuam prouidentiam. Vel (vt dixit Ioan. 3. Dominus) *qui non credit, iam iudicatus eſt.*

F *Non ne de ijs, qui intus ſunt vos iudicatis?* Hoc iudicium iuxta regulam Euangelicam exercetur, dum, poſt vnam, & alteram priuatam correptionẽ, Matt. 18. defertur Eccleſiæ crimen fratris; vt, ſi ſit incorrigibilis, excludatur a cœtu fidelium. Quod quidem iudicium circa crimen publice notum, atque certum, non ſolum licitum eſt, verum etiam neceſſarium ad correptionem delinquentium, & ad ædificationem aliorum. Ex quo patet, omnes, qui Chriſti fidem ſemel ſuſceperint baptimo inſigniti, ſi deinde vel hæretici deuenerint, vel ad paganiſmum, ſeu hebraiſmum deflexerint, pertinere ad iuriſdictionem Eccleſiæ; quæ aduerſus hos omnes poteſtatem habet iudicia legitime exercendi. Quippe in alios, qui foris ſunt, huiuſmodi iuriſdictio ſpiritualis non exercetur; quamuis Princeps ex iure *gentium poſſit in Iudæos, & Paganos animaduertere, vt docet S. Tho-* Tho. Aqui. *mas in lib. de Reg. princip.*

G *Auferte malum ex vobis ipſis*. Græci legunt *& auferte*. Vnde, iuxta hanc lectionem, verborum constructio hunc in modum optime cõponeretur. Cum huiuſmodi ne cibum quidẽ ſumite, & auferte malũ ex vobis. græce legitur πονηρόν: id eſt prauum, & facinoroſum illum fornicarium de medio veſtrũ tollite; vt hinc excommunicandus & expellendus eſſet e cœtu fideliũ, quod Apoſtolus, tradendo eum ſatanæ, iã perfecerat. Et ſunt verba ſumpta ex Deut. Deut. 15. *& auferes malum de medio tui*. Vt hinc pateat (ſicuti adnotauit Theophylactus) ab initio conditionis le- Theoph. gis, viſum fuiſſe legiſlatori, improbos de medio eſſe tollendos. Quod autẽ attinet ad ebrioſum, de quo hic eſt mentio, Auguſtinus in quodam ſermone de Auguſt. purgat. adnotauit; quòd ebrietas non eſt peccatum niſi ſit frequens. Quòd ſi quis ex debilitate capitis, vel neſciens vini potentiam, fiat ebrius; nondum id peccato mortali adſcribendũ; ſicuti poſt experientiã, ſi quis fiat ebrius, afficitur peccato mortifero.

PARAPHRASIS. Cap. VI.

AUDET aliquis veſtrum, habens negocium aduerſus fratrem, ſectari iudicium iniquorum, & non potius ſanctorum? Neſcitis, quòd ſancti mundum iudicabunt? & ſi in nobis (iuxta noſtram ſcilicet comprobationẽ) iudicabitur mundus; certe indigni eſtis, qui minimis iudicijs implicemini. Neſcitis quòd angelos prauos iudicabimus? quanto magis mundana? Mundana igitur ſi habueritis iudicia, qui ſunt contemptibiles in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum: conueniens enim videtur, vt iudicium rerum infimarum, infimis quoque hominibus relinquatur. Id dico, vt verecundia perfundamini. Adeo ne non eſt neque vnus quidem ſapiens inter vos, qui poſſit diiudicare, & arbitrum ſe ponendo lites componere, quę oriantur inter fratres? ſed frater cum fratre iudicio contendit? & hoc apud infideles? Iam igitur omnino obnoxij delicto deprehendimini, cum lites, atque iudicia ſint inter vos. At vero, cur potius non iniuriam pati? cur potius damnum non accipere? quàm in huiuſmodi iudicia conuenire? quinimmo ſunt ex vobis, qui iniuriam inferunt, qui damnum faciunt, & hæc aduerſus fratres? An neſcitis, quòd iniqui regnum Dei non obtinebunt? Nolite hallucinari: ſed pro certo habetote, quòd neque fornicarij, neque idololatræ, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neq; fures, neque auari, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt. Et hæc quidem iam eratis, ſed abluti eſtis; ſed ſanctificati eſtis in nomine Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri, Omnia mihi licent; at non omnia conducũt. Omnia mihi licent; ſed ego ſub aliquius non redigar poteſtate. Eſcæ ventri inſeruiunt, & venter eſcis, vt corpus nutriatur; ſicuti natura poſtulat, dum in hac vita ſumus: Deus autem & hunc, & illas (quãdo ipſorum munus tandem eſt deſiturum) abolebit.

aboleбit. Corpus autem non fornicationi demandandum, ſed tradendum in obſequium Domini. Deus autem & Dominum ſuſcitauit, & nos quoque eadem potentia excitabit a mortuis. Neſcitis quoniam corpora veſtra ſunt membra Chriſti? vſque ne ergo eo deducar temeritatis, vt tollens mẽbra Chriſti, ab ipſoque ſeparans, faciam membra meretricis? An neſcitis, ꝙ qui adglutinatur meretrici, vnũ corpus efficitur cum meretrice? qui autem adglutinatur domino, vnus ſpiritus fit cum domino? Fugite fornicationem: Omne enim peccatum, quod commiſerit homo, extra corpus fit: ſcortãs autẽ, in proprium corpus delinquit, dum ex ſcortatione totum corpus polluitur. An neſcitis, quòd corpora veſtra ſunt templũ Spiritus ſancti habitãtis in vobis, quèm habetis a Deo? & non eſtis veſtri iuris: empti enim eſtis pretio magno. Glorificate itaque, & portate Deum in corpore veſtro, vt honorificetur Deus.

Editio vulgata.

AVDET aliquis veſtrum habens negocium aduerſus alterũ, iudicari apud iniquos, nõ apud ſanctos? An neſcitis quoniam ſancti de mundo iudicabunt? Et ſi in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis iudicetis? Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis ſecularia? Secularia igitur iudicia ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt in eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum. Ad verecundiam veſtram dico. Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum? Sed frater cum fratre iudicio contendit: & hoc apud infideles? Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, quòd iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus? An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare: Neque fornicarij, neq; idolis ſeruientes, neq; adulteri, neque molles, neq; maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neq; maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt. Et hæc quidem fuiſtis: ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri. Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent: ſed ego ſub nullius redigar poteſtate. Eſca ventri, & venter eſcis: Deus autem hunc, & has deſtruet, corpus autem non fornicationi, ſed domino, & dominus corpori, Deus vero, & dominum ſuſcitauit: & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam. Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciã membra meretricis? Abſit. An neſcitis, quoniã qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne vna. Qui autem adhæret domino: vnus ſpiritus eſt. Fugite fornicationem: Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. An neſcitis, quoniam membra veſtra, templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis a Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.

ADNOTATIONES.

A IVDICARI *apud iniquos.* Vt magis confunderet Corinthios, qui ad infideles confugiebant pro iudicijs decernendis ſuarum litiũ; appellat iudices illos hoc nomine, *iniquos.* Verumtamen non tollitur, quin Chriſtiani (ſicut ſtatuitur in epiſt. ad Rom.) debeant ſubijci poteſtatibus principum infidelium, ſub quorum viuant imperio; vt vocati conueniant ad forum, & ad tribunal ipſorum. Sed aliud eſt, quòd Chriſtiani in proprijs litibus deligerent ſibi iudices infideles, cum id euitare poſſent, & deberent; quod hoc loco Apoſtolus damnat. Rom.13.

B *Neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo iudicabunt?* Id prædixit Dominus Apoſtolis. *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Matt.19.

C *Et ſi in vobis iudicabitur mundus.* Chriſtus quidem erit iudex, qui ſententiam proferet inappellabilem. Sed & hanc eius electi confirmabunt, exprobrantes reprobis duritiem cordis eorum, quòd non obedierint vocati, vt ipſi fecerunt: præcipui autem in eo iudicio erunt illi, qui ſpretis, & relictis omnibus rebus mundanis, ſecuti fuerint Chriſtum; ſicut ipſe teſtatus eſt Apoſtolis, dicens. *Vos, qui ſecuti eſtis me, ſedebitis & vos &c.* Siquidem in iſtis anteſignanis maximopere cõprobabitur diuinum iudicium ad maiorẽ damnatorum reprobationem, & confuſionem. Matt.19.

D *Neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus.* Ipſos ſcilicet Dæmones; vt qui deuicti fuerint ab hominibus, ipſi incorporei: quod in maiorem cedet dęmonum condemnationem, & confuſionem: quod B. Antonius Dęmonibus exprobrabat.

E *Contemptibiles qui ſunt in eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum.* Magna vis in his verbis ad pudore confundendos Corinthios; dum illis proponit (ironice rem tractans) vt eligant ſibi iudices ex ipſis illos, qui ſint magis contemptibiles; hinc innuens, ꝙ ſi hoc non conuenit, multo minus deceat confugere ad iudicium infidelium, qui ſunt iudicandi a ſanctis, vna cum Angelis malis.

F *Neque fornicarij: ſupple poſſidebunt regnũ Dei.* Et cum ſubiungat Apoſtolus; *neque adulteri:* hinc aperte docuis, quòd fornicatio, quæ committitur, quãdo ſolutus cum ſoluta exercet libidinem (idque ad differentiam adulterij) eſt peccatum, prohibens hominem a potiundo regno Dei.

G *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediũt.* Hac ſentẽtia frequenter vtitur Apoſtolus in hac epiſtola; vt puta circa vſum matrimonij, & eſum idolothytorũ, & aliorũ huiuſmodi. Quæ verba perpendens Auguſt. in lib. ad Pollen. poſt multa quæ ediſſerit in hanc ſententiã, hæc habet. Ea videri ſibi licere, & non expedire, quæ per iuſtitiã quidẽ (quæ corã Deo eſt) permittuntur; ſed propter offenſionem hominum, ne ob hoc impediantur a ſalute, vitanda ſunt: ea vero non licere, & ideo non expedire, quæ ſic ipſa iuſtitia vitantur, vt facienda non ſint: & illicita (inquit) prohiberi a Domino, vt quæ licita ſunt, & non expediunt, non legis vinculo, ſed libera dilectionis beneuolentia caueantur. Aug. lib. 1. ad Poll. capit. 14.

H *Deus autem & hunc, & has deſtruet.* Non deſtruetur vēter, qui ad corporis humani integram conſtitutionem requiritur; ſed eius vſus, cum ciborum non ſit amplius futurus vſus poſt reſurrectionem.

I *Corpus autem non fornicationi.* Videretur, q vt venter cōcurrit in vſu ciborum pro vitæ ſuſtentatione; ita quoque pro ſpeciei, & prolis conſeruatione, aliquod requiratur membrū, vti re vera hoc habent munus pudenda; ita tamen, vt in ipſo concubitu totum corpus animalis concurrat ad corruptionem pro ſemine emittendo, quòd eſt opus homini naturale. Verumtamen Deus voluit, vt homo, cui rationis vſum conceſſerat, non cum quacunque muliere commiſceretur; ſed cum ea tantū, cui legitime iungeretur in matrimonio: hincq; corpus humanum non debet dari fornicationi; ſed cuſtodiri a concubitu, niſi per legitimas nuptias concubitus cum propria vxore exerceatur.

K *Es dominus corpori;* ſupple prouidebit; quan-
Philipp. 3. do (ſicuti dicitur in epiſt. ad Philipp.) *reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.*

L *Tollens ergo membra Chriſti; faciam membra meretricis?* Magna vis ad confundendum Chriſtianum, ne membra ſanctificata in Chriſto, per forni-
Gen. 2. cationē faciat membra meretricis. Et hoc quidem ſequitur neceſſario; quoniam duo erunt in carne vna: ita enim a domino Deo ſtatutum fuit ex lege matrimonij, vt maſculus cum fœmina vnum fiant per mutuam coniunctionem. Siquidem non (vt in planta fit generatio in vno corpore) ita quoque fit in animalibus, ac præſertim in perfectioribus, veluti eſt homo; ſed oportet, vt cum maſculo (qui concurrit vt primum principium actiuum generationis) coniungatur fœmina pro principio paſſiuo, atque inuicem ita adglutinentur, vt fiant veluti vnū corpus, & vna caro: coniunctioque hæc eſt legitima, ſi ſequatur ex lege matrimonij; alioquin concubitus erit cum meretrice, cum qua committitur fornicatio.

M *Qui autem adhæret domino, vnus ſpiritus eſt.* Qui coniunctus eſt Chriſto, Dei ſpiritum recipit, vt ad Dei normam viuat, agens quæ placita ſunt Deo, vt ita ſpiritu vniatur cum Deo; non quòd ſit in homine idem ſpiritus, qui Deus eſt; alioquin homo eſſet Deus; ſed participatio ſpiritus.

N *Omne enim peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt.* Quoniam ſcilicet non polluitur, neque corrumpitur corpus, aut ambitione, aut auaritia, aut gulæ peccato; ob fornicationem autem res aliter ſe habet. Nam (vt ſubiungit Apoſtolus) *qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat;* id eſt, totum peccatum fornicationis conſumatur in corpus, in quod peccatur; dum totum polluitur, & inficitur ex corruptione: quæ, vt ſanatur, per vſum legitimum matrimonij, ita in fornicatione permanet peccatum cōſummatum in corpus, ex corporis
Aug. quæſt. illicita delectatione. Auguſtinus autem in lib. quæſt.
Leuit. tit. 8. Leuit. tit. 8. exponens hunc locum (quoniam nō poteſt tolli, quin omnia peccata agantur in corpore,
2. Cor. 5. iuxta illud ad Corinth. *vt recipiat quiſque prout geſſit in corpus, aut bonum, aut malum.*) Ait, Apoſtolum his verbis voluiſſe *exagerare peccatum fornicationis ſuper omnia cætera peccata: quæ & ſi per corpus committantur, non tamen animum humanum concupiſcentiæ carnali ita efficiunt obſtrictum, & obnoxium: Quemadmodum in ſolo opere fornicationis, commiſceri facit animum vis agens libidinis cum ipſo corpore: & vnum cum ipſo quodammodo aglutinari, & deuinctum eſſe, in tātum, vt nihil aliud ipſo momento, & experimento huius tam magni flagitij, cogitare homini liceat, aut intendere; niſi quòd ſibimet adijcit, mentemque captiuam ſubdit ipſa ſubmerſio, & quodammodo abſorbitio libidinis, & concupiſcentiæ carnalis.*

O *Et non eſtis veſtri.* Huius dicti reddit rationem, inquiens; *Empti enim eſtis pretio magno.* Poterat dicere, quoniam a Deo creati; ſed dicens, *empti eſtis pretio magno,* aliquid maius intulit, ipſum ſcilicet beneficium redemptionis, quod ſuperat illud creationis.

PARAPHRASIS. CAP. VII.

DE quibus autem mihi ſcripſiſtis (quod attinet ad illud, num deceat vxoratos rei vxoriæ operam dare) dico bonum eſſe homini, non adglutinari vxori. Verumtamen, ad euitandas fornicationes, vnuſquiſque poſſideat vxorem ſuam: & vnaquæque mulier poſſideat virum ſuum, vt inuicem libere alter altera vti poſſit; reddatque vir, ex lege connubij, quam debet beneuolentiam, vxori ſuæ; ac ſimiliter vxor viro ſuo. Siquidem vxor non habet poteſtatem proprij corporis, ſed vir; ſicuti etiam proprij corporis vir non eſt dominus, ſed vxor. Et ne fraudetis vos inuicem, niſi id fiat ex mutuo conſenſu, & ad tempus, vt vacetis orationi; & rurſus in vnum conuenite, ne in diaboli tentationem, atque laqueum incidatis propter veſtram incontinentiā. Id autem dico vobis indulgens, non præcipiens, vt ita faciatis. Nam, quod mihi eſſet in optatis, illud eſt, vt velim omnes homines eſſe, qualē me ipſum. Verum quiſque proprium habet donum a Deo; cui hoc, & cui alterum dono datur. Dico autem innuptis, & ipſis viduis, vtile ipſis fore, ſi permanſerint ſicut & ego. Quòd ſi continere ſe nequeunt, nubant; melius enim eſt coniugio iungi, quàm vri a concupiſcentia. Illis autem, qui ſunt matrimonio iuncti, denuncio, non ex meo decreto, ſed ex Domini præcepto, ne mulier a marito ſeiungatur. Et ſi ab ipſo quacūque de cauſa fuerit ſeiuncta, omnino maneat innupta; vt quæ non poſſit alteri viro nubere: aut viro ſuo reconcilietur. Et vir ſimiliter non dimittat vxorem hac eadem ex lege. In reliquis autem dico, atque ita ſtatuo ego, non dominus. Si quis ex fratribus noſtris vxorem habeat infidelem, & hæc conſentit cohabitare cum eo, non dimittat ipſam. Pariter, ſi qua mulier ex noſtris habet virum infidelem, qui aſſentiat habitare cum ipſa, illum nō dimittat. Sanctificatus eſt enim vir infidelis in muliere fideli, vt propter ipſam matrimonium ſit ſanctum,

ctum, & ſanctus actus coniugij: ſicuti etiam mulier infidelis, coniuncta viro fideli in matrimonio, ſanctificata intelligitur. Alioquin filij veſtri concepti ex patre, vel matre infideli, eſſent immundi, quaſi ſpurij, & impuri. Quod tamen nō eſt verum; quando, poſt ſuſceptum baptiſmum, ſint effecti ſancti; & nulla in ipſis relinquatur macula, ex eo quòd ex patre, aut ex matre infideli ſint geniti. Quòd ſi vir infidelis, aut mulier ſeparat ſe; ſeparetur & fidelis: non enim frater, aut ſoror ex noſtris tenetur ſeruituti prædictæ matrimonij in huiuſmodi. In pace autem vocauit nos Deus; & non vt inuicem rixemur. Vnde enim ſcis mulier, ſi ſaluum facies virum tuum infidelem? aut qui noſtri tu vir, ſi vxorem tuam infidelem ſaluam facies? Ad hoc quidem obſtrictus eſt vnuſquiſque; vt, ſicuti cuique Deus ſuam gratiam diuiſit; & ſicuti vnumquemque vocauit Dominus; ita ambulet; neque diſcedat a propria conditione; & ita doceo in omnibus Eccleſijs. Circunciſus aliquis vocatus eſt, idem maneat circunciſus, nec ſibi præputium aptare curet. In præputio alter vocatus eſt, is ne circuncidatur: circunciſio ſiquidem, aut præputium, nihil ſunt, nihilque faciūt ad ſalutem; ſed ipſa obſeruatio præceptorum Dei. Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea maneat. Seruus exiſtens vocatus es ad gratiam Dei? id nil tibi ſit curæ; quin & ſi poſſis te in libertatem vendicare, potius elige cum vinculo manere ſeruitutis. Quandoquidem in Domino, qui vocatus eſt ſeruus, domini eſt effectus libertus. Similiter qui liber exiſtens, vocatus eſt, ſeruus eſt effectus Chriſti, cuius ſanguine vterque redemptus eſt. Ac propterea, cum pretio magno empti ſitis, cauete ne hominum ſerui efficiamini, humanarum ſcilicet ſerui voluntatum a Deo alienantium. Itaque fratres, in quo quiſque ſtatu vocatus eſt, in eodem permaneat apud Deum, illi inſeruiendo. De virginibus autem præceptum Domini non habeo. Sed, quid ſentiam (vt libere atque fideliter dicam, vti debeo, qui tantam apud Deum miſericordiam ſum conſecutus ad hoc, vt fidelis eſſem præco, & denunciator eorum, quæ placeant Deo) conſilium meum depromam. Exiſtimo igitur hoc, nempe Virginitatem ſeruare, rem apprime bonam atque perpulchram; quoniam bonum eſt homini, virginem ſe præſtare, propter inſtātem neceſſitatem, quam quiſque habet ex hoc mundo diſcedendi. Verumtamen, ſi alligatus es vxori, noli quærere ab ipſa ſolutionem. Si autem ſolutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Quòd ſi nupſeris, non peccas: nec ſimiliter ſi nupſerit virgo, peccauit; tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. Ego autem vobis parco, veſtręque miſereor conditionis. Itaque reliquum eſt, vt qui habent vxores, ita ſe gerant, tanquam non habentes. Et qui flent, tanquam non flentes. Et qui gaudent, vt non gaudentes. Et qui emunt, tanquam non poſſidentes. Et qui vtuntur hoc mundo, ſint tanquam non vtentes. Præterit enim figura huius mundi, vt in ipſo animum figere Chriſtianus minime debeat. Opto autem vos, ſine ſolicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt, ſolicite curat, quæ domini ſunt, vt domino placeat. Qui autem coniunctus eſt vxori, ſolicitus eſt circa res mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Et mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſancta ſit corpore, & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quę ſunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad vtilitatem veſtram dico; non vt laqueum vobis inijciam; ſed ad id, vt poſſitis vos præbere cum honeſtate, atque facultate multa ad inſeruiēdum indiſſolubiliter Deo, & dominum obſecrandi ſine diſtractione. Si quis autem exiſtimat turpem ſe videri ſuper virginem ſuam, quòd ſit ſuper adulta, & ita oportet fieri; quod vult, faciat; non peccat, ſi nubat. Nam, qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde ſuo, videlicet ſeruare virginem ſuam, bene facit. Igitur & qui matrimonio iungit virginem ſuam, benefacit; & qui non iungit, melius facit. Mulier alligata eſt legi, vt non poſſit nubere alteri viro, quanto tempore viuit vir eius. Quòd ſi dormierit vir eius, libera eſt a lege. Cui vult, nubat; dummodo id faciat in domino. Beatior autem erit, ſi permanſerit innupta ſecundum meum conſilium. Puto autem quòd & ego ſpiritum Dei habeam.

Editio vulgata.

DE quibus autem ſcripſiſtis mihi: Bonum eſt homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum habeat. Vxori vir debitum reddat: ſimiliter autem, & vxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet: ſed vir. Similiter autem, & vir, ſui corporis poteſtatem non habet: ſed mulier. Nolite fraudare inuicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram. Hoc autem dico ſecundum indulgētiam, non ſecundum imperium. Volo autem omnes homines eſſe ſicut me ipſum: ſed vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius vero ſic. Dico autem non nuptis, & viduis: bonum eſt illis ſi ſic permaneant ſicut, & ego. Quòd ſi non ſe continent, nubant. Melius eſt enim nubere, quàm vri. Iis autem, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed dominus, vxorem a viro non diſcedere; quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat. Nam cęteris, ego dico, non dominus. Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo: non dimittat illam. Et ſi qua mulier habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa: non dimittat virum: ſanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filij veſtri immundi eſſent: nunc autem ſancti ſunt. Quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror in huiuſmodi: in pace autem vocauit nos Deus. Vnde enim ſcis mulier, ſi virum ſaluum facies? aut vnde ſcis vir, ſi mulierem ſaluam facies? niſi vnicuique ſicut diuiſit Dominus, vnumquenque ſicut vocauit Deus, ita ambulet, & ſicut in omnibus eccleſiis doceo. Circunciſus aliquis vocatus

catus eſt? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus eſt? non circuncidatur. Circunciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt: ſed obſeruatio mandatorum Dei. Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. Seruus vocatus es? non ſit tibi curæ: ſed, & ſi potes fieri liber, magis vtere. Qui enim in Domino vocatus eſt ſeruus, libertus eſt Domini: ſimiliter qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti. Precio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum. Vnuſquiſque in quo vocatus eſt, frater, in hoc permaneat apud Deũ. De virginibus autem præceptum Domini non habeo: conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus a Domino, vt ſim fidelis. Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccauit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico fratres, tempus breue eſt: reliquum eſt, vt, &, qui habent vxores tanquam non habentes ſint: &, qui flent, tanquam non flentes: &, qui gaudent, tanquam non gaudentes, &, qui emunt, tanquam non poſſidentes, &, qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi. Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Et mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini ſunt: vt ſit ſancta, & corpore, & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi: quomodo placeat viro. Porro hoc ad vtilitatem veſtram dico: non vt laqueum vobis iniiciam, ſed ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi. Si quis autem turpem ſe videri exiſtimat ſuper virgine ſua, quòd ſit ſuperadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat, non peccat, ſi nubat. Nam, qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde ſuo, ſeruare virginem ſuam: bene facit. Igitur, &, qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit, &, qui non iungit, melius facit. Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir eius viuit, quòd ſi dormierit vir eius, liberata eſt: cui vult, nubat: tantum in Domino. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium: puto autem quod, & ego Spiritum Dei habeam.

ADNOTATIONES.

A BONVM *eſt homini mulierem non tangere.* De multis requiſierãt Paulum Corinthij, vt eius ſententiam ipſis denunciaret, inter quæ & hoc erat; num, qui ex Chriſtianis coniuncti erant in matrimonio, a re vxoria deberent abſtinere. (Chryſoſt. homil. 19.) Ita enim Chryſoſtomus ſentit, & cum ipſo alij Græci expoſitores. Sunt autem qui cenſent de hac re Corinthios idcirco Apoſtolum conſuluiſſe; quoniam pſeudo Apoſtoli (quod non eſt veri ſimile, cum quidam hæretici, de quibus eſt ſermo in epiſt. (1.Tim.4.) ad Timot. nuptias damnauerint) ſub ſpecie religionis ipſis interdixiſſent, ne rei vxoriæ operam darent. Quòd autem de vxoratis Apoſtolus loquatur, dum inquit; *bonum eſt homini mulierem non tangere*, ex pluribus conijci poteſt argumentis. Ac primo quidem, ex eo quòd ſi de innuptis, & ſolutis eſſet ſermo, non ita locutus eſſet Apoſtolus; *bonum eſt homini mulierem non tangere*; Sed dixiſſet, malum eſſe homini adglutinari mulieri. Cum peccatum ſit fornicari, quod arcet hominem a poſſeſſione regni cœlorum, vt dictum eſt antea. Accedit, quòd vox Græca *γυναικός*, qua vſus eſt Apoſtolus, non impromiſcue quamcũque mulierem, ſed eam, quæ ſit coniuncta viro, videtur ſignificare, vt colligitur ex his omnibus alijs locis ſubſequentibus. Primo cum dicitur. *Vnuſquiſque habeat vxorem ſuam*; & paulo poſt. *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem.* item, *ligatus es vxori; noli quærere ſolutionem.* Sed & ſuperius, dum eſſet ſermo de illo fornicario, dixit Apoſtolus; *auditur inter vos fornicatio, ita vt* (1.Cor.5.) *vxorem patris ſui habeat aliquis.* In omnibus quippe iſtis locis Græca vox, *γυνή*, vxorem propriam alicuius denotat. Præterea cum infra dicat. *Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem*: id omnino contrarium videretur ſententiæ priori, quòd *vnuſquiſq; habeat uxorem ſuam.* Siquidem habere vxorem, & non quærere vxorem, ſimul non conſiſtunt. Propterea colligendũ, quòd, cum dictum eſt ab Apoſtolo, *vnuſquiſq; habeat uxorem ſuam, & vnaqueq; habeat ſuum virum*, non voluit innuere, quòd omnes debeant iungi in matrimonio: Sed idipſum, quòd & vir poſſidere, & vti debeat vxore ſua, & ſimiliter mulier viro ſuo, vt dominiũ inuicem mutuum, expoſcendi debitum, ſibi retineant; & non ſeparentur, quaſi non amplius inuicem conuentuti. Quod & ex vocula illa Græca, *ἐχέτω*, conijcitur, quæ obtentum rerum dominium, & poſſeſſionem ſignificat. Denique, cum poſt hæc Apoſtolus conuertat ſermonem ad innuptos, & viduas, inquiens. *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego.* Hinc quoque colligitur Apoſtolum in præcedentibus ſermonem habuiſſe ad eos, qui inuicẽ matrimonio erant coniuncti, illis denunciando, quòd pulchrum eſſet non adglutinari vxori, ſed a concubitu abſtinere. Vnde Theophylactus perpendẽs hanc vocem, *καλόν*, qua (Theophyl.) vtitur Apoſtolus, inquit. *Egregia res foret, ſi prorſus ab vxoris cõtubernio abſtinere vir poſſet citra omne periculum*: quod (ſubiungamus nos) & percommodum accideret homini ob has omnes rationes, quæ ex dictis Apoſtoli deſumuntur. Primo quidem, quoniam hinc homini liceret maiori cum honeſtate, & ſpiritu puriore inſeruire Deo. Siquidem (vt dicit Auguſtinus in 1. lib. de Solilo.) *nihil ſic deijcit animum ab arce virtutis ſuæ; ſicut contactus ille corporum, ſine quo vxor haberi non poteſt.* (Aug. lib. 1. de Solilo. c.8.) Quo circa dictum eſt in Exodo populo accepturo legem. (Exo. 19.) *Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus veſtris.* Et in lib. Reg. dixit Abimelech ad (1.Reg.21.) Dauid: *Si mundi ſunt pueri, maxime a mulieribus, manducent panem ſanctum.* Deinde, cum corpus viri redigatur in ſeruitutem, & poteſtatem vxoris, vti & vxoris corpus in viri poteſtatem ex lege matrimonij;

trimonij; hinc proculdubio percommodum vtriq; ipſorum accideret, ſi mutuo cooſenſu ab hac ſeruitute ſe vendicarét. Ad quam quidem ſeruitutem re- 1.Cor.6. ſpiciens Apoſtolus cap. præcedenti dicebat; *omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate*. Verum, quamuis Apoſtolus dixerit, bonum eſſe *non adglutinari vxori*; attamen non propterea inferendum, quòd malum ſit concumbere cum propria vxore, quaſi ad peccatum id vertendum ſit. Non enim valet hæc conſequentia, vt dicunt Scholæ. Bonum eſt non adglutinari vxori: ergo malum eſt cõcumbere cum vxore? Nam non tangere vxorem, abſolute bonum eſt ob præſtantiam continentiæ. At tangere vxorem, & illi adglutinari ob euitãdam fornicationem, etiam bonum eſt: in quo etiam cadit actus iuſtitiæ, ſi fiat cauſa reddendi debitum. Verumtamen id ipſum non tam excellens bonum eſt, quale illud, quod continet virtus ipſa continentiæ. Omittitur autem hoc loco bonum prolis proueniens ex concubitu, cuius cauſa ab initio inſtitutum eſt matrimonium, & propter quod, operam dare rei vxoriæ, vt filij ad Dei gloriam procreentur, eſt opus meritorium. Verum ad id modo non reſpexit Apoſtolus, rem prolis educendæ relinquens Dei prouidentiæ: interim autem tantummodo rationem habens periculi; & de hoc agens, ne Corinthij inciderent in fornicationem ob intemperantiam, cui propenſi erant; ſi penitus ab actu cõiugij ſe ſegregaſſent; & a poteſtate debiti mutuo expoſcendi ſe explicaſſent, vt nonnulli ſeductores ad hoc ipſos hortabantur: non vituperans quidem Paulus, aut damnans (vt hi alij) matrimonium; de quo alibi Eph.5. dixit, quòd eſt magnum ſacramentum, ſed ei anteferens cœlibatum, & virginitatem.

B *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir*. Quamuis mulier ſubdatur viro, vti domino, & capiti ſuo, vnde Heuæ dictũ Gen.1. eſt. *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*: quod etiam infra inſinuauit Apoſtolus, dum dixit, 1.Cor.11. quòd *mulier ex viro*, nempe ex eius coſta conſtru- Eph 4. cta eſt; Et in epiſt. ad Epheſ. *mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut domino, quoniam vir eſt caput mulieris*. Attamen, quo ad membra corporis, quibus ſexus hi diſtinguuntur, in ipſo actu concubitus, vt ſeruetur pudicitia, & thorus immaculatus, mulier æque habet poteſtatem in corpus viri, ſicuti & vir in corpus mulieris. Hæc enim eſt lex matrimonij; qua vir & mulier fiunt vnum in carne vna: vnde ex vtraque parte ius eſt, & poteſtas in alterius corpus: quæ etiam (ad explendam libidinem) ea ratione mulieri magis conuenire videtur, quòd fœmina appetit virum (vt inquit philoſophus) exiſtens tanquam animal imperfectum, ſi viro comparetur.

C *Vt vacetis orationi*. In Græc. Codic. *orationi*; adiungitur etiam *ieiunium*; neque immerito; cum ieiunium poſtulet animi puritatem, & abſtinẽtiam. Cum autem non prohibeatur, quin quotidie vir poſſit ad Deum deprecationes fundere, etiam quòd rei vxoriæ operam daret; hinc colligitur, intenſiſſimum, atque diuturnum ſtudium illud ſupponendum eſſe, quod adhiberi in oratione exigebat Apoſtolus a Corinthijs; quod ſane præſtari non potuiſſe adiudicauit illis diebus, quibus in re vxoria ſe occuparent. Non enim mens humana ita eleuari poteſt in functione orationis, ſi homo tam recens a concubitu accedat ad orandum: ſicuti ſi abſtineat a concubitu: præter quàm quòd etiam pudorem castum, & reuerentiam hinc inſinuauit Apoſtolus; qua accedendum ſit ad deprecandum Deum. Quòd ſi hæc exigebat a laicis, qua tandem caſtitate, atque ſanctitate tum animi, tum corporis cenſendum eſt ipſum voluiſſe præditos, & ornatos eſſe illos omnes, qui ſacris ordinibus eſſent initiati? ipſoſque præſertim ſacerdotes, qui ſacroſanctum atque tremendum corpus Chriſti conficiunt, & adminiſtrant? Ex quo præclare intelligitur, ſanctam Romanam Eccleſiam ductam a ſancto ſpiritu, ſapienter, atque pie ſtatuiſſe, ne uxorati ad ſacros ordines admitterentur. Vnde etiam, qui ſacris ordinibus inſigniti curant, longe ante animi propenſa cogitatione meditari deberent, quàm caſte ſit ipſis inſtituenda vitæ ratio, ne munus, quod ſubire volunt, non indigne, ne dum impie tractent, & adminiſtrent.

D *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam*. Au- Aug. lib 1. Enchir. ad Laur.c.78. guſtinus hunc locum explicans in lib. Enchirid. ad Lauren. ſupponit veniam concedi ab Apoſtolo, ſi conueniant ob vitandam fornicationem, tanquam in hoc actu peccatum committant. Exiſtimat enim ipſe, quòd ſi vir cognoſcat vxorem propter voluptatem carnalem, & non propter filios procreandos, hoc factum peccatum eſſe mortale. Si autem magis propter voluptatem, quàm ob ſobolis propagationem, id ipſum peccatum eſſe ueniale. Alij autẽ hoc dictum Apoſtoli, *dico autem ſecundum indulgẽtiam*, aliter interpretantes dicunt. Per hæc uoluiſſe inſinuare Corinthijs, quòd non præcepit eis, ut conueniant, ſed indulſit, ut conuenire poſſint: idque ad euitandum peccatum fornicationis; cum potius uoluiſſet ne conuenirent, ſi id, citra periculum peccati, præſtare potuiſſent; atque ideo id ipſum illorum dimittit arbitrio. Videtur autem poſſe dici: quòd, ſicuti, in magna cõcupiſcẽtiæ excitatione, & famis, & ſitis, licet homini ſine peccato & cibũ, & potum ſumere cum Dei benedictione, & gratiarum actione: ita quoque, exardeſcens quiſpiam carnis concupiſcentia, poſſit abſque peccato propriam uxorem agnoſcere ad ſedandum ardorem concupiſcentiæ, ob uitandum fornicationem; cum, ſi qua impuritas caderet in actu concubitus, ſanetur per ſacramentum matrimonij. Quod & Apoſtolus in hoc capite innuiſſe uidetur, dũ dixit. *Quòd ſi non ſe continent, nubãt, melius eſt enim nubere quàm vri*. Non q; ad hoc ipſum, ad ſedandam nempe cõcupiſcentiã, ſit proprie inſtitutum ſacramẽtum matrimonij, ſed ad ſobolis propagationem. Et in hanc ſentẽtiam conſpirare uidentur Theophylactus, & Græcanica Theophyl. Scholia in explicatione uerborum illorum in epiſt. Gr. Scho. ad Hebr. *Fornicatores enim, & adulteros iudicabit* Heb.13. *Deus*. Inquiunt enim Græca Scholia: *& merito; nam ſi coniugium permiſſum eſt, & ſine peccato licet ad explendam concupiſcentiam; quis erit excuſationis prætextus ſcortatoribus, & adulteris?*

E *Volo enim omnes eſſe ſicut me ipſum*. Theodoretus hunc locum explicans, inquit, in continentia Theodor.

uellet

Occum. uellet Paulus omnes eſſe, qualis & ipſe. Oecumenius autem ex ijs colligit, quòd Apoſtolus eſſet uirgo. Verum hic non eſt ſermo de uirginibus, ſed de uxoratis; & ideo ex hoc loco nonnulli ſuſpicati ſunt, quòd Paulus uxorem haberet, licet illi non adglutinaretur, quod etiam obſeruari a Corinthijs uxoratis, optaſſet. Cui opinioni, uti falſę, aduerſatur illud, quod paulo poſt habet Apoſtolus, alloquens innuptos, & uiduas, dum inquit, *bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego*: quibus uerbis palam innuptum ſe fuiſſe declarat.

Sed hoc loco aliquis dubitaret: quoniam, ſi omnes fuiſſent cõtinentes, uti Apoſtolus optabat, humana ſpecies defeciſſet; atque ita numerus electorum non eſſet completus. Cui quidem dubitationi nonnulli occurrentes dixerunt; Paulum id pronunciaſſe uolũtate antecedente (prout etiam interpre-
1. Timot. 2. tantur eiuſdem Apoſtoli ſententiam ad Timot. ꝙ *Deus omnes homines uult ſaluos fieri.*) Sed nõ uoluntate cõſequẽte; ac ſi ita dicant. Voluiſſet omnes eſſe continentes, ut quid melius exoptans; non tamen id noluiſſet uoluntate conſequente, quin relinqueret aliquos, qui nollent eſſe continentes. Verũ illud etiam dici poſſet, ꝙ ſi omnes homines, qui tempore Pauli erant in mũdo, fuiſſent, quales ipſe cupiebat, cõtinẽtes, & cõſequenter ſancti; forte ex eorũ multitudine fuiſſet completus numerus electorum. Aut de illis ſolum loquebatur, qui Chriſti fidem ſuſceperant, quos perfectos eſſe, atque ſine vſu vxoris degere optaret, vt promptiori, feruentiorique ſpiritu Deo inſeruirent. Sed & ponderanda ſunt verba Apoſtoli dicentis; *volo autem omnes homines eſſe ſicut me ipſum*; quæ hunc etiam ſenſum poſſunt recipere, videlicet, quòd optat omnibus ea bona, quæ & ſibi; & nõ quòd vellet ipſos eſſe ſine vxore, prout & ipſe ſine vxore erat. Neque enim dicit, vellem omnes eſſe ſicut & ego, vt dicit paulo poſt, inquiẽs bonum illis, ſi *permanſerint ſicut & ego*, ſed inquit, volo omnes eſſe ſicut me ipſum; nempe eiſdem diuinis bonis affluentes, quibus & me vellem.

F *Sed vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo,*
Theophyl. *alius quidem ſic, alius vero ſic.* Ex his colligit Theophylactus, quòd etiam donum ſit ipſa coniunctio matrimonij. Verum præſens ſententia Apoſtoli referri poteſt ad alia bona. Veluti, qui caret dono caſtitatis, habebit donum ferẽdi aduerſa cum patientia; vel promptitudinem ad eleemoſinas largiẽdas indigentibus; vel in orando ſpiritum feruentiſſimũ. Nam, quòd virginitas donum ſit ſupremum a Deo proueniens, ſignificauit Dominus in Euangelio;
Matt. 19. dum dixit: *qui poteſt capere capiat*. Cum autem dicat Apoſtolus, ſe indulgere Corinthijs permittendo, vt vxorati conueniant pro fornicatione vitanda, quum tamen potius voluiſſet ipſos abſtinere a re vxoria, dummodo id potuiſſent citra peccati periculum; hinc in dubio verti poſſe videtur, num
Theoph. (vt interpretatur Theophylactus) Apoſtolus intellexerit, quòd iungi matrimonio ſit donum Dei;
Eph. 5. quamuis ſanctum ſit, & magnum ſacramentũ matrimonium; quo (vt dicitur in epiſt. ad Epheſ.) ſignificatur Chriſti coniunctio cum Eccleſia. Sed & ſi virginitas ſit donum a Deo emanans; non ob id tamen exiſtimandum eſt, quin etiam ab homine propenſa eius voluntas exigatur, atque perpetua & feruens animi deprecatio ad Deum, vt donum caſtitatis impetret; iuxta quem ſcopum, & emittere votum caſtitatis, & licitum, & optimũ eſt homini.

G *Dico autem non nuptis, & viduis*: Auguſtinus Aug. lib de Bon. Vidui. c. 2.
in lib. de Bono Vidui. animaduertit, idcirco dici ab Apoſtolo *non nuptis, & viduis*; quoniam & ſi viduæ innuptæ dici poſſunt; attamen non omnis innupta vidua eſt. Nam virgo eſt innupta, quæ tamen non eſt vidua. Sed & aliqui homines (inquit) poſſunt eſſe virgines, qui etiã innupti dicendi ſunt. Verum cum vox illa *τοῖς ἀγάμοις*, maſculini generis exiſtens, ſit diſtincta ab hac alia, *καὶ ταῖς χήραις*. fœminini generis: ideo dicendum, proprie priorem vocem referri ad viros innuptos; ſiue ſint virgines, ſiue orbati vxore; poſteriorem vero ad fœminas. Cum autem ſubiungitur: *bonum eſt illis ſi ſic permanſerint, ſicut & ego*. Ex his verbis aperte colligitur, Apoſtolum declarare, quòd eſſet innuptus: ſeu quoniam eſſet virgo, vt cenſet Theodoretus; Theodor.
ſeu ſaltem, quòd, dum hãc conſcriberet epiſtolam, viduus, & ſolutus ab vxore inueniretur.

H *Melius eſt enim nubere, quàm vri*. Non dicendum, quòd ſimpliciter melius ſit nubere, quàm non nubere; ſed quod potius eligendum eſt nubere, quàm vri ab ipſa concupiſcentia; quæ eſt calor noxius; & ſi ita accendatur, ut homo ab ipſa ſuperatus perdat gratiæ humorem, ipſum ardere facit in peccato, cui debetur ignis, quem merentur ſcortatores, & adulteri.

I *Iis autem, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus*. Quod attinet ad diuortium, Apoſtolus affert præceptum ex Domino; ut non diſcedat uxor a marito. Qui quidem non poteſt dimittere uxorem, niſi ex cauſa fornicationis; quæ etiam dimiſſa, non poteſt alteri nubere. Hinc ait, quòd ſi diſcedit uxor, maneat innupta; aut uiro reconcilietur. Poteſt autem contingere ſeparatio uxoris a uiro etiam ob hanc cauſam, quòd nõ concordes exiſtentes in conuictu, non poſſint ſimul cohabitare; atque ideo excuſari poſſe uidetur uxor, ſi diſceſſerit a uiro, ſeparans ſe a thoro, nõ ualens ipſum ut improbũ, & ſibi nimis grauem perferre, ac præſertim eam ad peccandum prouocantem. In quo caſu debet mulier, innupta remanere, & non alteri coniungi, neque etiam, ſi diſceſſerit ob fornicationem commiſſam a uiro. Cui quoque ſupponẽdum eſt conuenire hæc eadem, quæ dicta ſunt de uxore, licet Apoſtolus de ipſo uiro reticuerit. Auguſti- Aug. lib. 1. de ſer. Domi. in Mõte. c. 27.
nus autem uult hic eſſe ſermonem tantummodo de Chriſtianis coniugatis. Vnde aliam normam (inquit ipſe) præſcribit Apoſtolus illis coniugatis, quorum uir eſſet fidelis, mulier uero infidelis; uel e cõuerſo. Adnotandum autem non poſſe maritum dimittere uxorem ex cauſa fornicationis; ſi uel ipſe eam proſtituerit; uel ei cauſam fornicandi ob non redditum debitum præbuerit; uel ipſe cum alia fornicatus fuerit; aut ſi mulier ui fuerit oppreſſa, uel uirum rationabiliter mortuum eſſe præſumpſerit; uel ſi cum alio credens illum eſſe uirum ſuum concubuerit; uel iam deprehenſa, non fuerit dimiſſa;

quas

Tho. Aqui. quas omnes conditiones refert Thomas in ſuis comment.

K *Nam cæteris, ego dico, non dominus.* Quæ modo ſubiungit Apoſtolus, a Chriſto non fuerunt denunciata, quæ tamen ipſe animaduertit, quòd ita temporis conditio poſtularet, cum iam eſſent fideles, qui Chriſti baptiſmum ſuſciperent. Vnde eueniebat, ut uel uir Chriſtianus fieret, & non oxor; uel e conuerſo. Hinc, quonam pacto ſe ſe regere deberent fratres, aut ſorores fideles, in hoc diſcriminis ſtatu conſtituti, docet Apoſtolus. Et in primis hoc ipſum, ꝙ ſi aliquis ex fratribus habeat uxorem infidelem, & ipſa conſentit habitare cum uiro, non debet ipſam dimittere: & e cõuerſo idem agat mulier fidelis erga uirũ ſuum infidelem: cuius quidem præcepti hæc uidetur eſſe congrua ratio. Nam, ſi uir infidelis conſentit habitare cum vxore fideli, hinc ſignum præbet, quòd non ita abhorret a chriſtiana religione, quin rationabiliter ſpes concipi poſſit, quòd & ipſe eam aliquando ſit ſuſcepturus. Vnde ſupponendum uidetur, id (tanquam præceptum) a Paulo idcirco impoſitum fuiſſe Corinthijs, quòd hinc ſalus infidelium poſſet pendere. Et ita

Theodor. ſentiunt Græci expoſitores; ut inter alios Theodoretus inquiens. *Si hæc, quæ ſtatuit Apoſtolus, non ab ore Chriſti, a ſpiritu certe Chriſti emanarũt, qui erat in Paulo.*

Aug. lib. 1. de ſer Domi. in Monte. c. 27. Auguſt. autem in lib. de Serm. Dom. in Monte, cenſet id non præceptum; ſed admonitionem fuiſſe, quòd uir fidelis non dimittat uxorem infidelem, ſi conſentit cum ipſo habitare; adeo quòd liceat etiam dimittere. Sicuti etiam monetur uirgo ab Apoſtolo, ut non nubat; quæ, ſi nupſerit, conſilium non tenebit; ſed contra præceptum non faciet. Vnde ipſe animaduertit, aliud eſſe quod iubetur, ut quod mulier a uiro non diſcedat, ſi autem diſceſſerit, maneat innupta: Aliud, quod ignoſcitur; ut, cum dicit Apoſtolus; hoc *autem dico ſecundum indulgentiam, & non ſecundum imperium.* Et

1. Cor. 7. aliud quod monetur; ut, quòd uidua non nubat, cui tamen licet nubere. Hæc Auguſtinus. Sed cum

1. Cor. 14. Apoſtolus infra dicat. *Si quis videtur propheta eſſe, aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo uobis, quia Domini ſunt mandata.* Hinc uidetur inferendum, in peccatum mortiferum impingere, qui hæc non ſeruaret.

L *Sanctificatus eſt enim uir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per uirum fidelem.* Hæc nonnulli ita interpretantur, quòd iam contigit, & contingere poteſt, ut uir infidelis ex ſanctitate, admonitione, & exhortatione mulieris fidelis, reſipiſcat ab infidelitate. Et cum ſubiungit Apoſtolus; *alioquin filij ueſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt.* Iidem hoc dictum ita interpretantur. Quòd filij eſſent ſpurij, uti nati ex non legitimo matrimonio, quod diſſolutum eſſet: *nunc autem ſancti ſunt;* id eſt, legitimi.

Theophyl. Theophylactus autem aliter interpretatus eſt, inquiens. Ab abundanti patris fidelis puritate, uinci impudicitiã mulieris infidelis; quod (inquit) dici ab Apoſtolo, ne uir fidelis uereatur, aut mulier, labe, & ſordibus inſici, ſi cum infideli rem habuerit, cum iam ſimul matrimonio eſſent cõiuncti ante fidem ſuſceptam ab ipſorum altero.

Theophyl. Non tamen explicat Theophylactus, dictum illud, *ſanctificatus eſt enim uir infidelis per mulierem fidelem,* quod appoſitum exiſtimamus ad ſignificãdum, quòd, quo ad actũ adglutinationis carnalis, uir infidelis ſanctificatur in corpore uxoris fidelis; & uxor infidelis in corpore uiri fidelis, ut omnino in actu illo matrimoniali, ex Dei ſumma benignitate, caro uiri infidelis ſanctificetur in carne uxoris fidelis & baptizatæ, ad hunc quippe ſenſum, ut actus concubitus non reddatur pollutus; quãuis ſit infidelis uir, cui mulier fidelis ſit adglutinata; uel e conuerſo. Vnde conſequenter ſubiungit Apoſtolus: *alioquin filij ueſtri eſſent immundi,* nempe tanquam ſpurij, uti geniti ex uiro, ſeu ex muliere infideli: quaſi quòd, ex ijs nati filij, ex dimidia parte eſſent immundi; ex illa ſcilicet, quæ pertinet ad uirum, ſeu ad mulierem infidelem, ex quibus ortum duxerint; adeo quòd ſuſpicandum eſſet, quòd horum filij, licet baptizati, non emundarentur quo ad partem illam genituræ, quam traherent a uiro, ſeu a muliere infideli. Verũ ſubiungit Apoſtolus; *nunc autem ſancti ſunt,* nempe per baptiſmum, ut nil ipſis obſit, quòd ſint procreati ex patre, ſeu ex matre infideli: ita enim expoſuit Chryſoſtomos, & Theophylactus. Chryſoſt. hom. 29. Theophyl. Ex eo autem, quòd non dixit, filij ueſtri mundi ſunt, ſed *ſancti ſunt;* id fecit, ut magis omnẽ ſuſpicionem turpitudinis amoueret a mente Corinthiorum.

Gr. Expoſi. Illud autem, quod hoc loco addubitant Græci expoſitores, quomodo non inconueniat, uirum fidelem adglutinari mulieri infideli ſibi antea matrimonio coniunctæ; ſi fornicari non eſt licitum, & fornicatione peior eſt infidelitas. At hæc dubitatio ex adducta interpretatione facile diſſoluitur, ſi dixerimus, quòd ſanctificatur infidelis per fidelem. Et cum dictum ſit antea, quòd ſi conſentiat vir infidelis habitare cũ vxore fideli, & hinc poſſit eſſe ſpes, vt ex vxoris fidelis conuerſatione, vir infidelis conuertatur ad fidem; ideo dicendum videtur, non ſolum licitum eſſe mulieri fideli adglutinari viro infideli, & e conuerſo; verum etiam hinc prohiberi fidelibus cõiugatis dimittere vxorem, uel virum infidelem. Quod præſertim in initio naſcentis Eccleſię canendum erat, ne Gentes ſubſtreperent aduerſus legem Euangelicam. Secus uero dicendum eſt, ſi, fidelis uir baptizatus, cum muliere infideli non baptizata uelit contrahere matrimonium; id enim eſt prohibitum; & ſi quis contrahat, non tenet matrimonium, ſicuti ſtatutum eſt ex Eccleſiæ conſtitutionibus. Decret. 28. q. 3. ex his. & q. 1 caue, & c. cũ non oportet.

M *Quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat:* Si (inquit Apoſtolus) uir infidelis, diſcedit ab uxore fideli, *diſcedat:* id eſt, ſinat mulier ipſum diſcedere; non eſt obſtricta lege matrimonij, uel præcepto Eccleſiæ, ut illum ſequatur. Gręci autẽ legunt, χωρίζεται, id eſt, ſi uir ſeparetur a muliere, & ipſa ſeparetur: adeo quòd matrimonium diſſoluatur, quando uir a muliere ſaparatur ob odium religionis: in quo caſu poteſt tam uir, quàm mulier alteri nubere. Et ex his patet, ex Apoſtoli ſententia, matrimonium contractum in diſcrimine religionis non conſiſtere, & factum dirimi.

Math. 10. N *In pace autem vocauit nos Deus*.Ne ſcilicet inuicem rixemur; Quòd ſi alibi dicitur; *non veni pacē mittere.ſed gladium*, id in eo ſenſu dictum intelligitur, quòd,ex vna domo, vnus ſectator fieret fidei Chriſtianæ; vt puta pater, & non filius; aut vir, & non vxor;qui hac ratione inuicem diuiderentur ob religionem. Verum qui Chriſti fidem ſuſceperunt, ita vocati ſunt,vt in pace, & non in rixis viuant.
Rom. 12. Vnde ſcribens Romanis Apoſtolus dicebat; *cum omnibus hominibus pacem habentes*.Aut per hęc verba, *in pace autem vocauit nos Deus*,inſinuauit,quòd non coacte, ſed voluntarie Deus vult vt ſibi inſeruiamus. Ac propterea non cogendus vir, aut mulier infidelis, vt inuiti fidem ſuſcipiant.

Seuer. O *Niſi vnicuique ſicut diuiſit Dominus*. Quidam, vt Seuerianus, ita legunt. ἢ μή. ideſt, an non? & ſecundum hanc lectionem, huiuſmodi eſſet conſtructio verborum. Vnde ſcis mulier, ſi virum ſaluum facies, an non? quibus poſtea hæc ſubiungantur; *vnicuique ſicut diuiſit dominus*. Alij autem ita legunt, εἰ μή; hoc eſt, *niſi*, ſicuti etiam legit vulgata editio, & verborū is eſſet ſenſus? Vnde ſcis mulier, ſi virum ſaluum facies? quæ niſi hoc ſcire potes, ꝙ Dominus diuiſit cuique gratias, & ſua dona. Forte poſſent etiam hæc verba ita coniungi, vt ad illa, *quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat, non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror in huiuſmodi;* & ad hæc, deinde,tanquam per parentheſim enunciata *(in pace autem vocauit nos Deus, vnde enim ſcis mulier, ſi virum ſaluum facies, aut vnde ſcis vir ſi mulierem ſaluum facies?)* hæc alia ſubijciantur: *niſi vnicuique ſicut diuiſit dominus, vnumquěque ſicut vocauit Deus, ita ambulet, &c.* adeo quòd hæc reſpondeant prius dicto; quòd non eſt frater, in huiuſmodi, ſubiectus ſeruituti, vt ſequi habeat mulierem infidelem, ſi ab ipſo velit diſcedere, aut mulier fidelis virum infidelem: ſed bene ad hoc vnuſquiſque ſubiectus eſt, vt ambulet in ea vocatione, in qua vocatus eſt: Veluti, qui circuncisus eſt vocatus, non adducat præputiū, & qui in præputio, non circuncidatur.

P *Circuncisio nihil eſt & præputium*. Nempe, poſt publicatam fidem Chriſti. Nam antea circuncisio aliquid erat;quatenus Hebræi,ex legis præſcripto,eam ſuſcipere tenebantur; quæ & illis impoſita erat pro ſigno futuræ per Chriſtum iuſtificationis; in illis quidem, qui Abrahæ patriarchæ fidem imitabantur; nō autem quòd ipſa ex ſeſe hominem iuſtificaret,ſed bene cōiuncta cum fide, quam in Chriſtum venturum proteſtarentur.

Q *Sed obſeruatio mandatorum Dei*. Hinc patet, ijs, qui iuſtitiam ſunt adepti, opus eſſe, vt ſeruent Dei mandata; atque ita opera exerceant, quibus, qui iuſtus eſt, magis etiam iuſtificetur.

R *Nolite fieri ſerui hominum*; nempe illis obe-
Apoc. 22. diendo in ijs,quæ non conueniunt;veluti circuncidi præputiatum in gratiam circuncisorum; vel circuncisum præputium ſibi facere (quod ex Iudæis aliqui conſueuerant,pelliculā pudendi quodam inſtrumēto ferreo extollēdo, vt ſcribit S.Epiphanius) vel agēdo alia mala, ob quæ homo fit omnium ſer-
Chryſoſto. hom. 19. uus; ſicuti liber euadit, bona agendo apud Deum, vt notat Chryſoſtomus. Atque ideo hęc non aduerſantur prius dicto,quòd qui ſeruus eſt vocatus,non debet hac præmi cura, vt liber fiat.

S *Propter inſtantem neceſſitatem*. Indicat Apoſtolus expedire homini, non eſſe vxoratum propter inſtantem neceſſitatem, quæ conſequitur ad curam rei familiaris, & ad obligationem, qua inuicem obſtricti ſunt vir & vxor mutuum ſibi debitum reddendi.Addit Photius etiam ob tribulationes, quas fideles ab infidelibus patiebantur. Aut, *propter inſtantem neceſſitatem*, intellexit Apoſtolus expedire, Phot.
vt homines ſint liberi a iugo matrimonij; innuens neceſſitatem, quam omnes habemus excūdi de hoc mundo; quod expeditius præſtare poſſunt virgines, & innupti, quàm qui ſocietate coniugij ſunt implicati.

T *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorē*.Hæc vidētur aduerſari ijs,quæ prius dicta ſunt,quòd quiſque habeat vxorem propter fornicationem, cum hic dicatur;ſi ſolutus es ab vxore,noli quęrere vxorem. Atque ideo (ſicuti antea admonuimus) ſuperior ſententia erat intelligenda, quòd vxorati non deberent a ſe abdicare poteſtatem mutui exigendi debiti, ne fornicationi locus eſſet ob incontinentiā. Hic autem alloquitur ſolutos ab vxore,dans illis cōſilium, ne ſe iterum ſubijciāt ſeruituti matrimonij. *Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem*;Nam qui id ageret vxoratus,non poſſet amplius concumbere cum vxore, niſi cum peccato: idcirco præſtat magis ſeruare libertatem inuicem conueniendi, & ex communi conſenſu abſtinere ad tempus, vt vacent orationi, & ieiunio.

V *Et ſi nupſerit virgo,non peccauit*. Non illa virgo,quæ virginitatem deuouerit, hæc enim grauiter
peccaret, vt notat Theophylactus hoc loco, & Hie- Theophyl.
ronymus, ſcribens ad Iouinianum;ſed illa,quæ poſ- Hierony.
ſit nubere,& nondum ſit deflorata.

X *Ego autem vobis parco*. Id dicit, quatenus nō præcipit Corinthijs illud,quod eſſet optimum, vt a mulieris conſortio ſeiuncti eſſent.Atque ideo abſtinens ab hoc præcepto, parcit illis, dum ipſis non imponit illud, quod eſſet optimum, id agens propter eorum incontinentiam. Vel miſereri ſe eorum dicit ad hunc ſenſum; quoniam non eſſent apti caſtitati;& quòd,iuncti in matrimonio,paterētur multas difficultates,& ærumnas;a quibus fuiſſent liberi, ſi expediti eſſent a iugo matrimonij.

Y *Qui habent vxorem, tāquam non habentes ſint*. Non ob id tamen vult Apoſtolus, vt ceſſent a reddendo ſibi ipſis debitum;ſed illud vult,vt ad Deum omnes ſuas dirigant actiones;ſicuti etiam,qui vtuntur hoc mundo, debent eſſe tanquam non vtentes mundo ad hunc ſenſum; vt omnium actionum ſuarum ad Deum dirigant ſcopum.

AA *Et diuiſus eſt*. Ita habet vulgata editio, & ſenſus eſt; quòd vir eſt diuiſus, ideſt, diſtractus eſt in multas ſolicitudinum partes ob contubernium, & obligationem, qua obſtrictus eſt vxori, vt Deo non poſſit libere, & caſte inſeruire. Græci autem,
Chryſoſtomus & alij aliam lectionem ſequuti ſunt Chryſoſt.
huiuſmodi: *diuiſa eſt mulier nupta, & virgo*, ideſt,hæ diſtinguuntur inuicem (vt Græci interpretantur) vti longe diuerſæ conditionis inter ſe exiſtentes,

nupta ſcilicet mulier,& virgo. Et videtur lectio cóſeotanea ijs, quæ prius dicta ſunt de diſcrimine, quod eſt inter homines nuptos, & innuptos, quod etiam cadit inter nuptam mulierem,& virginem.

BB *Vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu*, concubitus abſque dubio reddit corpus pollutum, licet pollutio corrigatur, atque ſanetur ex ſacramento matrimonij;per quod tamen non tollitur,quin in corpore adfuerit dicta pollutio: a qua turpitudine longe abeſt virgo, quæ etiã ſpiritu magis eſt ſancta, quàm mulier rei vxoriæ addicta, per quam aliqualiter deijcitur integritas, & ſanctitas ſpiritus.

CC *Sed ad id, quod honeſtum eſt*. Certe in caſtitate tota res eſt honeſta. At in concubitu adeſt aliquid verecundum, atque turpe, & alienom ab ipſa honeſtate; vt propterea verecundas mulieres quodammodo ſuppudeat,dum proprijs etiam adglutinantur viris.

Hierony. DD *Si quis autem turpem ſe videri exiſtimat*. Ex ſententia Hieronymi ad Iouinianum, Apoſtoli ſermo hoc loco eſt de homine, qui ſtatuerit apud ſe virginitatem ſeruare:cui conſilium datur,vt,quemadmodum ſentit ſe aptum ad ſeruandam virginitatem,ita ſe regat, vt,ſi nõ ſibi conſtet in ea ſeruanda, nubat,ſi velit;aut eãdem conſeruet,ſi firmus,& ſtabilis perſtiterit in propoſito, vt nubere nõ cogatur. Communis autem huius loci interpretatio, aſſerit ſermonem eſſe de cuſtode virginis, ſit vel pater, vel alius;qui,ſi turpe ſibi exiſtimauerit, virginẽ ſuę cuſtodiæ commiſſam non nubere, & iam ſit adulta,& ita conueniat fieri, debet ipſam nubere. Alioqui, ſi non vrget neceſſitas, melius etiam faciet, ſi eam nõ nupſerit. Verum aduertendum eſt,in Græcis cod. magnam difficultatem exoriri ex eo verbo, quod conſtanter eodem modo legitur in omnibus,id ipſum eſt γαμείτωσαν, quod plurium refert ſignificatum, ideſt, *nubant*: quod interpres ad ſingularem numerum conuertit, *nubat*,& conuenienter admodum iuxta allatam interpretationem. At ſecundum Hieronymũ eſſet ſermo de homine, & de eius carne,quam virginem ſeruare ſtatuiſſet,&cum nõ poſſet eſſe continens, eam ſibi in matrimonio iungere vellet,ut ita ſimul nubant. Accedit,non videri conueniens,quòd ad libitum cuſtodis (prout ſupponitur) & non ad propriam, quoque virginis voluntatem ſtatui debeat, num ipſa velit ſeruare virginitatem,an potius nubere. Idcirco, forte poſſemus dicere,hic eſſe ſermonem de eo,qui iungẽdus eſſet cum uirgine ſibi deſponſata; qui,adhærens conſilio Apoſtoli non implicandi ſe in re uxoria, ſe ipſum una cum uirgine libenter ſeruaret in uirginitate. Quòd ſi contigerit, ut turpem ſe agnoſcat ſuper uirgine ſua,quam domi ſibi traditam haberet (ut mos erat apud antiquos) & inhiare concupiſcentia in eam; & uirgo ſit ſuper adulta, & ita apta iungi uiro ſua ex libera uoluntate; hunc admonet Apoſtolus, ut ſi uelint, nubant ſimul. Si autem qui talis eſt, ſtatuit in corde ſuo, firmus in conſilio, ob experientiam ſumptam de ſua continentia,non habens neceſſitatem pro uitanda fornicatione,ut opus illi ſit nubere ne uratur; poteſtatem inſuper habens ſuæ uoluntatis, adeo quòd adſit liber conſenſus alterius partis, uirginis ſcilicet uirginitatem pariter ſeruare eligentis;ijs vtique omnibus ita ſuppoſitis conditionibus, ſi iudicarit, & approbarit in corde ſuo conſeruare virginem ſuam in virginitate; is bene facit, ac multo melius,quàm ſi nuberent ſimul; dummodo, ſeruatis prędictis conditionibus,hoc pręclarum,& diuinum opus poſſint præſtare. Et ſecundum hanc interpretationem ceſſaret difficultas de virginibus ſanctimonialibus, de quibus non eſſet hic ſermo.

EE *Nubat tantum in Domino*: Nubere in domino (vt exponit Theophylactus) eſt, ſi mulier iungat ſe cum viro Chriſtiano; vel ſi in pudicitia maneat, & familiæ præſit nullis affecta vitijs cõcupiſcentiæ. Addamus ad hæc, ſi, iuxta normam matrimonij præſcriptam a Domino, & iuxta ea, quæ ſupra adducta ſunt in hanc ſententiam,in matrimonium viri ſe collocarit. Theoph.

PARAPHRASIS. Cap. VIII.

DE ijs autem, quæ idolis immolantur, ſcimus quid ſibi velint, quoniam omnes huius rei ſcientiam habemus. Verum ſcientia, ſi ſola adſit,inflat habentem; charitas autem ædificat.Si quis autem exiſtimat ſe ſcire aliquid, nondum cognoſcit quomodo oporteat eum ſcire,vt recte ſciat. Si quis autem diligit Deum, is a Deo cognitus eſt, quod eſt apex ſummæ fœlicitatis. Sed quòd attinet ad eſcas, quæ idolis immolantur, ſcimus quòd idolum nihil eſt in mundo,nullius rei certam habens naturam; quemadmodum, & illud ſcimus, quòd nullus eſt Deus, niſi vnus. Nam & ſi ſint qui dicuntur Dij, ſiue in cœlo, ſiue in terra (ſiquidem ſunt Dij multi, & Domini multi ad hominum opinionem) attamen nobis, qui notitiam veritatis habemus, vnus tantum eſt Deus a nobis colendus, pater omnium, ex quo omnia proueniunt, & in quem credimus, & dirigimur, vt in vltimum noſtrum finem. Sicuti etiam eſt vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem (vt Verbum coęternum) omnia facta ſunt; & nos per ipſum ſumus, per ipſum creati, atque redempti. Sed non in omnibus eſt hæc ſcientia: ſed ſunt nonnulli, qui vſque modo cum cõſcientia idoli comedunt idolothyta, tanquam res vere ſacras idolis immolatas, quorum conſcientia, cum ſit infirma, ex harum rerum eſu polluitur. Porro eſca nõ commendat nos Deo, Neque enim ſi hæc manducauerimus,tanquam ſcientes non eſſe vere ſacra, idcirco abundabimus in Dei gratia;neque ſi non manducauerimus, ab eadem deficiemus. Verum illud vobis eſt ſpectandum quàm maxime,ne ueſtra hæc licentia offendiculum pariat infirmis. Nam ſi quis uiderit eum,qui pollet ſcientia,in idolio recumbentem; nonne cõſcientia eius infirma ędificabitur ad manducãdum immolata idolis, tanquam re uera ſint ſacra? atque ita peribit in tua conſcientia (cui innixus erit) infirmus frater, propter quẽ Chriſtus mortuus eſt. Simul autem peccãtes uos in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis, ipſius opus demolientes, Quare, ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternũ, ne fratrem meum ſcandalizem.

Editio

Editio vulgata.

De ijs autem quæ idolis ſacrificantur, ſcimus, quia omnes ſcientiam habemus. Scientia inflat: charitas vero ædificat. Si quis autem ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognouit, quemadmodum oporteat eum ſcire. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus eſt ab eo. De eſcis autem quæ idolis immolantur, ſcimus quia nihil eſt idolum in mundo, & quòd nullus eſt Deus, niſi vnus. Nam, & ſi ſunt, qui dicantur dij, ſiue in cælo, ſiue in terra (ſiquidem ſunt dij multi, & domini multi) nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & vnus dominus, Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. Sed non in omnibus eſt ſcientia. Quidam autem conſcientia vſque nunc idoli, quaſi idolothytum manducant, & conſcientia ipſorum cum ſit infirma, polluitur. Eſca autem nos non commendat Deo. Neque enim ſi manducauerimus, abundabimus: neque ſi non manducauerimus, deficiemus. Videte autem ne forte hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum qui habet ſcientiã, in idolio recumbentem: nonne conſcientia eius, cum ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt. Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam: in Chriſtum peccatis. Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.

ADNOTATIONES.

A Theophyl. SCIMVS, *quia omnes ſcientiam habemus.* Theophylactus cũ nonnullis alijs interpretatur, hęc eſſe dicta ab Apoſtolo ad reprimẽdam inſolẽtiam eorum, qui apud Corinthios, vti perfectiores, ſeu ſcientiores alijs, agnoſcerent, ꝙ nihil vere eſſet idolothytum: Hincque multum ſibi aſſumebant, quaſi ſoli hanc ſcientiam obtinerent. Theodor. Theodoretus autem cenſet hæc dici ironice, quod comprobat, tum ex eo, quod ſubiungitur; *Si quis autem ſe exiſtimat ſcire aliquid, non dum cognouit, quemadmodum oporteat eum ſcire;* tum ex illis alijs verbis, quæ paulo infra habentur. *Sed non in omnibus eſt ſcientia.* Vnde, ne videatur Apoſtolus loqui contraria; modo dicendo, *quia omnes ſcientiam habemus;* modo, quòd *non in omnibus eſt ſcientia,* idcirco valde probabilis redditur Theodoreti commentarius, quòd ironice hæc protulerit Apoſtolus. Quod etiam reſpicere videntur hæc alia, *ſcientia inflat, charitas vero ædificat.*

B *Si quis autem diligit Deum, is cognitus eſt ab eo.* Summæ is eſt fœlicitatis apex. Nam qui cognitus eſt a Deo, diligitur a Deo, & ſub eius tutela cuſtoditur. Ad quod reſpiciens Moyſes, dixit Domino. Exo. 33. *Cum dixeris, noui te ex nomine, & inueniſti gratiam coram me.* Vnde & dominus ad eos, qui non ſunt ex ouibus ſuis; etiam quòd prophetauerint, & dęmonia eiecerint; ſe dicturum prædixit Matt. 7. in die iudicij; *quia nunquam noui vos.* In alio præterea ſeculo, qui cognitus fuerit a Deo, vt amicus; ipſe etiam, prout cognitus eſt, cognoſcet Deũ. Vnde 1. Cor. 13. infra dicitur; *tunc autem cognoſcam, ut & cognitus ſum.* Theophylactus hunc locum explicans inquit; Theoph. *qui cognitus eſt a Deo, ipſi fit notus, & familiaris, & a Deo ſcientiam ſumit.* Oecum. Oecumenius autem animaduertit, nõ dictũ eſſe ab Apoſtolo, cognoſcit Deum; ſed cognitus eſt; vt innueret, impoſſibilem eſſe perfectam cognitionem. Aut quia, qui a Deo cognitus eſt, dignus habetur reuelatione.

C *Scimus quia nihil idolum in mundo.* Non enim ſubſiſtit quaſi quædam res, atque natura, idolum, vt putant idololatræ. Adeſt quidem, quod cernitur lignum, aut argentum ſub tali forma atque figura; At quòd in ipſo metallo exiſtat forma dans illi eſſe, ita vt quidam Deus ex tali materia adiuncta ſpiritui conſtet, proculdubio id falſum eſt. Atque ideo idolum vere non eſt: licet fingeretur, quòd in illis ſculptilibus adeſſet ſpiritus, qui reſpõſa daret: quod ſimulabant, dum homo intus latitans id præſtaret, vel dęmon; qui tamen non informat ſculptile, eo modo, ſicuti homo cõſtituitur ex anima, & corpore.

D *Nam & ſi ſunt, qui dicantur Dij, ſiue in cælo, ſiue in terra.* Vt puta in cœlo, Luna, Sol, Mercurius, Iupiter, & alia aſtra celebrantur, vt Dij. Similiter in terra plures hęroes; vt Eſculapius, Neptunus; & ipſi Dęmones; iuxta illud Pſalmi: *omnes Dij Gentium Dęmonia.* Pſal. 95. Necnon in ſacra ſcriptura nominantur homines, Dij, per adoptionem, vt in Pſal. *Dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Pſal. 81. Alij quoque ex prælatione: iuxta illud Exod. *Dijs non detrahes.* Exo. 22. Alij vero per eſſentiam; & hunc in modum eſt tantum vnus Deus in eſſentia, & triuus in perſonis.

E *Nobis tamen tantum vnus Deus Pater.* Ipſis nempe Chriſtianis ex lege Euangelica inſtructis. Apud eos vero, qui Chriſti fidem non ſuſceperunt, vt Gentiles, ſunt plures Dij; tum, quoniam plures ab ipſis cenſentur; tum quoniam plures ſunt Dęmones, qui apud infideles pro Dijs habentur.

E *Ex quo omnia.* Vt qui rerum omnium eſt creator; *& nos in illum.* Id reſpondet dicto illi, *nobis eſt Deus,* qui proprie eſt Deus ſanctorum, quorum præcipuum habet patrocinium: *& nos in illum,* & credimus, & ſperamus, & dirigimur vti in finem noſtrum: *& vnus Dominus Ieſus Chriſtus.* Non plures eſſentialiter domini, ſed vnus Chriſtus, cui pater tradidit omnia in manu atque poteſtate: *per quem omnia:* ſcilicet facta ſunt iuxta ſapientiam, qua Verbum, filius Dei vnigenitus denotatur, qui eſt Patris ſapientia: *& nos per illum,* ſcilicet creati, & redempti ſumus. Admonet autem hoc loco Chryſoſtomus circa illa verba: *vnus Deus Pater;* illã particulam, *pater,* eſſe ſuperuacaneam; quoniã Apoſtolus voluerit hoc loco ſignificare, ipſum Deum eſſe ingenitũ, vnde ſat erat dicere, quòd eſt vnus Deus. Chryſoſt. homil. 20. Verum admirãda eſt diuina Apoſtoli ſapientia; qui ponens vnum Deum Patrem, & vnum Dominum Ieſum Chriſtum, vna cum diuinitatis eſſentia, ſimul etiam aperuit diſtinctionem perſonarum. Quandoquidem, ad nominationem patris, ſubintelligitur etiam filius. Non nominauit autem Apoſtolus Ieſum Chriſtum Deum; cum iam nuncupaſſet Deum

patrem,

patrem; ne hinc cenſerentur eſſe plures dij; cum præſertim ad eos haberet ſermonem, qui fuerant idololatræ. Similiter quoque appellauit vnum Dominum Ieſum Chriſtum, & non plures dominos; cum tamen & Deus Pater ſit domious, iuxta illud
Pſal. 109. Pſal. *Dixit Dominus domino meo*. Sicuti alibi filius
Pſal. 44. etiam dicitur Deus; *vnxit te Deus, Deus tuus*. Et
Roman. 9. in epiſt. ad Romaoos: *ex quibus Chriſtus: ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula*. Alibi etiam de tribus perſonis fit meotio; vt cum
Matt. 26. dicitur apud Matth. *Baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti*. Et infra, vbi eſt
1. Cor. 12. ſermo de donis ſpiritualibus, ita dicitur: *diuiſiones vero gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus; & diuiſiones miniſtrationum ſunt; idem autem dominus; & diuiſiones operationum ſunt: idem vero Deus*. Hoc autem loco (cum iam dixiſſet vnum tantum eſſe Deum) omiſit Apoſtolus loqui de Spiritu ſancto; ne, qui fuerant cultores idolorum, crederent plures eſſe Deos. Id igitur ſtudioſe egit, eorum parcens
Chryſoſt. hom. 20. Theoph. imbecillitati, vt animaduertit Chryſoſtomus. Sed & Theophylactus idcirco, ait, hic mentionem non eſſe factam de Spiritu ſancto, ne audientium imbecillitatem inculcaret, qui plures eſſe Deos ita intellexiſſent, & non vnum ſolum. Vnde ſumendum eſt documentum, quòd maxima habenda eſt ratio perſonarum, quibus ſunt tradenda, & explicanda alta Dei myſteria.

G *Quidam autem cum conſcientia vſque nunc idoli*. Aſſueti prius idololatriæ, non ita confirmati erant in initio ſuſceptæ fidei, quin eſcas idolorum, tanquam ſacras manducarent. Propterea tollenda erat occaſio, ne ab alijs, qui ſine ſcrupulo côſcientiæ, vti perfectiores & ſcientiores, comederent idolothyta, imperfectorum contaminaretur conſcien-
Act. 15. tia. Idcirco enim in primo quoque Concilio Ieroſolimytano, ne Iudæi ad fidem conuerſi contaminarentur, impoſitum eſt Gentibus in Chriſti fide receptis, vt abſtinerẽt ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocatis.

H *Eſca autem nos non commendat Deo*. Nempe, quatenus eſca eſt. Sed abſtinentia ab eſcis propter carnis macerationẽ ſuſcepta, & ſtudium ne offendiculũ ponatur infirmis, cômendat nos Deo; necnon & obſeruatio præceptorum eccleſiæ; quæ, ad medelam animarum, obſeruationes inſtituit ieiunij, & abſtinentiam a certis cibis.

I *Et conſcientia ipſorum, cum ſit infirma, polluitur*. Nempe, quatenus aliquis exiſtimat ſacrum eſſe id, quod idolis eſt immolatum, & illud manducat.

K *Conſcientia eius, cum ſit infirma, ædificabitur ad manducandum*. Hac ratione ædificatur, & ſtabilitur infirmi conſcientia ad manducandum idolothytum, vt ſacrum; quatenus exiſtimat ipſum vere ſacrum eſſe, ad hoc inductus infirmus; quoniam illud conſpexerit manducatum eſſe in idolio ab homine, quem, tanquam ſapientem, veneretur.

PARAPHRASIS.

CAPIT. IX.

VLTIS autem videre, quàm ſim paratus ad præſtandum, quod modo dixi, vt non manducem carnem in æternum, ne ſcandalum fratribus præbeam; attendite, quæ modo dicam. Non ſum ego liber? non item Apoſtolus? non ne Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vidi? qui mihi munus Euangelicum demandauit, ſuum conſtituens Apoſtolum? Non ne opus huius mei miniſterij eſtis vos in Domino? Certe, ſi alijs non ſum Apoſtolus, quin ſim vobis, nemo poteſt inficiari. Signaculum enim mei Apoſtolatus eſtis vos in domino. Et hæc mea eſt reſponſio, vt reſpiciant vos, opus meæ prædicationis, illi, qui de me inquirunt, atque ſcrutantur, qui nam in collegium Apoſtolorum me fi- ciam? Quòd ſi ſumus Apoſtoli, nonne, quamuis nouiſſimo tempore delecti in Apoſtolatu, habemus & nos poteſtatem comedeodi, & bibendi de ijs, quæ iure noſtro exigere poſſumus ab illis, quibus prædicamus? Non habemus poteſtatem & nos mulierem ſororem circumducendi? vt ſolent & reliqui Apoſtoli, & fratres domini, & Cephas? An ego ſolus, & Barnabas mihi Coapoſtolus, hac priuamur poteſtate, vt nõ liceat nobis viuere ſine quæſtu, quod proprijs manibus laborantes nobis comparemus? Quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de eius fructu non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid ſecundum humanas rationes hæc loquor? an & lex Dei hæc non dicit? ſcriptum eſt enim in lege Moyſi, Non alligabis os boui trituranti. Numquid cura eſt de bobus Deo, vt ijs proſpicere voluerit in lege? an non propter nos lex hoc dicit? Propter nos enim hæc ſcripta ſunt, vt exemplo bouis, qui comedit de frugibus, quas triturat, ſignificaretur, quòd qui arat in agro Domini, debet in ſpe commodi percipiendi ſibi neceſſaria arare; & qui triturat, pariter in ſpe fructus percipiendi, non autem ob id potiſſimum, triturare. Si nos vobis ſpiritualia ad veſtram animarum ſalutem ſeminamus, tam magnum erit, ſi nos carnalia ex vobis metamus? vicissim ob labores noſtros impenſos pro vobis reportantes ex vobis, quæ nobis ſunt neceſſaria ad vitam corporalem? Si alij fruuntur poteſtate rerum veſtrarum; non ne magis nos hac frui debemus? Verumtamen hac poteſtate non vſi ſumus. Sed ab ipſa abſtinuimus, vt qui omnia ſuſtineamus, ne quod offendiculum demus, vnde prædicatio noſtra Euangelica intercidatur ex maligna pſeudo Apoſtolorum opera. Neſcitis, quòd qui in ſacrario, iuxta legem, verſantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt? & qui altari deſeruiunt, eorum, quæ in altari, participes ſunt? Quin & Dominus noſter Ieſus Chriſtus idem ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, vt de Euangelio viuant.

uant. Ego autem horum nullo ſum vſus. Non autem hæc ſcripſi, vt ita fiant in me. Bonum eſt enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Nam, ſi prædicauerò Euangelium, non hinc mea pendet gloriatio, cum munus prædicandi ex neceſſitate mihi iniunctum ſit: væ enim mihi imminet, ſi non Euangelizauero. Nam ſi vltroneus id præſtabo, merces mihi adeſt, quæ Euangelizantibus debetur. Si autem inuitus id egero, omnino diſpenſatio hæc mihi credita eſt, vt ex impoſito mihi mandato prædicem Euangelium. Quod ſi non præſtitero, væ mihi. Quæ igitur eſt mea gloriatio, ac merces, quam mihi ſupererogandā expectem? Hæc nimirum; vt Euangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Euangelium, non exigens neceſſaria ab ijs, quibus prædicem; quamuis id meo iure poſſim facere. Sed meis manibus victum mihi comparem: non abutendo hac poteſtate mea, vt ſaluti proſpiciam animarum. Ob id enim, cum ab omnibus ijs liber eſſem, quæ modo dicam, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem. Factus ſum Iudæis tanquam Iodæns, vt Iudæos lucrifacerem, ijs qui ſub lege ſunt Moyſi, ac ſi ſub lege eſſem, vt ex ijs, qui ſub lege ſunt, plures lucrifacerem: ijs qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem (cum tamen non ſine lege coram Deo eſſem, obſtrictus Chriſti legi) vt lucrifacerem eos, qui ſine lege erant. Factus ſum infirmis tanquam infirmus; vt infirmos lucrifacerem. Omnia omnibus factus ſum, vt omnes ſaluos facerem. Hoc autem facio propter Euangelium, vt particeps eius efficiar. Neſcitis quòd ij, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt. Sed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis. Omnis autem, qui in certamen deſcendit, ab omnibus abſtinet. Et illi quidem hæc agunt, vt coronam corruptibilem accipiant; nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro, non vt in incertum ſcopum dirigens meum curſum. Sic pugno, non vt aerem verberans, & inaniter laborans. Sed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem ſub imperio rationis redigo; ne, cum alijs prædicauerim, quæ ſint agenda pro conſequenda corona, ipſe reprobus efficiar, ab ea longe me faciens.

litat ſuis ſtipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid ſecundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſi: Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos vtique dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt, quoniam debet in ſpe qui arat, arare, & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus: magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus? Si alij poteſtatis veſtræ participes ſunt: quare non potius nos? Sed non vſi ſumus hac poteſtate: ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti. Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur: quæ de ſacrario ſunt, edunt, & qui altari deſeruiunt, cum altari participant? Ita & dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Ego autem nullo horum vſus ſum. Non autem ſcripſi hæc, vt ita fiant in me: bonum eſt enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Nam & ſi euangelizauero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt ſi non euangelizauero. Si enim volens hoc ago: mercedem habeo, ſi autem inuitus: diſpenſatio mihi credita eſt. Quæ eſt ergo merces mea? Vt Euangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Euangelium, vt non abutar poteſtate mea in Euangelio. Nam cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci: vt plures lucrifacerem. Et factus ſum Iudæis tanquam Iudæus: vt Iudæos lucrarer, ijs qui ſub lege ſunt: quaſi ſub lege eſſem (cum ipſe non eſſem ſub lege) vt eos qui ſub lege erant, lucrifacerem, ijs qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem (cum ſine lege Dei non eſſem: ſed in lege eſſem Chriſti) vt lucrifacerem eos qui ſine lege erāt. Factus ſum infirmis infirmus: vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum: vt omnes facerem ſaluos. Omnia autem facio propter Euangelium: vt particeps eius efficiar. Neſcitis, quòd ij qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aerem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.

Editio vulgata.

NON ſum liber? Non ſum Apoſtolus? Nonne Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum vidi? Nonne opus meum vos eſtis in Domino? Et ſi alijs non ſum Apoſtolus: ſed tamen vobis ſum, nam ſignaculum Apoſtolatus mei vos eſtis in domino, mea defenſio apud eos qui me interrogant, hæc eſt: Numquid non habemus poteſtatem manducandi, & bibendi? Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres domini, & Cephas? Aut ego ſolus & Barnabas, non habemus poteſtatem hoc operandi? Quis mi-

ADNOTATIONES.

NON *ſum liber? non ſum Apoſtolus?* Ita legit editio vulgata; Græci autem cod. habent verba tranſpoſita hunc in modum, *non ſum Apoſtolus? non ſum liber?* Auguſtinus autē in lib. de oper. Monach. videtur hunc locū ita interpretari; ꝙ Apoſtolus ſuam probet libertatem; nempe, quod ſibi liceat multa agere, eo ꝙ ſit Apoſtolus. Quòd autem ſit Apoſtolus, ex his inquit probare; quoniam vidit Dominum Ieſum, & quoniam Corinthij ſunt opus ſui Apoſtolatus: & ꝙ poſtea ex hoc inferat, licere ſibi quæ etiam licebant alijs Apoſtolis. Theophyl. autem, & Oecumenius A

August. de oper. Monach. c. 4.

Theoph. Oecum.

illud,

illud, *non ſum liber?* Ita explicant: quòd vel Apoſtolus hinc innuere, quòd non eſt ſub alterius poteſtate, vt prohibeatur ei capere cibum ex ſua

Theodor. prædicatione. Theodoretus *ideo ait, liber: quoniam in aliena poteſtate minime conſtitutus eſſet, non exiſtens diſcipulus; ſed is, cuius fidei creditus erat orbis terræ*. Verum fortaſſe ijs verbis, *non ſum liber?* Apoſtolus intellexit eam libertatem, de qua paulo poſt agit, inquiens; *nam, cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci*; adeo quòd duo ſunt, quæ hoc loco tractat Apoſtolus. Alterum, quòd ſit Apoſtolus, quod etiam primo loco manifeſtat; ex hacque demonſtratione deducit, quòd ſibi liceant, quæ & alijs Apoſtolis licita erant; a quibus tamen abſtinuit, vt magis proſpiceret ſaluti plurimorum. Alterum vero, quòd eſſet liber ab illis omnibus, quæ ſuggerit: vt, quòd non eſſet Iudæus; non ſub lege; non ſine lege; non infirmus; & nihilominus tamen omnia hæc in ſe ipſo ſuſceperit, vt plures Chriſto lucrifaceret; a quibus ſi abſtinuiſſet, non propterea offendiculum fidelibus præbuiſſet. Atqui, ſi hæc præſtitit, quæ iure ſuo poterat euitare, multorum ita conſulens ſaluti; hinc igitur certi poſſunt eſſe Corinthij, quòd non ad iactantiam, ſed ex ſincero, firmoque corde dixit id, quod in fine capitis præcedentis enunciauit; ſe carnem in æternum non comeſturum, ne quem ſcandalizet. Hincque maxime vrget illos, qui tumore ſcientiæ, ac forte etiam gulæ vitio inducti, in idolio recumbebant cum fratrum offendiculo.

B *Mea defenſio apud eos, qui me interrogant, hæc eſt*. Referenda ſunt hæc, non ad ſequentia, dum ais, *numquid non habemus poteſtatem manducandi &c.* Sed ad præcedentia, dum dixit; *Signaculum Apoſtolatus mei vos eſtis*. Hac enim reſponſione vtebatur Apoſtolus ad illos, qui ipſum de munere Apoſtolatus interrogabant, tanquam de hoc addubitantes, eo quòd non fuiſſet ex eorum collegio, quos Chriſtus, dum eſſet in terris, ſibi delegerat Apoſtolos. Paulus igitur ad hos reſpondebat. Ecce, ſignaculum mei Apoſtolatus, eſt eccleſia Corinthiorum.

Matt. 27. C *Mulierem ſororem circunducendi*. Mulierem dicit ſororem, ad differentiam vxoris. Sequebantur autem Ieſum mulieres affines, & deuotæ: quæ conſuetudo continuauit etiam apud Apoſtolos, dum piæ mulieres ipſis neceſſaria ſubminiſtrarent.

Theophyl. D *Et fratres domini*. Hi, ſecundum Theophylactum, erant, Iacobus Epiſcopus Ieroſolymitanus, Ioannes, Simon, & Iudas, orti ex ſororibus Mariæ Virginis matris Domini. At, ſecundum Oecu-

Oecum. menium, erant filij Ioſeph ex nomine patris, Si-

Chryſoſt. homil. 21. mon, & Iudas. Chryſoſtomus eos eſſe cenſet, qui prius incredulitate laborauerunt; poſtea fuerunt de numero probatorum; ſed non Apoſtoli.

E *Et Cephas*. Vltimo loco commemorat Petrum Principem Apoſtolorum, ad maiores gradatim orationem dirigens, & amplificans. Quod etiam obſeruauit in primo cap. huius epiſt. dum ſe prius nominauit; deinde Apollo; mox Cepham; & poſtremo loco Chriſtum.

F *Aut ego ſolus, aut Barnabas &c.* Adnumerat ſibi ſocium, & coapoſtolum Barnabam, vt qui per Spiritum ſanctum vna cum Paulo ab alijs Apoſtolis ſegregatus fuerat.

G *Non habemus poteſtatem hoc operandi?* Ita Act. 13.
habet vulgata editio, & erit verborum ſenſus. Non habemus poteſtatem operandi, vt puta, circunducendi mulierem ſororem, & ſimilia agendi, quæ & alij factitant Apoſtoli. Græci autem, ita legunt. Non habemus poteſtatem, τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι, id eſt, non operandi: vt ſcilicet ſuſtentemus, abſque quòd proprijs manibus laborantes victum nobis acquiramus: & ita Græci omnes interpretantur. Cui quidem interpretationi fauere videntur verba quæ ſequuntur. *Quis militat ſuis ſtipendijs?* vti militabat Apoſtolus, ſuis manibus victum ſibi quæritans. Et hanc interpretationem agnouit etiam Auguſtinus in lib. de opere Mona. dum inquit. *Apo-* Auguſt. de oper. Monach. c. 7.
ſtolus oſtendit ſibi licere, quod cæteris Apoſtolis, vt non operaretur manibus ſuis.

H *Numquid de bobus cura eſt Deo?* De bobus quoque cura eſt Deo: iuxta illud Sapient. *Illi cura eſt de omnibus*. Verumtamen lex non eſt lata a Deo propter boues; neque, illa tam præclara facta in veteri teſtamento, propter bruta extiterunt. Sed (ſicuti aduertit Chryſoſtomus) per hæc craſſiora, ru- Chryſoſt. hom. 21.
dis ille populus Hebræorum ducebatur a Deo ad altiora comprehendenda. Theodoretus vero in- Theodor.
quit; non dictum eſt, quòd boues non ſint curæ Deo; ſed propter nos curæ ſunt, propter quos facti ſunt: iuxta illud; *Deus producit in montibus* Pſal. 146.
fœnum, & herbam ſeruituti hominum. Auguſtinus Aug. quæſt. Exod. 89.
autem in lib. quæſt. Exod. 89. inquit, *non eſt cura Deo, præcepto monere hominem, quomodo rebus ſuis conſulat*.

I *Debet in ſpe, qui arat, arare*. Non propter lucrum, aut ob ſubminiſtrationem victus (tanquam ex primo propoſito) debet Chriſti miniſter prædicare; aut alia munia facere. Sed in ſpe tantum percipiendi mercedem ſibi debitam. Quòd ſi dicitur apud Matth. *Gratis accepiſtis, gratis date*. Ad id Matt. 10.
dicendum, quòd ſpiritualia non ſunt exhibenda pro pretio. Sed tamen ſtipendium requiritur laboranti, & exhibenti ſpiritualia.

K *Ne quod offendiculum demus Euangelio*. Græce legitur, ἐγκοπὴν quæ vox ſumitur pro impedimento: ac ſi diceret Apoſtolus. Omnia ſuſtinemus, ne obex ponatur prædicationi Euangelicæ: de qua re clarius in ſequenti epiſt. dum dicitur. *Quod autem facio, & faciam, vt amputem occaſio-* 2. Cor. 11.
nem eorum, qui volunt occaſionem, vt in quo gloriantur, inueniantur, ſicut & nos. Id autem erat, non accipere a Corinthijs, quibus inſeruiebat in Euangelio, mercedem & ſumptum, vt alij faciebant. Prout colligitur ex loco citato, dum inquit Apoſtolus. *Suſtinetis enim, ſi quis vos in ſeruitutem redigit, ſi quis vos deuorat, ſi quis accipit*. Et ex hoc quoque cap. dum dicit. *Si alij poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos?*

L *Bonum eſt mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* Mors hæc corporea tranſit; gloria autem, de qua hic eſt ſermo, erit ſempiterna. Idcirco inte dicis Apoſtolus, eligibilius ſibi eſſe mori, quàm ſua priuari gloria, quam expectabat; & erat merces ſupererogationis, ex hoc dependens: quòd, cum poſſet iure ſuo mercedem exigere ob munus Euangelicum, in quo præſtando (iuxta Domini præceptum, qui dixit operarium dignum eſſe mercede ſua) merces ſibi debebatur; hanc noluerit accipere, vt liberalius Deo inſeruiret circa ſalutem animarum: ad quod opus ſupererogatum, gloriæ quoque cumulus eſt acceſſurus; nempe ad mercedem (quæ debetur ſeruo operanti iuxta mandatum ſibi præſcriptum a Deo) gloriæ quædam acceſſio, ex opere liberalius ſupra mandatum operato.

Matt.16.

M *Cum liber eſſem ex omnibus.* Hæc Apoſtoli libertas immunis erat ab omni eorum obligatione, quibus vltro ſe ſubieciſſe commemorat, dum inquit. *Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus;* vt puta, cum Timotheum circuncidit Lyſtris; ne Iudæis offendiculum præberet. Vel potius, vt ijs, qui nondum nouerant renunciare legis ceremonijs, gratificaretur. *Iis, qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem:* vt, cum Ieroſolymis ſe purificauit, & tonſus eſt, vt alijs ſe accommodaret; nempe eis, qui & ſi Chriſti fidem ſuſceperant, adhuc tamen legis ceremonijs valde addicti erant. Aut hoc, *ijs, qui ſub lege ſunt,* poſitum eſt, ad explicandum prius dictum, vt Iudæos illos eſſe ſignificet, qui ſub lege erant conſtituti. Vel de Proſelytis id dictum eſt, vt exponit Theophylactus. Aut de Samaritanis, qui non erant de genere Iudæorum, tametſi legem accepiſſent, ipſum ſaltem pentateucum Moyſi. *ijs, qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem;* eos intelligens, qui ſine lege Moſaica viuerent; vel de ijs, qui abſolute ſine lege eſſent; vt qui ſine Dei cognitione erant: iuxta illud ad Epheſios; *qui eratis in illo tempore ſine Chriſto, alienati a conuerſatione Iſrael, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo.* Quaſi autem Apoſtolus eſſet huiuſmodi, (ſed tamen non ſine lege Chriſti, cuius fundamentum eſt charitas, ob quam Chriſti legatione fungebatur) ita ſe geſſit in Areopago; dum teſtimonium ſuæ prædicationis contulit ex ſententia cuiuſdam ipſorum poetæ. *Factus ſum infirmus infirmis;* dum, in vſu ciborum, ſe accommodabat ijs, qui erant adhuc infirmi in fide. Vel, cum ſuis manibus laborabat vna cum alijs, licet Chriſti præco, & Apoſtolus, tanquam mater, ſeu nutrix inter filios. Vnde illud ad Theſſal. *Facti ſumus paruuli in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos.* Vel etiam factus eſt infirmus cum infirmis; dum, vt ait Theophylactus, alta myſteria apud rudiores reticuit de Chriſti diuinitate, de Spiritu ſancto: faciliora autem, & lac illis præbuit. Vnde dicebat ſuperius, non iudicaſſe ſe ſcire aliquid inter ipſos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Auguſtinus autem in lib. de opere Monach. ait, *ſub lege fuiſſe Iudæos carnales; in lege eſſe ſpirituales Iudæos, & omnes Chriſtianos; ſine lege vero Gentes, quæ nondum crediderunt.* Idem autem in epiſt. ad Hieronymum, ſupponit Paulum factum eſſe vt Iudæum, vt ſine lege, vt infirmum, re vera, non mentientis æſtu, ſed compatientis affectu: id eſt (inquit ipſe) *non omnia mala hominum fallaciter agendo; ſed aliorum omnium malis omnibus, tanquam ſi ſua eſſent, miſericordis medicinæ diligentiam procurando.* Hæc ille. Aduertendum eſt autem, quòd ſi Paulus Timotheum circuncidit, ſi ſe purificauit, non hæc geſſit, tanquam hinc exiſtimaret, ſalutem, & veram purificationem accipi poſſe. Sed ne eos, qui his addicti erant ceremonijs, contaminaret in illo primo ſtatu naſcentis Eccleſiæ: idque iuxta ordinem Gentibus etiã præſcriptum, ex primo Concilio Ieroſolymitano.

Act.16. Act.21. Theoph. Eph.2. Act.17. 1.Theſſ.2. Theoph. 1.Cor.2. Auguſt. de ope. Mona. c.11.

N *Sic currite, vt comprehendatis:* Non ſat eſt fidem ſuſcepiſſe, in ſtadio ſe collocaſſe; cum opus ſit etiam operari, vt brauium comprehendatur; vt ita vnuſquiſque certam faciat ſuam vocationem. 2.Pet.1.

O *Non quaſi in incertum.* Græce, ἀδήλως, id pronuncians Apoſtolus; ſeu, quòd de præmio non dubitaret: ſeu quoniam (vt interpretatur Chryſoſtomus) curreret, & non temere ſe gereret; ſed ad ſcopum illum ſuas actiones dirigeret, vnde ſciebat certum expectandum eſſe præmium. Et hinc vrgeret ex Corinthijs eos, qui accederent ad idolia; vt qui certi eſſent de idolothyto, quòd re vera nihil eſſet ſacrũ id, quod idolis immolatur; & idcirco tuto illis veſci poſſe ſibi aſſumebant: quibus tamen cogitandum erat, ijs actionibus, non promereri Deum, neque ad deſtinatum peruenire brauium; cum præſertim eorum exemplo, rudiores, & imperfectiores potuerint offendi, & contaminari. Chryſoſt. hom.23.

P *Ipſe reprobus efficiar.* Nempe improbus, & onuſtus peccatis; ad quæ conſequitur reprobatio a Dei gratia; Græce, ἀδόκιμος, qua voce vſus eſt etiam in epiſtola ſequenti cap. poſtremo.

PARAPHRASIS,

CAPIT. X.

NOLO autem vos ignorare fratres (vt hinc quiſque diſcat operari cum timore atque tremore propriam ſalutem) quòd patres noſtri omnes ſub nube fuerunt; & omnes mare tranſierunt; & omnes in fide Moyſi ipſorum ducis baptizati ſunt, in nube, & in mari, ad typum baptiſmi, qui fit in aqua, & in Spiritu ſancto; & omnes eũdem cibum, manna, de cœlo emiſſum corpus domini ſpiritualiter ſignificantem manducauerunt; & omnes eumdem potum ſpiritualem biberunt, ſpiritualiter potum ſanguinis Chriſti denotãtem. Siquidem bibebant ex ſpirituali conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus. Sed non in pluribus eorum complacuit ſibi Deus; vt patet, cum proſtrati

fuerint

fuerint in deſerto. Hæc autem typi, atque figuræ extiterunt ad nos inſtruendos, ne ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi fuerunt; neque efficiamur idololatræ, quemadmodum nonnulli eorum; ſicut ſcriptum eſt in Exodo. Sedit populus comedere, ac bibere, & ſurrexerunt ludere coram idolis. Neque fornicemur, vt quidam illorum fornicati ſunt; & propterea ceciderunt vna die viginti tria millia. Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt; & ideo a ſerpentibus perierunt. Neque murmuraueritis, vt quidam illorum murmurauerunt, & perierunt ab Angelo exterminatore. Hæc autem omnia contingebant illis in figura eorum, quæ futura erant. Scripta ſunt autem ad correptionem noſtram propter nos, in quos fines ſeculorum deuenerunt. Itaque, qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat niſi humana, ne temere pręcipites vos detis in ea pericula, quæ poſſitis effugere. Deus autem fidelis, ita vos ipſos gerentes, non patietur tentari ſupra id, quod poteſtis ferre. Sed & faciet cum tentatione, quæ humanitus ſuperuenerit, prouentum, vt poſſitis, tanquam facti validiores, ipſas ſuſtinere tentationes. Quapropter cariſſimi mei fugite a cultura idolorum. Vt prudentibus loquor: vos iudicate quæ dicam. Calix benedictionis, cui Chriſtus in cœna benedixit, & quem etiam nos benedicimus, dum ſacra facimus; nonne communicatio eſt ſanguinis Chriſti? qui omnibus ſumentibus communicatur? Et panis, quem frangimus, vti etiam Chriſtus fregit, & diſtribuit; non ne communicatio eſt corporis Chriſti? Si quidem vnus eſt panis; nempe vnum corpus, quoniam vnus panis, & vnum corpus multi ſumus, omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus. Conſiderate Iſrael (non eum dico qui eſt ſecundum ſpiritum) ſed Iſrael ſecundum carnem. Nonne, qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? quid ergo? num dico, quòd idolum ſit aliquid? & quòd idolothytum ſit aliquid vere idolis immolatum? Non hoc dico. Quinimmo illud potius, quòd quæ ſacrificant Gentes, Deum verum ignorantes, illa Dęmonijs immolant, & non Deo. Ac propterea nolo vos participes fieri dęmoniorum. Certe nō poteſtis (quando hæc non poſſunt ſimul conuenire) poculum Domini bibere, & poculum Dęmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dęmoniorum. An ęmulamur; & irritare aduerſus nos volumus Dominum, has in tentationes non humanas, vltronei nos proijcientes? Numquid fortiores illo ſumus? vt cenſeamus, quòd irritatus a nobis, non poſſit nos plectere, atque peſſundare, vt dictum eſt antea de populo Iſraelitico? Omnia mihi licent, ea ſane, quæ lege non prohibentur. Sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent. Sed non omnia ædificant proximum. Nemo, quod ſuum eſt, tantum quærat; ſed & quod alterius eſt, & ad proximi confert ſalutem, cogitet, atque curet. Omne quod in macello venditur, manducate, non interrogantes, & diſcutientes, an ſit idolothytum nec ne; idque propter conſcientiam, ne offendatur. Id enim fas eſt, cum Domini ſit terra, & plenitudo eius. Si quis autem infidelium vocat vos ad cœnam, & vultis ire; omne, quod vobis apponitur, manducate, nil interrogantes, aut cibum a cibo diſcutientes, propter conſcientiam. Id enim fas eſt. Siquidem (vt dictum eſt) domini eſt terra, & plenitudo eius. Si quis autem dixerit vobis, hoc eſt immolatum idolis, nolite quod apponit, manducare; tum propter illum, qui indicauit, quaſi tentans vos; tum propter conſcientiam: (conſcientiam autem dico, non tui ipſius, qui recte, ac firmiter tenes idolorum vanitatem.) Sed dico conſcientiam alterius; qui conſpiciens te comedentem quæ putat idolis immolari, poteſt infirmari, aut ſcandalizari. Nam, quod attinet ad propriam conſcientiam, vt quid libertas mea, qua mihi licitum eſt veſci omnibus, vti erronea, atque mala iudicatur ab alterius conſcientia? Si autem ego cum gratia participo dona Dei, quid blaſphemor pro eo, de quo gratias ago Deo? Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in Dei gloriam facite. Sine offenſione eſtote, tum Iudæis, tum Græcis, tum eccleſiæ Dei; ſicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant.

Editio vulgata.

NOLO enim vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eumdem potum ſpiritualem biberunt: (bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus,) ſed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo, nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, vt non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt. Neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis: quemadmodum ſcriptum eſt. Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt vna die viginti millia. Neque tentemus Chriſtum: ſicut quidam eorum tentauerunt, & a ſerpentibus perierunt. Neque murmuraueritis: ſicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum deuenerunt. Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat, niſi humana, fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere, propter quod cariſſimi mei, fugite ab idolorum cultura. Vt prudentibus loquor: vos ipſi iudicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis domini eſt? Quoniam vnus panis, & vnum cor-

pus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus. Videte Iſrael ſecundum carnem: nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Quid ergo dico? dico quod idolis immolatum, ſit aliquid? aut quòd idolum ſit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dæmonijs immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum. Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum. An æmulamur dominum? Numquid fortiores illo ſumus? Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius. Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. Domini eſt terra, & plenitudo eius. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum eſt idolis: nolite manducare propter illum qui indicauit, & propter conſcientiam: conſcientiam autem dico non tuam, ſed alterius. Vt quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conſcientia? Si ego cum gratia participo: quid blaſphemor pro eo quòd gratias ago? Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Sine offenſione eſtote Iudæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei, ſicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis: vt ſalui fiant.

ADNOTATIONES.

A *NOlo enim vos ignorare fratres.* Quòd opus ſit ea agere, quæ decent pro brauio conſequendo, vt non ſit ſatis nobis ſuſcepiſſe fidem Chriſti, & baptiſmo, & alijs huiuſmodi myſterijs initiatos eſſe; conſequenter docet Apoſtolus patrum exemplo, vt magis in officio contineret Corinthios.

B *Omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt.* Quid ijs verbis intelligat, ex conſequentibus aperitur, dum dicitur. *Et omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube, & in mari*, tanquam in aqua, & in ſpiritu; quibus baptiſmus ſignificatur inſtitutus a Chriſto. Illud vero, *in Moyſe*, Græci cod. habēt in accuſandi caſu, iuxta phraſim hebræam; ſicuti etiam habetur in accuſandi caſu in græco cod. illud in epiſt. ad Rom. cum dicitur. *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu.* Idque, ad denotandum, quòd
Rom. 6. in Chriſti ſanguinem atque mortem baptizamur: & ita quoque Hebræi, in Moyſem, delectum a Deo ductorem populi Iſraelitici, baptizati ſunt; vt Moyſes fuerit figura Chriſti, qui nos eduxit ſua morte de Aegypto peccatorum, dum tranſimus per eius ſanguinem; prout & Moyſes, educens populū illum de ſeruitute Aegyptiaca Pharaonis per tranſitum maris rubri, & ſub nube, ſignificabat baptiſmum Chriſti, qui fit in aqua, & in ſpiritu; quo, quicunque baptizantur, a peccatis eruuntur. Poſſet etiam fieri interpretatio; quòd baptizati ſunt in Moyſem; id eſt, in fide Moyſi credentis in Chriſtum; quem ipſe præuidiſſet: quod inſinuauit Chryſoſtomus, inquiens,

In Moyſem baptizati ſunt, quoniam in ipſum crediderunt; qui prior pertranſit; cui Chriſtus prior reſurrexit, in quem credere oportet per baptiſmum. Chryſoſt. hom. 23.

C *Et omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt.* Vel, quoniam manna diuinitus emiſſum hac ratione ſpiritualis erat cibus: vel quoniam ſpiritus ſanctus, per manna, ſignificabat cibum corporis Chriſti, quo anima, & ſpiritus præcipue nutritur.

D *Omnes eumdem potum ſpiritualem biberunt.* Et quomodo ſpiritualis eſſet potus, declarat, inquiens; *Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra;* Nempe ſic ex ſpirituali bibebant petra, quatenus a Spiritu ſancto denotabatur per petram Chriſtus; id efficiente ſanguine fluēte ex ipſo, quo potamur, potu ſpirituali animam nutriente. Vel, quoniam diuinitus per ſpiritum Dei educeretur aqua de illa petra. Quod autem additur, *conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus.* Quidam ita interpretantur (inter quos Thomas) quòd ad eorum voluntatem conſequeretur, id eſt, ſatisfaceret illa petra. Tho. Aqui.
Alij, vt Photius, quòd ad vſum ſitientium comitabatur, id eſt, ad illorum ſalutem, & vtilitatem omnia Phot.
commutabat. Chryſoſtomus ſic, *ſpiritualis aqua,* (inquit) *non ex natura aquæ, ſed ex modo, quo da-* Chryſoſt.
batur a diuina virtute conſequente, id eſt, *procedente* hom. 23.
a virtute Chriſti, a quo fluebat; vt eſſet tunc Chriſtus ante Virginem. Quod dictum, videtur intelligendum quoad diuinitatem Verbi coæterni cum patre. Idem Chryſoſtomus cum Theophylacto, inquit, quòd Chriſtus erat petra, quoniam idem eſſet Chriſtus, qui tunc, & ſemper operetur miracula.

Cum autem dicat Apoſtolus, *petra autem erat Chriſtus*: Pro eo, quod eſt, ſignificabatur Chriſtus: forte poſſent hæc verba, *conſequente eos petra*, hunc habere ſenſum, quòd petra, ipſe Chriſtus conſequeretur, vt qui erat conſequenter venturus, de cuius latere ducendus erat verus potus; & ita biberent de illa aqua fluente ex petra, ſpiritualem potum de Chriſti ſanguine prouenturum. Nam, vt
inquit Auguſtinus in tract. Pſalm. 77. Erant in illo Auguſt. in
populo, qui intelligerent, habentes fidem, quæ po- Pſal. 77.
ſtea reuelata eſt. Et notandum Græce legi, ἐκ πνευματικῆς, vt hac præpoſitione, ἐκ, denotetur virtus, quæ exibat de illa petra, vt ita Chriſti virtus ex eius ſcilicet ſanguine prouentura ſignificetur.

E *Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt.* Nempe Moyſem (vt interpretatur Haymon) qui Chriſti figuram gerebat. Vel etiam (idem inquit) ipſum Chriſtum tentauerunt, qui erat in Moyſe, ſicut ipſe Moyſes dicit. *Nos quid ſumus? nec contra nos eſt murmur noſtrum, ſed contra dominum: Chriſtus enim, qui eſt Verbum patris; ipſe erat in Moyſe, & ipſe loquebatur per os eius.*

F *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* Nempe, vt quæ futura erant, in figura atque ſimilitudine, antequam fierent, ſignificarentur. Aduertit
autem Chryſoſtomus, quòd figura non debet in to- Chryſoſt.
to eſſe ſimilis figurato; quia ſic eadem eſſet veritas, hom. 22.
& ſi non ſit ſimilis, nihil ad rem faceret.

G *In quos fines ſeculorum deuenerunt*. Vel, quo-
niam vltima ætas huius ſeculi ſit ipſa euangelica.
Aut, quoniam tempus præſens ſemper eſt finis tem-
porum præcedentium.

H *Tentatio vos non apprehendat niſi humana*. Ita
habet vulgata editio, & verba maxime conſentanea
videntur prius dicto; vt videant ne cadant; atque ita
non cauſent ſibi tentationes, quas poſſent effugere.
Vitari quippe in hac vita, niſi ex ſpeciali Dei auxi-
lio, tentationes non poſſunt. Verum & vltro in illas
ſe ſe præcipitare, hoc certe eſt tentare Deum, veluti
erat comedere in idolio idolothyta. Ab alijs autem
tentationibus, quæ circa nos cõtingant, Deus libe-
rabit omnes, qui conſtanti fide confugiant ad eius
auxilium: & cum prouentu etiam virtutis, & meriti
id præſtabit. Græci autem aliter legunt; *tentatio vos*
non apprehendit, & ita interpretantur. Non dum
Hebr. 12. paſſi eſtis grauia, & eſt conſimile dicto illi ad Hebr.
Nondum enim vſque ad ſanguinem peccato reſtitiſtis.
Loco autem huius vocis, *prouentum*. Græci habent
ἔκβασιν; id eſt, *exitum*, quo ſcilicet Deus faciet nos
fortes, vt a tentationibus exeamus. Verum, cum hęc
vox, ἔκβασιν, ſignificet vltra progredi, & promo-
uere; ideo recte interpres, *prouentum* dixit, quod
Phot. etiam Photius inſinuauit inquiens, *faciet vos fortes*
& ferre valentes; adeo ut nullum ex tentatione detri-
mentum, quin potius lucrum multum referatis. Augu-
Auguſt. de bapt. para. lib 2. Cont. Donat. c. 5. ſtinus, autem in lib. de Bapt. paru. Cont. Donat. in-
quit: *humana tentatio eſt, aliquid ſapere aliter quàm*
res ſe habeat; nimis autem amando ſententiam, vel in-
uidendo melioribus, vſque ad præcidendæ communio-
Grego diſt. 2. cap 23. *nis, & condiendi ſchiſmatis, præſumptio*. Gregorius
vero, vt habetur de pœnitentia diſtinct. 2. cap. *inter*
hac ſciendum, ait tentationem eſſe humanam, qua
plerunque in turpi cogitatione tangimur etiam no-
lentes: tunc dæmoniacam, quando ad carnis ſugge-
ſtionem animus pręber conſenſum. Forte illud, ten-
tatio vos *non apprehendat niſi humana*; dictum eſt,
ad inſinuandum, ne obijciamus nos in res, & actio-
nes periculoſas, & non neceſſarias. Veluti eſſet, cum
flagitioſis vitam ducere; ad turpia ſpectacula acce-
dere; & huiuſmodi alia aggredi: ſi vero ob potus, &
cibi, & veſtitus neceſſitatem, tentatione aliqua ap-
prehendamur, aut circumueniamur, hęc utique erit
humana tentatio.

I *Fugite ab idolorum cultura*. Innuens his verbis
periculum, in quod poterant cadere, ut fierent ido-
lolatræ, accendendo ad idolia.

K *Calix benedictionis, cui benedicimus*. Chriſtus,
inſtituens ſacramentum Euchariſtiæ, benedixit pa-
nem & uinum; hinc tradens ſacerdoti poteſtatem,
conſecrandi panem & uinum cum benedictione,
& uerbis prolatis. *Nonne communicatio ſanguinis*
Chriſti eſt? Non dixit participatio, ut animaduertit
Chryſoſto. hom. 24. Chryſoſtomus, ut per *communicationem*, partici-
pãtium coniunctionem deſignaret. Et eſt locus in-
Aduerſus ſacramentarios. ſignis, aduerſus ſacramentarios. Nam ſi eſt commu-
nicatio ſanguinis Chriſti, ergo Chriſtus vere eſt in
hoc ſacramento. *Et panis, quem frangimus*. Non fue-
Chryſoſto. hom. 24. runt (inquit Chryſoſtomus) Chriſti oſſa diminuta,
vel fracta; attamen patitur in ſacramento frangi.
Verum dicere poſſumus, quòd neque hic proprie
frangitur, ſi attendamus, quòd in quaque particula
panis, diuiſa ab alia particula, adeſt totus Chriſtus.
Sunt autem in fractione plures particulæ, quoniam
fideles ſunt membra, in quibus Chriſtus excipitur;
qui vnus eſt in omnibus particulis (prout & Deus
ubique eſt) ut & Chriſti membra fiant unum, ipſi fi-
deles unanimes. Ex eo autem quòd Apoſtolus di-
cit, *nonne participatio corporis domini eſt?* hinc inſe-
rendum eſt, quòd corpus Chriſti uere eſt in hoc ſa-
cramento, prout illatum eſt etiam antea de ſan-
guine.

L *Omnia mihi licent*. Hæc legenda eſſe interro-
gatiue cenſet Theodoretus, & reſponderi ab Apo- Theodor.
ſtolo, quòd non omnia expediunt; ut puta, ex libero
arbitrio licere agere quæcunque, non tamen hæc
omnia expedit efficere. Forte uoluit intelligere Apo
ſtolus, licere quæcunque non prohibentur, uti nu-
bere, comedere idolothyta, uel alia, quæ reputentur
ab aliquibus immunda; quæ tamen non expedit
agere, uel ne alijs præbeatur offendiculum, uel ne
nos in aliquas intrudamus graues tentationes.

M *Conſcientiam autem dico non tuam. Sed alte-*
rius, vt quid enim libertas mea iudicatur? Ijs docet
Apoſtolus; quòd ſi gentilis ponat ante Chriſtianum
in menſa eſcam, & dicat eam eſſe immolatam; non
debet illam comedere Chriſtianus propter con-
ſcientiam: non propriam (nam propria non iudica-
tur ab humano iudicio, ut dictum eſt ſupra) ſed al- 1. Cor. 4.
terius, propter conſcientiam ſcilicet fratris infirmi.
Verum (ut inquit Chryſoſtomus) habenda etiam Chryſoſto.
eſt ratio infidelis, quod fit, dum fidelis, abſtinendo homil. 35.
ſe ab eſu eſcæ propoſitæ ab infideli tanquam im-
molatæ, obſtruit os illius, ne poſſit calumniari Chri-
ſtianum, quòd alibi auertat oculos ab immolatis, in
menſa autem illis ueſcatur ob gulam. Et hęc cõſona
ſunt dictis in fine capitis: *ſine offenſa eſtote Iudæis, &*
Gentibus; & Eccleſiæ Dei. Aduertit autem Theodo- Theodor.
retus, quòd Apoſtolus non prohibuit accedere ad
cõuiuium infidelium; ſed poteſtati reliquit: alioqui
fidelis non potuiſſet eos venari, ſi fuiſſet ſublata ab
ipſo congreſſio. Cùm autem in hoc capite dictum
ſit, quòd omnia illis contingebant in figura; & in
epiſt. ad Hebr. quòd non poterant ingredi in ſan-
cta ſanctorum, *hoc ſignificante Spiritu ſancto, non-* Hebr. 9.
dum propalatam eſſe ſanctorum viam: Idcirco, hinc
colligitur, quòd pręter ſenſum litteralẽ, adeſt quo-
que allegoricus, ſiue tropicus ex ſimilitudine qua-
dam ductus, ita ordinante Spiritu ſancto; adeo ꝙ
quę prius facta ſunt, ſiue ad Chriſtum, ſiue ad fide-
les referantur, erant figura rerum poſteriorum. Si-
militer ſi facta Chriſtianorum referantur ad ea, quę
futura ſunt in cœlis; ita erunt quę in terris, figura
cœleſtium. Vnde infra dicitur, ꝙ nunc in ęnigmate 1. Cor. 13.
cognoſcimus. Sunt autem pręcedentia, quę ſunt
figura aliorum, vera facta; licet per ipſa ſignificen-
tur alia futura. Quod eſt proprium Dei; videlicet,
quòd nonnulla agat, & hæc ſint figura, & ſignum
rerum aliarum futurarum: quod quidem ad fidem
Chriſti ſtabiliẽdam, ex Dei prouidentia, eſt accom-
modatiſſimum, & rebus humanis maxime conſen-
taneum; quando omnia in hac vita ſunt obſcura, &
figura futuri.

N *Sicut*

N *Sicut & ego per omnia omnibus placeo.* Huius oppoſitum videtur Apoſtolus dixiſſe in Epiſt. ad Galat. *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus nō eſſem.* Sed dicendum, quòd non ſibi coutrarius eſt Apoſtolus: hic enim dicit ad hunc ſenſum, ſe placere omnibus; quatenus non quærit quæ ſua ſunt; Vnde vt multi ſalui fierent (numquam tamen interea diſcedens a veritate Euangelij) hominum captui, & infirmitati ſeſe aptabat, illis modis, quos antea enarrauimus. At in Epiſt. ad Galat. quoniam diſſeminatum erat, quòd prædicatet circuncißiouem, quaſi hinc, volũtati hominum blanditijs adhærens, ſua quæreret; ideo longe ſe abeſſe ab huiuſmodi adulatione grauiſſimis verbis ibi eſt proteſtatus.

Gal. 1.

PARAPHRASIS. CAP. XI.

IMITATORES mei eſtote, ſicut & ego Chriſti, non quærens quæ mea ſunt, ſed & quæ aliorum. Laudo autem vos fratres, quòd omniũ memores eſtis eorum, quæ a me profecta ſnnt in veſtram eruditionem; & traditiones, vti tradidi vobis, retineris. Volo autem vos ſcire, quòd omnis viri (vt nullus excipiatur) Chriſtus eſt caput, vt qui primogenitus eſt in multis fratribus, eiuſque pedibus omnia ſunt ſubiecta. Caput autem mulieris eſt vir: Chriſti autem caput eſt Deus, terũ omnium Dominus. Hinc volo vos erudiri, quòd omnis vir orãs, aut prophetans velato capite, ſuum dedecorat caput. Et omnis mulier orans, aut prophetans capite non velato, deturpat & ipſa caput ſuum. Idem enim eſt mulieri, non velatum habere caput, ac ſi decaluerur. Nam ſi mulier non velatur, & id decet fieri, eadem quoque tondeatur. Atqui, ſi turpe eſt mulieri tonderi, aut decaluari, velet igitur caput ſuum. Et quidem vir non debet tecto capite orare, aut prophetare; quoniam Dei imago eſt, & gloria, quam repreſentat, exiſtens princeps, & moderator rerum quæ ſunt in terra; ſicuti Deus eſt omnium Dominator. Mulier autem eſt gloria viri, cum tam pulchra, & eximia creatura ex viro prodierit. Non enim ex muliere vir, ſed contra, mulier ex viro eſt educta; neque vir propter mulierem creatus eſt, ſed mulier propter virum, in eius auxilium atque ſocietatem. Ac propterea debet mulier habere ſupra caput poteſtatem, & virum agnoſcere ſibi ſuperiorem; & in huius rei teſtimonium, caput habere velatum, dum orat, aut prophetat, etiam propter Angelos; qui aſſiſtunt, optimi cognitores ordinis, & decoris, qui inter virum, & mulierem eſt ſeruandus. Verumtamen neque vir eſt ſine muliere, neque mulier ſine viro, iuxta domini diſpoſitionem. Sicut enim ex primo viro, educta eſt prima mulier; ita quoq;, per mulierem cõiunctam viro, reliqui omnes generantur viri, omnia autem ſunt a Deo, tum quæ per creationem, tum quæ per generationem fiunt. Vos ipſimet iudicate, an deceat mulierem nõ velatam orare ad Deum. An non ipſa quoque natura docet vos, quòd ſi vir comam nutriat, id ſibi cedit ad ignominiam? mulier vero, ſi comam nutriat, gloria eſt illi, quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt? Si quis autem contentioſus videtur ijs aduerſari, nos hanc contendendi conſuetudinem non habemus; neque eccleſia Dei. Hoc autem præceptum dans vobis orandi, atque prophetandi; non laudo poſtea, quòd non in melius conuenitis, ſed in peius, degenerantes a recto priſtino veſtro inſtituto. Primo enim conuenientibus vobis in Eccleſia, audio ſciſſuras, & diſſidia eſſe inter vos: quod ex parte credo, ne omnes condemnem; nam oportet & ſectas eſſe inter vos, vt, qui probati ſunt in vobis, hinc manifeſti fiant. Atqui conueniententibus vobis, vt modo facitis in unum, ut idem corpus edatis, & eumdem ſanguinem bibatis; iam non eſt id Domini cœnam (prout decet, & ut Dominus inſtituit) manducare. Non enim (vt olim conſueueratis) menſas habetis communes, ad quas etiam pauperes admittantur. Sed vnuſquiſque, ſeorſum, ſuam propriam cœnam aſſumit ad manducandum; atque ita alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Numquid domos nõ habetis ad manducandum, & bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis? & confunditis eos, qui non habent? quid dicam vobis? laudo vos? in hoc non laudo. Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur Iudęis ad mortem, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite (dum conſecrabitis, & manducabitis) in meæ eximiæ erga vos charitatis cõmemorationem, qua ob veſtram ſalutem morti me tradidi. Similiter & calicem præ manibus accipiens, poſtquam cœnatũ eſt, dixit. Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine; vnde ſalus, atque beatitudo pendet, & nõ ex taurorum, aut vitulorum ſanguine; hoc facite quotieſcunque bibetis in meam commemorationem. Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem hunc bibetis, mortẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti annunciabitis, donec veniat. Itaq; quicunque manducauerit panem hunc, uel calicem domini biberit indigne, reus erit corporis, & ſanguinis Domini. Probet autem ſe ipſum homo, antequam accedat ad hoc tremendum conuiuium, examinetque prius ſuam conſcientiam, vt vacans omni culpa, & nullius ſibi conſcius delicti (de quo ipſum grauiter non pœnituerit) fideque roboratus firma, ac ſe ipſum in Chriſti paſſionis commemoratione macerans, & Deo gratias agens de hoc tam immenſo beneficio, hunc in modum probatus, de pane deinde illo edat, & de calice bibat. Nam qui manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans, neque diſcernens corpus Domini pro nobis ad mortem traditi. Ideo in punitionem, propter non præſtitam exactam atque debitam latriam huic tanto Sacramento, multi ex vobis ægritudinarij, atque imbecilles inueniuntur, & multi etiam vita ſunt perfuncti. Quòd ſi noſmetipſos dijudicaremus, digne examinantes proprium conſcientiam, illamque expurgantes, vt decet, vtique non iudicaremur; neque in hæc incommoda incideremus. Dum autem in hac vita iudicamur a Domino, & corporis plectimur afflictionibus,

nibus,corripimur, vt emendemus nos in melius; ne cum hoc mundo, quia Dei vijs longe abeſt, in æternum damnemur. Itaque fratres mei, cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate. Si quis autem eſurit, domi manducet, ne in iudicium conueniatis damnationis. Cætera vero diſponam, cum ad vos venero.

Editio vulgata.

IMITATORES mei eſtote, ſicut, & ego Chriſti. Laudo autem vos fratres, quòd per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Volo autem vos ſcire, quòd omnis viri caput Chriſtus eſt: caput autem mulieris, vir: caput vero Chriſti, Deus. Omnis vir orans aut prophetans velato capite deturpat caput ſuum. Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum: vnum enim eſt ac ſi decaluetur. Nam ſi non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe eſt mulieri tonderi, aut decaluari: velet caput ſuum. Vir quidem non debet velare caput ſuum: quoniã imago & gloria Dei eſt: mulier autem gloria viri eſt. Non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro. Etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum. (Ideo debet mulier poteſtatem habere ſupra caput propter angelos.) Verumtamen neque vir ſine muliere: neque mulier ſine viro in Domino. Nam ſicut mulier de viro, ita & vir per mulierem: omnia autem ex Deo. Vos ipſi iudicate: decet mulierem non velatam orare Deum? Nec ipſa natura docet vos, quòd vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi: mulier vero ſi comam nutriat, gloria eſt illi; quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt? Si quis autem videtur contentioſus eſſe: nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. Hoc autem præcipio: non laudans, quòd non in melius, ſed in deterius conuenitis. Primum quidem conuenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo. Nam oportet, & hæreſes eſſe: vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis. Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non eſt dominicam cœnam manducare. Vnuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum. Et alius quidem eſurit: alius autem ebrius eſt. Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui nõ habent? Quid dicam vobis? Laudo vos in hoc? non laudo. Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine: hoc facite, quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem. Quotieſcunque enim mãducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Itaque quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & ſanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quòd ſi noſmetipſos dijudicaremus: non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, a Domino corripimur: vt non cum hoc mundo damnemur. Itaque fratres mei, cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate: Si quis eſurit, domi manducet: vt non in iudicium conueniatis. Cætera autem, cum venero diſponam.

ADNOTATIONES.

A IMITATORES *mei eſtote, ſicut & ego ego Chriſti*. Græci expoſitores hæc habent, & exponunt tanquam corrolarium eorum, quæ dicta ſunt antea: vt Apoſtolus concludat ſermonem ſuum in hoc, vt Corinthij ſint imitatores ſui, ſicuti & ipſe eſt Chriſti. Chriſtus ſiquidẽ aliorum ſaluti ſtuduit, dum mortem ſubijt pro nobis, ad cuius imitationem Paulus omnia agebat, cõformans ſe in multis ad aliorum mores, & inſtituta ob ipſorum ſalutem. Vnde Corinthios hortatur, vt vitæ rationem inſtituant ad mutuam ædificationem, id enim eſt cacumen perfecti Chriſtianiſſimi; incumbere ſcilicet in ea, quæ ad communem conferunt vtilitatem. Græ Expoſ.

B *Laudo autem vos*, Acturus de conſuetudine, qua mulieres, apud Corinthios, detecto capite, & expanſis capillis orarent, & prophetarent; viri autem e contra tecto capite; cum tamen oppoſitus ordo ſeruandus eſſet; Ipſos in primis laudat, eo quòd per omnia ſui ſint memores. Quod quidem ironicè dictum eſſe ab Apoſtolo Theodoretus, & Ambroſius Theodor. exiſtimarunt: Chryſoſtomus autem huius fuit ſen- Ambr. tentiæ, quòd Apoſtolus aliàs de his cum Corinthijs Chryſoſto. hom. 26. egiſſet; nũc autem præcepti huius afferat rationem, laudans interea eos, qui obedierant; & reprehendens illos alios, qui præcepti fuerant contemptores. Forte de hoc numquam antea cum illis egerat. Sed, vt illos ad obtemperandum ſuis admonitionibus facilius induceret, propterea (quaſi ſibi concilians eorum animos) eoſdem laudat; vt qui memores, & obſeruatores eſſent ſuarum inſtitutionum. Nec refert, quòd aliqui, inter illos, obedientes non fuiſſent. Ex eo autem quod dicit; *& ſicut tradidi vobis præcepta mea tenetis*. Adnotat Chryſoſtomus, non omnia per ſcripturas, ſed & multa fuiſſe per Apoſtolos inſtituta in Eccleſia.

C *Volo autem vos ſcire*: Pro notitia præcepti; quod illis eſt traditurus, id præmittit, quòd omnis viri, caput, Chriſtus eſt; caput autem mulieris, vir, caput vero Chriſti, Deus eſt: quæ affert Apoſtolus, vt Corinthij hinc diſcerent ordinem regiminis, & prælationis, quæ cadit in hæc inferiora, aſcendendo ad maiora vſque ad Deum. Cum vero ſubiungit; *omnis viri caput Chriſtus eſt*, per virum, Chryſoſtomus intelligit fidelem, eo quòd infideles nõ ſunt Chryſoſto. membra corporis myſtici Chriſti. De Chriſto autem hom. 26. dicitur in Epiſt. ad Epheſ. quòd eſt caput Eccleſiæ. Eph. 1. Forte, abſque myſtica conſideratione, dici poteſt, quòd Chriſtus eſt caput viri, cuiuſcunque viri; idq; pro dignitate, qua Chriſtus antecellit non ſolũ omnibus

nibus hominibus, verum etiam Angelis. Quemadmodum etiam vir, dicitur caput mulieris, non ob rationem corporis myſtici Chriſti, in quo non eſt neque mas, neque fœmina, vt dicitur in Epiſt. ad
Coloſſ. 3. Coloſſ. ſed in ſua propria natura; ſicuti etiam Deus, eſt caput Chriſti, relatus ad Chriſti humanitatem, qua Chriſtus eſt primus, & præcipuus inter omnes homines; ita vt, ſecundum humanitatem, Chriſtus ſit & caput, & rector hominum, quorum conſtitutus eſt iudex tam viuorum, quàm mortuorum.

D *Caput autem mulieris vir.* Id quidem, quoniã mulier eſt ſub viri poteſtate ob peccatum, prout illi
Gen. 3. & a Deo denunciatum eſt, dum dixit: *ſub viri poteſtate eris*: quamquam etiam, ſi non peccaſſet (ne diſſenſio eſſet inter ipſos) mulier, vti formata ex coſta viri in eius adiutorium, cognouiſſet virum ex ordine naturæ ſibi caput eſſe.

E *Caput vero Chriſti Deus*: quo ad humanitatem,
Theophyl. per quam maior eſt Pater. Notat autem hoc loco Theophylactus, Deum poſſe dici patrem Chri-
Chryſoſto. hom. 26. ſti, tum quo ad humanitatem, tum quo ad diuinitatem, cum ſit Verbum genitum. Chryſoſtomus vero ait, quòd Deus eſt caput Chriſti, etiã quo ad diuinitatem ratione cauſæ, ideſt, principij; ſubiungitque plurima abſurda, quæ ſequerentur, niſi hæc ratio capitis, varia, & longe diuerſa ſupponeretur; tum in viro ad mulierem comparato; tum in Chriſto ad virum; tum denique in Deo ad Chriſtum relato. Adnotandum autem in traditione præcepti obſeruandi in orando, & prophetãdo, tantummodo fieri mentionem de maioritate viri ad mulierem; & de illa Chriſti ad virum; non autem de Dei ad Chriſtum maioritate; cum id ad rem propoſitam non pertineret. Sat autem fuit antea hunc ordinem inſinuaſſe.

F *Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput ſuum*: Nempe, tum caput corporis ſui, tum ſuam dignitatem ob id, quod ſubiungit Apoſtolus. Sed adnotandum, ſupponi hoc in loco, quòd viri, & mulieres ſint ſimul in Eccleſia. Nõ eſt autem ſermo de viro, qui (vt ſecretius, ac maiori cum deuotione oret) tecto capite id ageret.

G *Omnis autem mulier orans, aut prophetans.* Dicit mulierem deturpare ſuum caput, ſi detecto capite oret, aut prophetet; quod Apoſtolus hac ratione probat. Nam, ſi turpe eſt mulieri, ipſam tonderi, aut decaluari; ergo, & caput habere detectum, ſibi non conuenit, natura enim tribuit mulieri comæ nutritionem. Et ſi in Deut. præcipitur, ne ſit
Deut. 22. amictus viri in muliere, neque vir induatur ſtola mulieris: cum tamen huiuſmodi veſtimenta ad hominum placitum conficerentur; quanto igitur magis decet, ut mulier, iuxta ordinem naturæ, quæ illi tribuit comam pro capitis velamine, vltronee quoque adhærens regulæ a natura ſibi præſcriptæ, regat, & obuoluat caput ſuum, quum coram Deo in Eccleſia, & coram hominibus eſt ſibi orandum, & prophetandum.

H *Vir quidem non debet velare caput ſuum.* Cuius ſententiæ hanc reddit rationem Apoſtolus: quia *imago & gloria Dei eſt.* Vir eſt imago Dei, quatenus repræſentat Deum, ſub cuius dominio ſunt omnia. Sicuti etiam vir imperium habet in terra ex dominio ſibi tradito a Deo. Non autem hic eſt ſermo de imagine Dei, prout reperitur in anima humana. nã hunc in modum etiã mulier habet imaginem Dei:
vt patet ex lib. Gen. vbi dicitur, quòd *creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum, maſculum, & fœminam creauit eos.* Gen. 1.
Appellatur autem hoc loco ab Apoſtolo vir imago Dei, & non mulier, ob excellẽtiam, quam obtinuit vir, primus homo Adam, ſuper mulierem, quæ ex eius coſta eſt ædificata: non autẽ ſuper Chriſtum huiuſmodi excellentiam obtinuit Adam. Nam, quamuis ante Chriſti humanitatem, formatus fuerit Adam, primus omnium hominum, nihilominus tamen Chriſtus dignitate excellit ſuper omnem virum: qui etiam eſt imago patris ſecundum diuinitatem, vti filius, eandem habens eſſentiam cum Deo patre; ut dicitur in Epiſtola
ſequenti, *qui eſt imago Dei*: & ad Coloſſ. *qui eſt imago Dei inuiſibilis*: & ibidem; *ſecundum imaginem* 2. Cor. 4. Coloſſ. 1. 3.
eius qui creauit illum. Illud autem ad Rom. *Conformes fieri imagini filij ſui*; idem eſt, ac ſi diceretur, re- Rom. 8.
nouari ad imaginem & ſimilitudinem filij, ipſius Chriſti; per quem fideles in anima, & in corpore ſunt renouandi ad æternitatem.

I *Et gloria Dei.* Vir creatus a Deo tam excellens creatura, cui commiſſum eſt regimen ſuper terram, vtique ad Dei gloriam redundat; propter virum enim magis, quàm propter aliud quidpiam in terris
Deus glorificatur, ut dicunt Græca ſcholia. Græ. ſchol.

K *Mulier autem gloria viri eſt.* Non dicit Apoſtolus de muliere, quòd ſit imago, vti dixit de viro, quòd eſt imago Dei: ſolum ait, quòd mulier eſt gloria viri; id quippe; quoniam ipſa non præeſt, neque repræſentat dominium in terra, vt facit vir: & ideo reticuit, quòd ſit imago. Dicitur autem mulier gloria viri, eo quòd præſtãs eius natura in viri gloriam cedit; cum ex eius coſta ſit formata tã pulchra creatura in adiutorium viri. Siquidem mulier eſt honorabiliſſimum in principatu, & poteſtate viri; magiſque per ipſam, quàm per aliqd aliud eorum, qui-
bus dominetur, glorioſus eſt vir: ſic Græca ſcholia. Græ. ſchol.

L *Ideo debet mulier habere velamen.* Græce legitur *ἐξουσίαν*. ideſt, poteſtatem, vt hinc ſignificetur, q̃ mulier debet habere caput velatum, in ſignum ſubiectionis, quam habet ad virum.

M *Et propter Angelos.* Qui aſſiſtunt, & ſunt cognitores ordinis huius naturalis, qui eſt obſeruandus inter virum, & mulierem. Quidam autem per *Angelos*, intelligunt ſacerdotes, ne contaminẽtur: iuxta illud apud Malach. *Labia enim Sacerdotis*
cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt, ex ore eius, Malach. 2.
quia Angelus Domini exercituum eſt. Poſſent etiam intelligi per *Angelos*, viri virgines, qui in terris vitam ſeruant, quam Angeli in cœlis, qui nõ nubunt. Omnino ijs voluit Apoſtolus excitare ad reuerentiam, atque pudorem mulieres: quarum præcipua hic habetur ratio: ne detecto capite in Dei Eccleſia, orarent, aut prophetarent; idq; ne ita conſpectæ, in viris, concupiſcentiã ſubmouerent; quãuis Paulus, id ob modeſtiam, & ſpiritualem verecũdiam non explicarit palam. At dicet aliquis, ſi mulier habet a

natura

natura capillos pro velamine, quorſum & velamen apponere ſuper velamen? Cui quæſtioni ſatisfaciens Theophylactus inquit; idcirco id requiri in muliere, vt etiam volũtate profiteretur ſeruitutem. Et quo maiorem timorem, & pudorem Apoſtolus incuteret; etiam Angelos nominauit. Sed & vitorum coercendus erat luxus, quem in coma nutrienda præſeferebant.

Theoph.

N *Verumtamen neque vir ſine muliere, neque mulier ſine viro in Domino*. Mutua eſt coniunctio viri cum muliere pro generatione prolis, & pro mutuo adiutorio; & ita ordinatum eſt a Domino, a quo cuncta procedunt, vnde ſubiungitur. *Omnia autem ex Deo*. Nempe pendent, tum matrimonij coniunctio; tum prolis generatio. Nam Deus primum Architypum, primumque principium eſt, vt adnotant Græca ſcholia. Per illud autem: *vir per mulierem*, denotatur, quòd ſi gignitur vir per prolẽ, mulier concurrit pro parte formationis, ita vt non ex ipſa ſola procreetur vir; quemadmodum ex ſolo viro, ex eius coſta, formata eſt prima mulier.

Græ. ſchol.

At dixerit aliquis, ſi Chriſtus (vt ſupponit Apoſtolus) eſt caput viri; ergo vir cum capite velato orare deberet, vt ſubditum ſe Chriſto ita oſtenderet. Cui dubitationi ita occurri poſſe videtur dicendo; quòd Chriſtus, quatenus homo eſt, conuenit cum Adam, & cum alijs hominibus, vt dicatur caput viri ob excellentiam ſuæ humanitatis, quam obtinuit ſimul exiſtens Deus. Verum hoc loco conſideratur homo, quatenus a Deo cõſtitutus eſt cum dominio rerum harum terrenarum, quod generi humano, in quo & Chriſtus comprehenditur, conceſſum eſt. Et ideo vir, vt obtinens dominium ſuper omnia, ad id ipſum ſignificandum, debet capite detecto ſe gerere, & orare. Cum autem Epiſcopus prædicat; vel cum pſalmi recitantur, & ſi hæc peragunt Epiſcopus, & alij ſacerdotes tecto capite; attamen non contra Apoſtoli præceptum faciunt, cum neutrum horum ſit orare.* De ſanctis autem monialibus, ſciendum eſt, ipſis tonderi capillos, vt gloriam capillorum mundanam ſibi amputent, ac ſe ſe Chriſto deuoueant ſponſas, caput velantes ſacro velamine; vt non vltra viro ſubijciantur; ſed Chriſto; in quo neque mas, neque fœmina. Non ignorandum eſt etiam in quibuſdam locis, conſueuiſſe mulieres tonderi, & viros nutrire comam, ad ſignificandam animi mæſtitiam, qua opprimantur. Et in lege veteri a nonnullis nutriebatur coma, in ſignum, quòd erat opertum Euangelium. Sed & Nazareis erat lex, vt, donec conſecrarentur, nouacula non aſcenderet ſuper caput eorum. Cum autem natura dederit viro barbam; hinc videretur conueniens; quòd, ſicuti mulieri decens eſt comam nutrire, ita quoque deberet vir barbam nutrire, etiam quòd ſit ſacerdos; cum præſertim & Chriſtum, & Apoſtolos barbam geſtaſſe, ex hiſtoria ſit traditum. Verumtamen, quandocunque mundus barbæ nutritionem in quendam applauſum, & luxum deflecteret, ab hoc vſu abſtinere, in contemptum mundi, ſacerdotem maxime deceret; cui etiam curæ eſſe debet, ne pro ſanguinis ſumptione, pili barbę vllum præbeant impedimentum.

*Publice vniuerſum populum vt ſupponit Apoſtolus, aut pro eccleſia, pro ut fit in orationib. quas profert Sacerdos ad Deũ vt explicat in hoc eodẽ loco S. Thomas.

O *Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque eccleſia Dei*. Nempe, vt mulieres orent, aut prophetent detecto capite. Aut ita interpretanda hæc ſententia, non habere nos hanc cõſuetudinem, vt contentioſe nos geramus. Quam interpretationẽ ſecutus eſt Oecumenius; & conſentanea videtur his, quæ infra habentur aduerſus eos, qui bonis aduerſantur inſtitutis.

Oecum.

P *Hoc autem præcipio non laudans*. Græci aliter legunt; *hoc præcipiens non laudo*; ſed idem eſt ſenſus. Quid ſit autem illud, quod Apoſtolus præceperit, ex prædictis patet: præceptum enim datum eſt circa modum orandi, præſcriptum viris, & mulieribus. Quòd ſi hoc fuit præceptum; ipſum igitur non obſeruare, peccatum eſt; cum præſertim, ſi peccatum cenſebatur in lege veteri, mulierem indui amictu viri; vel virum ſtola mulieris; multo magis peccatum eſſe, exiſtimandum eſt, mulierem non tecto capite in Dei eccleſia orare; cum id ordini naturæ cõueniat, tum ne dignitas viri obnubiletur; tum ut tollatur occaſio libidinis excitandæ in viris. Et hoc etiam ex Deo fuiſſe præceptum, colligi videtur ex his, quæ habet infra Apoſtolus, dum inquit. *Si quis videtur propheta eſſe, aut ſpiritualis, cognoſcat, quæ ſcribo vobis, quia domini ſunt mandata*. Per voculam autem illam; *non laudans*, Apoſtolus intelligit de eo quod ſubiungit; nempe quòd Corinthij intermiſiſſent priſtinam illam laudabilem conſuetudinem: quæ erat (ſecundũ Chryſoſtomum) vt omnes conuenirent ad Euchariſtiam ſumendam; ac deinde omnes ſimul conuiuarent, manducantes quæ a ditioribus pro pauperibus etiam deportabantur; vnde & ἀγάπας, a communi charitate appellabant. Vt autem ſentit Auguſtinus, prius conuiuabant, poſtea ſumebant Euchariſtiam. Verum poſtea ſtatutum eſt, vt ieiuni accedamus. Intermiſerant igitur Corinthij hanc mutuam charitatem, vnde illos redarguit inquiens.

1. Cor. 14.

1. Cor. 14.

Chryſoſt. hom. 27.

Auguſt. ad Ian. epiſto. 118.

Q *Primum quidem conuenientibus*. Illud *primum*, videtur appoſitum, quoniã Apoſtolus Corinthios eſſet allocuturus, primo de communione; deinde de donis ſpiritualibus. Vel, quoniam in Corinthiorum eccleſiam multi irrepſerant abuſus corrigendi; vt puta, quòd in plures partes eſſent diuiſi; ꝙ vnus eſuriret, alius ebrius eſſet, & pauperes contemnerentur.

R *Audio ſciſſuras eſſe inter vos*. Quoniam ſcilicet, vnus diceret, ego ſum Pauli; alius Cephæ, alius autem Apollo; ſubiungens autem, *& ex parte credo*; id egit, ne grauaret omnes, ſed exciperet bonos.

S *Nam oportet hæreſes eſſe*; non dogmatum hæreſes, ſed diſſidia intelliguntur, vt interpretantur Chryſoſtomus, & Theophylactus cum alijs Græcis. Quę diſſidia, inquit Apoſtolus, oportet eſſe, ad hũc ſenſum; quoniam ſcilicet ex hominum imbecillitate eueniunt; quo euentu ſuppoſito, ex neceſſitate eſſe dici poſſunt. Et ita etiam interpretandum videtur dictum illud euangelicum: *oportet ſcandala eſſe*, quę ſcilicet dominus prędixiſſet futura. Nam ſi, vt dicit Chryſoſtomus in expoſitione huius loci, ſcandala ex neceſſitate proueniunt; ſuperuacanee diceretur;

Chryſoſt. hom. 27. Theoph.

Matth. 18. Chryſoſt. hom. 27.

retur; *væ homini illi, per quem eueniunt*. Vnde ſubiungitur; vt *& qui probati ſunt, manifeſti fiant*: quod quidem non cauſatiue, ſed conſecutiue intelligendum eſt; videlicet, quòd ex diſſidijs mutuis hominum illud cõſequatur, vt appareát q ſint viri proba-
Ioan.9. tæ virtutis. In quo ſenſu dictum etiam fuit apud Io. *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cęci fiant.* item dicta il-
Ro.5.& 11. la ad Rom. *Lex autem ſubintrauit, ut abunderet delictum.* Et *fracti ſunt rami, vt ego inſerar*. Poſſet etiam ita fieri interpretatio; oportere, vt ſint diſſidia, adeo quòd huc pertineat neceſſitas; nimirum, vt probentur electi; niſi enim eſſent diſſenſiones inter homines, diſtinctio inter ipſos non appareret.

T *Conuenientibus ergo vobis in vnum*. Græce ἐπὶ τὸ αὐτὸ; nempe, ad idem, ad ipſam communionem Corporis Chriſti; *iam non eſt dominicam cœnam manducare*; ideſt, non eſt imitari cœnam Domini, quę fuit communis omnibus Apoſtolis, & ipſi quoque Iudæ, adeo quòd ſupponitur, cœnam eſſe vnionem quandam participantium. Quod quidem non imitabantur Corinthij, dum vnuſquiſque ſibi aſſumeret cęnam ſeorſum ab alijs fratribus. Per illam autem dictionem, ἐν τῷ φαγεῖν, quod editio noſtra habet, *ad manducandum*, videtur Apoſtolus grauare eorum culpam; quòd in acceſſu ad Corpus Chriſti manducandum, cum huiuſmodi diſſenſione ſe gererent.

V *Alius autem ebrius eſt*. Non ob vinum conſecratum, ſed ex potu in commeſſatione hauſto. Non eſt autem inficiandum, quin etiam vinum conſecratum poſſit inebriare. Quemadmodum enim alia accidentia vini, veluti color, ſapor, & quantitas, ſubſiſtunt ſine vini ſubſtantia poſt conſecrationem; ita quoque odor, & virtus vini remanet, apta inebriare.

X *Eccleſiam Dei contemnitis*. Eccleſia interdum ſumitur pro conuentu fidelium; interdum pro loco, vbi conueniunt, ſicuti in hoc loco: *Et confunditis eos qui non habent?* Græce μὴ ἔχοντας: id eſt, nõ habentes, vel cibum ad manducãdum, vel domum propriam; vt hinc innuatur, quòd pauperes pro hoſpitio Eccleſia vterentur.

Y *In qua nocte tradebatur*. Poſt eſum agni paſchalis, vt paſſionis memoria animis Apoſtolorum altius infigeretur, Dominus, poſt cœnam, diſcipulos ſuos communicauit: Poſtea vero in reuerentiã tanti Sacramenti inſtitutum eſt, vt ieiuni ſumamus.

Z *Accepit panem & gratias agens, fregit & dixit, accipite, & mãducate, hoc eſt corpus meũ, quod pro vobis tradetur.* Quamuis hæc verba ita ſint diſpoſita, vt vocula, *fregit*, præcedat; attamen non inferendum, quòd Chriſtus fregerit panem, priuſquam verba protulerit conſecrationis, *hoc eſt corpus meum*. ſed factum, non ordo facti ab Apoſtolo recitatur. Illud vero, *quod pro vobis tradetur*, Græce eſt, *frangitur*, idque, ad denotandam fractionem panis in plures diſtribuendi, qui tamen eiuſdem panis ſunt participes: iuxta illud in cap. ſuperiori, *& panis, quem frangimus, &c.* non autem quòd Chriſti Corpus frãgatur, cum integrũ ab omnibus ſumatur; Verũtamen
Tho. Aqu. Thomas, eatenus fractum Chriſti Corpus dici poſſe animaduertit, quatenus accepit vulnera, & vim paſſus, & mortuus eſt.

AA *Hoc facite in meam commemorationem*. Vt, dum & conſecratur panis, & ſumitur, memoria recolatur ſanctiſſimæ Paſſionis Chriſti.

BB *Hic Calix*. Nempe vinum contentum in calice; non enim vinum, cum ſit naturæ liquidæ, ex ſe conſiſtit, ut panis. Chriſtus autem porrexit Apoſtolis Calicem, poſtquam cœnatum eſt; ut hinc innuatur, prius ſumendum eſſe corpus in accidentibus panis: deinde vini, ſanguinis ſcilicet potionem ſumendam, in quo præcipue repræſentatur paſſio, atque mors Chriſti. In illa autem cœna, cum Chriſtus eſſet paſſibilis, dedit ſe paſſibilem. Dum vero iacuit in ſepulchro, ſecundum ſententiam Thomę, ſi tunc Tho. Aqu.
facta fuiſſet conſecratio, panis conſecratus, corpus tantum exangue continuiſſet; & vinum ſanguinem ſine anima, cum tamen vbiquẽ, & cum corpore, & cum anima diuinitas adeſſet. Poſt autem reſurrectionem, glorioſum factum eſt corpus Chriſti, cum anima & diuinitate iunctum, ita quidem, vt in panis conſecratione adſit & corpus, & ſanguis, & anima, & diuinitas ſimul, vti etiam in ſanguinis conſecratione. Chriſtus autem moriens in Cruce, obtulit ſe patri in ſacrificium ad expianda noſtra peccata, hoſtiam mactatam, atque cruentam. A ſacerdotibus vero ſacrificantibus, fit oblatio ſacrificij incruenti in panis, ac ſanguinis conſecratione, in qua repræſentatur ſacrificium cruentum; quod ſemel Chriſtus peregit, & manet in æternum in corpore ſuo glorificato, coram Deo ſemper aſſiſtente ſecundũ ordinem Melchiſedech, vt dicitur in Epiſt. ad Hebr.

CC *Hoc eſt corpus meum*; id eſt, id, quod porri- Heb.7.& 9.
go, eſt corpus meum, ſubſiſtens ſub ſpeciebus accidentium panis.

DD *Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine*. Id eſt; contentum in calice, ipſe ſcilicet ſanguis meus ſub ſpeciebus accidentium vini, eſt nouum teſtamentum, per quod ſalus, & vita æterna confertur; non bona temporalia, prout in priori teſtamẽto promittebãtur. Et ſi in ſanguine hæc adimplẽtur, qui datur in potum, ergo Chriſti ſanguis vere in illis ſpeciebus vini reperitur. Apoſtolus autẽ ponit ſubſtantiam inſtitutionis; non autem diſtincte verba, quæ proferuntur in conſecratione, vt qui id potiſſimum ſtuderet; excitare ſcilicet fideles ad deuote ſumendum hoc tantum ſacramentum cum commemoratione paſſionis Chriſti. *

* Quæ autẽ omiſit, Eccleſia partim de ſumpſit ex Euangelijs, partim ex ijs quæ à Domino ad ipſam per Apoſtolos peruenerũt, vt habet S. Thomas in 3. par. ſum. q. 78. artic. 3. in reſponſ. ad vltimum.

EE *Reus erit corporis, & ſanguinis domini*. Nẽpe, quoniam vere ibi ſit corpus, & ſanguis Chriſti.

FF *Quotieſcumque enim manducabitis panem hũc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat*. In manducatione Euchariſtiæ, ſemper memoria eſt celebranda mortis Chriſti. Quin ſacramenti huius ea propria eſt conditio, atque natura, ut perceptum iuxta Chriſti inſtitutionem, neceſſario ſecum afferat commemorationem eius ſanctiſſimæ paſſionis.

GG *Probet autem ſeipſum homo*; Quod præſtabit, ſi diligens conſcientiæ fecerit examen; in fide roboretur, macerationem carnis ſubeat ob Chriſti paſſionem, vt illi comparietur; grauiterque doleat; illud præcipue meditans; quòd ſua ob peccata, et

culpa,

culpa eorum dilueretur, Chriſtus mortem ſubierit. Auguſtinus autem ad Iannar. duos inter ſe tãquam altercantes indncit, quorum alter quotidie ſumebar Euchariſtiam; alter vero interpollato tempore: hic ea ductus ratione, quòd deligendi eſſent dies ad ſumendum Chriſti corpus, in quibus purior cõſcientia haberetur. Ille vero alter aiebat, non differenda eſſe medicamenta contra plagam peccatorum; atq; ideo quotidie ſumendam eſſe euchariſtiam. Hauc autem litem dirimi ſic poſſe declarat Auguſtinus, vt in Chriſti pace permaneant, & faciat vnuſquiſque, quod ſecundum fidem ſuam pie credit eſſe faciendum; neuter enim eorũ exhorret corpus, & ſauguinem Domini: ſed ſalubertimum ſacramentum certatim honorare contendunt. Zaccheus gaudens ſuſcepit Dominum. Centurio dixit, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum; & ita ambo, his diuerſis modis, miſericordiam ſunt cõſecuti. Huic conſimile videtur illud Apoſtoli ad Rom. de eſu ciborum, & obſeruantia dierum, dum dixit; quòd vnuſquiſque debebat abundare in ſuo ſenſu, ita vt & qui diſcernit diem, & cibum, & qui non diſcernit, poſſit gratus eſſe Deo; dũmodo ſe regat ad modum, quem ibi deſcribit, & non recedat ab Eccleſię obedientia.

Aug. ad Ia. epiſt. 118.

Luc. 19. Matth. 8.

Rom. 14.

HH *Quicunque manducauerit panem hunc*. Ponderanda ſunt hæc verba, *panem hunc*, quæ certe maximam energiam habent ad denotandum, quòd nõ eſt ſimpliciter panis (cum eius ſubſtantia, facta conſecratione, ſit conuerſa, & tranſubſtantiata in ſubſtantiã veri corporis Chriſti:) Sed eſt verum corpus Chriſti ſub ſpeciebus accidentium panis apparens: adeo q in hoc loco accipiendus eſt panis in eo ſenſu, in quo Dominus protulit apud Ioan. inquiens. *Et panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Quod etiam dilucidius inſinuãt Apoſtoli hæc ſubſequentia verba. *Non dijudicans corpus domini*; id eſt, non diſcernens, non conſiderans, quòd ſub ſpeciebus panis, vere eſt corpus Chriſti, & ſanguis ſub ſpeciebus vini.

Ioan. 6.

II *Inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*. Hæc patiebantur, quòd non accederent digno examine ad Euchariſtiam, non tamen cũ conſcientia peccati mortiferi. Et ſi hi, quoniam non digne examinarent conſcientiã, puniebantur; quanto maiori ſupplicio plectendi erunt, qui accedũt aſfecti peccato mortifero?

KK *Inuicem expectate*. Græce ἐκδέχεσθε: quod etiam poteſt verti: *excipite vos inuicem*; vt ſimul in charitate conuerſemini; & pauperes admittantur a diuitibus, & omnes ſimul cõueniant. Hoc eſt enim, quod Apoſtolus hoc loco molitur, vt, ſecundum normam Chriſti cum commemoratione paſſionis, & cum mutua dilectione fiat communio.

LL *Si quis eſurit, domi manducet*. Guloſum retũdit his verbis.

MM *Cætera cum venero diſponam*. Auguſtinus in Epiſt. ad Ianuar. ponderans hæc verba, inquit. *Hinc intelligi datur, quia multum erat, vt in Epiſtola totum illis agẽdi ordinem inſinuaret, quem vniuerſa ſeruat per orbem Eccleſia, ab ipſo ordinatũ eſſe, quod nulla borum diuerſitate variatur.* Ex quo aperte colligitur, multa nõ ſcripto, ſed per traditionem fuiſſe inſtituta ab Apoſtolis *ſecundum eorum diſpoſitionem*. Quod & per Chriſti ſucceſſores continuatis temporibus effectum eſt, & ita fiet, vſque ad conſummationem ſeculi; Chriſto, atque Spiritu ſancto ſemper aſſiſtente, qui ſuam Eccleſiam errare non permittit.

Auguſt. ad Ianu. epiſt. 118.

PARAPHRASIS. CAP. XII.

QVOD autem attinet ad dona ſpiritualia, diuinitus emiſſa in Chriſti fideles, nolo vos ignorare fratres, quid Deus in ijs, & quorſum illa tribuat. Et, vt perpẽdatis quàm magnum ſit diſcrimen inter hũc veſtrum præſentem ſtatum, & illum alium priorem, quando eratis gentes a Deo alienatæ, ponite vobis ante oculos, qua inſania, atq; temeritate abducti ducebamini ad ſimulacra illa muta; & quàm in varia flagitiorum genera, ſpurciſſimaſq; turpitudines inde inuoluebamini. Quid autem ſpiritus Dei operetur in omnibus, vt cognoſcans, hincque vobis pateat, qui nam Dei ſpiritu agãtur, & qui non. Illud vobis notum facio, quòd nemo, loquens in ſpiritu Dei, dicit in Ieſum vllam maledictionem; cum Spiritus Dei nequaquam pati poſsit, vt gloria filij ſui, cuius idem eſt ſpiritus, inhonoretur. Et nemo quoque poteſt dicere Dominum Ieſum, ipſum confitendo Dominum, & Saluatorem, niſi in Spiritu ſancto; vt hinc dignoſci poſsit, nihil mali cũ Dei Spiritu coniunctum eſſe poſſe; & omne bonum a Dei ſpiritu prouenire. Cum autem diuiſiones exiſtant gratiarum, atque donorum diuinorum, quæ inter Chriſti fideles diſtribuuntur; attamen vnus, & idẽ eſt Spiritus, a quo omnia cõmunicãtur: cumque diuiſiones ſimiliter ſint adminiſtrationum atque regiminum; attamen vnus idemq; dominus, a quo proficiſcuntur. Et cum pariter exiſtant diuiſiones operationum; vnus tamen, & idem eſt Deus, a quo proueniunt, qui operatur omnia in omnibus; ita vt & Spiritus ſanctus, vt dator donorum; & filius vt adminiſtrator & dominus; & Deus pater, vt omnipotens omnium operator, & ita tota ſancta Trinitas ſimul comprehendatur, a qua cuncta bona procedunt. Sed aduertendum, quòd vnicuique datur maniſeſtatio Spiritus in conceſsione donorum ad vtilitatem, tum priuatam cuiuſque, tum multo magis ad publicam. Hinc alicui dono datur per Spiritum ſermo ſapientiæ, quo ſit aptus ad diuina myſteria proloquenda. Alij ſecũdum eundem Spiritum ſermo ſcientiæ, per quam cognoſcuntur hęc inferiora, & quæ conferant ad ſalutem manifeſtantur. Alij dono cõceditur in eodem Spiritu fides, qua gignitur magna in humano corde fiducia erga Deũ. Alij donationes dantur curandi infirmitates in eodem Spiritu. Alij operationes virtutum, quibus ſigna atq; prodigia efficiuntur. Alij prophetia tribuitur. Alij diſcretio Spirituum, qua ipſorum diſcrimen dignoſcitur. Alij gratia linguarum, vt loqui poſsit varia idiomata. Alij donum conceditur linguas interpretãdi. Et hæc omnia operatur, & pręſtat unus, idemq; Spiritus, diuidens ad libitum ſuum vnicuique, vt vult; & hæc omnia ad Eccleſiæ vniuerſalis vtilitatẽ. Sicut enim eſt vnũ corpus in homine, habens mul-

ta membra,& omnia vnius corporis membra (& ſi multa ſunt) vnum tamen corpus conſtituunt; ita etiam Chriſtus eſt vnum corpus habẽs multa membra,quæ omnia exurgunt in vnũ corpus myſticum Eccleſiæ. Etenim omnes nos in vno Spiritu (qui eſt ſecundum Deum) tanquam vnum corpus exiſtentes, in idem corpus Chriſti, in eius mortem,atque ſanguinem baptizati ſumus:ſiue Iudæi; ſiue Gentiles; ſiue ſerui ac liberi: & omnes pariter in eodem Spiritu gratijs diuinis potati,& irrigati ſumus.Nam & corpus hominis non eſt vnum membrum, ſed multa,ex quibus cõſtituitur.Si dixerit pes, eo quòd non ſit manus, non ſum corporis membrum; non propterea fiet,vt non ſit membrum corporis. Et ſi dixerit auris (quoniam non ſit oculus) idcirco non eſſe de corpore; non propterea, non erit corporis membrum.Si totum corpus,oculus;vbi erit auditus? ſi totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem Deus conſtituit membra, diſtincte collocans ſingulumquodque membrum in corpore, prout ſuæ placitũ eſt ſapientiæ. Quòd ſi omnia eſſent vnum membrum,vbi eſſet corpus? Atqui nũc multa quidẽ exiſtunt membra; corpus autem ex iſtis conflatũ vnum eſt.Non poteſt autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo; aut caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij. Quin membra, quæ videntur in corpore noſtro infirmiora, vt puta inteſtina; ſunt magis neceſſaria, vt ſine ipſis vita duci nequeat. Et quæ membra exiſtimamus inhonoratiora, veluti pedes, aut aures, his honorem abundantiorem circundamus:& quæ inhoneſta, & indecora magis, vt ſunt pudenda,ijs copioſiorem decorem, atque honeſtatem adhibemus; quod minime opus habent membra corporis, quæ a natura venuſtatem obtinent. Deus ſiquidem hunc in modum corpus temperauit;ei membro, cui deerat, abundantiorem tribuit honorem,vt non ſit ſchiſma,& diſſidium in corpore: Sed eãdem ſolicitudinem pro ſe inuicem gerunt membra; vt, ſi quid incommodi patiatur vnum ex membris;omnia ſimul compatiantur membra. Et ſi vnum glorificatur membrum; omnia ſimul etiam gaudeant membra. Vos autem (vt ad rem noſtram redeamus) eſtis corpus Chriſti, & membra ex parte, ad totam vniuerſalem Eccleſiam attinentia. In qua Deus aliquos poſuit Apoſtolos; qui primum locum obtinent. Secundo loco prophetas. Tertio loco, Doctores. Deinde Potentias operandi ſigna,& prodigia:exinde Gratias curandi ægritudines: Opitulationes in ſubleuandis ijs, qui opera indigent. Gubernationes pro regimine rerum neceſſariarum: Genera linguarum, & interpretationes ſermonum. Num omnes Apoſtoli?num omnes Prophetæ?num omnes Doctores? num omnes loquuntur linguis? num omnes interpretantur linguas? Verum dona, quæ ſunt præſtantiora,vt æmulamini vos hortor, vt in dies magis in ipſis proficiatis.Sed iam & excellentiorem his omnibus viam oſtendo, in qua ſi vos totos dederitis, ad id quod perfectum eſt, deducemini.

Editio vulgata.

DE ſpiritualibus autem nolo vos ignorare fratres. Scitis quoniam cum Gentes eſſetis,ad ſimulacbra muta prout ducebamini euntes.Ideo notum vobis facio, quòd nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu.Et nemo poteſt dicere: Dominus Ieſus,niſi in Spiritu ſancto. Diuiſiones vero gratiarum ſunt: idem autem Spiritus. Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus. Et diuiſiones operationum ſunt,idem vero Deus,qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ:alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem Spiritum:alteri fides in eodem Spiritu:alij gratia ſanitatum, in vno Spiritu: alij operatio virtutum,alij prophetia,alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus diuidens ſingulis prout vult. Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa: omnia autem membra corporis cum ſint multa, vnum tamen corpus ſunt,ita,& Chriſtus. Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi: & omnes in vno Spiritu potati ſumus. Nam, & corpus non eſt vnum membrum, ſed multa. Si dixerit pes: Quoniam non ſum manus, non ſum de corpore: num ideo non eſt de corpore? Et ſi dixerit auris: quoniam non ſum oculus, non ſum de corpore: num ideo non eſt de corpore? Si totum corpus oculus: ubi auditus? Si totum auditus: vbi odoratus? Nunc autem poſuit Deus membra, vnum quodque eorum in corpore ſicut voluit. Quòd ſi eſſent omnia vnum membrum: vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus. Non poteſt autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus: Non eſtis mihi neceſſarij. Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt, & quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, ijs honorem abundantiorem circundamus: & quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent: Honeſta autem noſtra, nullius egent: ſed Deus temperauit corpus, ei, cui deerat abundantiorem tribuendo honorem, vt non ſit ſchiſma in corpore, ſed idipſum pro inuicem ſolicita ſint membra. Et ſi quid patitur vnum membrum: compatiuntur omnia membra, ſiue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, ſecundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum interpretationes ſermonum. Numquid omnes Apoſtoli? Numquid omnes prophetæ? numquid omnes doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? Aemulamini autem chariſmata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.

ADNOTATIONES.

A D*E ſpiritualibus autem.* Agit hoc loco Apoſtolus de donis gratis datis, quale erat donum linguarum, aut propheticæ, & alia huiuſmodi, quæ appellantur ſpiritualia; quoniam (vt aduertit Chryſoſtomus) quàm maxime ſunt dona Spiritus, nullo humano ſtudio in hęc concurrente: & conferebantur in primitiua Eccleſia ob nouitatem religionis; vt hinc certiores homines redderentur de ſuſceptæ fidei veritate, & ad eandem ſuſcipieodum facilius etiam excitarentur. Siquidem (vt inquit Theodoretus) fieri nõ poterat, vt qui dæmonum fraudi diuiſſimo tempore ſeruierant, & communi morbo laborauerant, indoctis hominibus, & inopibus tam facile crederent, & ab eis veritatem diſcerent; niſi diuina gratia euidenter appareret, & fidei veluti pignora miracula præberent; a quibus deinde abſtinuit ſe Deus, poſtquã Eccleſia eſt confirmata. Cum autem hæc dona varia varijs impertirentur; hinc apud Corinthios æmulatio, & contentio orta erat: dum, in donis ſuſceptis, alij alijs præſtare, ſibi aſſumerent. Ac propterea Apoſtolus ipſos inſtruit, quonam modo circa hæc dona ſe gerant, ad ædificationem Eccleſiæ. Et cum dicit; *prout ducebamini euntes*. Ad memoriam illis reuocat; quàm temere, dum erant idololatræ, ad muta ſimulacra idolorum abducti eſſent, nullam ſcientiam habentes earum rerum, quę fiebant ab illis impijs ſacerdotibus; vt hinc dignoſcerent, quàm magnum ſit diſcrimen inter Chriſti fidem, & falſum idolorum cultum; & quomodo in exercendis huiuſmodi donis ſe gererent. Nam Vates illi prophani (vt refert Chryſoſtomus) ibant perciti furore, & nihil ſciebant eorum quæ loquerentur. quod etiam Platonem inſinuaſſe animaduertit, dum inquit: *Sortilegi, & Vates dicunt multa, & bona, ſciunt autem nihil*. At prophetæ Dei (inquit Chryſoſtomus) ſunt prudentes, & peruigiles exiſtentes, loquuntur quæ illis diuinitus ſunt inſpirata; optime agnoſcentes, quæ loquantur. Quod diſcrimen Chryſoſtomus ait, hic afferri ab Apoſtolo, vt ex hac regula cautos ſe præberẽt Corinthij a pſeudo prophetis. Quemadmodum, dum inquit, *ideo notum vobis facio*. Cenſet Chryſoſtomus, aliud etiam afferri ſignum, quo diſtinguatur, Dei proheta, a Vate. Et eſt huiuſmodi: ꝙ nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit, anathema, ſeu maledictionẽ ipſi Ieſu. Ex quo infert Chryſoſtomus, quòd qui ita loquutus fuerit, non eſt cenſendus Dei propheta, ſed Vates. Et hoc quidem conuenit ſententię illi B. Ioan. dum dixit: non debere credi omni ſpiritui, ſed probandum eſſe vnumquemque: ſubiungens, quòd *omnis ſpiritus, qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt*. Verum, ſi recte ſermo Apoſtoli perpendatur, videtur eſſe generalis tam circa Vates, quàm circa illos alios homines, qui ducebantur ad illa muta ſimulacra, ita vt in illo acceſſu ad idola, nulla ipſis ineſſet regula; ſed omnia temere fierent: cum contra, quæ aguntur ſecundum ſpiritum Dei, omnia pendeant a recto ordine, & regula determinata. Ex quo dignoſcitur, quàm magnum ſit diſcrimẽ inter Chriſti fidem & cultum idolorum.

Chryſoſto. hom. 29. — Theodor. — Chryſoſto. hom. 29. — Chryſoſto. hom. 29. — 1. Ioan. 4.

B *Nemo in ſpiritu Dei loquens dicit anathema Ieſu.* Hæc Apoſtoli ſententia hinc veriſſima apparet. Siquidem pugnãt inuicem, quòd quiſpiam loquatur in ſpiritu Dei, & idem loquatur cõtra gloriam Ieſu, qui & Deus eſt. Contra autem Ieſu gloriam loquitur, qui alicui de præceptis a Ieſu derogauerit; ne dũ, ſi ipſius propriæ perſonæ maledixerit. Num autem in ſpiritu Dei exiſtens homo, poſſit peccare, ſi quis quærat, dicendum, quòd haud dubiè nõ poteſt, donec in ipſo eſt ſpiritus Dei; iuxta illud apud Ioan. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet.* Quod quidem eſt veriſſimũ, dum manet in homine Dei ſemen; quod tamen vna cum ſpiritu Dei diſcedere poteſt ab homine; & de facto diſcedit, dum peccat. Qui autẽ caret gratia Dei, non poteſt ex ſe ipſo opus meritoriũ facere, neque a peccatis reſurgere. ſiquidem gratiæ Dei egemus, vt a peccatis reſurgamus, & ſine peccatis cuſtodiamur, ac meritorie operemur. — 1. Ioan. 3.

C *Et nemo poteſt dicere dominum Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto.* Diceret aliquis, Cayphas prophetauit vir malus, & multa prædixit Balaam; necnon & dæmones confitentur Deum, non habentes tamen Spiritum ſanctum. Ad hæc dicendum, quòd non præſtiterunt hæc Dęmones, neq; alij, niſi mouente eos Spiritu ſancto, tanquam quędam ipſius inſtrumenta. Verum in hac Apoſtoli ſententia, ſuppoitur oris confeſſio, quę fit ad ſalutem, vt dicitur in epiſtola ad Rom. Ieſum autem ſaluatorem ſibi exiſtere, non confitetur, qui ab eodem ſalutem non ſperet, & imploret; quod nõ fit a prauis hominibus, neque a dęmonibus, quos (inquit Theophylactus) nominare Dominum, dum coercentur, & vapulãt. nõ autem ſponte ſua. Nomen autem, Ieſus proprie ſaluatorem ſignificat: ſicut inſinuauit Angelus dicens ipſi Ioſeph: *Pariet filium, & vocabis nomen eius Ieſum; ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum a peccatis eorum.* Vnde hac ratione nemo poterit dicere Dominum Ieſum, niſi in ſpiritu Dei. — Rom. 10. — Theoph. — Mat. 1.

D *Diuiſiones vero gratiarũ ſunt, idem autẽ ſpiritus.* His verbis Deus ſpiritus, tertia in diuinis perſona ſignificatur; cui proprie attribuitur gratiarũ & donorum largitio. *Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idẽ autem dominus.* Ijs inſinuatur perſona filij, cuius ſapiẽtia omnia adminiſtratur. *Et diuiſiones operationum ſunt, idẽ vero Deus.* Deus Pater his verbis denotatur, qui omnia operatur iuxta illud apud Ioann. *Pater meus vſque modo operatur.* Per illud autem, *idẽ vero Deus*, vna Deitas manifeſtatur in tribus exiſtẽs pſonis. Quod autẽ primo loco pſona ſpiritus mox filij, poſtremo Patris fuerit nominata, nil refert: qd etiã pluribus alijs in locis factũ eſſe ab Apoſtolo Chryſoſtomus animaduertit, idque, vt innuatur, vnã idẽtitatem ſubſtãtię in tribus perſonis pariter inueniri. Quidam autem hęc omnia interpretati ſunt de Spiritu ſancto, quòd ſit dominus, & Deus, ſicuti & de Deo Patre, & de Deo filio notum eſt. — Ioan. 5. — Chryſoſto. hom. 29.

E *Datur manifeſtatio ſpiritus.* Nẽpe, quatenus ex dono collato ſpiritus manifeſtatur p ſignũ viſibile. Nã (vt inquit Theodoretus) gratia nũc etiã datur ijs, qui baptiſmo ſanctiſſimo digni habẽtur; ſed nõ euidenter, — Theodor.

déter, ſicuti in prima Eccleſia. Cum autē dicit *ad vti-
litatem*, id referēdū, nō ad priuatā cuiuſque, nō multo
magis ad cōmunē totius Eccleſiæ vtilitatē; cū & pri-
uati hominis bonū ex bono cōmuni quàm maxime
pēdeat in omni, ſed pcipue, ī Chriſtiana Republica.

F *Sermo ſapientiæ*. Quam habuit Paulus, vt te-
2. Pet. 3. ſtatus eſt Petrus, per quam ſciuntur myſteria Dei
abſcondita, de qua ſupra fuit ſermo.

Theoph. Theodor. Oecum. G *Alij ſermo ſcientiæ*. Theophylactus, Theodo-
retus, & Oecumenius intelligunt de ijs, qui habe-
bant notitiam, at illam neſciebant loqui, vt Apoſto-
li habentes ſapientiam. Verum, dum nominatur
ſermo ſcientiæ, clare innuitur, quòd adeſſet locutio
ijs, quibus ſermo ſcientiæ eſſet cōmunicatus. Quod
etiam comprobatur ex eo, quod ſubiungitur, nem-
pe, quòd alijs dabatur ſermo ſcientiæ ad vtilitatem
aliorum; quæ certe non extitiſſet, niſi adhibito ſer-
mone. Propterea per *ſermonem ſcientiæ*, videtur cō-
prehendi cognitio, quæ habetur, tam de rebus, quæ
ſecūdum naturam ſunt explicatæ, & traditæ, quàm
de rebus ſupra naturam, vt ſunt articuli fidei; & eo-
rum quoque notitia comprehenditur, quæ perti-
S. Augu. lib. 12. de Trin. c. 14. nent ad rectæ vitæ inſtitutionem: ſapientia autē erit,
vbi excerpuntur incognita, & aperiuntur. Auguſti-
nus autē in lib. 12. de Trinit. ſcientiā refert ad actio-
nem; ſapientiam vero ad cōtemplationē Dei, quate-
nus in ipſa cōtinetur theoſebia; id eſt, Dei cultus, vt
illum amemus, quē nūc in ęnigmate cognoſcimus.

H *Alteri fides*. Non illa, quæ complectitur dog-
mata, quæ in omnibus requiritur eadē, & conſtās:
ſed intelligitur fides, qua quiſpiam ita roboratus eſt
erga Deum, vt ſperet in Dei virtute grandia ſe poſſe
præſtare; vti transferre montes, & ſimilia. Vnde cap.
ſequenti, de hoc fidei dono loquens Apoſtolus, di-
1. Cor. 13. cit. *Et ſi habuero omnem fidem ita ut montes transferā.*
Ita etiā interpretantur Theophylactus, & Oecume-
Theoph. Oecum. nius. quam quidem fidem ſibi augeri, precabantur
Apoſtoli Dominū, dū dicerent, *adauge nobis fidem.*

Luc. 17. I *Alij operatio virtutum: id eſt*, ſignorum, & mi-
raculorum. Fuit autem operatio virtutum, vt Chry-
Chryſoſt. hom. 19. Act. 5. ſoſtomus animaduertit, cum Petrus verbo ſuſtulit
Ananiam, & Sapphiram.

K *Alij diſcretio ſpirituum*. Si hoc eſt donum (vti
eſt) diſcernendi ſpiritus; non videtur igitur antea
aſsignatum eſſe (prout dictum eſt ex ſentētia Chry-
ſoſtomi) quomodo diſtinguatur vates a propheta
Dei, licet illud poſſit inferri, & colligi. Verum poteſt
etiam intelligi diſcretio ſpirituum, id eſt donorum
ſpiritualium, vt quis donū obtineat diſcernendi hęc
dona, vt puta, cui nā inſit prophetia, & cui interpre-
tatio linguarū, & q̄ enūciētur a ꝓphetis ſcd̄m ſpiritū
Dei, & quę nō ſecūdum hūc ſpiritum enunciantur.

L *Alij interpretatio ſermonum*. Vel quoniā ſenſus
abſtruſus interpretetur; aut lingua peregrina in pro-
priam, & notam conuertatur.

M *Et omnes in vno ſpiritu potati ſumus*. Vel de
Chryſoſt. hom. 34. Euchariſtia dictum eſt: cum ſecundum Chryſoſto-
mum in potatione intelligatur etiā corporis aſſum-
ptio, cum ſint vtraque ex eodem ſpiritu. Aut uoluit
intelligere Apoſtolus, quòd irrigati ſumus per dona
Spiritus ſancti, & per ipſummet Spiritum ſanctum.

N *Quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe,
neceſſariora ſunt*. Vt puta oculi, vel inteſtina, ut qui-
dā interpretantur. Vel, vt iecur, & cerebrū ſecūdum
Theodoretum. Et ſimili modo corporis myſtici mē- Theodor.
bra infirmiora ꝓ exercitio charitatis ſunt neceſſaria.

O *Quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis,
his honorem abundantiorem circundamus*. Veluti au-
res, aut pedes. Ita quoque in corpore myſtico Chri-
ſti, membris quibuſdam (quoniā ignobiliora) Deus
tribuit abūdantiorem honorem. Dicit autem Apo-
ſtolus, *quæ putamus ignobiliora*: quoniam nihil per ſe
inhoneſtum factum eſt a Deo in noſtro corpore, vt
notat Theophylactus cum alijs Græcis. Theoph.

P *Et quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem* Auguſt. cōt.
honeſtatem habent. Vt pudenda; Auguſtinus autem Fauſt. li. 22.
contra Fauſtum, dicuntur (inquit) quædam mēbra cap. 9.
inhoneſta, quia non habent eam ſpeciem decoris,
quam habent membra, quę in promptu locata ſunt.
Vel quòd propter legem in membris repugnantem
legi mentis, quæ de peccato accidit, non de prima
noſtræ inſtitutionis natura.

Q *Ei, cui deerat abundātiorem tribuendo honorem*.
Sicuti pudenda veſtimento obteguntur, quod cę-
ptum eſt ab Adam, & ab Heua, cum cōſuerunt folia
ficus, & fecerunt ſibi perizomata. Et his verbis Apo-
ſtolus corroborat illos, qui minus affluerēt donis, ne
ſtimulo inuidiæ percuterentur; quādo Deus (cui plu
ra honoris dona tribuit) id agat erga illos, q̄ his indi-
gēt ad cohoneſtandā eorū inhoneſtā conditionem.

R *Membra de membro*: vel inuicem connexa; vel
quoniam pendeant a membro, id eſt a Chriſto, qui
eſt caput totius Eccleſiæ. Græci legunt, *eſtis membra
de parte*. Ad inſinuandum quòd Corinthij totā non
complecterentur Eccleſiam, ſed eius vnam quan-
dam partem; cum & aliæ eſſent partes, ex quibus
omnibus vniuerſa conſtruitur Eccleſia.

S *Primum Apoſtolos*. In epiſt. ad Epheſ. diſtin- Eph. 4.
guuntur Apoſtoli ab Euangeliſtis. Enumerātur autē
primo loco Apoſtoli ex prima & potiſsima digni-
tate, quam in vniuerſali Eccleſia obtinuerunt; &
quibus etiam omnia dona in plenitudine ſunt col-
lata. Euangeliſtæ enim publicabant euangelium.
Theodoretus autem hoc loco dicit, quòd non ſolum Theodor.
dicuntur duodecim Apoſtoli. Sed etiam ſeptuagin-
duo; qui poſtea hanc gratiam ſunt conſecuti: ſicut
Paulus, & Barnabas: Sed & Epaphroditū vocari, ait,
a Paulo Apoſtolum Philippenſium.

T *Prophetas*. Adnotandū, dum dicitur in Euan- Luc. 16.
gelio: *lex & prophetæ vſque ad Ioannem*. Id intelligi
penes ea, quę de Chriſto venturo pronunciauerant
Dei prophetæ, quę ceſſarūt in prędicatione Ioannis
Baptiſtę; qui Chriſtum iam natum, & in mūdo con-
uerſantem digito oſtendit. Verū poſtea alij quoque
extiterunt prophetæ, vt de quibus in Actis Apoſt. & Act. 13.
eſſe poſſunt, qui enuncient alia futura, vel detegant
cordium ſecreta; quorum multi aderant in prima
Eccleſia, & hi præponuntur Doctoribus ab Apo-
ſtolo. Idque, quoniam prophetę omnia ex Spiritu
tradunt. Doctores autem multa interſerunt ex pro-
prio ingenio, atque iudicio.

V *Aemulamini autē charismata meliora*. Id eſt, do- Phot.
na ſpiritualia, pręſtantiora. Aduertendū autem quod Theodor.
Photius, Theodoret. & Gennad. legūt interrogatiue, Gennad.

æmu-

æmulamini chariſmata meliora? & interpretantur. Ita ſi eſt, ecce (ſubiũgit Apoſtolus) excellentiorem vobis viam oſtẽdo; nempe charitatem, quam ſectemini. (1. Cor. 14.) Verum, cum infra c. 14. palam hortetur Corinthios, vt emulentur ſpiritualia, & magis vt prophetent, quàm vt linguis loquãtur, quoniam maiora bona proueniant ex prophetis, quàm ex ſolo vſu linguarum; ideo & hoc loco cenſeri poteſt, aſſertiue dictum eſſe ab Apoſtolo, vt æmulentur chariſmata meliora. (Theodor. Theophyl.) Theodoretus autem, & Theophylactus animaduertunt, nõ dici ab Apoſtolo de charitate, ꝙ ſit donum; ſed viam excellentiorem illis proponere; vt hinc innueret, charitatem eã eſſe, per quam ad dona deduci poſſint. Verum, cum dona gratis data (ſicuti eſt prophetia, & donum linguarum) deficere poſſint; ideo Apoſtolus, locuturus de charitate dixit, viam ſe illis oſtendere excellẽtiorem, ad ſignificandum, quòd charitas eſt huiuſmodi donum, qđ a nobis quoque pendet; atque ideo demus operam (quod ad nos attinet) vt illam conſequamur. Vnde infra dicit; *ſectamini charitatem*; quoniam hæc ſit via ad ſalutem; & numquam deficere poſsit etiam in futuro ſęculo. (1. Cor. 14.)

PARAPHRASIS. CAP. XIII.

SI linguis hominũ loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeã, factus ſum velut æs reſonans, aut cimbalum tinniens; in quibus (vti Inſtrumentis) aliunde ſonitus cietur, & fit tinnitus. Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam obtinuero, & omnem fidem, ita vt per hanc montes trãsferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum; vt qui, charitatẽ nõ habens, ſine gratia Dei ſim, ſine qua omnia fruſtra ſunt, ſine vllo merito. Quin & ſi omnes meas facultates ĩ pauperum alimenta diſtribuero: vel & corpus meum in alienum obſequium tradidero ita vt ardeam; charitatem autem cum ijs actionibus coniunctã non habuero, nihil mihi proſunt; quæ multum prodeſſent, ſi charitati innixa forent. Charitas patiens eſt, vt hominem reddat longanimum, ad ſeſe in officio conſtãter continendum penes omnia. Eadem benigna eſt. Charitas non æmulatur, vt vllum inuidiæ locum præbeat. Charitas non agit perperam, vt irritet proximum. Non inflatur ad ſuperbiam. Non eſt ambitioſa, vt quicquam vile, & abiectũ pro fratrum vtilitate facere recuſet, quaſi huiuſmodi actionem turpem, & indecoram exiſtimans. Non quærit quæ ſua ſunt, vt non aliorum quoque commoda ſibi ſint curæ. Non irritatur, dans locum iracundiæ. Non cogitat malum, vt iudiciũ ſiniſtrorſum proferat de proximo. Nõ gaudet de vlla iniquitate, quaſi approbet iniuſta facta: Congaudet autem, & applaudit veritati. Omnia ſuffert aduerſa, atq; moleſta: omnia credit: omnia ſperat, vt quæ nihil ſubdolũ de proximo ſuſpicetur: omnia ſuſtinet, atque tolerat in proximo. Charitas nũquã excidit, aut intermoritur: ſiue prophetiæ euacuabũtur; ſiue linguę ceſſabunt; ſiue ſciẽtia; qualis habetur in humanis, abolebitur. Ex parte enim cognoſcimus; non autem perfecte: vti etiã ex parte, & imperfecte prophetamus. Cum autem aduenerit perfectum in ſtatu beatitudinis; tunc, quod ex parte, & imperfectum eſt, euacuabitur. Perſpicite quid dicam. Cũ eſſem paruulus, loquebar ut paruulus; ſapiebam, vt paruulus; cogitabã vt paruulus. Vbi autem factus ſum vir, euacuaui, & longe facta ſunt a me, quæ erant puerilia. Videmus nũc per ſpeculum rerum viſibilium, obſcura atque ænigmatica cognitione Deum: tunc autem facie ad faciem, ipſum, ſicuti eſt, intuebimur. Nũc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcã ſicuti & a Deo cognitus ſum. Nunc autem, in hoc pręſenti vitæ ſtatu, hæc tria manent, fides, ſpes, charitas. Sunt hæ virtutes tres theologicę, quę ab homine numquam ſunt deſerendę in hac vita. Sed inter has tamẽ maior omniũ eſt Charitas; quæ neq; ĩ hoc ſęculo, neq; ĩ futuro eſt defutura.

Editio vulgata.

SI linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut ęs ſonans, aut cymbalum tinniẽs. Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero: nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam; charitatem autem non habuero: nihil mihi prodeſt. Charitas patiens eſt, benigna eſt, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit, quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Charitas numquam excidit: ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cũ autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Cum eſſem paruulus, loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus ſum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nũc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas: tria hæc, maior autem horum eſt charitas.

ADNOTATIONES.

SI linguis hominum loquar, & Angelorum. A
Apoſtoli ſermo hoc in loco eſt mirum in modum amplificatiuus, & hyperbolicus; quo inſinuatur nihili faciendum eſſe, ſi quis loquatur lingua excellẽtiſſima (qualis cenſeri poſſet lingua Angelorum, ſi modo noſtro loquerentur) ſiue autem charitate hanc excellẽtiam linguæ poſſideat; Quod aũt attinet ad Angelos, aduertẽdum, ꝙ ſicuti de his dicitur, ꝙ curuantur ante Ieſum, quamuis genua non habeant; quod fit, vt ad captum noſtri intellectus explicetur ueneratio, quam Deo Angeli præſtant; ita quoque hoc loco ſupponuntur Angeli, ac ſi linguã haberent, qua tamẽ carent. Siquidem notiones, quas habent in mente, inuicem inter ſe ipſi ſignificant eo ordine, & modo ſignificationis, qui, licet nobis ſit incognitus, attamen eiuſmodi ſupponendus eſt, ac ſi ſecundum modum noſtrum

linguis ad inuicem loquerentur. Cum autem Angeli ſæpenumero allocuti ſint homines; cēſendum eſt, ipſos per diuinam ipſis inexiſtentē potentiā voces formaſſe, quas excellētiſſimo modo explicarēt.

B *Aes ſonans, aut cimbalum tinniens.* Hæc inſtrumenta muta ſunt, non habentia virtutem intrinſecam edendi ſonum, qui prouenit in ipſis ab externa potentia, & ſactus, pertranſit. Huic operi ſimile erat id, quod contingebat circa donum linguarum. Nam qui hoc dono potiebatur, linguæ inſtrumentum in ipſo mouebatur a Spiritu ſancto, vt ſonum, & vocem linguæ, ſeu idiomatis ederet peregrini, quod opus totum procedebat a Spiritus ſancti potentia: homo autem linguam præſtabat; vel (vt rectius loquamur) eius lingua Spiritus ſanctus vtebatur. Hinc iure infert Apoſtolus, quòd niſi adſit charitas, per quam vita ſpiritualis obtinetur; qui loquitur linguis, euadit tanquam æs ſonans, & inſtrumentum mutum. Accedente autem charitate, quę (& ſi ex Dei dono hominibus communicatur) attamen in homine proprium quoque requirit conſenſum, ita quidem donum linguarum, viuum, & perfectum opus euadet, & proderit habenti; ſecus autem non proderit. Apoſtolus autem primo loco

Theodor. (vt adnotauit Theodoretus) enumerauit donum linguarum; quoniam apud Corinthios præſtantius alijs omnibus cenſeretur; vtpote illud, quod, ante omnia alia dona, Apoſtolis fuiſſet collatum in die pentecoſtes.

C *Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia.* Diſtinguit Apoſtolus prophetiam a ſcientia myſteriorum; eo quòd poteſt eſſe prophetia, abſque quòd ſciantur myſteria Dei; ſicuti, cum futura prædicuntur. Idcirco per *ſcientiam myſteriorum*, Apoſtolus ſapientiam intellexit, cuius munus eſt noſſe Dei myſteria. Verum exurgit hic quæſtio, qui fieri poſſit, vt adſit donum ſapientiæ ſine charitate? cum in lib Sapien. ſcriptum ſit; *quod in animā maleuolam*

Sapien. 1. *non introibit ſapientia?* Cui quæſtioni ita primo reſponderi poteſt; Apoſtoli orationem hyperbolicam eſſe, & procedere ex ſuppoſitione, ac ſi daretur ſapientia ſine charitate. Deinde vero aduertendum eſt, ſapientiam accipi poſſe, tum pro ſola cognitione myſteriorum, in qua aliquis excelleret, tam etſi praui animi, atque morum corruptorum eſſet; tum etiam pro ea ſapientia, qua vere quiſpiam ſit ſapiēs; dum corde ijs aſſentit, quæ intelligit, & loquitur; nec non opere ſimul eadem exequitur, vt ita extollat charitatem, tanquā virtutē maximopere ſequendā; & vitia, vt fugiēda, execretur. Vnde hæc fugiendo, & illā ſectādo, qui talis eſt, re ipſa veram ſapientiam obtinebit. Alicubi autem adnumeratur ſapientia vna cum donis Spiritus ſancti; quæ, cum ipſis aſſumpta, certe non erit abſque charitate; ſine qua tamen in aliquibus donum prophetiæ, virtuteſque ſignorū ineſſe poſſunt. Vnde Dominus apud Matt. docet reprobandos eſſe quoſdam in die iudicij, qui & prophetauerint, & dæmonia eiecerint; quoniam charitatem non habuerint; dicturus illis in die illa,

Matth. 7. *non noui vos.* Non inconuenit autem, & Deum prauis quoque hominibus donum prophetiæ conceſſiſſe; cum, ſua imperſcrutabili ſapientia, hinc quoq; poſſit opera producere non indigna ſua gloria. Suſcipientibus autem fidem dona impartiebantur ſpiritualia, vt iam purgatis, & iuſtificatis.

D *Et ſi habuero omnem fidem ita ut montes transferam.* De hoc dono fidei locutus eſt etiam Apoſtolus ſupra, cum dixit, dari alteri donum fidei in eodem ſpiritu. Et aſsimilatur grano ſynapis apud Matt. cum dicitur; *ſi habueritis fidem ſicut granum ſynapis*: Non autem intelligendum quo ad hoc, ꝙ granum ſit modicum; ſed ſimilitudo in hoc inſinuatur, vt fides, ad formā grani ſynapis, ſit integra, perſecta & vigens, ita vt abſit ab ea omnis hæſitatio, animique vacillatio. Id enim reprobat B. Iacobus inquiens: *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans; qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui a vento mouetur, & circumfertur.* Huiuſque generis fides non videtur ſubſiſtere poſſe, abſque animi optima erga Deum propenſione. Verum ex ſuppoſitione, potuit hoc quoque dicere Apoſtolus, quòd & hæc tanta fides, ſi ſit ſine charitate, nihil prodeſt. Sed & illud addi poteſt, quòd aliquis, ſciens Dei potētiam, poſſet credere, ſe ſe poſſe efficere portēta per influxum potentiæ diuinæ, quæ etiam efficeret, licet perverſam vitam ſectaretur. Vnde Simon ille Magus, donum Spiritus ſancti pecunia ſibi comparare volebat, vt operationes illas virtutum præſtaret, quas Apoſtoli perficiebant: ſed & Dæmon habet fidem de Deo, quem tamen odio proſequitur.

1. Cor. 12.

Matth. 17.

Iaco. 1.

Act. 8.

E *Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas.* His verbis inſinuatur optima diſtributio facultatum, cum in plures, & ipſos egenos, pro ſubminiſtranda neceſsitate uictus, omnium ſit facultatum diſpenſatio. Quæ tamen & ipſa ſine charitate nihil eſt; nec prohibet, quin aliquis poſsit egregium hoc opus præſtare ſine charitate, inductus a cupiditate vanę glorię.

F *Et ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam.* Hæc forte reſpiciunt donum miniſterij; vt ſi quis ob alienam ſalutem voluntarie deuouat ſe morti; id autem ex charitate non agat, ſed ob falſi nominis gloriam; cuius ſtudioſiſsimi complures, morti ſe pro patria obtulerunt, vt tradunt Romanæ hiſtoriæ. Quemadmodum Mutius dexteram porrexit in flammas. Curtius ſe pro patria in abruptam terram præcipitē dedit. Decij, pater, & filius pro exercitu ſe vouerūt.

G *Charitas patiens eſt.* Grece μακροθυμεῖ; Id eſt, hominem longanimum facit, & magni animi. Si quidem longum, pro magno etiam accipitur. Hinc ſit ſecundū Chryſoſtomum, vt multa patientia opus ſit, ne homo a propoſito dimoueatur, quod potiſſimum ſubminiſtrat charitas.

Chryſoſt. hom. 32.

H *Benigna eſt.* Poſſunt aliqui eſſe patiētes, cupidi tamen ſumendi vindictam de proximo, tempus aptum obſeruātes: at charitas habet patientiam cum benignitate coniunctam.

I *Non inflatur.* Auguſtinus in ſermone de uerbis Euang. homilia 34. ponderans, quomodo ſuperbia ſit prior inter vitia, animaduertit, prius dictum eſſe ab Apoſtolo de charitate, quòd non æmulatur, quaſi ex inuidia: poſtea adiecit, quòd non inflatur, tanquam reddens cauſam, cur non ęmulatur; nempe, quoniā non inflatur in ſuperbia;

Auguſt. ho. 34.

a qua, propter amorem excellētiæ, prouenit vt ęmulemur, & alijs iouideamus.

K *Non eſt ambitioſa*. Græce, *ἀσχημονεῖ*, id eſt, non pudeſit; ſed idem ſenſus cum editiooe vulgata Theodor. colligitur; vt patet apud Theodoretum: vt inferatur, quòd oon eſt ambitioſa charitas, quooiam nihil vile, & abiectum pro vtilitate fratrum facere recuſat, quaſi eiuſmodi actionem turpem, aut indecoram cenſeat, quod contingit ambitioſis.

L *Non quærit quæ ſua ſunt*. At dicitur, quòd prima charitas incipit a ſeipſo. Vtiqoe hoc coocedendum. Verumtamen, qui feruet charitate, Dei honorem, ſibi potiorem rebus omnibus, & ſe ipſo facit. Cum autē Deus velit, vt diligamus proximum; & omnes ſimus Chriſti, & Eccleſiæ membra; ideo, qui habet charitatem, non poteſt quærere quæ ſua ſuot, tanquam aliorum bona deſpiciat; quamuis propriam ſalutem aliorum ſaluti poſſit anteponere.

M *Non gaudet ſuper iniquitate*. Id eſt, de prauis operibus, quæ quiſpiam factitet.

N *Congaudet autem veritati*. Quæ ex dictis, vel factis alienis peodeat: vel conlętatur de veritate.

O *Omnia credit*. Vt nihil ſubdolum cogitet de proximo.

P *Siue probetiæ euacuabuntur*. Non amplius, poſt huius ſeculi conſummationē, erit aliquid prædicendum, aut futurum; quoniam omnia, quæ nunc poſſunt eſſe futura, tunc erunt coofirmata, & impleta: & nihil in poſterum poterit eſſe futurum, quod non ſit præſens.

Q *Siue linguæ ceſſabunt*. Non ipſum loqoendi inſtrumentum deficiet, neque vſus vocalis; ſed variarum linguarum vſus, prout eſt in hoc ſeculo.

R *Siue ſcientia deſtruetur*. Non quòd remaneat ignorantia; ſed quooiam euadet ſcientia perfecta. Chryſoſt. hom. 34. Verbi gratia (vt ioquit Chryſoſtomus) nunc ſcimus, quòd Deus eſt vbique; at quomodo, ignoramus; & natum eſſe de Virgine, at quomodo neTho. Aqui. ſcimos, quod tunc ſciemus. Hoc autem loco Thomas animaduertit, quòd Deus videt ſe exiſtēs in ſe. Angeli autem, ſecundō ſpeciem Dei, vident Deum. Nos autem in hac vita, io alienis rebus, tanquam in ſpeculo, aliquid videmus de Deo; iuxta ea, quæ ſunt explicata in primo cap. epiſt. ad Rom. Aduertendum etiam, oullam hic fieri mētionem ab Apoſtolo de ſapientia; forte, vt qui ſub oomine ſcientię ipſam complexus ſit: cum præſertim cognitio, qoæ hic habetur de diuiois myſterijs, & ſi pro ſapientia cenſeri poſſit ob obiectum, qnod eſt ipſe Deus; attamen, ſi referatur ad eam cognitionem, quæ futura eſt in patria de Deo; vix ſcientia, ne dum ſapientia dicenda videtur.

S *Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus*. Quod attinet ad prophetiam, idcirco dicuotur prophetæ ex parte nunc prophetare; tum, quoniam omnia noo percipiunt futura; tum qooniam, quæ futura perſpiciunt, oon ita clare cognoſcunt, ſicut in patria apparebuot. Communis autem cognitio, quam nūc poſſumus habere de Deo, pendet ex cognitione ſenſibilium; & ita in ſpeculo, & ænigmate, & in parte nunc cognoſcimus, aliquālem de Deo habentes notitiam: tunc autem cognoſcemus Deum, ſicuti eſt; necnoo & res ipſas extra Deum, in Deo perfecte cognoſcemus. Talis igitur nunc exiſtens in parte, & ęnigmatica ſciētia, deſtruetur, cum ſuperuenerit perfecta cognitio, ex ipſo immediato obiecto diuino deſumpta; vnde modus cognoſcendi, quo ad Dei notitiam, tunc alius erit.

Verum de charitate, longe alia eſt ratio. Ipſa enim oumquam excidet in patria. Sed qui in hac vita feruor inſederit io animis noſtris Deū diligendi, ex cognitione nobis per lumeo fidei hic ęnigmatice de Deo communicata, oon ſolum in futuro ſeculo permanebit: verum etiam ad ipſum maxima fiet acceſſio: tum ex hoc capite, quoniam (vt inquit Theodoretus) *charitas illic maiores habet vires, cum* Theodor. *ceſſauerint perturbationes, & corpora quidem ab interitu aliena facta fuerint, & animi non hoc quidem nunc, nunc vero illud voluerint*: Tum vero & ex hoc alio. Quoniam, ſicuti tunc in beatis augebitur de Deo cognitio, qnem facie ad faciem videbunt: ita qnoque decens eſt ſupponere, quòd obiectum diuinum, vti magis ab ipſis cognitum, ſic quoque magis amabunt, & feruētiori ſtudio immēſa illa frueotur pulchritudioe, io perpetuum illam expeteotes, & ſimul eadem abſque ſatietate perfruentes. Per illam autem particulam, *in ſpeculo*, inſinuatur cognitio, quæ de Deo hic obtinetur per ſenſibilia, quæ aliqualiter Dei æternam poteotiam, atque diuinitatem repræſentant. Per illud vero, *in ęnigmate*, denotatur obſcura cognitio, qnæ hic habetur, non clara, neque diſtincta. Nam ęnigma proprie cootinet propoſitionem obſcuram. Vnde Auguſtinus in Aug. lib. 15. lib. 15. de Trinit. animaduertit, ex his Apoſtoli verde Triu. c. 6 bis, innui difficultatem cognitionis a nobis habitæ in hac vita: ſiqoidem (inquit) ęnigma ſooat difficultatem.

T *Facie ad faciem*. Ita loquitur Apoſtolos de futura in patria de Deo in nobis cognitiooe; vt inſinuet, quòd erit cognitio clara per ipſum obiectum immediatum, quod aoima intuebitur: iuxta illud apud Ioan. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum* 1. Ioan. 3. *ſicuti eſt*. Si autem Iacob exiſteos in hac vita dixit. *Vidi Dominum a facie ad faciem*. Sciendum, hoc Gen. 32. fuiſſe per viſionem obiecti corporei ſub quodā ſpectro ſenſibili, in qno Deus ei apparuit, vt puta in nube, aut in quodam alio ſeoſibili ſplendore; aut in humana ſpecie ſplendidiſſima: in qua etiā Chriſtus apparuit Apoſtolis transfiguratus in monte Thabor.

V *Tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*, Hæc Thomas explicans (inqoit) vt Deus cognoſcit Tho. Aqui. me ſecundum eſſentiam, ita cognoſcam in patria Deum io eſſentia; vt ſit tantum comparatio ſecundum ſimilitudinem, non ſecuodum ęqualitatem; Chryſoſtomus autem ſic, ita Deus vocat me ad ſe; Chryſoſt. & ita cognoſcit, & adducit etiam ad ſe; qualem adhumil. 34 duxerit, iuxta hooc modum fruar diuina viſione. Photius autem his verbis, ait ſignificari, quòd perPhot. fecte, & exacte cognoſcetur Deus. Theodoretus ilTheodor. lud, *vt cognitus ſum*; interpretatur, ac ſi dicatur, vt familiaris factus ſum. Forte his verbis, *cognoſcam*,

vt co-

vt cognitus ſum; innuitur, quòd quoniam Deus cognoſcit cuiuſque ſtatum, & gradum, in quo ſibi ita, vel ita quiſque eſt acceptus, & gratus; ideo, iuxta proportionem cognitionis a Deo habitæ de gradu, & perfectione cuiuſque; ita quoque, iuxta gradum meritorum, vnuſquiſque in ſua beatitudine cognoſcet Deũ: vt ita futura inſinuetur beatitudo, vniuſcuiuſque meritis correſpondens.

Phot. X *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas.* Photius adnotat, alia dona poſſe deficere, & multa ceſſaſſe explanato diuino cultu. Nam plurima dona data ſunt manuducentia homines ad fidem. Fides autem, & ſpes, & charitas, quæ ſunt tres virtutes Theologicæ, ſemper manent in hac vita. Poſtea vero fides, & ſpes deficient; charitas autem ſemper manebit.

Y *Maior autem horum eſt Charitas.* In hac vita charitas præcellit fidei, & ſpei; quoniam charitas eſt finis fidei, & ſpei, quæ ceſſabunt in alio ſeculo; charitas autẽ ſemper manebit, vti illa, quæ in obiectum ſumme & infinite expetendum rapietur.

PARAPHRASIS. Cap. XIIII.

SECTAMINI charitatem, vt illam apprehendatis; ęmulamini autem dona ſpiritualia; magis autẽ vt prophetetis, quàm vt loquamini linguis. Qui enim loquitur lingua, nõ hominibus loquitur, cum nemo auſcultet, neque adhibeat mẽtem linguę peregrinę, quam nón nouit. Sed Deo tantum eius ſpiritus loquitur, pronuncians myſteria, quæ ſunt nota Deo. Qui autem prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem fidei, & cohortationem, & conſolationem. Qui loquitur lingua, ſe ipſum ſolum ædificat, confortatus in dono linguarum, dum id operatur, & guſtat. Qui autem prophetat, ędificat Eccleſiam, ipſum cœtum fidelium. Volo autem vos omnes loqui linguis; ſed magis opto, vt in prophetiam incumbatis. Nam maior eſt qui prophetat, quàm qui loquitur linguis; niſi forte eas etiam interpretetur, vt eccleſia ædificationem accipiat. Verum fratres (vt diſcrimen horum donorum præclarius agnoſcatis) ſi nunc venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero? niſi vobis loquar, aut in reuelatione myſteriorum, quæ ad ſapientiam attinent; aut in ſcientia aliarum rerum; aut in prophetia, per quam ſecreta cordium, & futura contigentia enunciantur; aut in doctrina, atque eruditione morum, & eccleſiaſticarum inſtitutionum? Et quidem ſimiliter, quæ ſine anima ſunt inſtrumenta, edentia ſonum (ſit vel tibia, vel cithara) niſi diſtinctos dederint ſonitus; quomodo ſcietur, aut percipietur id, quod vel tibia canitur, vel cithara? Etenim, ſi tuba vocem immanifeſtam emiſerit, quis parabit ſe ad bellum? Ita & vos, niſi per linguam ſermonem manifeſtũ dederitis, quomodo ſcietur ab alijs, quid locuti ſitis? Certe eritis loquentes in aera, ſonũ tantummodo edentes, qui per aera fertur, & auditur. Ad hæc, tot ſunt (vt puta) varia genera vocum in mundo; & nullum horum non explicandum inuenitur per vocalia, quibus tum longo, tum breui ſpiritu voces pronunciantur. Si ergo neſciero vim vocis, fiet, vt partim ego aliena vtens lingua, barbarus ſim apud eum, qui eam obtinet ſibi propriam; partim vt & ille, in meo proprio idiomate loquẽs, apud me barbarus cenſeatur; quod & vobis pariter continget. Quare, quando ſpiritualium horum donorum eſtis cupidi, atque inuicem ęmulatorès, quærite, & in hoc incumbite, vt ad ædificationem Eccleſiæ in ijs abundetis, & excellatis. Idcirco, qui loquitur lingua, orèt Deum, vt ſibi etiam donum interpretandi largiatur. Etenim ſi orem lingua, ſpiritus quidem meus, quo vox emittitur, atque pronunciatur, orat: at mens mea ſine fructu degit, cum nil meditetur; quando, quod proloquor, non intelligo. Quid igitur curandum? nempe, vt & ſpiritu orem edendo voces, & vt etiam mente òrem; pſalmos vt pronunciem ſpiritu; & vt pſallam etiã mente, meditando, ac deguſtando quæ pronunciantur. Quandoquidem, ſi ſpiritu benedixeris, edendo tantum voces in aliena lingua, neque illas interpretando; quomodo, qui complet locum idiotæ, dixerit in fine benedictionis, Amen? cum, quid dicas, neſciat? Tu enim bene gratias agis; at alter nõ ędificatur, cũ quæ loqueris, non intelligat. Gratias ago Deo meo, quòd linguis varijs magis loquor quàm vos omnes. Verumtamen in Eccleſia Dei, malo quinque tantum verba ad mentem, & ſenſum meum loqui, vt alios ędificem, quàm decem millia ſermonum lingua tantum proferre. Fratres, nolite pueri effici ſenſibus, puerilia ſectantes ſine fructu. Sed malitia pueri eſtote; at ſenſibus perfecti. In lege ſcriptum eſt apud Eſa. quòd in alijs linguis, & labijs alijs loquar populo huic; & nec ſic exaudient me, dicit dominus. Ex quo patet, quòd linguæ dono dantur a Deo in ſignum non credentibus, ſed infidelibus; vt hinc ad credendum excitentur. Prophetia autem tribuitur a Deo, non infidelibus; ſed ijs, qui fidem iam receperint, ad fidei confirmationem, & ad maiorem ipſorum conſolationem. Si ergo vniuerſa fidelium Eccleſia ſimul conuenerit, & vniuerſi huius cętus homines linguis loquantur, ingrediantur autẽ infideles, aut idiotæ, non dum plene inſtructi in fide, nonne dicent, quòd inſanitis? Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus; diiudicatur ab omnibus; & ſic occulta cordis eius manifeſta fiunt; & ita excitatus, atque permotus, procidens in faciem ſuam, adorabit Deum, pronuncians quòd vere Deus ſit in vobis. Quid igitur fratres? (vt vobis normam præbeã, quomodo vos geratis circa hæc ſpiritualia, cum ſimul conueneritis.) Eſto, quòd veſtrum vnuſquiſque vim pſallendi habeat, doctrinam habeat, linguam habeat, reuelationem habeat, interpretationem habeat; omnia fiant ad ædificationẽ. Vt puta, ſi quis loquitur lingua, quo in ordine ſint duo, vel ad ſummũ tres qui loquãtur (& hi per partẽ viciſſim, vnus poſt aliũ) vnus interpretetur, quæ iſti locuti fuerint. Quòd ſi non aderit interpres, taceat in Eccleſia loquens linguis; non palam loquatur, ſed ſibi ipſi, & Deo. Prophetę autem duo, aut tres dicant, & cæteri diiudicent propheticum ſermonem. Si autem alteri ſedenti reuelatio facta ſit, primus taceat: poteſtis enim

ita (reuelante Deo) omnes ſigillatim prophetare, vt omnes diſcant, & omnes cohortentur. Nec dubitandum, quin ſpiritus prophetarum ipſis prophetis ſubiectus ſit, ita vt ſibi ipſis modum imponere poſſint. Deus enim ſpiritus prophetiæ largitor, non diſſenſionis, ſed pacis eſt Deus: quemadmodum in omnibus Eccleſijs ſanctorum doceo; mulieres veſtræ in Eccleſijs taceant: non enim permittitur illis loqui; ſed, vt viris ſubijciantur, habent in præcepto; ſicuti les dicit; ſub viri poteſtate eris. Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent: turpe enim, atque indecens eſt, mulieres loqui in Eccleſia. An a vobis ſermo Dei profectus eſt? quaſi a vobis incipiens publicari? Si quis inter vos ſibi videtur propheta, & ſpiritualis; agnoſcat, quòd quæ ſcribo vobis, Dei ſunt præcepta. Si quis autem hæc ignorat, aut ſtudioſe ignorare velit, ipſe etiam ignorabitur apud Deum. Itaque fratres, æmulamini prophetare, & loqui linguis nolite prohibere: omnia autem decenter, & per ordinem fiant.

Editio vulgata.

SECTAMINI *charitatem, æmulamini ſpiritualia, magis autem vt prophetetis. Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed Deo: nemo enim audit. Spiritus autem loquitur myſteria: nam, qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem. Qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificat: qui autem prophetat, Eccleſiam ædificat. Volo autem omnes vos loqui linguis: magis autem prophetare. Nam maior eſt, qui prophetat, quàm, qui loquitur linguis, niſi forte interpretetur, vt Eccleſia ædificationem accipiat. Nunc autem fratres, ſi venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, niſi vobis loquar aut in reuelatione, aut in ſcientia, aut in prophetia, aut in doctrina? Tamen quæ ſine anima ſunt vocem dantia, ſiue tibia, ſiue cithara: niſi diſtinctionem ſonituum dederit, quomodo ſcietur id quod canitur, aut quod citharizatur? Etenim, ſi incertam vocem det tuba: quis parabit ſe ad bellum? Ita, & vos per linguam niſi manifeſtum ſermonem dederitis: quomodo ſcietur id quod dicitur? eritis enim in aera loquentes. Tam multa, vt puta genera linguarũ ſunt in hoc mundo, & nihil ſine voce eſt. Si ergo neſciero virtutem vocis, ero ei cui loquor, barbarus, &, qui loquitur mihi, barbarus, & vos, quoniam æmulatores eſtis ſpirituum: ad ædificationem Eccleſiæ quærite, vt abundetis. Et ideo, qui loquitur lingua, oret vt interpretetur. Nam ſi orem lingua, ſpiritus meus orat: mens autem mea ſine fructu eſt. Quid ergo eſt? Orabo ſpiritu, orabo, & mente: pſallam ſpiritu, pſallam, & mente. Cæterum ſi benedixeris ſpiritu: qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, ſuper tuam benedictionem? quoniam quid dicas, neſcit: nam tu quidem bene gratias agis, ſed alter non ædificatur. Gratias ago Deo Deo meo, quòd omnium veſtrum lingua loquor. Sed in eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, vt, & alios inſtruam: quàm decem millia verborum in lingua. Fratres, nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote: ſenſibus autem perfecti eſtote. In lege ſcriptum eſt. Quoniam in alijs linguis, & labijs loquar populo huic, & nec ſic exaudiet me, dicit Dominus. Itaque linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus, prophetiæ autem, non infidelibus, ſed fidelibus. Si ergo conueniat vniuerſa eccleſia in vnum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles, nonne dicent, quod inſanitis? Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus occulta cordis eius manifeſta fiunt, & ita cadens in faciem, adorabit Deum, pronuncians, quòd vere Deus in vobis ſit. Quid ergo eſt fratres? Cum conuenitis, vnuſquiſque veſtrum pſalmum habet, doctrinã habet, apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant. Siue lingua quis loquitur, ſecundum duos, aut vt multum tres, & per partes, & vnus interpretetur. Si autem non fuerit interpres, taceat in eccleſia, ſibi autem loquatur, & Deo. Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & cæteri diiudicent. Quod ſi alij reuelatum fuerit ſedenti, prior taceat. Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare, vt omnes diſcant, & omnes exhortentur, & ſpiritus prophetarum, prophetis ſubiecti ſunt. Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis, ſicut, & in omnibus eccleſiis ſanctorum doceo. Mulieres in eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut, & lex dicit. Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieri loqui in eccleſia. An a vobis verbum Dei proceſſit? aut in vos ſolos peruenit? Si quis videtur propheta eſſe, aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata. Si quis autem ignorat, ignorabitur. Itaque fratres, æmulamini prophetare, & loqui linguis nolite prohibere. Omnia autem honeſte, & ſecundum ordinem fiant in vobis.*

ADNOTATIONES.

AEmulamini ſpiritualia, magis autem vt prophetetis.* A Quod attigerat Apoſtolus in fine capitis 12. inquiens: *æmulamini chariſmata meliora*. Hoc loco explicatius tractat, docens, quòd pluris ſit facienda prophetia, quàm ſimplex vſus linguarum. Vnde hortatur Corinthios, vt maiori ſtudio incumbant, vt donum obtineant prophetiæ: quod oratione eſt impetrandum, vt innuit Apoſtolus in hoc eodem cap. dum dicit; *ideo qui loquitur lingua, oret vt interpretetur:* Deus autem largitur dona ad vtilitatem Eccleſiæ. Idcirco Apoſtolus comparat vtilitatem ex dono linguarum prouenientem cum ea, quæ percipitur ex prophetia; vt Corinthij, qui ſummopere gloriabantur ob donum linguarum, ardentius animum conuerterent ad prophetiam, ex qua maior ædificatio poteſt prouenire ad Eccleſiam.

B *Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed Deo.* Non explicat Apoſtolus, quomodo linguis loquens, Deo loquatur; quoniam id ipſum eſt perſpicuum, cum Deo omnia ſint nota, atque aperta. Cur autem loquens linguis, non loquatur hominibus, reddit hanc rationem: *nemo enim audit*; id eſt,

id eſt, nemo auſcultat, nemo applicat animum ad intelligenda, quæ aliquis loquatur in aliena, & peregrina lingua, quam non intelligat.

C *Spiritus autem loquitur myſteria*. Vox hæc *ſpiritus*, Græce in dandi caſu legitur, πνεύματι. & Græci expoſitores ita interpretantur; quòd loquens linguis, ſpiritu loquitur. Qui ſenſus idem eſt cum eo, quem refert lectio volgata, videlicet ſpiritus loquitur; ſiue intelligatur ſpiritus, qui ſit communicatus in dono linguarum; ſiue ſpiritus proprius hominis, qui vocem emittit, motus a Spiritu ſancto. Non deſunt etiam, qui græcam lectionem ſequentes ita explicent. Loquens linguis, loquitur myſteria ipſi ſpiritui. Sicuti antea quoque interpretatum eſt, quòd qui loquitur linguis, Deo loquitur. Ad hæc ſubiungit Apoſtolus, quòd qui loquitur linguis, ſe ipſum ædificat: nempe, quatenus conſortatur, guſtans donum Dei, dum loquitur linguis, motus a Spiritu ſancto: quod poterat contingere, etiam quòd aliquis non intelligeret, quæ in aliena lingua loqueretur. Ex quo patet; quòd ſimplex locutio linguarum (citra interpretationem habita) ad nullius vtilitatem prodeſt: ſecus autem dicendum eſt de propheta, qui ædificat; vel dum inſtabiles, & labentes in fide roborat; vel ſegniores hortatur; vel puſillanimos conſolatur.

Græ.expoſ.

E *Aut in reuelatione*. Hæc reſpiciunt donum ſapientiæ. *Aut in ſcientia*; nempe earum rerum, quæ cadunt extra myſteria. *Aut in prophetia*, quæ verſatur circa manifeſtationem cordium, aut contingentium futurorum. *Aut in doctrina*, quæ pertinet ad eruditionem ſeu inſtitutionem vitæ, & diſciplinæ Chriſtianæ.

E *Tamen*: Græce ὅμως. Quidam autem exiſtimarunt, hanc vocem eſſe corruptam, cum alias potuerit legi, ὁμοίως, id eſt *ſimiliter*; & ſenſus verborum hunc in modum haberetur accommodatior, vt ſic alia ratio ad idem manifeſtandum afferatur: videlicet, quòd nil prodeſt linguis loqui, niſi adſit etiam coniuncta ſermonum interpretatio. idque ex ſimilitudine deducitur inſtrumentorum, qualis eſt tuba; quæ, niſi edat ſonos ſignificantes quæ nam ſint agenda in bello, fruſtra adhibetur.

F *Eritis enim in aera loquentes*. Vtique loquentes lingua peregrina, quæ audientibus ſit ignota, non intelliguntur; vnde tantùmodo ſonum edunt, qui tranſit per aera.

G *Tam multa vt puta*. Aliud argumentum eſt, quo extenuatur vſus linguarum, qui ſit ſeiunctus ab interpretatione earundem. Nam, cum multa ſint genera linguarum, nullum horum eſt mutum, & ſine voce. Vnde, qui loquitur lingua peregrina, niſi vim vocis teneat, euadet barbarus apud eum, cui idioma illud ſit patrium. Idcirco autem barbarus erit; propterea quòd non recte voces pronunciabit. Ex quo dicto concluditur, ſupponi ab Apoſtolo, quòd qui loquitur lingua, non intelligat quæ loquatur. Aduertendum autem illud, quod habet editio vulgata, *ſine voce*, Græce legi ἄφωνον: quod verti poſſet, *non vocale*; id eſt, non ſine vocalibus litteris, ex quibus graue, & acutum, longum, ac breue in voce reſultat: ex quo ſequitur, quòd qui loquitur neſciens vim vocis, ac propterea acuto (verbi gratia) accentu pronuncians, quod graui eſſet proferendum, vel e conuerſo, barbarus apparebit apud eum, qui linguam, & vim vocis teneat.

H *Sic & vos*, Hæc ſecundum Theophylactum & Baſilium referuntur ad ſequentia hunc in modum. Et vos æmulamini ſpiritualia ad vtilitatem aliorum. Forte melius ad ſuperiora ſic coniunguntur. Et vos ita, vt dixi de me ipſo, eritis barbari, neſcientes vim vocis, & loquentes aliena lingua apud eos, quibus eſt patrium idioma.

Theophyl. Baſil.

I *Oret vt interpretetur*. Vel myſteria; vel linguam, quam loquatur, quaſi illam prius non intelligens. Cui interpretationi videntur conſentanea quę ſubiunguntur. *Nam ſi orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt*: id eſt, ſpiritu, quo emittitur vox, motus homo a ſpiritu ſancto, orat, dum orat lingua; ipſius autem mens eſt ſine fructu, vt quæ non percipiat, neque intelligat quæ ore homo loquitur. Et ſecundum hanc interpretationem, ſpiritus eſt accipiendus, quo animal reſpirat, & vocem emittit: quamuis etiam pro anima rationali accipiatur: vnde aliud eſt viuere ſecundum ſpiritum, & viuere ſecundum carnem. Theodoretus autem cum alijs Græcis, per *ſpiritum*, intelligit ipſum donum, per *mentem* autem, inſtructionem eorum, quæ orantur. At cum dicat Apoſtolus: *ſpiritus meus orat*, hinc arguitur, quòd de dono non eſt ſermo; ſed de ſpiritu hominis. Quidam alij ita interpretati ſunt; *ſpiritus meus orat*; Id eſt, animus, qui, quantum ad ſe, percipit vtilitatem; at alijs non prodeſt; & ideo mente non orat, vt qui in mente haberet alijs etiam prodeſſe, quod non aſſequitur. Et hi quidem hanc interpretationem ſecuti ſunt ſtudioſe, vt euitarēt hæreſim Montani aſſerentis, quòd nullus propheta, quæ loqueretur, intellexerit. Verum (ſecūdum Theophylactum) nō præbet præſens locus hanc difficultatem, cum ſolum ſit ſermo de dono linguarum, quod poteſt haberi abſque dono interpretandi: non autem de prophetia. Auguſtinus autem in lib. 12. Geneſ. ad lit. diſtinguit ſpiritum a mente; quoniam ſpiritus ſit vis quædam animæ inferior mente, vbi corporalium rerum ſimilitudines exprimuntur, ſed ſine mentis obtutu nō intelliguntur: Vnde etiam vult accipi per tranſlationem, quia lingua, id eſt membro corporis, quod mouemus in ore cum loquimur, ſigna rerum dantur; non res ipſæ proferuntur. Et ideo inquit, quòd Apoſtolus tranſlato verbo linguam appellauit quamlibet ſignorum prolationem, priuſquam intelligantur. Et ponit exemplū de Pharaone, quòd quæ viderat in ſomnis, erant in ipſo imaginata: Daniel autem mente & intellectu intellexit hæc ſigna. Quæ quidem Auguſtini ſentētia videtur accipere ſpiritum, qui deſeruit imaginationi, in qua rerum ſigna continentur. Idem autem in lib. 1. de libero arbitrio animaduertit, in ſcripturis per ſpiritum hominis, intelligi potentiam rationalem, qua diſtinguitur a pecoribus. Ideo in loco antea citato Geneſ. animaduertit, prophetam appellari, qui videt ſolum ſigna; excellentiorem vero eſſe, qui ſolo ſignorum intellectu eſt præditus; tertium adhuc excel-

Theodor.

Theoph.

Augu. li. 12. Gen. ad litt. c. 9.

Auguſt. li. 1. de lib. Arb. ca. 8.

excellentiorem, qui & videat in ſpiritu ſecretiſsimè corporalium ſignificatiuarum ſimilitudines, & ea viuacitate mentis intelligat; quæ excellentia prophetæ fuit in Daniele.

K *Orabo ſpiritu, orabo & mente.* Hoc loco Chryſoſtomus (cui conſentit Theophylactus) inquit, Chryſoſto. Theoph. quòd ſola lingua mouebatur ad edendas voces, quarum non habebat intelligentiam. Vnde, orabo ſpiritu, emittendo vocem de ore: orabo & mente, depromendo intellectum, quæ pronunciantur.

L *Nolite pueri effici ſenſibus.* Innuit ex his Apoſtolus, quòd puerile erat, delectari ſimplici linguarum pronunciatione, & voces emittere abſque vlla earum intelligentia, & ſine fructu, & vtilitate proximorum.

Eſa. 28. M *In lege.* Nempe apud Eſa. vt hic (ſecundum Aug. lib. 15. de Trinit. c. 7. Auguſtinum in lib. de Trinit. 15.) accipiatur lex pro omnibus eloquijs veteris teſtamenti: ſicuti & ipſe dominus, *in lege* (inquit) *eorum ſcriptum eſt, quia* Pſal. 34. *oderunt me gratis*; quod habetur in Pſal. 34. Alibi verò, ait Auguſtinus, dici legem, eam, quæ data eſt Matt. 22. per Moyſem; iuxta illud apud Matth. *Lex & prophetæ vſque ad Ioannem.* Interdum etiam ait, prophetarum nomine pſalmos ſignificari. Interdum verò hæc omnia diſtincta ſunt, lex, & prophetia, & Luc. 24. pſalmi, vt patet apud Luc. *Oportebat impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege, & prophetis, & pſalmis de me.* Aduertendum autem, totum vetus teſtamentum hac ratione dici poſſe, legem; quoniam, quæ in ipſo continentur, pro lege, atque Dei ordinatione ſunt cenſenda. Verum (vt ad propoſitam interpretationem redeamus) ſcriptum eſt in lege apud Eſaiam. Eſa. 28. *Quoniam in alijs linguis, & labijs alijs loquar populo huic, & nec ſic exaudient me.* Ac ſi diceret: populus iſte duræ ceruicis, etiamſi quòd donum linguarum immiſerim in aliquibus, vt ex hoc miro opere excitentur ad audiendum præcepta mea, nihilominus tamen neque ex hoc ipſo mihi credet, & obtemperabit.

N *Itaque linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus.* Ex adducta ex Eſaia auctoritate, Apoſtolus deducit, quòd donum linguarum conceſſum eſt a Deo in ſignum, quo infideles excitarentur ad fidem. Quod donum collatum eſt Apoſtolis, vt alienigenis in earum propria lingua poſſent Euangelium prædicare. Quemadmodum autem in ædificatione turris, vna lingua in plures fuit diuiſa; ſic ex dono Chryſoſt. Hom. 35. linguarum (vt adnotat Chryſoſtomus) plures linguæ in vnum coibant in vnum. De prophetia autem alia eſt ratio, vt ſubiungit Apoſtolus, inquiens: *Prophetia autem non infidelibus, ſed fidelibus.* Nempe in ſignum data eſt fidelibus, ad ædificationem atque conſolationem ipſorum; vt patet ex Ioele, cuius Ioel 2. auctoritate vſus eſt Petrus in Actibus, dum diceret: Act. 2. *Et prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ.* Nempe ob ſpiritum diuinitus in ipſos effuſum.

At dubitabit aliquis penes hoc, quod ſubiungit Apoſtolus, quòd ingredientes idiotæ, vel infideles Eccleſiam, ſi audiant illos omnes loquentes linguis, dicent, quòd inſanitis. Si autem prophetent, & per prophetiam occulta cordis ipſorum detegantur, tunc inducentur, vt cadant in faciem, adorantes Deum & confiteantur ibi Deum eſſe. Ex ijs enim videtur dicendum, quòd prophetiæ ſint pro infidelibus, & non linguæ. Cui dubitationi volens Chryſoſtomus ſatisfacere (inquit) ſcopum hic eſſe Pauli extenuare Chryſoſt. hom. 35. donum linguarum, de quo Corinthij tantopere gloriabantur; vnde inquit, in die pentecoſtes, cum loquerentur Apoſtoli varijs linguis, multi dicebant, Act. 2. quòd erant pleni muſto. Verum cum Apoſtolis dicendum eſt, quod donum prophetiæ ſit datum pro fidelibus, ad eorum ædificationem, atque conſolationem. Quòd ſi ex prophetia detegente ſecreta infidelium, & ipſi poſſunt hinc excitari ad adorandum Deum (quod eſt veriſſimum) attamen infitiari non debemus, quin linguæ ſecundum auctoritatem adductam ex Eſaia, ſint traditæ pro infidelibus; vt ex hoc, quòd audientes eos, qui varijs linguis loquerentur peregrinis, & prius ſibi ignotis, commouerentur ad Deum glorificandum, & ad obediendum fidei. Sed & in Actibus Apoſt. legi- Act. 2. tur, quòd in die Pentecoſtes, *Audientes eos loquentes varijs linguis, ſtupebant omnes, & mirabantur ad inuicem dicentes. Quid nam vult hoc eſſe?* Quamuis, quidam alij irridentes dicebant, *quia muſto pleni ſunt iſti.* Sed aduertendum, non eandem eſſe rationem illius euentus, qui fuit in die Pentecoſtes, & facti, quod hic ſupponitur ab Apoſtolo. Ibi enim ſupponuntur plurimi ex diuerſis nationibus ſimul collecti; qui omnes audiebant Apoſtolos loquentes lingua, in qua quiſque natus erat; vnde de hoc facto iure merito ſtupebant, & mirabantur. At in hoc loco ſupponitur, quòd in Eccleſia Corinthiorum ingrederetur aliquis infidelis, & audiret illos loquentes linguis, quas non intelligeret; qui certe de hoc facto non ſumeret admirationem, non percipiens varietatem linguarum, ſed potius illos irrideret, vt inſanientes.

O *Vnuſquiſque veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet, Apocalypſim habet &c.* Hæc ita loquitur Apoſtolus; non quòd ſinguli poſſiderent hæc omnia dona, ſed eum dictis ſuperius aduerſaretur, ſed ex ſuppoſitione, & ad eorum voluntatem accedens, ac ſi diceret: eſto, quòd ſinguli obtineatis hæc omnia; attamen omnia fieri debent ad ædificationem communem.

P *Si autem non fuerit interpres, taceat in Eccleſia.* Vult, quòd loquens linguis in Eccleſia taceat, niſi adfuerit, qui interpretetur. Ex quo colligitur, potuiſſe aliquem habere donum linguarum, abſque quòd linguas intelligeret, & ſciret alias interpretari.

Q *Prophetæ autem duo, vel tres dicant.* Hic clare ſupponitur, quòd duo, vel ad ſummum tres prophetent, non omnes; ſed bene omnes in diiudicatione per ordinem, & per partes poſſunt conuenire; vt, ſi cui reuelatum eſt de prophetia, is loquatur, & prior taceat; vt omnino ſupponendum ſit, velle Apoſtolum, duos, aut tres eligi in ſingulo die, quibus incumbat onus prophetandi; & quòd poſtea in diiudicatione eorum, quæ pronunciata fuerint a prophetis, cæteri, qui adſtant, diiudicent: quod poſſunt omnes ſigillatim præſtare, vnus tamen poſt alium. Vbi accipit, *prophetare*, pro diiudicare, quæ fuerint dicta a prophetis; ita enim conuenit interpretari,

pretari, ne contrarium ſibi ipſi Apoſtolum conſtituamus; primo dicentem, quòd duo, aut três prophetent; & poſtea, quòd omnes ſigillatim poſſint prophetare. Quod autem attinet ad verbum illud, Chryſoſt. hom. 36. *dijudicent*, Chryſoſtomus interpretatur, vt dijudicetur, an ſit vates, vel verus propheta. Alij interpretantur, vt dijudicentur, quæ ſunt allata a prophetis. Quidam alij ad ſcripturę interpretationem id referunt; Sed cum dicat Apoſtolus, quòd omnes ſigillatim poſſint prophetare, & cui prius fuerit reuelatum, is primo habet loqui; videtur omnino de ijs, quæ vere ad prophetiam attinent, intelligere.

R *Spiritus prophetarum prophetis ſubiectus eſt.* Nempe, quo ad hoc, vt poſſint & eloqui, & tacere, prout voluerint; præſertim ad euitandam diſſenſionem fratrum. Quòd ſi Apoſtoli ducti in Concilio Act. 4 Iudæorum dixerunt: *non enim poſſumus quæ vidimus, & audiuimus non loqui*; attamen non propterea dicendum, quòd id quaſi coacte, & contra eorum volũtatem aſſeruerint. Sed volentes Deo obedire, & Chriſti magnificæ gloriæ non deeſſe, hac ſibi facta ſuppoſitione, non poterant niſi vera loqui, quæ viderant & audierant.

S *Sicuti & in omnibus Eccleſiis ſanctorum doceo.* In græc. cod. vacat hoc verbum, *doceo*; vnde ſecundum hanc lectionem poſſent hæc verba, *ſicut in omnibus eccleſiis*, coniungi cum his alijs ſequentibus; *mulieres in Eccleſia taceant*; in Eccleſia ſcilicet Corinthiorum, vti & in omnibus eccleſijs. Mulieres autem non prohibentur orare, aut prophetare; ſed loqui circa dogmata; aut aliena a cultu Dei ſimul colloqui in Eccleſia.

T *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Vt qui pœnas ſit daturus, vt omittens volens, quæ ſcire & deberet, & poſſet. Auguſtinus autem in Epiſtola ad Auguſt. ad Euno. epiſt. 102. Eunodium Epiſcopum de Trini. & Columba, *ignorabitur* (inquit) id eſt, *improbabitur*. Græci autem legunt, *Si quis ignorat, ignoret*; vt ſit modus loquendi, ac ſi Paulus innuat, nolle ſe contendere cum aduerſantibus ſuæ doctrinæ. Theophylactus autem Theophyl. inquit, ita dictum eſſe ab Apoſtolo, vti ab eo, qui nihil ad ſe, ad aliorum autẽ vtilitatem referret omnia. Et ſupponunt Græci expoſitores, hæc ſpectare ad delictum non graue. Atque ſubiungit Apoſtolus. *Cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia domini ſunt mandata*; Ideo intendendum, quod, ſi Chriſti ſunt mandata, qui illis cõtradixerit, ipſum Chriſti mandatis contradicere. Et cum addit, *ſi quis ignorat, ignorabitur*, perinde ac ſi dicat, ipſe quidem officio functus ſum meo: dixi namque quod erat dicendũ, pereat autem qui velit, ita Theophylactus. Theophyl.

PARAPHRASIS. CAP. XV.

NOTVM autem vobis facio fratres, ad memoriamque reuoco Euangelium, quod prædicaui vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſaluamini; quo ſermone vobis prædicauerim, ſi tenetis; niſi fruſtra credidiſtis. Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi; quòd Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum ſcripturas iam antea id denunciantes. Et quòd ſepultus eſt, & quòd reſurrexit tertia die ſecundum eaſdẽ ſcripturas. Et quòd viſus eſt Cephę. Deinde collegio duodecim Apoſtolorũ. Deinceps viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul, ex quibus multi adhuc ſuperſunt, aliqui autẽ dormierunt. Deinde Iacobo; & iterum omnibus Apoſtolis apparuit. Nouiſſime autem omnium, tanquã abortiuo fœtui, viſus eſt & mihi; vt qui, dum perſequerer Chriſti Eccleſiam, hac eſſem gratia fuerim donatus. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, non dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Verum, Dei gratia, ſum id, quod ſum; & gratia eius in me vacua non fuit. Quin abundantius, præ omnibus alijs Apoſtolis, laboraui; nõ ego quidem, tanquam ex me; ſed gratia Dei vna mecum. Siue igitur a me, ſiue ab alijs emanet Euangelium (vt prædixi) ita prædicamus, & vos quoque ita credidiſtis. Si autem Chriſtus prædicatur, quòd reſurrexit a mortuis, quomodo quidam inter vos dicunt, quòd non eſt reſurrectio mortuorum? Proinde, ſi non eſt reſurrectio mortuorum, neque igitur Chriſtus, qui inter mortuos deputatur, reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, vana eſt ergo prædicatio noſtra, vana eſt & fides veſtra. Inuenimur autem & nos, & coarguimur falſi teſtes Dei; quoniam teſtimonium diximus aduerſus Deum, quòd Deus excitauit Chriſtum a mortuis, quem non excitauit. Quod ſanę conſequitur, ſi mortui non reſurgunt. Nam, ſi mortui non reſurgunt, ergo & Chriſtus, qui mortuus eſt, nõ reſurrexit. Quòd ſi Chriſtus non reſurrexit, vana igitur eſt fides veſtra: adhuc eſtis in peccatis veſtris. Igitur, & qui dormierũt in Chriſto, eius fidẽ ſectãtes, funditus perierunt. Si in hac vita tantum ſpem noſtram poſitã haberemus, vt poſt mortem nil vltra ſperandum nobis eſſet; certe omnibus hominibus eſſemus miſerabiliores; vt qui, neque hac vita cum iucunditate & cõcupiſcentiæ fruamur, addicti cruci Chriſti, & veſtigijs eius, qui pro nobis tanta perpeſſus eſt: neque beatæ alterius vitæ ſpe foueramur. Nunc autem pro conſtãti habemus, quòd Chriſtus reſurrexit a mortuis; & primitiæ effectus eſt dormientium, qui in ipſum ſperantes, a morte, tanquã a ſomno excitabuntur. Optime enim hæc inuicem cohærẽt; vt, quando, per hominem primũ noſtrum parentem, mors in humanum genus peruenit, ita quoque per hominem, ipſum Chriſtum exiſtat reſurrectio mortuorum. Quemadmodum enim in Adam, qui ob inobedientiam morti damnatus eſt vnà cũ omnibus ſuis poſteris; omnes homines moriuntur: ita etiam in Chriſto omnes mortui viuificabuntur; ita tamen, vt quiſque in ſuo ordine, ad vitam in corpore ſit reuocandus; & nõ ad pandẽ qui damnandi, & qui glorificandi erunt. Primitiæ quidem reſurgẽtium Chriſtus eſt. Deinde vero qui ſunt Chriſti (qui in ipſum crediderunt, & ſperauerunt) reſurgent in ipſius aduentu, cum venerit ad iudicandum mundum. Ac deinde erit finis, & conſummatio huius ſeculi; tunc ſcilicet, cum Chriſtus tradiderit regnum, vt homo, & filius, Deo, ac patri

Quod

Quod erit, cum perfunctus fuerit regno, atque poteſtate ſibi tradita ad hoc, vt omnem euacuet principatum, omnemq; poteſtatem, atq; potentiam, quę ſeorſum a Deo in hoc mundo apparet, adeo vt nulla poſtea exiſtat, & appareat. Ipſum enim euſque oportet regnare, & poteſtatem ſibi traditā exercere, donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus ſuis. Inter quos inimicos, poſtremus erit, mors, quę delebitur, ita vt nuſpiā amplius ſit futura. Omnia enim Deus ſubiecit ſub pedibus Chriſti. Cū autem dicat Dauid propheta, q; omnia ſubiecta ſunt ei: ſine dubio intellexit omnia, præter eū, nēpe Deū patrem, qui ſubiecit ſibi omnia. Cum autem Chriſtus regni officio, (vt dictū eſt) perfunctus erit, vt ei ſubiecta reddantur omnia, ita vt nil non obediens ſibi relinquatur; iam deniq; & filius ſubijcietur Deo patri, a quo poteſtatem obtinuit ſubijciendi ſibi omnia: vt ita Deus, qui vnus eſt in eſſentia, & trinus in perſonis, ſit omnia in omnibus. Alioquin (vt ad ſermonē de reſurrectione redeamus) quid faciunt, quid ve moliuntur, qui baptizantur pro mortuis, ſi omninò mortui non reſurgunt? quorſum hæc agere? ad quid ita baptizantur pro mortuis? Vt quid & nos periclitamur omni hora, tot periculis nos exponētes? quotidie ſane morior propter gloriationē veſtrā, quam habeo in Chriſto Ieſu Domino Noſtro. Si (ſecūdum humanū morem) pugnaui ad beſtias in Epheſo, cōtentionē grauiſſimā ſuſtinens a ferociſſimis aduerſarijs; quid mihi prodeſt, hæc tāta incōmoda, atque pericula ſubijſſe, ſi mortui nō reſurgunt? edamus, & bibamus, facinoroſorum hominū ſententiam ſequentes, quoniam die craſtina moriemur. Ne vos (quæſo) ſeduci permittatis. Corrūpūt (mihi credite) colloquia mala, bonos mores, & auertūt hominē rerum honeſtarū cupidū à recto tramite. Hoc veſtrū ſit ſtudiū, vt vigiletis iuſte, & non peccetis; habent ſiquidem nōnulli ignorantiam Dei. Hæc loquor ad veſtram verecundiā, vt ab illis abſtineatis. At dicet quiſpiam hoc loco, quomodo mortui ſuſcitantur? qualive corpore veniunt? Inſipiens tu, qui hæc ita inquiris, atque ponis in difficultate apud Deū, qui fieri poſſit, vt mortui ſuſcitētur? Non conſideras, & non conſpicis, q; illud, quod tu ſeminaueris, non viuificabitur, niſi prius mortuum fuerit? & q; illud, quod ſeminas, non vt futurū idem corpus ſeminas? ſed nudum granum; vt puta frumenti, vel aliarū rerum, cui Deus largitur corpus, vt ſibi placuit; vti etiā cuiq; aliorum ſeminū propriū dat corpus. Nō omnis caro, eadē eſt caro, ſed alia eſt hominū caro; alia pecudum; alia autem volucrū, & alia piſcium: danturq; corpora cęleſtia; dantur & terreſtria. Alia vero gloria, atque præſtantia, & claritas eſt cœleſtiū corporū, & alia terreſtrium. Quin, & inter cœleſtia, alia eſt gloria, atque præſtantia & claritas ſolis, alia lunę, & alia ſtellarū; nam & ſtella a ſtella differt in claritate. Ita quoq; ſe res habet in reſurrectione mortuorū. Quod moritur corpus, atq; ſpoliatur vita; id ipſum ſeminatur, & Dei potentia exurget. Sed nō idē tamē abſolute, qm̄ in aliud quodam modo immutabitur. Seminatur ſiquidē in corruptione, & ſurget corpus in incorruptibilitate. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria. Seminatur in infirmitate, ſurget in potentia. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale. Datur corpus animale, & quod more animalium habet vitæ munia; datur etiam corpus ſpirituale, vt quod a ſpiritu viuificatur. Ita etiam ſcriptū eſt in libro Geneſis. Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem, corpus habēs viribus animæ gubernatum, egens nutrimento vt aliunde ſuſtentaretur, & viueret. Secundus Adam ipſe Chriſtus, factus eſt in ſpiritum viuificantem. Verum non primo loco corpus ſpirituale; ſed prius animale fuit; deinde vero ſpirituale. Et primus quidem homo, e terra, terrenus creatus eſt. Secundus vero homo D. N. Ieſus Chriſtus, e cœlo, cœleſtis perfectus eſt. Qualis fuit primus homo terrenus; tales & terreni extiterunt: Qualis primus homo cœleſtis, tales & cœleſtes erūt. Et quemadmodum, hac mortali vita vtentes, portauimus imaginem hominis terreni; ita etiam portabimus imaginem cœleſtis. Id autem denuncio vobis fratres; quòd caro & ſanguis regnum Dei poſſidere nō poſſunt; nec corruptio incorruptibilitatem obtinet. Ecce myſterium vobis pando. Omnes quidem reſurgemus; ſed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba (canet enim tuba) & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur: oportet enim corruptibile hoc, induere incorruptionem, & mortale hoc, induere immortalitatem. Et cum mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt apud Oſeam. Abſorta eſt mors in victoria; vbi eſt mors ſtimulus tuus? vbi inferne victoria tua? ſtimulus autem mortis eſt peccatum; propter quod homines in mortē ſunt traditi. Potentia vero peccati eſt lex; cū ex propoſitis in lege mandatis, hinc aduerſus homines peccatum vim maiorem obtinuerit; dum in præceptis Dei non perſtiterunt. Verum gratiæ ſint Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrū Ieſum Chriſtum. Itaq; fratres mei dilecti, cōſtantes eſtote, & immobiles, abundantes in omni opera Dei ſemper: illud pro certo ſcientes, quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.

Editio vulgata.

NOTVM autem vobis facio, fratres, Euangelium quod prædicaui vobis, quod, & accepiſtis, in quo, & ſtatis, per quod, & ſaluamini, qua ratione prædicauerim vobis, ſi tenetis, niſi fruſtra credidiſtis. Tradidi enim vobis in primis quod, & accepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum ſcripturas, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die, ſecundum ſcripturas. Et quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc vndecim. Deinde viſus eſt plusquam quingētis fratribus ſimul, ex quibus multi manent vſque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus. Nouiſſime autem omnium tanquam abortiuo, viſus eſt, & mihi. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum eccleſiam Dei. Gratia autem Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecū. Siue enim ego, ſiue illi: ſic prædicamus, & ſic credidiſtis.

ſtis. Si autem Chriſtus prædicatur, quòd reſurrexit a mortuis: quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? Si autem reſurrectio mortuorum nõ eſt: neque Chriſtus reſurrexit. Si autẽ Chriſtus non reſurrexit: inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt, & fides veſtra. Inuenimur autem, & falſi teſtes Dei: quoniam teſtimonium diximus aduerſus Deũ, quòd ſuſcitauerit Chriſtum, quem nõ ſuſcitauit, ſi mortui non reſurgunt. Nam ſi mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit. Quod ſi Chriſtus non reſurrexit: vana eſt fides veſtra, adhuc enim eſtis in peccatis veſtris. Ergo, &, qui dormierunt in Chriſto, perierunt. Si in hac vita tantum, in Chriſto ſperantes ſumus: miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Nunc autem Chriſtus reſurrexit a mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors: & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur: ita, & in Chriſto omnes viuificabuntur. Vnuſquiſq; autẽ in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus: deinde ij, qui ſunt Chriſti, qui in aduentum eius crediderunt. Deinde finis: cum tradiderit regnum Deo, & patri, cum euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius. Nouiſſima autem inimica deſtruetur mors. Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius. Cum autem dicat. Omnia ſubiecta ſunt ei: ſine dubio, præter eum, qui ſubiecit ei omnia. Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia: tunc, & ipſe filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus. Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? vt quid, & baptizantur pro illis? vt quid, & nos periclitamur omni hora? Quotidie morior per veſtram gloriam, fratres, quam habeo in Chriſto Ieſu domino noſtro. Si (ſecundum hominem) ad beſtias pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. Nolite ſeduci, Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Euigilate iuſte. & nolite peccare, ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reuerentiam vobis loquor. Sed dicet aliquis. Quomodo reſurgunt mortui? quali autem corpore venient? Inſipiens, tu quod ſeminas non viuificatur, niſi prius moriatur. Et quod ſeminas, non corpus quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum, vt puta, tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autem dat illi corpus; ſicut vult: & vnicuique ſeminum proprium corpus. Non omnis caro, eadem caro: ſed alia hominum, alia pecorum, alia volucrũ, alia piſcium. Et corpora cæleſtia, & corpora terreſtria: ſed alia quidem cæleſtium gloria, alia autem terreſtrium. Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim a ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate: ſurget in gloria. Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale. Si eſt corpus animale, eſt & ſpirituale, ſicut ſcriptum eſt. Factus eſt primus homo Adam in animã viuentem: nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem. Sed non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale: deinde quod ſpirituale. Primus homo de terra, terrenus: ſecundus homo de cælo, cæleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Igitur ſicut portauimus imaginem terreni: portemus & imaginem cæleſtis. Hoc autem dico fratres, quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt: neque corruptio incorruptelam poſſidebit. Ecce myſterium vobis dico. Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba (canet enim tuba) & mortui reſurgent incorrupti: & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem; & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem; tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt. Abſorpta eſt mors in victoria. Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum eſt: virtus vero peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Itaque fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles: abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.

ADNOTATIONES.

Q*VONIAM Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris.* Ex hoc loco argute admodũ deuicit Chryſoſtomus errorẽ Manicheorum, qui aſſerebant, Chriſtum non habuiſſe verum corpus; & locum hunc Apoſtoli dicentis, q; Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, & reſurrexit, ita interpretabantur: quòd mori idem eſſet, quod verſari in peccatis; & reſurgere idem eſſet, quod a peccatis liberari: quorum interpretatione ſuppoſita, infert Chryſoſtomus: ſi Chriſtus, per vos, non eſt mortuus morte corporali: ergo, per dictũ Apoſtoli, iuxta veſtram interpretationem, Chriſtus mortuus eſt; vt qui in peccatis erat; quoniã pro peccatis mortuus eſt; & mori, per vos, eſt eſſe in peccatis, at ipſe dixit apud Ioannem: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* & alibi; *Venit enim princeps mundi huius; & in me non habet quicquam.* Vnde ſequitur, quòd nõ ſit mortuus ad hunc ſenſum, quoniam eſſet in peccatis; alioquin, a peccatis liberare nos non potuiſſet. Quare, ſi mortuus eſt, vt aperte hoc loco dicit Apoſtolus, certe morte corporali mortuus eſt; & conſequenter Chriſtus verum corpus habuit: vnde Manicheorum ſententia falſa, & hæretica conuincitur.

A — Chryſoſto. hom. 38. — Ioan. 8. — Ioan. 14.

B *Et ſepultus eſt.* Non videtur (vt notat Thomas) articulus de Chriſti ſepultura ptinere ad dogmata fidei, cum nõ ſit de re ſupra captum humanũ; veluti eſt, quòd conceptus, & natus ſit ex Virgine exiſtens Deus. Verum dicere poſſemus, quòd Chriſti ſepultura cõcernat articulum fidei, quatenus credere oportet, quòd Chriſtus diuinitatem coniunctam habebat; vnde, credere quòd Chriſtus fuerit ſepultus, includit credulitatem, quòd Deus fuerit ſepultus: ſicuti etiam hac ratione credimus, quòd mortuus eſt Deus.

Tho. Aqui.

C *Poſt hoc vndecim.* In quibuſdã Codicibus legitur, *duodecim*; neq; lectio reſpuẽda tãquã falſa, & ſi vndecim tantũ fuiſſent Apoſtoli, cũ Iudas laqueo antea ſe ſuſpendiſſet. Nam apud Ioan. ita quoq; habetur. *Thomas autẽ vnus ex duodecim*: cũ iam Iudas laqueo ſuſpẽſus eſſet; vt ſcriptura hãc habeat dicẽdi conſuetudinem, alludens notiſſimo illo duodenario numero Apoſtolorum. Nam (vt inquit Auguſtinus, qui hanc eandem lectionem agnouit, & interpretatur)

Ioan. 20. — Auguſ. q. in Gen. lib. 2. q. 117.

pretatur)

Idem lib. 3. de conſil. Euang. c. 25

pretatur) duodecim, pro vndecim, dictũ eſt per ſynecdochẽ; vbi, ſi potior adeſt pars, eius nomine ſolet etiã cõprehendi, quod nõ pertinet ad ipſũ nomẽ.

D *Tanquam abortiuo.* Abortiuum ſe nominat Apoſtolus; tum, quoniam poſt diſceſſum Chriſti ab hac vita, electus eſt ad Apoſtolatum; tum vel maxime, quoniam non fuerit fœtus proueniens ſecundum maturitatem. Non enim erat tempus aptum, vt, qui perſequebatur Dei Eccleſiam, in hoc ſtatu, exiſtens aduerſarius & perſecutor Chriſti, in gratiam Dei reciperetur, & ad veram vitam generaretur; quod Paulo contigit; & ita vt fœtui abortiuo.

E *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum, & gratia eius in me vacua non fuit.* Ex his perſpicue ſignificatur, in operibus, quæ faciat homo iuſtus vna cũ gratia Dei, requiri etiam liberum hominis arbitriũ, qui concurrat in operatione e gratia Dei proueniente. Vnde ſubiungit Apoſtolus. *Sed abundantius illis omnibus laboraui, non autem ego, ſed gratia Dei mecum:* vt vndequaq; propoſita ſententia confirmetur de libero arbitrio hominis concurrente ad bona opera vna cum gratia Dei.

F *Si autem reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit.* Optime currit hæc conſequentia. Nam etiam Chriſtus, qui inter mortuos deputatur, non reſurrexit, ſi mortuorum non eſt reſurrectio. Vnde, per oppoſitam ſuppoſitionem, ſequitur, quòd ſi Chriſtus reſurrexit, datur igitur reſurrectio mortuorum. Negare autem Chriſtum reſurrexiſſe a mortuis; præter quàm quod id ex varijs ſanctæ ſcripturæ locis conuincatur falſum; multa etiam incommoda; & abſurda nullo pacto admittenda ſecum affert; quæ Apoſtolus perſequitur in hoc cap. Vnde vt illa euitemus, ſtatuendũ pro certo eſt, quòd Chriſtus reſurrexit, & ita probatũ erit, quòd detur reſurrectio mortuorum.

G *Miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Certe vita chriſtianorum eſſet omnium miſerrima, niſi ſpe ſuſtentarentur alterius longe potioris vitæ conſequẽdæ. Nec vero ſat eſt dicere, quòd propter animam ſit ſequendum genus vitæ imitans Chriſti veſtigia, eo quòd licet corpora non haberent bona niſi in hac vita mortali, attamen ſecundum animã multa bona haberi poſſent. Etenim huic obiectioni,

Tho. Aqui.

quam mouet S. Thomas, idem ita reſpondet, quòd ſi negetur reſurrectio corporis, non de facili, immo difficile eſt ſuſtinere immortalitatem animæ, quod ex duabus rationibus deducit. Altera eſt: quoniam, cum anima vniatur naturaliter corpori, & cõtra naturam, & per accidens ab ipſo ſeparetur, ſi ſeparata, degerit immortalis, ſequitur, ꝙ id, quod eſt contra naturam, & per accidens (nempe animam eſſe ſine corpore) eſſet infinitum, & id, quod eſt naturale, & per ſe (vti eſt vnio animæ cum corpore) ſit finitum, & tanquam nihil in cõparatione infiniti. Altera eſt: quoniam, cum conſtet, ꝙ homo naturaliter deſideret ſalutem ſui ipſius, anima autẽ eſt pars hominis, & non totus homo; ideo & ſi anima cuiuſuis hominis conſequeretur ſalutem in alia vita, attamen non homo eam conſequeretur. Sed tantummodo pars hominis. Addit ad hæc, quòd, cum homo naturaliter deſideret ſalutem etiam corporis, fruſtaretur hoc ſuo naturali deſiderio, ſi corpus non reſurgeret. Et hæc quidem conſona videtur verbis Apoſtoli; dum inquit. *Si in hac vita tantum ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Per hæc enim. *Si in hac vita tantum;* ſignificatur quòd niſi detur reſurrectio cum corporibus mortuorum; nõ ſit alia vita ab hac præſenti. Quòd ſi aliqui extiterunt, qui, iuxta humanam ſapientiam, cõtempſerunt diuitias, & alia huiuſmodi (quæ ex cõſilio Euangelico contemnenda, ſeu relinquenda proponuntur) idq; propter intellectus perfectionem, cui eſſent intenti; attamen ſaltem in propria ipſorum gloria ſibi complacuerunt: neque pati ignominias, & opprobria, & tormenta, & ipſam mortem, ob Dei gloriam, elegerunt: quemadmodum fecerunt, & faciunt plurimi fidei chriſtianæ ſectatores; in teſtimonium, & gloriam Ieſu Chriſti, vti eius martyres, & fidei confeſſores. Vnde omnino deducitur, quòd omniũ hominum miſerrimi exiſterent Chriſtiani, niſi firma ſpe conſequendæ immortalitatis eſſent ſuffulti.

H *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.* Hęc inuicẽ, iuxta proportionẽ, ſibi reſpõdet. Vt, ſicuti per hominem ipſum Adam, propter eius inobedientiam, ſecuta eſt mors; ita quoque per hominis obedientiam, & innocentiam ipſius Chriſti, qui pro nobis ſe obtulit, ſubſequatur reſurrectio a mortuis.

I *Sicut in Adam omnes moriuntur.* Hinc patet, quòd omnes guſtabunt mortem iuxta illud quoque ad Hebr. *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Et hũc Hebr. 9.
locum explicans Auguſt. in lib. ad Marcell. vult hic Auguſt. in
eſſe ſermonem de morte corporis; prout etiam eſt lib. ad Mar-
quæſtio de reſurrectione corporum, quod, & in cell.
epiſt. ad Rom. dictum fuiſſe ſupponit; quamuis ibi de morte vna cum peccato facta ſit mentio, quod non ſit in hoc loco, & locus in epiſt. ad Rom. eſt: vbi Rom. 5.
dicitur. *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt.*

K *Et in Chriſto omnes viuificabuntur.* Sicuti de morte corporis intelligendum eſt, quòd omnes in Adam moriuntur; ita quoque, quòd viuificabuntur omnes in Chriſto, quo ad viuificationem corporis; & non quo ad viuificationẽ gloriæ. Ita enim Theophylactus, & Oecumenius, & Theodor. interpre- Theoph.
tantur; adeo quòd etiam damnati in Chriſto viuifi- Oecum.
cabuntur; quatenus per Chriſti ſpiritum viuificantẽ Theodor.
anima cuiuſq; proprio corpori vnietur, nõ amplius in ęternum ab ipſo ſeparanda. Quibus conſentiunt etiam, quæ dixit Dominus in Euang. *Venit hora, in* Ioan. 5.
qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocẽ filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.

L *Vnuſquiſque autem in ſuo ordine.* Vt puta damnati in ſuo ordine, beati in ſuo, vt exponit Theodo- Theodor.
retus cũ alijs Græcis. Aut, quia martyr inter martyres, virgo autẽ in choro virginum reſurget. Aut poteſt etiam eſſe ſenſus, ꝙ Chriſtus primo reſurrexit. Poſtea, qui reſidui erunt viui tunc temporis, immutabuntur; atque vna cum mortuis, qui reſurgent incorrupti, beatificabuntur. Deinde damnati in condemnationem vna cum dęmonibus tradentur,

vt hic ordo ſit ſeruandus in reſurrectione.

M *Primitiæ Chriſtus.* Ipſe primus inter dormientes reſurrexit. *Deinde ij, qui ſunt Chriſti, qui in aduentum eius crediderunt.* Græci aliter legunt: *qui ſunt Chriſti in aduentu eius;* vnde ita interpretantur: quòd qui ſunt Chriſti, conſequenter ad Chriſti reſurrectionem, quæ præceſſit, reſurgent; quod fiet in aduentu Chriſti. Vnde, ſecundum hanc interpretationem colligitur, non proprie ſecundum vniuerſalem futuram reſurrectionem, reſurrexiſſe eos, de quibus
Matt. 27. dicitur in Euangelio, quòd *multa corpora ſanctorum qui dormierant, reſurrexerunt;* ita vt cum corporibus cœlos aſcenderint, cũ omnes qui ſunt Chriſti (iuxta lectionem Græcorum) in eius aduentu, & nõ prius ſint reſurrecturi: de qua re luculẽtius diſcutietur infra in expoſitione c. 11. epiſt. ad Hebræos. Excipitur autẽ ab hoc ordine generali, Beatiſſima Virgo Ma-
Io. Damaſ. ria, de qua Ioan. Damaſ. hæc habet. *Cui placuit ex Maria Virgine carnem ſumere, & hominem fieri, & naſci, cũ eſſet Deus Verbum, & dominus gloriæ; quiq́; poſt partum, eius incorruptam ſeruauit virginitatem; eidem etiam placuit, & ipſius, poſtquam migrauit, immaculatum corpus, incorruptum ſeruatum tranſlatione honorare, ante communem, & vniuerſalem reſurrectionem.*

N *Deinde finis.* Vel reſurgendi, etiam quo ad damnatos, de quibus nullum verbum facit Apoſtolus, forte, ne terrore percuteret Corinthios, quos ad ſpem gloriæ incitaret. Vel, finis erit, quo ad conſummationem huius ſeculi, vt alius rerum omnium futurus ſit ſtatus. Quippe finis erit rerum, quæ ſunt finem habituræ; & de cætero erit ſummum ſempiternum in omnibus ſine fine.

O *Cum tradiderit regnum Deo, & Patri, cum euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & vir-*
Theodor. *tutem.* Theodoretus hunc locum explicans, inquit. *Non ipſe regno nudatus, ſed tyrannum diabolum, & omnes eius adiutores ſubiugans, vt omnes ſe ſubmittant, & vniuerſorum Deum agnoſcant efficiens.* Oecu-
Oecum. menius ſic. *Tradit, vel veluti ſocium facit ſui operis patrem, & oblectat præclaro ſuo facinore: quod peregit filius ſua incarnatione, cum omnia ſint communia trinitatis opera.* Vel *tradit*, inquit, *quoniam non amplius defungetur, vt antea, pugnando, & vincendo; cum, ſuis laboribus, a ſeditione, & tyrãnide ſit libe-*
Cyrill. *raturus regnum.* S. Cyrillus in lib. 4. contra Iul. ita interpretatur. *Cum tradiderit regnũ, id eſt, liberum tanquam a tyrãno diſceptum eripuerit, & adduxerit pro-*
Theoph. *prio genitori.* Theophylactus inquit, duo eſſe apud ſacras litteras regnorum genera. Alterum ex cõiunctione quadam, & ſanguinis neceſſitudine. Alterum ex ipſa rerum creatione. Vnde inquit: *imperat Deus Gẽtilibus & Iudæis, & horum dæmonibus, vel inuitis, iure creationis; quia eos condiderit: imperat ſanctis vltro ſe illis ſubijcientibus coniunctionis cauſa. Hoc re-*
Matt. 28. *gnum Chriſtus habuit, dum dixit: data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Hoc regnũ tradit patri; hoc eſt, complet & perfectius reddit: vt, ſi filius bellum ab Imperatore patre ſuo ſibi demandatum, cum iam compleuerit, tunc dici poteſt, tradidiſſe bellum patri; id eſt, demandatum ſibi a patre negocium abſoluiſſe. Nõ amplius inter nos diſſidebimus; nec Deo partim, partim dæmonibus paruerimus, ſicut a tyrãno acceptum imperium ſedatum, & liberum reddit.* Auguſt. in 1. lib. de Trinit. ponderans, ꝙ neque ſit dicendum, ꝙ Chri- Aug. lib. 1. de Trinit. c. 7.
ſtus, exiſtens & ipſe Deus, ſit traditurus regnũ Deo, & Patri, quaſi ipſe ſeparetur a regno: neque dicendum, ꝙ tradet regnum Deo, & Patri, quaſi modo nõ habeat regnum Deus, & pater; ita interpretatur: quòd omnes iuſtos, quibus nunc regnat ex fide viuentibus, mediator Dei, & hominum Chriſtus, eſt producturus ad ſpeciem, quam Apoſtolus appellat viſionem a facie ad faciem: id eſt, cum perduxerit credentes ad contemplationem Dei patris.

Videtur igitur (vt ſimul colligantur præcedentia) huius loci hæc eſſe interpretatio: vt ad ea verba; *deinde finis*, ſubiungatur ab Apoſtolo, quando erit finis, & conſummatio huius ſeculi: nempe, *cũ tradiderit Chriſtus regnum Deo, & Patri;* ita enim erit finis diſpenſationis traditæ Chriſto tanquam homini; cui data eſt poteſtas in cœlo, & in terra; denique conſtitutus eſt iudex viuorum, & mortuorum. Hanc accepit Chriſtus diſpẽſationem a Patre; qua ceſſante, & expleta, tũc tradet regnum *Deo, & Patri.* Deo quidem, quo ad humanitatem; Patri autem, vel etiã quo ad humanitatẽ, cũ Deus etiam Pater ſit Chriſti ſecundum humanitatem, vt explicauit Theophyl. in Theoph.
ſuis commen. cap. 11. huius epiſtolæ. Vel quoniam, vt Verbum, filius a Patre procedens ſecundum originem, reddet regnũ Deo, & Patri; vt pater cognoſcatur omnium conditor, filij quidem ſibi conſubſtantialis ab æterno genitor; rerum autem aliarum omnium in tempore creator. Et, cũ ſubiungit Apoſtolus; *cum euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem;* explicatius aperitur, quid nã a Chriſto ſit proventurum per diſpenſationem ſibi traditam, antequam prædictus finis adueniat, & Patri & Deo regnum tradat; id nempe expleturus eſt Chriſtus; vt euacuet, diſſoluat, & annullet omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem. Quod poteſt vel in genere intelligi de omnibus creaturis, in quibus nunc viget aliquis principatus, aut poteſtas, aut virtus; ita vt etiam Angeli comprehendantur, quibus hi dignitatum tituli ſunt attributi ob operationes, quas, vt miniſtri Dei, exercent in hoc ſeculo. Vel eſt ſermo de humanis principatibus, & regnis; quæ omnia ceſſabunt; ſicuti & dæmonum virtutes, & poteſtates (qui nunc multa Dei permiſſione peragunt in hominum perditionem) tandẽ deficient; vt, & ab ipſis omnis huiuſmodi virtus, atque poteſtas, auferatur, cum Chriſtus reddiderit regnum Deo, & Patri. Reddere autẽ Chriſtum Deo, & Patri regnũ, eſt, ipſum ceſſare ab illa diſpenſatione ſibi tradita; qua omnia ſubijciantur Deo. Regnat quippe nunc Chriſtus, qui venit in mundum; ipſe cognoſcitur, & apparet adminiſtrator redemptionis humanæ; ipſe iudicaturus eſt mundũ; id ipſum quidem regnare eſt. Ceſſante autẽ (quę tãdẽ cõplebitur) hac adminiſtratione, tũc dicetur reddere regnũ Deo, & Patri, quoniam nõ vltra hæc exequetur. Dum autẽ exequitur hæc ipſa, ex cõſenſu Dei Patris eadem perficit; mox ijs omnibus expletis, regnum vniuerſi quieſcet in Deo; qui cognoſcetur ab omnibus Deus, cui omnia ſubiecta erunt; nulla virtute, aut poteſtate vltra exiſten-

exiſtente, quæ quidpiam valeat operari; cum omnium creaturarum, etiam rebellium voluntates, ſub eius dominio ita arctatæ erunt, vt nil poſſint amplius ad ipſorum voluntatem efficere, prout antea in hoc ſeculo fecerunt.

P *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius.* Oecum. Oecumenius animaduertit, non eſſe dictum, quòd oporteat ipſum regnare, donec ponat inimicos ſub pedibus, tanquam, poſt ſubiectos inimicos, non ſit poſtea regnaturus; adeo quòd hæc particula, *donec*, non deſignat temporis terminum: ſed idem ſemper eſſe, vt non deficiat regnare, donec verſatur in hoc opere ſubijciendi ſibi inimicos, & ipſum perficiat; ita tamen, vt & prius quàm ſubijceret, & poſtquam ſubiecerit, regnet ſemper. Particulam enim, *donec*, & hanc aliam, *vſque*, in eo ſenſu accipiendam, inquit Oecumenius veluti & illud: Matth. *Vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi*; item. Eſa. 109. *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos.* Matt. 1. Item illud, *accepit coniugem ſuam, & non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum.* Baſil. Baſilius (vt refert Theophylactus) ita interpretatus eſt, Chriſtum regnare oportere, donec operetur, vt nos ſub ſua ditione conſtituat, ea lege, vt cum illi ſubijciemur, paruerimusq;, deſinat huiuſmodi in nos imperium exercere; hoc eſt; ſtudium eius omne nobis imperitandi, & actio conquieſcet. *Quemadmodum enim* (inquit) *faber murarius tandiu conſtruit domum, quandiu ad eius faſtigium prouectus ab opere faciendo deſiſtat; ſic filius ipſe imperitat; hoc eſt, ſuum in nobis exercet hic dominatum, quouſque ſibi ſubijciamur.* Dicendum igitur videtur, quòd Chriſtus regnet, dũ hanc perficiat adminiſtrationem, vt ſubijciat ſub pedibus eius omnes inimicos. Hanc enim poteſtatem accepit a Patre in ſua ditione poſitam. Ceſſabit tandem hæc adminiſtratio, & conſequenter huiuſmodi modus regnandi Chriſti; qui tamen ſemper eſt regnaturus in gloria Dei Patris, cum eius regni non ſit futurus finis. Pariter & illud, *vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi*, hanc videtur habere intelligentiam, vt Chriſtus foueat Eccleſiam egentem ſuo auxilio ob aduerſas inſurgentes tempeſtates, atque procellas, a quibus, cum Eccleſia in portum deducta fuerit, tuta iam, non amplius huiuſmodi egebit Chriſti cuſtodia, illisque ſubſidijs, quibus nũc opus habet; tunc enim erit Chriſto vnita, vt non poſſit amplius ab eius conſortio ſeiungi; neque vltra alicuius generis pati perturbationem.

Q *Tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit illi omnia.* Prius dictum eſt, quòd oportet Chriſtum regnare, donec ſubijciat ſub pedibus inimicos ſuos; Philipp. 3. quod & in epiſt. ad Philipp. habetur, dum dicitur, *quòd Chriſtus reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ ſecundum operationem virtutis ſuæ; qua poſſit etiam ſubijcere ſibi omnia.* Modo dicitur; quòd & filius ſubiectus erit. Theodor. Ex quo loco Theodoretus animaduertit, Arianos occaſionẽ ſumpſiſſe detrahẽdi diuinitati filij. Vnde diſtinguens ipſe duas in Chriſto naturas, dicit. Cum dicitur, quòd filius ſubiectus erit, intelligendum de humanitate, in qua minor eſt Patre. Auguſt. in lib. quæſt. 83. ait, hoc, *ſubiectus erit filius*, accipiendum pro eo, quòd cognoſcetur eſſe ſubiectus. Aug. lib. q. 83. q. 69. Quemadmodum & illud; *ſanctificetur nomen tuum*, accipitur pro eo, quod eſt, cognoſcatur ſanctificari. Et ſubiectum (inquit) filium futurum intelligi ſecundum humanitatem, iuxta quàm hoc loco conſideratur; cum dicitur quòd ſurrexit: nam circumſtantiæ ſcripturæ (inquit Auguſtinus) ſolent illuminare ſententiam. Tho. Aqui. Thomas interpretatur, quòd filius erit ſubiectus; quoniam manifeſtabit Patrem regnaturũ. Ideo dicendum videtur, quòd filius ſubijcietur Deo; cui etiam ſemper ſubiectus fuit ſecundum humanitatem, qua minor eſt Patre; & etiam, quoniam nõ amplius operabitur filius quidpiam ab extra: ſed Dei ſola potentia extabit apparens, vt nulla alia poteſtas ſeorſum a Deo operetur: ſed cognoſcetur Deus in omnibus operari, vti & omnium eſt cauſa. De Verbo autẽ idipſum intelligere, quòd ſubijcietur Deo, cum ſit & ipſe Deus, non videtur admodum conueniens. Theoph. Humili autem (inquit Theophylactus) vſus eſt dictione Paulus, quòd filius erit ſubiectus Patri, ne crederetur (ob dicta antea ad magnificam commendationem filij) quòd filius eſſet potentior Patre. Nyſſ. Greg. Nyſſes autem Gregorius (vt etiam refert Theophylactus) cenſuit hanc ſubiectionẽ filij pro noſtra accipi; vt, cum infideles credunt, & fideles recte viuunt; ſic ſubiectus dicatur filius, qui humanam indutus perſonam, noſtra omnia pro ſuis duxerit.

R *Vt ſit Deus omnia in omnibus.* Thodor. Theodoretus inquit. *Nunc Deus in omnibus per eſſentiam, vt in ipſo viuamus, moueamur, & ſimus, ſed per gratam comprobationem, & complacentiam, non eſt modo in omnibus; ſicuti erit in futura vita; vbi ceſſabunt animi perturbationes, & peccata: vnde tunc Deus erit in omnibus.* Quam interpretationem refert quoque Oecum. Oecumenius: qui & quorumdam hanc aliam recitat explicationem; futurum, vt ad Patrem omnia reducantur, tanquam ad principium, ne duos principatus inter ſe diſſidentes ſuſpicemur; vt, cùm inimici ſub pedibus filij ſubſtrati iacent; & filius non diſſidet aduerſus patrem; ſed, ſicut decens eſt filio Deo, ſubiectus eſt proprio patri, vtiq; pater eſt omnia in omnibus. Aug. lib. q. 83. q. 69. Auguſt. autem in lib. 83. quæſt. *vt ſit Deus omnia in omnibus*, ita interpretatur, quòd nemo eorum, qui ei cohærent, ament aduerſus eum ſuam propriam voluntatem; manifeſtumq; ſit omnibus, quod nihil habet homo, quod non acceperit a Deo. Tho. Aqui. Thomas inquit, erit *Deus omnia in omnibus*, vt homo requieſcat in Deo, & Deus ſit ſola beatitudo. Aut, quoniam tunc manifeſtabitur (vti etiam interpretatus eſt Auguſt. quòd quicquid boni habemus, id a Deo eſt. Dicendum igitur videtur, quòd euacuata omni poteſtate, atque virtute, cum omnia fuerint ſubiecta filio, & filius etiam ſubiecerit ſe Deo; hinc ſequetur, quòd Deus erit omnia in omnibus; quippe notus erit Deus, quòd omnium eſt dominator. Aut *erit omnia in omnibus Deus*; quoniam nihil vltra erit ipſi non ſubiectum. Prius ſiquidem homines aduerſus illud quod eſſet Deo beneplacitum, multa (Deo tamen permittente) operabantur: item dæmones multo plura mala. At, poſt Chriſti expletam adminiſtrationem, nihil am-

plius vel hi, vel illi agent; ſed eſſe rerum omnium erit iuxta Dei dominium, & eatenus quodque erit, quatenus Deus quoque vigebit cũ rerum omnium aliarum ſubiectione. Antea quoque in omnibus rebus erat; ſicuti & nunc eſt Deus per potentiã, præſentiam, & eſſentiam. Sed, cum permiſerit, vt homo, & alia creatura rationalis ageret quæ etiã Deo ſimpliciter diſplicerent, licet ea permitteret fieri; id omne tandem ceſſabit; vt quodãmodo aliter Deus ſit futurus in omnibus; non quòd in ipſo vlla ſit futura mutatio; ſed quòd nouo modo in rebus inerit; quoniam res aliter tunc ſe ſe habebunt. Cum autem filius ſit in Patre, & Pater in omnibus omnia ſit futurus, ſequitur quòd & filius erit omnia in omnibus. Dicitur autem Deus *omnia in omnibus*, quoniam, quicquid in quaque re eſt, ob Deum eſt, ſicuti omnia ſunt a Deo.

S *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis?* Theoph. Refert Theophylactus, Marcioniſtas conſueuiſſe, cum quiſpiam apud eos e vita deceſſiſſet ſine baptiſmo, feretro hominem viuum ſubmittere, & ſciſcitari ab illo, num vellet baptizari; & reſpondente, ſe velle, eum demortui loco baptizabant. Vnde inquit, ex hoc loco deducunt, Paulum hanc prauam conſuetudinem inuexiſſe. Verum ipſe alium Chryſoſto. hom. 40. Græ. Scho. ſenſum horum verborum affert ex Chryſoſtomo, quem etiam Græca Scholia ſequuntur; nempe, qui baptizabantur, pronunciabant integra fide ſymbolum; & poſt illud, *credo mortuorum*, ſeu *carnis reſurrectionem*, mox baptizabantur. Quorſum igitur hæc agunt (inquit Apoſtolus) ſi mortui non reſurgunt? illud autem. Theophyl. *Quid faciunt*: Theophylactus ita interpretatur. Quidnam ſint acturi, credentes mortuorum reſurrectionem, cum eis Chriſtus ſit occurſurus? Phot. Photius autem ſic. *Quid facient, qui pro mortuis quidem tanquam reſurgentibus, & crediderunt, & baptizati ſunt? fruſtrati autem ſpe, aliud quidpiam inuenerunt præter ea, quæ expectant? quantum dolebunt, ac deplorabunt, fidemque in Chriſtum, tanquam mendacem, conuitijs laceſſent?* Vultque Photius, ſub alijs perſonis, Apoſtolum hæc proponere Corinthijs, & non ſub illis ipſis. Nempe dicendo; cur pro mortuis non reſurgentibus baptizantur? & non dicendo, quid pro vobis numquam reſurrecturis baptizamini? ne eos nimis acriter obiurgans ad deſperationem prouocaret. Adnotãdum autem Rom 6. in epiſt. ad Rom. hæc haberi. *Conſepulti enim ſumus cum ipſo per baptiſmum in mortem*, item. *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus*. Ex quibus apparet, ſupponi, nos gerere mortis Chriſti ſimilitudinem, dum per baptiſmum immergimur in aqua; & reſurrectionis ſimiliter, dum extollimur ab aqua. Vnde Theodor. Theodoretus hoc reſpiciens, inquit; qui baptizatur, Domino conſepelitur; vt, cum mortis particeps fuerit, ſit etiam reſurrectionis.

Vnde commodam hanc viderentur recipere interpretationem hæc verba Apoſtoli. *Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis?* id eſt, quid moliuntur? quorſum hoc agunt, vt profiteantur in baptiſmo ſe commori, & conſepeliri Chriſto? ac pariter cũ Chriſto reſurgere? nonne hæc fruſtra? ſi mortui non reſurgunt? Et cum iterum hæc verba repetat, vt *quid baptizantur pro mortuis?* quandam animi indignationem præſeferre videtur Apoſtolus aduerſus eos, qui falſam hanc opinionem fouebant; quòd mortui non reſurgerent. Vulgata autem editio legit, *pro illis*; cum Græci habeant, *pro mortuis*; ſecundum quam lectionem planior videretur ſenſus, vt non pro alijs, ſed pro metipſis baptiſmũ ſuſcipere cenſeantur, quamquam ſecundum vulgatam editionẽ, idem quoque ſenſus retineatur. Quidam autem id ipſum, *baptizari* (de quo hic eſt ſermo) interpretantur, pro cruciari tormentis, & malis affligi; iuxta dictum Domini in Euangelio: *poteſtis bibere calicem, quẽ ego bibo, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Mar. 10. Cui interpretationi cõſentanea eſſe vidẽtur, quæ ſubiungit Apoſtolus inquiens; *vt quid & nos periclitamur omni hora?* Sed iuxta hanc explicationem ſenſus eſſet, quòd aliqui baptizarentur, id eſt affligerentur pro alijs mortuis.

T *Quotidie morior propter veſtram gloriam.* Græci habent gloriationem noſtram, & Theodoretus Theodor. inquit; *gloriationem ſuam, eorum fidem vocauit*. Verum, & retinendo græcam lectionem, nil prohiberet intelligere propriã Pauli gloriationem, quam ſe conſecuturum ſperaret ex ſuſceptis laboribus, & afflictionibus pro Chriſti Euangelio. Cui interpretationi conſentiunt quæ ſubiungit Apoſtolus; quòd Epheſi admodũ grauia tolerauit; vt hinc tacite admoneret, omnino pro certo ſperandam eſſe reſurrectionem; quãdo alioquin fruſtra, tot & tam grauia, mala paterentur Chriſti fideles. Non ignorandum autem, alium etiam ſenſum haberi horum verborũ: *per veſtram gloriam*, vt ſcilicet dicamus, Apoſtolum obteſtari, atque iurare per gloriam Corinthiorum, quòd in continua morte propter ipſos verſaretur. Quam interpretationem affert Photius, & ſe- Phot. cutus eſt Auguſt. in ſermone de epiſt. B. Iacobi: vbi Auguſt. in ſer. de epiſt. B. Iac. loco huius particulę νὴ, quam habent impreſſi cod. ipſe legat, μὰ, quæ particula ad iuramentum deſeruit: veluti, μὰ τὸν θεὸν, id eſt, per Deum.

V *Si ſecundum hominẽ ad beſtias pugnaui.* Chryſoſto. hom. 40. Chryſoſtomus id refert ad feritatem, quanta poſſit eſſe in homine; vt ita cum beſtijs pugnarit, quando certamen ſuſtinuit Epheſi aduerſus Iudæos, & Demetrium fabrum argẽtarium. Alij interpretãtur illud; *ſecundum hominem*, referentes ad poſſibilitatem humanam, pro pugna ſuſtinẽda aduerſus beſtias. Forte illud, *ſecundum hominem ad beſtias pugnaui*: poſ- Act. 19. ſet interpretari; ac ſi ita dixiſſet: vt ſecundum hominem loquar, id eſt, ſequens modum loquendi hominum. Quemadmodum etiã in epiſt. ad Rom. dictum eſt in hoc ſenſu: *numquid iniquus eſt Deus,* Rom. 3. *qui infert iram? ſecundum hominem dico*. Et ex his, quę affert Apoſtolus ſe paſſum eſſe; colligitur ipſum loqui de ſua gloriatione, quã non ſperaſſet, niſi certus fuiſſet de reſurrectione mortuorum. Verba autem illa. *Si mortui non reſurgunt*; poſſunt iungi, & ad præcedentia ſic. quid mihi prodeſt hæc ſuſtinuiſſe, ſi mortui non reſurgunt? & etiam ad ſequentia hunc in modum. *Si mortui non reſurgunt, manducemus, & bibamus, cras enim moriemur*; quæ verba ex Eſaia ſunt deſumpta. Eſa. 22.

X *Quo-*

X *Quomodo reſurgunt mortui? quali autem corpore venient?* Græci habent, *veniunt*, in præſenti tempore; vti & illud, *quomodo reſurgunt?* Quibus verbis duas proponit quæſtioоes Apoſtolus. Altera eſt circa modum reſurgendi, quaſi inqoiratur, quomodo id fieri poteſt? aut quomodo fiat? Altera petit, quali cum corpore veniant, qui reſurgunt? Ac prima quidem quæſtio diſſoluitur; dum docet Apoſtolus, q̃, vt in ſeminibus prius mortuis nouũ generatur corpus, veluti ex nudo grano fit ſpica, & id fieri quotidie perſpicimus; ita quoque continget circa corpora noſtra, quæ mortua exiſtentia, in noua corpora excitabuntur a virtute diuina. Altera vero quæſtio diſſoluitur, vbi dicit Apoſtolus, quòd corpus reſurget immortale, impaſſibile, glorioſum, & ſpirituale.
Tho. Aqu. Thomas autem vult, primam quæſtionem diſſolui in illis verbis. *Ecce myſterium vobis dico, &c.* Quæ tamen, ſi recte perpendantur, referri videntur ad cõſiderationem ordinis, & temporis circa futuram reſurrectionem.

Theoph. Y *Surget Corpus ſpirituale.* Theophylactus animaduertit, corpus animale, quod nũc gerimus corruptibile, craſſum, idem ipſum ſpirituale peruenturum in reſurrectione; quia incorruptum, ac tenue magis, & leuius, & quale in aera deferri poſſit; non
Orig. tamẽ aereum, & æthereum, vt aſſeruit Origenes; vel ex aeris ipſius, vel ætheris ſubſtantia compactum.

Z *Factus eſt primus homo Adam in animã viuentem.* Quòd detur corpus animale, Græce ψυχικὸν, dictũ, nempe viuens extrinſeca ſuſtentatione, & conſequenter corruptibile exiſtens, deducit Apoſt. ex
Gen. 2. lib. Gen. vbi dicitur, quòd primus homo factus eſt *in animam viuentẽ*, Græce εἰς ψυχὴν ζῶσαν, ad denotandum, quòd Adam in ſui formatione obtinuit eam vitæ conditionem, in qua vt cõſeruaretur, opus illi erat continuo pabulo, quo depaſceretur, nõ habens ab intrinſeco virtutem viuificantem, ſe ſe conſeruandi: vnde & mori poterat, vti mortuus eſt, non autem neceſſario moriturus, vt dicit Auguſtinus in
Auguſt. in lib. de Ciui. Dei c. 24. lib. de Ciuit. Dei, ſi non peccaſſet. *Nouiſſimus Adam in Spiritum viuificantem.* Hic primo aduertendum
Rom. 5. in Epiſt. ad Romanos dici de Adam, quòd erat *forma futuri*: & ideo appellat hoc loco Apoſt. Chriſtũ *nouiſſimum Adam*, vt qui aduenerit poſt primum; qui eatenus fuit forma futuri, nempe Chriſti, quatenus in primo Adam omnes homines vitam animalem, & corruptibilem ſunt conſecuti, & ob eius tranſgreſſionem inducti in culpæ, & damnationis ſtatum. In Chriſto autem, agno innocentiſſimo, ob mortem ab ipſo pro nobis perpeſſam, ab omni reatu culpæ ſunt erepti omnes, qui fide, & operibus ei adhæſerint, ſpiritualem itidem, & incorruptibilem vitam cum gloria per ipſum conſequuturi. Adnotandũ etiam, haberi quidem in lib. Gen. *Quòd factus eſt primus homo in animam viuentem*, at non & hoc aliud, q̃ *nouiſſimus Adã in ſpiritum viuificantem.*
Græ. ſchol. Idcirco Græca ſcholia quęrunt, vnde nam id pateat. Et reſpõdent, patere ex ipſa rerum operatione; forſan annuentia ad ipſam Chriſti reſurrectionem, in qua corpus ſpirituale reaſſumpſit ob inexiſtentem ſibi ſpiritum viuificantem. item ex ea operatione (vt ſubiungunt eadem ſcholia) quãdo manſit ſuper eum columba, vnde patuit, inquiunt, quòd *totam Spiritus ſancti ſuſcepit præſentiam*: quod & ex quodã loco Euãgelij apud Ioan. comprobãt, vbi dixit dominus. *Verba, quæ ego loquutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt.* Addamus in eodem loco ibidem dictum eſſe a Petro. *Ad quem ibimus, verba enim vitæ æternæ habes.* Iob. 6. Sed quòd Chriſtus factus ſit *in Spiritum viuificantem*, præcipue colligitur ex loco illo Euangelij apud Ioan. vbi dicitur, *Sicuti enim pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit, & filio habere vitam in ſemetipſo.* Ioan. 5. Vnde dicendum, quòd Chriſtus virtutem obtinuerit (idque per Spiritum ſanctum, quem in plenitudine accepit) vt ſeipſum, & alios poſſet viuificare. Et his quidem conſentiunt, quæ in expoſitione huius loci habet S. Thomas, qui reddens cauſam, cur primus homo factus eſt in animam viuentem ſolam, Chriſtus vero in ſpiritum viuentem, & viuificantem, ita loquit. Tho. Aqui. *Sicuti Adam conſecutus eſt perfectionem ſui eſſe per animã, ita & Chriſtus perfectionem ſui eſſe, in quantum homo, per Spiritum ſanctum. Et ideo cum anima non poſſit niſi proprium corpus viuificare, ideo Adam factus eſt in animam non viuificantem, ſed viuentem tantum. Sed Chriſtus factus eſt in Spiritum viuentem, & viuificantem, & ideo Chriſtus habuit poteſtatem viuificandi. Ioan. 1. de plenitudine eius, &c. Ioan. 10. veni vt vitam habeant, &* Io. 1. & 10. *abundantius habeant. Et in ſymbolo, & in Spiritum ſanctum viuificantem.* Hæc ex B. Thoma. Dicitur autem Chriſtus factus *in ſpiritum viuificantem, & non in animam viuificantem*, ad differentiam vitæ animalis, quæ eget extrinſeco ſuſtentaculo, & per potẽtias animæ organis adnexas exercetur, a quo opere ſpiritus longe abeſt. Quippe propoſitum eſt Apoſtoli, manifeſtare, qualia ſint reſurrectura corpora noſtra: Nempe immortalia, non amplius egentia cibo, & potu: atq; ideo ſpiritualia; quod erit per ſpiritum viuificãtem a Chriſto emanantem. Ex his colligere licet, quòd, cum Chriſtus in ſui formatione obtinuerit ſpiritum viuificantem, ideo rationabiliter dici poſſe, quòd potuiſſet, ſi ita ſibi placitum eſſet, viuere ſine cibi ſuſtentaculo, & non mori. Verum ob diſpenſationem humanæ redemptionis, ſiti, & fami, ac denique morti ſe ſubiecit, animæ potentijs relinquens officiũ vegetandi, & nutriendi corpus ſuum, in quo deinde per ſpiritum viuificantem ſibi inexiſtentem, vitam immortalem reaſſumpſit in reſurrectione, corpus ſuum reddens glorioſum, & in ſempiternum ab anima indiſſolubile: quod & in ſuis electis præſtabit per eundem ſpiritum viuificantẽ. Auguſtinus autem ad Conſ. affert hãc differentiam inter animam, & ſpiritum viuificantem: quoniam illic Auguſt. ad Conſ. epiſ. 146. ſit corpus animale, hic ſpirituale, ſubiungens, *quòd anima in corpore animali viuit quidem, ſed non viuificat vſque ad auferendam corruptionem: in corpore vero ſpirituali (quoniam perfecte adhærens domino vnus ſpiritus eſt,) ſic viuificat vt ſpirituale corpus efficiat, abſumens omnem corruptionem, nullam metuens ſeparationem.*

AA *Secundus homo de cælo cæleſtis.* Ad differentiam primi hominis (de quo dixit Apoſtolus, quòd e terra terrenus) ſubiungit, quòd *ſecundus homo de cælo cæleſtis*, Idque quoniam (vt exponit Oecumenius, Oecum.

nius,

Tho.Aqui.

nius,& Thomas. *Cæleſtis erat Deus Verbum, adeo vtr a præſtantiori,nẽpe a diuinitate corpus Domini dicatur cęleſte.* Similiter exponit, & Thomas: *diuinitas*, inquit, *vnita fuit humanitati* (*& de cęlo venit, & prius erat.* Vult autẽ Thomas, ꝙ Chriſtus etiam ex terra (quatenus ex Virgine) formatus ſit. Atqui,ſicut primus homo dicitur de terra terrenus,quoniã ex limo terræ formatus ſit in animam viuentem, ita ſupponendum videtur,quòd ſecundus homo,Chriſtus,ſit factus de cœlo;quoniam non ex limo terræ, vt primus homo, neque per coniunctionem maris cum fœmina,prout alij homines ex propagatione generantur; ſed ex virtute Dei immediate operante in ſanguinem Virginis,factus eſt in ſpiritum viuificantem,Vnde iure cœleſtis homo; non quòd ex materia cœli corpus aſſumpſerit, quod ex ſanguine Virginis formatum eſt; ſed quoniam, cęleſti virtute, Spiritu Dei obũbrante Virginem, Verbum carnem ſumpſerit humanam: & hunc in modum Hilarius interpretatus eſt. Et ſi primus homo (vt Græcanica ſcholia explicant) ideo terrenus,quoniam carnalis, & terrena ſapiens;ita quoque ſecundus homo,cęleſtis dicendus; vt qui totus ſublimis, nullaque terrenorum nota eſſet grauatus. Veruntamen non dicendum, quòd,in primordio generationis,primus homo factus fuerit terrena ſapiens, quaſi appetens illicita priuſquàm peccaret; cum Adam rectus fuerit creatus. Atque ideo proprie terrenus dicendus, vt qui conſtitutus fuerit e terra, & corruptibilis ex ſe,& diſſolubilis in terram;& egens pabulo e terra prodeunte. Et cõſequenter terreni homines reſpondent naturæ primi hominis terreni corruptibilis,& egentis pabulo, vt facti in animam viuentem: cęleſtes autem homines reſpondebunt ipſi primo cęleſti Adam;dum,inſiti in Chriſto,accipient in corpore Chriſti,hominis cęleſtis,Spiritum viuificantem; vt liberi ab ipſa corruptione in cęlum transferantur effecti incorruptibiles, immortales,& glorioſi.

Hilar.
Græ. ſchol.

BB *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis.* Græci hoc verbum portemus, ſunt qui legant per o magnum φορέσωμεν, quod eſt præſentis temporis; ideſt *portemus*; alij legunt per o breue φορέσομεν, ideſt, *portabimus*. Primam lectionẽ ſequentes Chryſoſtomus,& Baſilius,inquiunt Apoſtolum ſermone hortatorio vti, vt portent imaginem Cœleſtis Chriſti,eius veſtigia imitando:quẽadmodum etiam imaginem terreni,ſapientis terrena, & carnalia portauerunt. Theophylactus autem in futuro tempore legens, *portabimus*, aſſertiue id proferri interpretatur;quòd portabimus imaginem Cęleſtis; dicens, *non conſulentis eſſe dictum, ſed rei futuræ indicium*; hoc eſt, quòd ſumus portaturi imaginem cęleſtem. Quam lectionem,& interpretationem Theodoretus ſecutus eſt. Methodius autem in libro de Reſurr. (referente Oecumenio) interpretatus eſt, quòd imago terreni Adam eſt illud; *terra es, & in terram reuerteris*; imago vero cęleſtis Chriſti,eſt reſurrectio ex mortuis,& incorruptio. Verũ adnotandum eſt,hæc verba, *ſicut portauimus imaginem terreni, ita & cęleſtis imaginem portabimus*; Duplicem ſenſum poſſe recipere. Alter eſt, vt aſſeratur, quòd homines, ſicuti terreni, & corruptibiles primi hominis geſtauerunt imaginem, & naturam,corruptibiles & ipſi exiſtentes; ita etiam ſint geſtaturi imaginem Cęleſtis, vt fiant incorruptibiles, & immortales,ſicut & ipſe Cęleſtis Chriſtus; quod continget in corporum reſurrectione. Alter dictorum verborum eſt ſenſus; quòd, vt portauimus imaginem terreni,vel adhærendo vitijs, vt peccatores,vel adhęrendo Dei ſpiritui,vt iuſti;ſic portabimus imaginem Cęleſtis,vt omnino ſit futura impaſſibilis, ac glorioſa immortalitas in illis, qui fuerint cõformes imagini filij Dei in hac vita, prout dicitur in Epiſt. ad Ro. Alij vero,qui,terrena ſequentes,vitijs adhæſerint, portabunt quidem imaginẽ cęleſtis, quo ad ipſam immortalitatem, quã & ipſi conſequentur; ſed illam tamen paſſibilem, & omni ſuppliciorum, & dedecoris generi obnoxiam; cum & ipſi ſint excitandi a mortuis, & corpus recepturi in reſurrectionem iudicij, & in condemnationem ignis æterni.

Chryſoſto. hom. 24.
Baſil.
Theophyl.
Theodor.
Method.
Gen. 3.
Rom. 8.

CC *Caro, & ſanguis Regnum Dei poſſidere non poſſunt.* Duplicem hæc verba recipiunt interpretationem. Altera,quam ſecutus eſt Baſilius; quòd,qui vitijs dediti fuerint, non poſſunt peruenire ad regnum: iuxta illud ad Rom. *Qui autem in carne ſunt Deo placere non poſſunt.* Altera eſt,vt dicamus, quòd caro,& ſanguis, hoc eſt corpus noſtrum concretum ex carne, & ſanguine,vt nunc eſt (vt exponit Theophylactus) *in futuro ſęculo, cęleſti Imperio non potietur*: quo in ſęculo nec potus erit,nec libatus,quibus omnino tale corpus nutritur. Non autem quòd non ſit futura vera caro, & quòd eadem numero non ſit reſurrectura: Sed non vt concreta ex ſanguine, quo egeat pro ſuſtentaculo, vt egent nũc corpora humana viuentia; ſiue ſit ſanguis de eſſentia corporis ad ſubſtantiam animalis pertingens, ſiue non pertingens,niſi in quantum eſt materia,in qua ſanguineorum animalium vita perficitur:de qua re,inter patres, doctiſſimoſque viros extat controuerſia. Omnino autem per hæc, *caro, & ſanguis*: hæc noſtra natura vitæ præſentis ſignificatur. Huiuſmodi igitur corpus, non poteſt poſſidere, ſeu peruenire ad Regnum Dei, quia eſt corruptibile, vt in quo contrarij humores inueniantur, qui cauſant corruptibilitatem. Vnde ſubiungit Apoſtolus; *neque corruptio incorruptelam.* Inuicem hæc opponuntur,vt ſimul nequeant conſiſtere. Pariter caro, & ſanguis (ut referentia corpus corruptibile) non poſſunt ad cęleſtem patriam peruenire: ſed aderit quidem caro in ſpiritualem quandam qualitatem mutata,& ab intrinſeco ſpiritu viuificata. Auguſtinus ad Conſen. inquit, quòd caro eſt ſecundum ſubſtantiam. Siquidem Spiritus carnem, & oſſa non habet; at caro, ſecundum corruptionem, non poſſidebit regnum.

Baſil.
Rom. 8.
Theoph.
Auguſt. ad Conſ. epiſt. 146.

DD *Ecce myſterium vobis dico.* Quomodo ſit futura reſurrectio mortuorum, tum quo ad mortuos, tum quo ad viuos,qui tunc aderunt, tanquam myſterium,& arcanum quoddam, Apoſtolus patefacit inquiens. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* Varia hic lectio etiam apud Græcos extitit,ut docet Hieronymus ad Alexan. & Mineruũ. Altera,quæ eſt vulgatæ editionis, & eam ſequutus eſt Cyrillus,& ita interpretatur. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*: Nempe om-

Hierony.
Cyrill.

nium

nium corpora reſurgẽt immortalitate donata. At nõ omnes immutabũtur, quia inhonori permanebunt impij: ſoli vero immutabũtur iuſti, diuinæ gloriæ indumẽto dotati, quod veriſsimũ, & indubitabile eſt. At remanet ſcrupulus, quomodo ſubſequentia hæc verba intelligantur. *Et mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Siquidem nõ eſt veriſimile, quòd omnes, qui reſidui erunt viui in aduẽtu domini (de quibus eſt ſermo Apoſtoli in hoc loco) ſint futuri ſalui, & diuinæ gloriæ indumento ditandi. Alia lectio fuit apud nonnullos huiuſmodi. *Omnes dormiemus, ſed non omnes immutabimur.* Et vtramque hanc lectionem agnouit, & refert Auguſtinus in lib. de Ciuit. Dei, vbi ſupponens, quòd reſurrectio fieri nõ poſſit, niſi mors præceſſerit, & idcirco dormitionem pro morte accipi hoc loco oportere, dubitat postea, quid nam dicendum de illis, qui in aduentu domini viui inuenientur, & rapientur obuiam Christo in aera? Cui dubitationi ſatisfacit inquiẽs; quòd hi, qui inuenientur viui in aduentu Domini, ſunt exituri de corpore, & mox ad immortalitatem redituri: & ita verificandum (ait Auguſtinus) dictum Apoſtoli, quòd, quod ſeminat homo, non viuificatur, niſi prius moriatur; ſed futuram in ijs (inquit) dormitionem breuiſsimam, non tamen nullam.

August. li. 28. de ciuit. Dei c. 20.

Græci autem alij omnes ita legunt: *Non omnes dormiemus, ſed omnes immutabimur.* Et ita interpretantur. Non omnes longa mortis (velut ſomno) diuturnitate occupabuntur: non enim ita illi, qui inuenientur viui in aduentu Domini; ſed a vita in mortem; & a morte in vitam illico mutabuntur. Cum autem dicitur; quòd omnes immutabuntur, non neceſſe eſt intelligere, quòd ſit mutatio ad gloriam, ſed ad immortalitatem, vt non amplius corpus poſsit interire. Vnde etiam damnatis hoc conuenit: ſicuti & illud, quod ſubiungit, oportet *enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*, vniuerſo humano generi eſt accommodandum, tam beatis, quàm damnatis. Sicuti, & illud quod dictum eſt ſupra. *Nouiſſime autem inimica destruetur mors*, quod erit commune omnibus hominibus. In priori autem Epiſt. ad Theſſ. de ijs qui inuenientur viui, nulla fit mentio ab Apoſtolo, ſi immutentur, vel non immutentur; aut quòd reſurgant, aut quòd dormiãt, vel non dormiant: ſed tantum ibi hæc habentur, quod illi, qui reſidui erunt viui, non præuenient dormientes; ſed mortui, qui in Christo ſunt, reſurgent primo, deinde illi, qui viui inuenientur ſimul cum illis rapientur in aera obuiam Christo. Quo in loco ſolum de Beatis videtur eſſe commemoratio.

1. Theſſ. 4.

Verum, cum illud tritum ſit apud philoſophos, quòd æterno, & corruptibili nullum ſit commune genus vniuocum; idcirco non apparet, quomodo poſsit eſſe, quòd idem vnum corpus corruptibile reddatur incorruptibile. Cui dubitationi ſatisfieri poſſe exiſtimamus, dicendo, quòd natura corruptibilis, non erit ſimul & incorruptibilis: ſed prius corpus tantum corruptibile, ac rurſus idem incorruptibile reddetur; vnde non ſimul corruptibile, & incorruptibile; quod ſufficit pro diluendo argumento ex oppoſito deducto. Ex Dei autem omnipotentis potentia id fiet, vt cuiuſque corporis eadem materia, prius corruptibilis exiſtens, in incorruptibilem permutetur. Quod patet manifeſtiſsime ex dicto Apoſtoli circa eos, qui viui inuenientur in aduentu Domini; qui abſque diſſolutione corporis raptim immutabuntur, tranſeuntes a mortalitate, & corruptione, in immortalitatem, & in incorruptionem. Et hoc eſt, quod hic dicitur, quòd oportet mortale hoc induere immortalitatem, illud idem corpus. Quod etiam Apoſtolus manifeſtauit in epiſtola ſequenti, dum inquit. *Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati, eo quòd nolumus exſpoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur a uita, &c.*

2. Cor. 5.

Cum autem humanorũ corporum multa comedantur, & diſſoluantur, & commutentur in aliam naturam; hinc videretur nõ idem amplius remanere corpus, quod ſit immutandum ad immortalitatẽ. Verum dicendum eſt, quòd cuiuſque corporis ſemper permanet eadem materia, licet varijs ſub formis appareat, quæ materia determinate a Deo cognita, ab eius potentia in priſtinum corpus immortalitate donatum reducetur; vt omnino idem indiuiduum redeat in eadem ſubſiſtens materia ad immortalitatem mutata. Quod etiam eo magis aſſerendum eſt, cum cuiuſque hominis anima rationalis, immortalis exiſtens, eadem numero ſeruetur, quæ in priſtinum idem ſuum habitaculum corporis, immortale effectum, reuocabitur. Sed neque illud eſt omittendum, partes corporis humani comeſtas ab animalibus in ſuas proprias cineres, ſeu pulueres reſolui: ex quibus deinde corpus iterum conſtruatur. Non autem exiſtimandum, quòd in pulueribus corporum humanorum inſit virtus intrinſeca, per quam generetur corpus; ſicuti in ſeminibus mortuis producitur nouum corpus, ſed a Dei extrinſeca potentia id fiet. Et, quemadmodum Deus in puluerem inſufflãdo, produxit animam, vt fieret homo in animam viuentem, ita corpori, in reſurrectione, ſpiritum viuificantem cum immortalitate donabit.

August lib. de reſurre. Mort.

Circa autem illud, in ictu oculi, Auguſtinus in ſerm. de reſurrect. mort. animaduertit, non debere accipi ictum oculi, dum aperitur, & clauditur palpebra; ſed ſolum intelligi emiſſionem radiorum ad aliquid videndum: quæ ita cito ad propinquam rem, ſicut ad longiſſime diſtantem peruenit. Simili modo, circa omnia corpora humana, in quauis parte ſita ſint in terra, proueniet reſurrectio.

August. lib. 3. ad Marc. cap. 11.

EE *Stimulus autem mortis peccatum.* Auguſtinus in lib. 3. ad Marcell. interpretatur; quòd peccato punitum, & mortificatum eſt genus humanum.

Auguſt.

FF *Virtus vero pecati lex.* Idem loco citato; *ideo lex*, inquit, *virtus peccati, quia lex ſubintrauit vt abũdaret peccatum*, vt dicitur in Epiſt. ad Rom. Idem in lib. de gratia & liber. arbitr. inquit, lex *probibendo, auget peccati cupiditatem, quoniam probibitio auget deſiderium operis illiciti, & ſupra modum peccans dicitur, quoniam etiam præuaricatio additur, cum, peccati aucta libidine, lex ipſa contemnitur.*

Rom. 7.

PARA-

PARAPHRASIS.

Capit. XVI.

DE collectione autem ad ſuſtentationem ſanctorum, vti præcepi Eccleſijs Galatiæ, ita & vos exequimini. Certus vobis ſabbatorum ſtatuatur dies, vt puta Dominicus, in quo apud ſe quiſque ſeponat, recõdens, quod ſibi placuerit; ne, cũ venero, tunc fiãt collectiones. Cũ autem apud vos fuero, quos probaueritis per epiſtolas, hos mittam, qui perferant gratiam veſtram in Ieruſalem. Quòd ſi etiã decens erit, vt & ego vadam, mecum vna illi ibunt. Veniã autẽ ad vos, cũ Macedoniã pertranſiero; per tranſitum enim Macedoniã percurrã; apud vos autem fortaſſis permanebo, aut etiam hyemabo; vt vos me deducatis quocũque proficiſcar; nolo enim modo videre vos in trãſitu, ſi Dominus permiſerit. Cõmorabor autem Epheſi vſque ad Pẽtecoſten: oſtium enim mihi apertum eſt magnum, ac manifeſtum, vt Chriſto multos lucrifaciam; ſed & aduerſarij adſunt multi. Si autẽ ad vos venerit Timotheus, date operam, vt abſque timore ſit apud vos, vt libere poſſit munus ſuum obire; opus enim Domini & ipſe operatus, ſicut & ego; quare ne quis ſpernat eum; ſed deducite illum in pace, vt ad me veniat; ipſum enim expecto cum fratribus. De Apollo autem fratre, multum illum hortatus ſum, vt vna cum fratribus ad vos veniret: at omnino non fuit eius voluntas, vt nunc veniret. Sed veniet, cum primum opportunitatem nactus erit. Vigilate, ne circumueniamini. State in fide, ne ab hac, vlla in re, dimoueamini. Viriliter vos gerite reſiſtendo peccatis, & pſeudo Apoſtolis. Fortes eſtote in omnibus aduerſis, omnia fiant a vobis in charitate. Hortor autem vos (quãdo noſtis, quòd Stephanæ domus primitiæ ſunt Achaiæ in fide Domini, ac ſe ſe in miniſterium ſanctorum ordinarũt) vt propterea illis vos ſubijciatis; ſicuti & cuique cooperanti, atque collaboranti in Eccleſia Dei. Gaudeo autem de aduentu Stephanę, & Fortunati, & Achaici; quoniã, quod a vobis mihi defuerat, ipſi ſuppleuerunt; refocillarunt enim ſpiritum meum, item & veſtrum; vt qui mihi nil deeſſe cupiatis, has itaque perſonas agnoſcite, & omni proſequimini honore, ſalutant vos Eccleſiæ Aſiæ. ſalutant vos multum in Domino Aquila & Priſcilla, cum omni quæ eſt in eius domo Eccleſia. Salutãt vos fratres omnes: ſalutate vos inuicem oſculo ſancto. ſalutatio mea manu Pauli. Siquis non diligit Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema. Maranatha, id eſt, Dominus venit, qui vindex erit. Gratia Domini Noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum. Charitas mea cum omnibus in Chriſto Ieſu. Amen.

Editio vulgata.

DE collectis autem quę fiunt in ſanctos, ſicut ordinaui eccleſijs Galatiæ, ita & vos facite. Per vnam ſabbathi vnuſquiſque veſtrũ apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit, vt non cum venero, tunc collectæ fiant. Cum autem præſens fuero: quos probaueritis per epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Ieruſalem. Quòd ſi dignum fuerit, vt & ego eam, mecum ibunt. Veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertranſiero: nam Macedoniam pertranſibo. Apud vos autem forſitan manebo, vel etiam hyemabo: vt vos me deducatis quocunque iero. Nolo enim vos modo in tranſitu videre: ſpero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, ſi Dominus permiſerit. Permanebo autem Epheſi vſque ad Pentecoſten. Oſtium enim mihi apertum eſt magnum, & euidens, & aduerſarij multi. Si autẽ venerit Timotheus, videte, vt ſine timore ſit apud vos: opus enim Domini operatur, ſicut & ego. Ne quis ergo illum ſpernat, deducite autem illum in pace: vt veniat ad me: expecto enim illum cum fratribus. De Apollo autem fratre, vobis notum facio, quoniam multum rogaui eum, vt veniret ad vos cum fratribus, & vtique non fuit voluntas eius, vt nunc veniret: veniet autem cum ei vacuum fuerit. Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini. Omnia veſtra in charitate fiant. Obſecro autem vos fratres, noſtis domum Stephanæ, & Fortunati, quoniam ſunt primitiæ Achaiæ, & in miniſterium ſanctorum ordinauerunt ſe ipſos, vt & vos ſubditi ſitis eiuſmodi, & omni cooperanti, & laboranti. Gaudeo autem in præſentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam id quod vobis deerat, ipſi ſuppleuerunt, refecerunt enim & meũ ſpiritũ, & veſtrũ. Cognoſcite ergo qui huiuſcemodi ſunt. Salutãt vos omnes eccleſiæ Aſiæ. Salutant vos in Domino multum, Aquila & Priſcilla cum domeſtica ſua eccleſia. Salutant vos omnes fratres. Salutate inuicem in oſculo ſancto. Salutatio mea manu Pauli: Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema Maranatha. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum. Charitas mea cum omnibus vobis in Chriſto Ieſu. Amen.

ADNOTATIONES.

SIcut ordinaui in eccleſijs Galatiæ. Hinc colligitur Prælato adeſſe auctoritatem de eleemoſinis colligendis. A

B *Per vnam Sabbati unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat.* Auguſtinus in lib. 2. de ſerm. Domini in monte dubitat, quoniam hæc ordinatio Apoſtoli, quòd ſeponatur per vnam ſabbati collectio pecuniarum, videtur pugnare aduerſus illud præceptum, quod non debeamus cogitare de craſtino. Et reſpondet, non improbari hanc procurationem, ſi fiat cum propoſito acquirendi regnum Dei, vti erat hoc opus colligendi pecunias pro adiuuandis pauperibus. Improbatur autem, ſi propter hæc militemus: aut ſi his deficientibus, & nos ab operibus Euangelij deficeremus.

Auguſt. lib. 2. de ſerm. domini in Mõte. c. 16.

Math. 6.

C *Videte*

C *Videte vt ſine timore ſit apud vos*, Caueant (imponit Corinthijs) ne Timotheus ſit cum timore apud ipſos, ideſt, ne moleſtiam patiatur, vt exponit Theodoretus, aut ne quis diuitum (vt inquiunt Theophylactus, & Oecumenius) inſultet illi; non hoc tamen inquiens, quaſi Timotheus ſuccumberet moleſtijs, ſed ne calamitas hinc veniat Corinthijs. Et hoc potuit dictum eſſe, ne impediretur opus Timotheo euangelizandi. Verum & eſſe cum timore, ſecundum ſtatum humanæ fragilitatis, non inconuenit ſanctis; prout Apoſtolus ſupra dixit, quòd fuit apud eos in timore, & tremore multo.

Theodor. Theophyl. Occum.

D *Primitiæ Achaiæ*. Aut, quoniam priores (vt inquit Theophylactus) hi in ea regione fidem ſuſcepiſſent: aut, quoniam optimam ducerent vitam.

1. Cor. 2. Theoph.

E *In miniſterium ſanctorum ordinauerunt ſe*, Vel quòd effecti eſſent diaconi pro ſubminiſtratione eleemoſinarum: vel quoniam ſuſceperant, & deſtinauerant ſe in hoc opus, & in hanc uitam, vt inquit Oecumenius. Et cum ſubiungat Apoſtolus, *vt & vos ſubditi ſitis eiuſmodi*, hinc videtur, gradum quẽdam in ijs ita ordinatis ſignificare.

Oecum.

F *Maranatha*. Vox linguæ Syriæ, ideſt: Dominus uenit; quod intuliſſe Apoſtolum animaduertit Theophylactus; ad denotandum myſterium incarnationis, & reſurrectionis; & quod opus eſt fide, non doctrina; & ita deprimeret ſupercilium iactantium ſe de eloquentia. Chryſoſtomus autem animaduertit, in hac epiſtola, ſeorſum a dogmatibus, non tractari (ut fit in plurimis alijs) inſtitutiones morum, & diſciplinæ Chriſtianæ; propterea quòd per epiſtolam Apoſtolus multa eiuſmodi tetigerit, ac præſertim dum ageret de charitate.

Theoph. Chryſoſt.

ARGV-

ARGVMENTVM
IN POSTERIOREM
Epiſt. S. Pauli ad Corinthios.

QVEMADMODVM B. Apoſtolus Paulus magna omnium Eccleſiarum ſolicitudine
vexabatur; ita quoque nullam non tentatam omittebat viam, qua ſaluti animarum poſ-
ſet proſpicere. Quamobrem in epiſtola ſuperiori grauiter Corinthios pupigerat, de multis
eos redarguens. Simul autem eiſdem denunciauerat, propediem ad illos ſe acceſſurum,
minitanſque, num vellent, vt ad ipſos accederet in virga; an in charitate, & ſpiritu man-
ſuetudinis; vt hinc ita eos conterritos magis commoueret ad reſipiſcēdum. Accidit autem
vt deſtinatam ad eos ſuam diſtulerit profectionem, vel illis grauiſſimis perturbationibus
Act. 19. *diſtentus, quas in Aſia, Epheſi perpeſſus eſt; vel, quòd etiam Corinthiorum ſaluti hunc in*
modum melius conſultum iri adiudicarit; ſi tempus illis daret ad corrigenda quæ deliquerant; ne cum ipſis gra-
2.Cor.1. *uius agere cogeretur. Et enim hoc ipſum ſignificauit Apoſtolus in hac epiſtola, dum inquit.* Ego autem teſtem
2.Cor.2. Deum inuoco in animam meam, quòd parcens uobis, non ueni ultra Corinthum. *Et rurſum.* Statui autem
hoc ipſum apud me, ne iterum in triſtitia uenirem ad uos. *Interim autem ad ipſos dimiſerat Titum, tanquam*
viſitatorem, & ipſorum fidei, atque vitæ inſpectorem. A quo cum accepiſſet, quàm grauiter Corinthij ex prima
eius epiſtola eſſent commoti, & quanti ipſum facerent, atque revererentur, vt qui, eius mandatis obtemperantes,
nefarium illum ſcortatorem ex ipſorum conſortio eieciſſent: illico hanc aliam ipſis ſecundam dedit epiſtolam, vt eos
ſummo quodam mœrore confectos conſolaretur. Quemadmodum & ipſe omnibus lætitijs inceſſerat, audiens ip-
ſorum pœnitudinem. Vnde & ſingulari quadam prudentia, epiſtolam hanc orditur a Dei benedictione: qui fi-
deles, & electos ſuos tribulationibus oppreſſos, ſuo numquam relinquit auxilio deſtitutos. Quod & ex ijs pate-
facit, quæ docet tum ſibi ipſi, tum Corinthijs contigiſſe. Quandoquidem & Corinthij e mæſtitia, quam ex epiſto-
la Pauli perceperant, hunc fructum ſunt conſecuti, vt conuerſi fuerint ad Dei pœnitentiam magno cum prouentu
ſuarum animarum. Nec non Apoſtolus ipſe, quamuis multis ac maximis perſecutionibus laceſſitus, attamen
tandem de ſua prædicatione triumpharit, factus bonus odor bonis, malus autem odor malis, illis videlicet, qui pe-
reunt. Idque ex Dei benignitate, qui hanc tantam virtutem tribuit ſuis ſanctis miniſtris, licet indutis hoc fragili
vaſe corporeo. Vnde, hinc arrepta occaſione, Apoſtolus ſermonem inſtituit de miniſterio legis Euangelicæ, quod
conferens cū miniſterio legis veteris, longo interuallo docet ei antecellere. Simul etiā inducit ſermonem de reſurre-
ctione mortuorum, per quam, ſanctorum corpora, in terris fragilia, in cæleſte, & æternum corporis immortalis do-
micilium ſunt vendicanda. Affert præterea excuſationem, cur ad illos nondum ſe contulerit iuxta promiſſa.
Nec non hortatur eoſdem, vt peccatorem illum antea exploſum ab eorum conſortio, cum iam reſipuiſſet, priſtina
cum charitate amplexentur, in ipſorum congregatione eum recipientes: & vt ad eleemoſinas parandas pro ſan-
ctis, largos ſe præbeant largitores. Poſtremo vero loco, cum iam miris in modis animos Corinthiorum ſibi conci-
liaſſet, aperto deinde marte pugnā aggreditur aduerſus pſeudo Apoſtolos, ad demolienda ipſorum conſilia ſe totum
conuertens, qui eius auctoritati detrahere omnibus artibus conabantur, diffamantes de Paulo, quòd vir abiectus,
& imperitus eſſet, & non habendus in numero Apoſtolorum. Vnde, quo magis proſpiceret ſaluti Corinthiorum,
eoſque magis in ſui beneuolentiam atque venerationem traheret, & confirmaret, ſuas laudes aggredi coactus,
hanc cauſam agit eximio cum moderamine: & ea cum prudētia gloriationis ſuæ culmen commemorat (illum præ-
ſertim admirabilem ſuum ad tertium cælum raptum) vt hinc Corinthij optime induci poſſent ad ipſum ſummopere
colendum, & obſeruandum, vti verum Apoſtolum, & Deo quàm gratiſſimum; necnon ad eiuſdem inſignem hu-
militatem admirandum, & imitandum, quam in tanta ſui ſublimitate præſeferret. Neque vero in calce epiſtolæ
omnino a timoris freno ipſos liberat; ſed compeſcit, terrens eos grauibus comminationibus: illos nempe, qui pec-
catis forent implicati. Sicuti eos, qui bene ſe gererent, ſolatur, & iubet vt læto ſint animo.

IN POSTERIOREM EPISTOLAM S. Pauli ad Corinthios.

PARAPHRASIS. CAP. I.

PAVLVS Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater, eccleſiæ, quæ eſt Corinthi vna cum omnibus ſanctis, qui ſunt in Achaia; gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro, & domino noſtro Ieſu Chriſto. Benedictus ſit Deus, & idem pater domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum, quas benigne effundit in filios ſuos, & Deus, fons totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, vt poſſimus & nos conſolari eos, qui quacunque tribulatione affliguntur per eandem exhortationẽ, qua exhortamur & ipſi a Deo. Quoniam, ſicuti abundant in nobis paſſiones Chriſti, illæ, quas patiuntur eius membra pro nomine eius, quas & pati ſe ipſum reputat; ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Siue autem tribulamur, id patimur pro veſtra exhortatione atque ſalute. Siue conſolamur, id etiam in nobis fit pro veſtra conſolatione. Siue exhortamur, id pariter obtinemus pro veſtra quoque ſalute, atque cohortatione, quæ operatur in vobis tolerantiam earumdem paſſionum, quas & nos patimur; vt hinc firmam ſpem de vobis, veſtraque ſalute conceperimus; vt qui pro certo ſciamus; quòd ſicuti ſocij, atque participes eſtis paſſionum, & afflictionum; ita quoque eritis & conſolationis. Nolumus enim vos ignorare fratres, de tribulatione noſtra, quæ facta eſt nobis in Aſia, adeo quidem magna, vt ſupra modum fuerimus grauati, vltra vires; adeo vt tæderet nos etiam viuere. Verum ipſi in nobis ipſis reſponſum, atque dubitationem hanc mortis accepimus; vt hinc diſceremus, non nobis confidere, ſed ſpem omnem noſtram collocare in Deo, qui excitat mortuos ad vitam, quique eripuit nos ab hac morte, & eripit: in quem confidimus, quòd & in poſterum nos eripiet, adiuuantibus & vobis in deprecatione ad Deum pro nobis, vt, ex multarum perſonarum faciebus, Deo a multis gratiæ agantur de hac mihi donata gratia. Et enim gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ; quòd in ſimplicitate, atq; ſynceritate (quæ Deo placent) non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei, cui innitimur, conuerſati ſumus in mundo; abundantius autem apud vos. Non enim alia ſcribimus vobis, quàm quæ legitis, & cognoſcitis. Confido autem quòd vſque ad finem cognoſcetis, ſicut & cognouiſtis nos ex parte, quòd gloria veſtra ſumus; ſicut & vos noſtra in die domini noſtri Ieſu Chriſti. Et hac fiducia ſtatueram prius venire ad vos, vt ſecũdam gratiam haberetis, ac per vos tranſire in Macedoniam; ruſuſque e Macedonia reuerti ad vos, & a vobis deduci in Iudęam. Numquid igitur id volens, cum nõ præſtiterim, inconſtantia, & leuitate ſum vſus? Aut ea, quæ ſtatuo, ſecundum carnem ſtatuo? vt apud me, Etiam, ſit Etiam; & Non, ſit Non? nempe, vt quę velim, aut nolim agere, hęc in meum proprium commodũ conuertam; vti is, qui ea tantummodo quęram, quę mea interſint. Fidelis Deus, quòd ſermo prędicationis noſtrę apud vos non fuit, Etiam, & Non, tanquam varius, & inconſtans. Siquidem filius Dei Ieſus Chriſtus, per me, & Syluanum ac Timotheum vobis prędicatus, non fuit, Etiam, atque Non: ſed ipſum tãtum Etiam extitit in Chriſto. Quotquot enim promiſsiones a Deo factę ſunt in filio, Etiam obtinuerunt, in eodemque Amen habuerunt; vt omnino, quę promiſerat Deus, ſe nobis largiturum per filium, ea firmiter adimpleuerit, ad gloriam ſuam, in noſtrum commodum atque ſalutem. Qui autem confirmat nos, voſque pariter in Criſto, noſque vnxit ſua gratia, atque ſouet pro confirmatione, Deus eſt; ille idem, qui etiam obſignauit nos, in ſuorum numerum adſcribens per baptiſmum, dans pignus, & arram ſpiritus, quo ſimus deinde perfecte viuificãdi, ipſum in cordibus noſtris inſerens. Ego autem teſtem inuoco Deum in animam meam, quòd parcens vobis (ne durius vobiſcum agerem) non veni vltra Corinthum: non quòd dominemur veſtrę fidei, tanquam ex imperio quodam vos cogentes; ſed quòd ſumus adiutores gaudij veſtri, quod de vobis ſperamus: nam fide ſtatis; ab illa non excidiſtis.

Editio vulgata.

PAVLVS Apoſtolus Ieſu Chriſti, per voluntatem Dei, & Timotheus frater, eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi cum omnibus ſanctis, qui ſunt in vniuerſa Achaia. Gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, vt poſſimus, & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt, per exhortationem qua exhortamur, & ipſi a Deo: quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita, & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Siue autem tribulamur, pro veſtra exhortatione, & ſalute: ſiue exhortamur,

pro veſtra exhortatione & ſalute, quæ operatur tolerãtiam earũdem paſſionum, quas & nos patimur: & ſpes noſtra firmã eſt pro vobis: ſcientes quòd ſicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis, & conſolationis. Non enim volumus ignorare vos fratres, de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum grauati ſumus ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem ſperamus, quoniam, & adhuc eripiet, adiuuantibus, & vobis in oratione pro nobis, vt ex multarum perſonis facierum, eius quæ in nobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis. Nam gloria noſtra hæc eſt; teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd in ſimplicitate, & ſynceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei conuerſati ſumus, in hoc mundo: abundantius autem ad vos. Non enim alia ſcribimus vobis, quàm quæ legiſtis, & cognoſcitis. Spero autem quòd vſque in finem cognoſcetis, ſicut, & cognouiſtis nos ex parte, quòd gloria veſtra ſumus: ſicut, & vos noſtra in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et hac confidentia volui prius venire ad vos, vt ſecundam gratiam haberetis: & per vos tranſire in Macedoniam, & iterum a Macedonia venire ad vos, & a vobis deduci in Iudæam. Cum ergo hoc voluiſſem, numquid leuitate vſus ſum? Aut quæ cogito, ſecundum carnem cogito, vt ſit apud me E S T. & N O N? *Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos: non eſt in illo* E S T, & N O N: *Dei enim filius Ieſus Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt per me, & Syluanum, & Timotheum: non fuit in illo* E S T, & N O N: *ſed* E S T *in illo fuit. Quotquot.n. promiſſiones Dei ſunt in illo* E S T: *ideo & per ipſum, amen, Deo ad gloriam noſtram. Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus: qui & ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris, ego autem teſtem Deum inuoco in animam meam, quod parcens vobis non veni vltra Corinthum, non quia dominamur fidei veſtræ, ſed adiutores ſumus gaudij veſtri, nam fide ſtatis.*

ADNOTATIONES.

A Theodorus — BENEDICTVS *Deus, & pater Domini Noſtri Ieſu Chriſti.* Theodorus cenſet inciſum poni debere ad vocem, *Deus*; vnde ita interpretatur; quòd Deus eſt noſtri Deus, pater

Luc. 10. autem Ieſu Chriſti; iuxta illud in Euang. *Confiteor tibi pater Domine cæli, & terræ.* Vbi apparet, a Chriſto appellari Deum, ſibi patrem; Dominum verò creaturarum. Verũ Deus poteſt quoque dici Chriſti Deus, quo ad humanitatem; pater autem quo ad filiationem; quatenus Verbum, ab æterno, genitum eſt a patre; quamquam etiam Deus poteſt dici pater Chriſti quo ad humanitatem; cum ex virtute Dei Virginem obumbrante fuerit factus homo; quod

Theoph. Theophylactus aſſeruit in ſuperiori epiſtola in expoſit. cap. 11. dum dixit. *Si quidem Deus, ſecundum humanitatem. Chriſti pater eſſe aſſeritur.* Cui ſententiæ ſunt quoque cõſentanea, quæ habentur in Euangelio: *Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum Deum meum, & Deum veſtrum.* Ioan. 20.

B *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis.* Idem eſt Deus miſericordiarum, & conſolationis; verùm miſericordiæ propius referuntur ad patrem, a quo procedunt largiſſimæ in filios.

C *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis.* Quæ patiuntur fideles pro Chriſti nomine, dicũtur Chriſti paſſiones, quoniam ſibi illas Chriſtus vendicat, cum ad ſua membra deuenerint. Vnde illud ad

Coloſſ. 1. Coloſſ. *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore eius, quod eſt eccleſia.* Vnde magna ineſſe debet conſolatio his, qui tribulationibus affliguntur pro fide Chriſti, quas ſuas reputat.

D *Pro veſtra exhortatione, & ſalute, quæ operatur tolerantiam.* Ita habet editio vulgata; ad quam verborum ſeriem hæc affertur interpretatio; nempe, quòd exhortatio, & ſalus ſperata, operatur tolerantiam, ideſt animum conſtantem reddit ad ea, quæ ſunt ex aduerſo toleranda. Greci autem aliter legunt. ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως, καὶ σωτηρίας τῆς ἐνεργουμένης, ἐν ὑπομονῇ τῶν αὐτῶν παθημάτων, id eſt: *Pro veſtra exhortatione, & ſalute, quæ operatur in tolerantia earundem paſſionum*: adeo quòd verbum hoc, *operatur*, a Græcis paſſiue accipitur pro eo, quod eſt dicere, ſalus perficitur: ſeu (vt habet Theophylactus) paratur ex tolerantia paſſionum, quas fideles patiuntur pro Chriſti nomine.

E *Quoniam ſupra modum grauati ſumus, ſupra virtutem.* Loco huius vocis, *virtutem*, Græcus Codex habet ὑπὲρ δύναμιν, vt virtus pro potentia ſit accipienda: & ex his, *ſupra modum, & ſupra virtutem*, ſignificetur magnitudo tribulationis, quam paſſus fuerat Apoſtolus. Sed inquiet aliquis, id eſſe contrarium ſententiæ ſuperioris epiſtolæ; vbi dicebatur, quòd Deus non ſinit nos tentari ſupra id quod poſſumus. *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis.* Cui obiectioni dicendum eſt, veriſſimum eſſe, quòd Deus non permittit tentari ſupra modum eos, qui ad eius auxilium confugiunt, adeo vt auxilium illis collatum a Deo, potentiam tentationis non ſit ſuperaturum. Verum, qui proprijs viribus innititur, & ad Dei auxilium non confugit, vtique tentationes patietur, quibus non valebit obſiſtere. Vnde Apoſtolus ſubiungit; *Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo.* Vt hinc innuatur, quòd grauis tentatio apprehendet eos, qui ſibijpſis confidunt, non Deo; quibus iure merito expectandum eſt manifeſtum periculum mortis, ſeu alterius magni damni. Et hæc quidem dicta eſſe ab Apoſtolo de ſe ipſo cenſet Theophylactus. Alij vero exiſtimant pro alijs, & ad aliorum exemplum, & ob humilitatem. Verum, ſi Paulus ter Dominum rogauit, vt tolleret a ſe carnis ſtimulum, exiſtens & ipſe homo; potuit vtique etiam ſecundum humanitatis conditionem experiri in ſe ipſo magnam turbationem ex tribulationibus, quas pateretur, quemadmodum etiam in priori epiſt. dixit, quòd in infirmitate,

1. Cor. 10. — Theoph.

mitate, & in timore, & tremore multo fuit apud Corinthios. 1. Cor. 2.

F *Ex multarum perſonis facierum.* Quemadmodum in conuentu multorum fidelium ſunt plures perſonæ diuerſas habentes corporis facies; ita quoque in Chriſti eccleſia adeſt corpus myſticum, cuius membra varijs donis, & gratijs affluunt, prone ipſorum varius eſt ſtatus, atque conditio: & ideo hi omnes ſimul orationem fundẽtes, pluribus ex partibus, & tanquam ſecundum diuerſas facies Deum deprecari dici poſſunt.

G *In ſimplicitate cordis & ſynceritate Dei.* Simplicitas ad intentionem animi refertur: ſynceritas vero ad operationem: & hæc, Dei nominantur, vt quæ ſint ad mentem, & beneplacitum Dei: qui, ſicut eſt actus puriſſimus, ita nihil fert, quod ſit miſtum cum duplicitate, atque malitia. Vnde ſubiungitur: *non in ſapientia carnali: qua* (inquit Theodoretus) intelligitur malitia, & caliditas. Theodor.

H *Abundantius autem apud vos.* Suam propalat beneuolentiam erga Corinthios; vt qui circumſpectione magna ſit vſus apud ipſos, dum illis prędicauit Euangelium ſine ſumptu, cum tamen potuiſſet ſuo iure ab illis expenſas exigere.

I *Vt ſecundam gratiam haberetis.* Si, pro prima gratia facta Corinthijs ab Apoſtolo, ſupponatur ſuperior epiſtola illis ſcripta; acceſſus ad eos, ſecundæ gratiæ locum haberet. Aut primus acceſſus, quando in illis Chriſti fidem plantauit, prima extitit gratia illis collata; & ita ſecunda eſſet gratia, ſi iterum ad illos acceſſiſſet.

K *Aut quæ cogito, ſecundum carnem cogito?* Vult ſe ab omni culpa eruere, vt qui minime ſit reprehendendus, quaſi is, qui quæ ſua deliberatione molitur, ea ad deſiderium carnis moliatur. Id autem huc pertinet, vt expurget ſe ex hoc, quod ad illos non acceſſerit iuxta promiſſa: Vnde ſubiungit, *vt ſit apud me, eſt, & non.* Hoc loco interpres paucis complexus eſt, quæ græce pluribus verbis continentur; ita enim apud Græcos legitur; *vt ſit apud me, eſt, eſt, & non, non;* quæ verba Chryſoſtomus, & alij apud Oecumenium ita interpretantur; quaſi ita aſſerat Apoſtolus. Non fuit in mea manu præſtare, quæ cogitaui. Nam Spiritui ſancto ſum ſubiectus; & non potui illi non obedire; vt mea deliberatio non fuerit in mea poteſtate, dum ſpiritui debuerim inſeruire, a quo non agere, quæ propoſueram, ſum inductus. Forſan, & hæc poſſet aſſignari interpretatio. Aut quæ delibero, ſecundum carnem delibero? vt ſit apud me (ad meam ſcilicet vtilitatem) ipſum eſſe, pro etiam, & ipſum non, pro non: ideſt, vt quod affirmem, aut negem me velle agere, omnino in his quæram quæ mea ſunt, & meis proprijs tantum cupiditatibus ſtudeam ſatisfacere? id minime ita eſt. Chryſoſt. homil. 3.

L *Sermo noſter qui fuit apud vos, non in illo eſt, & non.* Id eſt ſermo, quem prædicauit Corinthijs Apoſtolus non fuit, eſt, & non. Et pariter, filius Dei Ieſus Chriſtus illis prædicatus, non fuit, eſt, & non; quaſi inconſtans res, & incerta fuerit prædicata. Si quidem (vt ſubiungitur) *quot quot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo eſt.* Quæ verba Chryſoſtomus ita interpretatur; quòd per ipſum Deum firma ſint. Alij aliter, quòd in filio adimpleta ſunt, quæ promiſerat Deus; miſſurum ſe filium, qui eriperet homines a peccatis, & mundaret, nouoque ſpiritu eorum corda imbueret; quæ omnia præſtita ſunt, & alia, quæcunque promiſit Deus in filio pro hominum beatitudine, adimplebuntur: ſicuti & in filio, quæ promiſſa fuerunt, quòd reſurgeret, & ſubijceret ſibi inimicos, partim impleta ſunt, & partim implebuntur. Chryſoſt. homil. 3.

M *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto.* Poſtquam ſuſcepta eſt a nobis fides Chriſti, egemus auxilio, vt confirmemur in ea. Igitur & aſſidua gratia; qua vngamur, & roboremur, hoc nobis præſtat Deus. *Qui, & ſignauit nos.* Nempe in baptiſmi ſuſceptione, vt ſuos, ſcribens nos in libro vitæ, ſigno baptiſmi inſignitos, deditque pignus ſpiritus, quo vitam conſequamur ęternam in cordibus noſtris; vnde & magna ſpe ſuſtentamur. Sunt autem qui interpretantur, vt Chryſoſtomus, hoc dictum, quòd vnxit nos in ſacerdotes propter hoſtiam viuentem, quam ſpiritualiter offerimus; & in reges, vt participes regni; & prophetas, vt quibus ſint dona communicata. Chryſoſt. homil. 3.

N *Non quia dominamur veſtræ fidei.* Non enim deſpotico dominio debet Pręlatus dominari ſubditis; vel eorum fidei, quæ debet eſſe voluntaria, & non poteſt cogi. Quod etiam concors eſt ſententię Beati Petri, dum dixit: *neque vt dominantes in cleris;* vnde Paulus ſubiungit. *Sed adiutores ſumus gaudij veſtri;* adeo quòd Pręlatus debet operari omnia, non vt dominans, ſed adiuuans ſubditos; vt ſi etiam pœnas de ipſis ſumere ei contingat, id ob eorum ſalutem agat; non quaſi tyrannidem exercens; ſed eorum bono proſpiciens. At ſi dictum eſt, *exi in vias & ſepes & compelle intrare:* dicimus id ita accipiendum eſſe: quòd omnibus modis (citra tamen dominium tyrannicum ad voluntatem propriã exercitum) peccãtium correptioni eſt occurrendum, & nil omittendum, aut minarum, aut terroris, & pœnarum, vt omnium ſaluti proſpiciatur. Qui autem Chriſti fidem ſemel ſuſceperunt, & ab illa poſtea apoſtatauerunt; omnino iuriſdictioni eccleſię ita ſubduntur, vt de illis ſupplicia vſque ad necem ſumi poſſint. Verum fidei alienę nemo poteſt dominari ad hunc ſenſum, vt voluntatem alicuius cogere poſſit, ut credat, quę nolit. 1. Pet. 5. Luc. 14.

O *Nam fide ſtatis;* Ideo dixit Apoſtolus *adiutores gaudij veſtri ſumus;* quoniam fide ſtatis: vnde, & in fide ſtantes, adiuuare vos in hoc gaudio poſſumus; quod ſine fide non pręſtaretur. Illud verò: *parcens vobis non veni Corinthum.* Photius interpretatur, ideſt, ne vobis mœrori eſſem. Phot.

PARAPHRASIS.

CAPIT. II.

STATVI autem hoc apud me, ne iterum veniré in triſtitia ad vos. Nam ſi ego contriſto vos, & quis eſt qui me exhilaret, niſi qui contriſtatur ex me? & ſcripſi vobis hoc ipſum, ne veniens mœrore afficiar, a quibus oportuerat mihi gaudium afferri; confidens in omnibus vobis, quòd gaudium meum ſit idem & omnium veſtrum. Ex multa enim afflictione, & anguſtia cordis, ſcripſi vobis per multas lacrymas, non vt triſtitia afficeremini, ſed vt meam charitatem dignoſceretis, quam abundantius habeo erga vos. ſiquis autem contriſtauit, non me contriſtauit, niſi ex parte, ne onerem omnes vos. Huic, ſat ſit illa obiurgario, quam a pluribus paſſus eſt, vt non vlterius exacerbetur: quin contra, illi potius condonate, & conſolemini eum, ne forte a nimio mœrore abſorbeatur. Quare hortor vos, vt erga ipſum priſtinam veſtram charitatem confirmetis. Ad hoc enim & ſcripſi, vt cognoſcam experimentum veſtrum, an in omnibus obedientes ſitis. Cui autem aliquid donaſtis, etiam per me donatum ſtatuo. Nam & ego, ſi quid condonaui; cui condonaui, illud, propter vos, in gratiá veſtram condonaui, in perſona Chriſti, cuius auctoritati ſum innixus; ne circumueniamur a ſatana, cuius cogitationes, atque molimina non ignoramus. Cum autem veniſſem Troadem propter euangelium Chriſti, & oſtium ibi mihi magnum eſſet apertum in Domino ad multorum ſalutem, & ad Domini gloriam; non habui requiem ſpiritui meo, eo quòd non inuenerim Titum fratré meum. Sed vale faciens eis, profectus ſum in Macedoniam. Sed Deo gratia, qui ſemper triumphare nos facit in Chriſto, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco. Siquidem Chriſti bonus odor ſumus Deo gratus, tum in illis, qui ſalui fiunt, tum in illis, qui pereunt. Alijs enim odor ſumus mortis ad mortem. Alijs vero odor vitæ, ad vitá, quam ſunt conſecuturi. Et ad hæc quis tam idoneus? Sed hæc præſtamus, quoniam non ſumus (ſicut plurimi) adulterantes verbum Dei: ſed ex ſynceritate, nihil falſi permiſcendo, ſed ſicuti a Deo prouenit, coram Deo, cui ſoli placere ſtudemus, Chriſto adhærentes, Dei verbum prędicamus.

Editio vulgata.

STATVI autem hoc ipſum apud me, ne iterum in triſtitia venirem ad vos. Si enim ego contriſto vos, & quis eſt qui me letificet, niſi qui contriſtatur ex me? Et hoc ipſum ſcripſi vobis, vt non cum venero, triſtitiam ſuper triſtitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere, confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium, omnium veſtrum eſt. Nam ex multa tribulatione & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lacbrymas: non vt contriſtemini, ſed vt ſciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis. Si quis autem contriſtauit, non me contriſtauit ſed ex parte, vt non onerem omnes vos. Sufficit illi qui eiuſmodi eſt, obiurgatio hac quæ fit a pluribus: ita vt econtrario magis donetis & conſolemini, ne forte abundatiori triſtitia abſorbeatur, qui eiuſmodi eſt. Propter quod obſecro vos, vt confirmetis in illum charitatem: Ideo enim & ſcripſi, vt agnoſcam experimentum veſtrum, an in omnibus obedientes ſitis. Cui autem aliquid donaſtis, & ego. Nam & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti, vt non circumueniamur a Satana, non enim ignoramus cogitationes eius. Cum veniſſem autem Troadem propter Euangelium Chriſti, & oſtium mihi apertum eſſet in Domino, non habui requiem ſpiritui meo, eo quòd non inuenerim Titum fratrem meum: ſed vale faciens eis, profectus ſum in Macedoniam. Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco. quia Chriſti bonus odor ſumus Deo in ijs, qui ſalui fiunt, & in ijs qui pereunt, alijs quidem odor mortis in mortem: alijs autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus? Non enim ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, ſed ex ſynceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquimur.

ADNOTATIONES.

NE iterum in triſtitia venirem ad vos. A
Theodoretus animaduertit, hanc vocem, *iterum*, non coniungendam cum illa dictione, *in triſtitia*, quaſi ſemel cum triſtitia acceſſiſſet ad illos, & iterum cum triſtitia eſſet acceſſurus, ſed abſolute ad ipſum verbum, *venirem*. Vt innuat, quòd ſemel acceſſit, non tamen cum triſtitia; nunc autem vitare velle, ne iteratum acceſſum faceret cum triſtitia, vti feciſſet, ſi illos non correptos nactus eſſet. Theodor.

B *Et hoc ipſum ſcripſi vobis.* Innuit (ſecundum Chryſoſtomum) ea, quæ infra habentur, *ne iterum cum venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex illis, qui antea peccauerunt.* Aut, *hæc ſcripſi vobis*, referuntur ad ea, quæ dixit prius. *Statui autem hoc ipſum apud me, ne iterum in triſtitia venirem ad vos.* Et ideo (vt exponit Theodoretus) meę litteræ anticiparunt meum aduentum; vt ex ijs corriperemini, ne veniens eſſem in triſtitia apud vos. Chryſoſt. hom. 4. 2. Cor. 12. Theodor.

C *Quam charitatem habeam abundantius in vobis.* Non hinc inferendum, quòd Apoſtolus eſſet acceptor perſonarum, quin omnium ſalutem æque peroptaret, & operaretur. ſed, cũ Corinthijs maiori cura prouidẽdum eſſet ob grauia pericula, quæ illis imminerent, dum ijs ſumma ſolicitudine intentus eſſet; hinc quodammodo maior erga illos, & abundantior charitas Apoſtoli apparebat. Sed neque abſurdum eſt.

eſt, quòd aliquos veluti domeſticos, & nobis neceſſitudine magna cōiunctos, præ alijs quodammodo ardentius diligamus.

D *Non me contriſtauit, ſed ex parte.* Hæc illum ſpectant fornicarium, aduerſum quem tam grauia ſcripſerat in epiſtola præcedenti; ob quem (inquit) ſe contriſtatum in parte, ne omnes grauaret; hinc innuens, quòd non omni ex parte erat contriſtatus; quaſi quòd omnes eadē culpa laboraſſent. Ex parte igitur contriſtatus fuit, quatenus ex ipſis vnus tantum deliquerat; vt videatur Apoſtolus animum ſuum fingere, tanquam vnum animum ex omnibus Corinthiorum animis conflatum: iuxta illud, quod
2.Cor. 11. habetur infra: *quis infirmatur, & ego nō infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* ac ſi ex ea parte cōtriſtatus fuerit, quoniam vnus tantum deliquerat, qui ad animum ſuum pertinebat: non alij, quos ſui partes animi pariter eſſe cenſebat. Aut (vt interpretan-
Theodor. tur Theodoretus & Theophylactus) ex parte fuit contriſtatus; propterea quòd non ſolum ipſe, verum etiam alij ex Corinthijs (licet non omnes) fuerant contriſtati ob facinus eiuſdem ſcortatoris.

E *Ideo enim & ſcripſi vobis.* Nempe increpans
1.Cor. 5. omnes ob illum fornicarium; dum ſcripſit eis in priori epiſtola, *& vos inflati eſtis; & non magis luctum habuiſtis?* quod inquit ſe feciſſe, vt experiretur
Græ. ſchol. (vt dicunt Græcanica ſcholia) an ipſius dicto obedientes eſſent: quemadmodum eiſdem hic imponit, vt erga eum, qui iam reſipuerat, propriam oſtendāt beneuolentiam. Vel ſcripſit nunc, vt confirment erga eundem propriam ipſorum charitatem; atque hinc (vt interpretatur Theophylactus) cognoſcat
Theoph. Apoſtolus eorum obedientiam.

F *Si quid donaui.* Hinc patet, abſolutionem ab excommunicatione declarari debere ab Epiſcopo, vt non ſit ſatis excommunicato, ſi ipſum pęnituerit; niſi etiam a Prelato in ipſum iuriſdictionem habente abſolutionem obtinuerit.

G *Cum veniſſem autem Troadem.* Id quoque ſpectat ad exordium epiſtolæ; vbi dictū eſt, quòd Deus cōſolatur ſuos fideles in tribulationibus. Nam, cum Troade nō inueniſſet Titum, vt exiſtimauerat, non mediocriter commotus eſt, quoniam eius opera indiguiſſet, oſtiumque magnum apertum ibi eſſet ad fructificandum in euangelio; & multi ex aduerſo eſſent obicem ponentes, & nihilominus tamen res proſpere ſucceſſit, vt patet ex his quę ſubiunguntur. *Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto.* Triumphum autem ſumpſerat ex Chriſti prædicatione; quoniam contra omnia aduerſantia odor notitiæ Chriſti per ipſum manifeſtatus erat. Dicitur autem odor notitiæ Chriſti, quoniam nunc non
1.Cor. 13. manifeſte cognoſcitur, ſed in ænigmate, vt dictum
Theodor. eſt in præcedenti epiſtola. Et (vt inquit Theodoretus.) *Hinc innuitur, quòd cognitionis ſit parua pars, & quòd nunc latet: apparebit autem in tempore inſtar incenſi, aut ſuffitus, qui ſæpe igni in thalamo admotus, foris etiam ſuauem odorem emittit.*

H *Chriſti bonus odor ſumus Deo.* Prædicatio erat de Chriſto, & de eius oblatione, quæ fuit gratiſſima Deo patri: hæc prædicatio ijs, qui ſalui fiunt, odor eſt ad vitam; illis autem qui pereunt, eſt odor in mortem. Aut ita dictum eſt: quoniam Apoſtoli Chriſti quodam modo immolarentur in perſecutionibus, e quibus tamen eripiebantur, & hinc erant bonus odor bonis in ſalutem; malis vero odor in mortem; qui occaſionaliter ex inuidia contra Apoſtolos excitati perdebantur. Vnde illud de Chriſto apud Lucam: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam,* Luc. 2.
& in reſurrectionem multorum. Poteſt etiam eſſe interpretatio, quòd boni ex prædicatione ad vitam deducebantur, quæ illis oſtendebatur: increduli autem damnabuntur. Accedit, quòd etiam ex potentia, qua diuinitus pollebant Apoſtoli, in interitum tradebantur increduli. Vnde infra. *Arma* 2.Cor. 10.
militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe. Item Paulo poſt; *& in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Theodoretus autem explicans hunc locum, inquit, Theodor.
Nos præbemus bonum odorem omnibus; ſed non omnes eius participes ſalutem conſequuntur; male enim affectis oculis lux eſt incommoda, & infeſta: & vultures fugiunt vnguenti fragrantiam, cum tamen vnguentum, ſit vnguentum, etiam quòd vultures id defugiant.

I *Et ad hæc quis tam idoneus?* Non id dicit Apoſtolus ex faſtu, quaſi ſe ipſum extollens, quòd propria virtute triumpharet ex prædicatione ſua; ſed id a Deo ſibi conceſſum ſupponit; vt qui miniſter eſſet fidelis Deo, & Chriſti gloriæ inſeruiret; quod innuit ex his quæ ſubinfert. *Non enim ſumus, ſicut plurimi adulterantes uerbum Dei;* Eos intelligens, qui ob quæſtum, atque vanam gloriam prædicabant, & erronea, ac falſa Chriſti doctrinæ permiſcebant. Paulus autem e contra; *ex ſinceritate, ſicut ex Deo.* Id eſt, vt proceſſit verbum Euangelij a Deo, ita illud prædicabat. *Coram Deo;* vt qui præ oculis Deum ſemper haberet; ſubiungens autem, *in Chriſto loquimur*, ſignificauit, quòd in Chriſto confideret, cuius gloriæ inſeruiret, eiuſque voluntati ſuam aptaret prædicationem.

PARAPHRASIS.

CAPIT. III.

INCIPIMVS iterum noſmetipſos commendare? quod obijciet hoc loco aliquis detractor. Numquid vero nos, vt nonnulli, indigemus aliorum ad vos commendatitijs epiſtolis, ut in veſtram gratiam recipiamur? vel veſtris ad alienam gratiam aucupandam? Epiſtola noſtra eſtis vos, ſcripta in cordibus noſtris, cognita, & perlecta ab omnibus hominibus, vt qui manifeſte ſitis Epiſtola Chriſti, adminiſtrata per nos ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui; non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carneis. Verum hanc fiduciā de noſtra prędicatione habemus ad Deum per Chriſtum mediatorem: nō quòd aſſumamus nobis, quòd ſufficientes ſimus aliquid cogi-

tare ex nobis, tanquam ex nobis; ſed omnem noſtram ſufficientiam, & idoneitatem agnoſcimus a Deo; qui & idoneos nos miniſtros effecit, nõ quidẽ litterę (qua lex vetus ſcripta erat) ſed ſpiritus, qui ſubminiſtratur in noua. Littera enim occidit, vt quæ iubet, tranſgreſſores morti tradi; ſpiritus autem viuificat, Dei gratiam cõferens. Si autem miniſterium mortis (ipſius nempe legis veteris, mortem delinquentibus comminantis) litteris deformatum in lapidibus, habitum fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere filij Iſrael oculos in faciem Moyſi, propter gloriam, quę in eius vultu ſplendebat, quę euacuatur, prout etiam miniſterium euacuandum erat; quomodo non multo magis miniſterium ſpiritus, quod fit per euangelium, erit in gloria? Nam, ſi adminiſtratio damnationis, ipſius legis condemnantis trãſgreſſores, fuit in ipſo Moyſe glorioſa, multo magis miniſtratio iuſtitiæ abundat in gloria. Quandoquidem nec glorificatum quidem dici poteſt id, quod claruit in hac parte apud Moyſem, propter excellentem in ipſo gloriam. Si enim quod euacuatur, miniſtratio ſcilicet illa Moyſi, extitit per gloriam: multo magis, quod manet miniſterium, eſt in gloria. Habentes igitur talem ſpem circa miniſterium noſtrum euangelicum, multa libertate vtimur, & non agimus, ſicut Moyſes, qui ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ad ſignificandum quòd non intenderent filii Iſrael, non mentem dirigerent in faciem atque notitiam legis euacuandæ. Verum obcęcati ſunt ſenſus illorum: vſque enim ad hodiernum diem, id ipſum velamen in lectione veteris teſtamenti, quod in littera legitur, manet non reuelatum; quoniam in Chriſto, in eius cognitione, & non aliter euacuatur. Sed vſque in hanc diem, vti diximus, dum legitur Moyſes, velamen ignorantię ſuper cor illorum ponitur. Cum autem conuerſi fuerint ad Dominum, velamen hoc ipſum auferetur. Dominus autem ſpiritus eſt: & vbi Domini ſpiritus, ibi libertas. Nos vero omnes, reuelata, atque detecta facie gloriam Domini in ſpeculo ſuſcipientes, in eandem imaginem transformamur, a gloria in gloriam procedentes, vti ducti a ſpiritu Domini.

Editio vulgata.

INCIPIMVS iterum noſmetipſos commendare? aut numquid egemus (ſicut quidam) commendatitiys epiſtolis ad vos, aut ex vobis? Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus: manifeſtati, quòd epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata a nobis, & ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum: Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non littera, ſed Spiritu: littera enim occidit: Spiritus autem viuificat. Quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere filij Iſrael in faciem Moyſi, propter gloriam vultus eius quæ euacuatur, quomodo non magis miniſtratio Spiritus erit in gloria? Nam ſi miniſtratio damnationis in gloria eſt, multo magis abundat miniſterium iuſtitia in gloria. Nam nec glorificatum eſt, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. Si enim quod euacuatur, per gloriam eſt: multo magis quod manet, in gloria eſt. Habentes igitur talem ſpem, multa fiducia vtimur, & non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, vt non intenderent filij Iſrael in faciem eius quod euacuatur, ſed obtuſi ſunt ſenſus eorum. Vſque in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non reuelatum (quoniam in Chriſto euacuatur,) ſed vſque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. Cum autem conuerſus fuerit ad Dominum auferetur velamen. Dominus autem Spiritus eſt: Vbi autem ſpiritus Domini ibi libertas. Nos vero omnes, reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini ſpiritu.

ADNOTATIONES.

INCIPIMVS *iterum nos metipſos commendare?* Præuidens diuinus Apoſtolus ſumpturos pſeudo Apoſtolos occaſionem, quòd ex ore proprio laudem ſibi daret ob ea, quæ dixit antea: hinc huic falſæ calumniæ occurrẽs, docet omnem inanem gloriam a ſe longe abeſſe, vt qui dirigat, vniuerſam ſuam in euangelio adminiſtrationem, ad Dei gratiam, & gloriam. Dicens autem, *incipimus iterum noſmetipſos commendare*, innuit calumniatores olim quoque id ipſum diſſeminaſſe; quòd laudem ex ore proprio ſibi *contexeret*: & forte occaſionem ſumẽtes ex illis verbis prioris epiſtolæ, *vt ſapiens Architectus fundamentum poſui*, & iterum in eadem epiſtola. *Abundantius illis omnibus laboraui*: quibus tamen in locis, vti & hic, omnem ſuarum operationum gloriam ad Deum refert. Dum autem arguit illos, qui epiſtolas commendatitias mendicabant, & aſſerit Corinthios eſſe Chriſti epiſtolam ab ipſo miniſtratam, non atramento ſcriptam, ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus; admirabili quadam ſapientia hinc ſermonem inducit de lege veteri, quam confert cum lege euangelica: & palam facit, quantopere hæc illi præſtat, innuens per tabulas lapideas, & carneas, dictum illud apud Ezech. *dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum*; nempe illud, quod ſit particeps rationis, vt exponunt Theodoretus, & Theophylactus: idque ad comparationem lapidis, qui ſine ſenſu eſt, & illorum cordium, quæ, vt lapidea, & dura, fidei veritatem ſuſcipere nolunt.

A (margin) — 1 Cor. 3. & 15. — Ezech. 36. — Theodor. Theoph.

B *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis.* Si non ſumus ſufficientes cogitare; multo igitur minus apti ſumus operari aliquid ex nobis; non opera naturalia, ac multo minus ea quæ ſint meritoria; adeo quòd, ſi aliquod factum a nobis proueniat, ita vt non ſit ſine nobis;

attamen nõ a nobis erit, tãquã ex proprijs viribus.
Vnde ſubiungitur; *ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt;*
quod eſt veriſſimum; cum nihil agere poſſit ho-
mo ſecundum motum naturalem ſine Deo, cum
Act.17. in ipſo (vt diſſerebat Apoſtolus in Areopago apud
Athenienſes) viuamus, moueamur, & ſimus; & ad
opera ſupernaturalia requiratur auxilium Dei ſpe-
ciale. Verumtamen Deus non cogit hominem ad
operandum, licet illum & illuminationibus illu-
ſtret, & donis ſuæ gratiæ roboret; quibus ſuffultus
homo, ex animi deinde propria voluntate, Deo
Auguſt.lib. cooperante, operatur quæ Deo ſunt placita. Augu-
de prædeſt. ſtinus ex his Apoſtoli verbis in lib. de prędeſt. ſanct.
ſanct.c.2. adnotat; longe errare eos, qui dicunt a nobis eſſe
fidei cęptum; ex Deo autem eſſe fidei ſupplemen-
tum. contra inquit ipſe; *ſi non ſumus ſufficientes co-
gitare aliquid; & fides ſupponit cogitationem (ſiqui-
dem neceſſe eſt vt quæ creduntur, præueniente cogita-
tione credantur, & poſſet aliquis cogitare, & non cre-
dere, quinimmo & hoc etiam cogitare vt non credat)*
ideo concludit, quòd neque credere eſt in nobis,
ſi in nobis oon eſt cogitare, ſine quo credere oon
poſſumus.

C *Qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamen
ti*. Hinc patet, Apoſtolos Chriſti oon fuiſſe mini-
ſtros pacti, ſeu teſtamenti, quod Deus pepigerat cũ
Populo Iſraelitico, educendi ipſum de Aegypto, &
introducendi in terram promiſſionis; ſed noui te-
Eſa.5. ſtamenti, eius videlicet, de quo eſt ſermo apud Eſa.
Rom.11. & in Epiſt. ad Rom. vbi dicitur, *Veniet ex ſion qui
eripiat, & auertat impietatem a Iacob, & hoc illi à
me teſtamentum, cum abſtulero peccata eorum.* Huius
igitur teſtamenti, miniſtri erant Apoſtoli; vnde in
Act.2. Act. dicebat Petrus: *pænitentiam agite, & baptize-
tur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in re-
miſſionem peccatorum veſtrorum; & accipietis do-
num Spiritus ſancti; vobis enim eſt facta repromiſſio,
& filijs veſtris.*

D *Non littera, ſed ſpiritu*. Aut vt Græci legunt
in generãdi caſu οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος, id eſt,
non litteræ ſed ſpiritus. vt omnino ijs verbis innuat
Apoſtolus, quòd ipſe, & alij Apoſtoli erant mini-
ſtri noui teſtamenti, & promiſſionis factæ a Deo:
non littera ſed ſpiritu: ſeu *non litteræ ſed ſpiritus*;
hoc eſt, non quo ad litteram, quatenus in Biblia fit
mentio de hoc teſtamento; aut in figura ſacrificio-
rum, & ceremoniarum inuolnebatur: ſed quo ad
ſpiritum, quem ex gratia Dei ſubminiſtrabant cre-
dentibus, & baptizatis. Ex quo magnum diſcrimen
apparet inter miniſterium legis Moſaicæ, & legis
Euangelicæ; a qua ſpiritus viuificans ſubminiſtra-
tur; legis autem littera occidit; vnde ſubiungitur:
littera enim occidit, ſpiritus autem viuificat; Quæ
Theodor. verba (ait Theodoretus) poſita eſſe a fine; quoniam
lex puniebat eos, qui tranſgrediebantur mandata:
gratia autem eos, qui credunt, viuificat. Lex quip-
pe requirebat ab hominibus iuſtitiam; proponе-
bat ea, quibus ſeruatis, iuſti efficerentur; at, non ſer-
uatis, morti traderentur. Sed cum lex nihil perdu-
Hebr.7. cat ad perfectum (vt dicitur in Epiſt. ad Hebr.) neq;
virtutem ſubminiſtret adimplendi mandata; ideo
occidere dicitur, vti ea, quæ præbeat occaſionem
mortis per eius mandata. Nam (vt dicitur in Epiſt.
ad Rom.) *concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret,* Rom.7.
non concupiſces. Et ibidem: *Nam peccatum, occaſio-
ne accepta per mandatum ſeduxit me, & per illud oc-
cidit*. Et alibi: *vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio;* Rom.4.
Quamobrem, ſi lex eſt occaſio præuaricationis, &
ad præuaricationem conſequitur mors; ideo inte
infertur, quòd lex occaſionaliter infert mortem;
idque ob infirmitatem carnis noſtræ, ob quam lex
non poteſt in nobis adimplere iuſtitiam, vt dicitur
in eadem Epiſt. ad Rom. Quod autẽ attinet ad ſpi- Rom.8.
ritum, ipſe viuificat: cum per ipſum peccator re-
ſurgat ad nouam vitam, vt vltra non faciat carnis
deſideria; ſed iuſte, & pie, & caſte Deo inſeruit;
hincque ducitur ad vitam æternam per Chriſtum
Redemptorem noſtrum, per quem viuificamur, &
ſalui ſimus.

E *Quòd ſi miniſtratio mortis*: Hoc loco texit ar-
gumentum Apoſtolus huiuſmodi a minori ad ma-
ius. Si Moyſes miniſter legis ſcriptæ, quæ condem-
nationem, & mortem eius tranſgreſſoribus inflige-
bat, ex hac ipſa adminiſtratione fuit in gloria, adeo
quòd filij Iſrael non poterant oculos intendere in
eius faciem gloria affluentem, quæ tamen euacua-
ta eſt ab eius facie, ſicuti & lex euacuata fuit, im-
pleta cum fuerit per Chriſtum; quanto igitur ma-
gis erunt in gloria miniſtri iuſtitiæ, & ſpiritus?
per quem acquiritur vita æterna, cuius gloria num-
quam enacuabitur?

F *Nam nec glorificatum eſt, quod claruit in hac
parte, propter excellentem gloriam*. Horum verbo-
rum communis eſt interpretatio; non poſſe dici,
quòd Moyſes fuerit glorificatus, *in hac parte*; id eſt,
in comparatione glorificationis, quæ pertinet ad
miniſterium ſpiritus. Vnde inquit Theodoretus: Theodor.
*noctu lumen lucernæ videtur ſplendidiſſimum; meridie
autem abſconditur, & ne lumen quidem videtur eſſe.*

Verum interpretari, *in hac parte*, pro eo quod
eſt, *in comparatione*, videtur inuſitatum, atq; diffi-
cilis, & duræ phraſeos, & *locutionis*. Num vero
poſſet hæc eſſe interpretatio? quòd neq; quod cla-
ruit *in hac parte*, nempe in facie Moyſi, fuit clarifi-
catum; eo quòd gloria reſplendens in eius facie, nõ
pertingebat ad oculos Hebræorum, vti illa gloria,
ſeu clarificatio, quæ ſuperabat aciem oculorum in-
tuentium in eam: & idcirco Moyſes portabat vela-
men ſuper faciem ſuam: vnde apud populum fa-
cies eius non fuit clarificata. Ac ſi diceret Apoſto-
lus: non ſolum eſt inferior gloria (quæ reſplenduit
in faciem Moyſi dum legem adminiſtraret Populo)
illa gloria, quæ conſiſtit in adminiſtratione ſpiri-
tus & iuſtitiæ; verum etiam dici poteſt, quòd neq;
fuerit omnino glorificata eius facies, propter excel-
lentiam claritatis, quæ ſuperabat aciem oculorum
populi; a quo propterea, non percepta, non fuit co-
gnita gloria relucens in facie Moyſi.

G *Habentes igitur talem ſpem*. Nempe, quòd per-
maneat, & non euacuetur gloria noſtræ adminiſtra-
tionis; vtimur (inquit Apoſtolus) libertate, vt palam
omnia loquamur, prædicantes Chriſti euangelium,
vt ſimus odor vitæ ijs, qui ſalui fiunt; & ijs, qui per-
eunt, odor mortis; & non apponimus velamen, vt

facie-

veritatis Euangelicæ, cui addicti ſumus: illud quoq; adnitentes, vt commẽdatos nos præſtemus ad omnem hominum cõſcientiam coram Deo, quem præ oculis ſemper habemus. Quòd ſi Euãgelium, quod prædicamus, adhuc eſt opertũ; illis porro eſt opertum, qui pereunt: in quibus Deus huius ſeculi excęcauit ſenſus ipſorum incredulitate, vt non fulgeat illis lumen Euangelij, gloriæ videlicet ipſius Chriſti, qui eſt imago Dei. Non enim prædicamus nos ipſos; ſed Chriſtum Ieſum Dominum; nos autem profitemur ſeruos veſtros, elaborantes in veſtram ſalutem ob gloriam Domini Ieſu. Quandoquidem Deus, qui verbo fecit lumẽ ſplendeſcere e tenebris, illuxit in cordibus noſtris; qui Apoſtoli eius ſumus ad hoc, vt pro Chriſto legatione fungentes, illuminationẽ in alios effundamus illius cognitionis, qua Dei gloria manifeſtatur in facie, atq; perſona Chriſti. Habemus autem Theſaurum huius tam auguſti miniſterij in fictilibus hiſce fragilibus vaſis corporum noſtrorum; vt eo magis innoteſcat, id ipſum a ſublimitate potentiæ Dei, & nequaquam a nobis pendere; vt mirũ non ſit (ſi reſpiciatur Dei potentia, & non quod nos valeamus) ſi in omnibus afflicti, non tamen anguſtiamur; rerum omnium difficultate prẹſſi, at non opprimimur; perſecutionibus petiti, non tamen derelinquimur; deiecti quaſi in profundum maris, nec tamen mergimur, aut perimus: mortificationẽ, ſimilitudinemq; mortis Chriſti per has afflictiones, atque paſſiones ſemper in corpore noſtro ita quidem circumferentes, vt & vita Chriſti, in qua reſurrexit a mortuis, ex quadam ſimilitudine in nobis manifeſtetur. Semper enim nos qui viuimus, dum hac vita vtimur, in mortem tradimur propter Ieſum; vt & vita Ieſu manifeſtetur, & repręſentetur in hac mortali noſtra carne, dum a tantis eruimur ęrumnis. Quare in nobis Apoſtolis, mors in his tantis afflictionibus expreſſa, operatur ad merendum. Vita autem eadem noſtra, quòd ſuperemus omnia, in vobis operatur ſalutem, quæ hinc ad vos emanat. Habentes autem eumdem ſpiritum fidei (ſicut ſcriptum eſt) credidi propter quod locutus ſum; & nos credimus, ac propterea loquimur, & prædicamus; ſcientes, quòd qui ſuſcitauit a mortuis Dominum Ieſum; & nos quoque per Ieſum ſuſcitabit; conſtituetque vobiſcum vna in reſurrectionem vitæ: Omnia enim propter vos, in veſtram tendunt ſalutem, quæ agimus, quęq; patimur: vt gratia Dei in multos abundans, efficiat vt per hos etiam abundet gratiarũ actio ad gloriam Dei: propter quod (vti diximus) non deficimus, aut defatigatione ſuccumbimus. Verum, & ſi extrinſecus hic homo, quo ad corpus, corrumpitur ſenectute, alijsq; incommodis, & ipſa tandem morte deficiet; attamen internus homo, ipſa mens, atque voluntas, e die in diem in ſpiritu renouatur, vt ſemper magis vigeat. Momentanea enim leuitas afflictionis, quam hic patimur, mirum ſupra modũ operatur, nobiſque gignit ęternum pondus ſtabilis glorię: ſpectantibus nobis, non quæ videntur, ſed quę non videntur, & attinent ad gloriam reuelandam, Quod & maxime decet nos facere, cum, quæ videntur, temporaria ſint, & tranſitoria; quæ autem non videntur, æterna, atque perpetua.

Editio vulgata.

IDEO habentes hanc miniſtrationem, iuxta quod miſericordiam conſecuti ſumus, non deficimus, ſed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum, corã Deo. Quòd ſi etiam opertum eſt Euangelium noſtrum: in ijs qui pereunt, eſt opertum, in quibus Deus huius ſeculi excęcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei. Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrum: nos autem ſeruos veſtros per Ieſum, quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationẽ ſciẽtiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu. Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur, aporiamur, ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur, deijcimur, ſed non perimus: ſemper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris. Sẽper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Ieſum, vt & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis. Habentes autem eumdem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt. Credidi propter quod locutus ſum, & nos credimus propter quod & loquimur: ſcientes quoniam qui ſuſcitauit Ieſum, & nos cum Ieſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum. Omnia enim propter vos: vt gratia abundans, per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei. Propter quod non deficimus: ſed licet is qui foris eſt noſter homo corrumpatur: tamen is qui intus eſt renouatur de die in diem: Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.

ADNOTATIONES.

A ABDICAMVS *occulta dedecoris*. Id eſt (vt interpretãtur Gręcanica Scholia) ea in occulto facere vitamus, quę manifeſtata pudorem afferunt; hinc taxãs Apoſtolus noſter pſeudo Apoſtolos; tum, quòd turpiſſimam vitam agerent, ſanctimoniam ſimulãtes cum aſtutia; tum quòd adulterarent verbum Dei, vel dogmata aliena inſerẽtes; vel vanas argutias humanæ ſapientiæ ad gratiam audientium permiſcẽtes: a quibus longe ſe abeſſe Paulus profitetur; qui cum manifeſtatione veritatis eam probationem vitæ coniunctam haberet, per quam ab omni hominum conſcientia commendari iure poſſet coram Deo, qui eſt ſcrutator cordium, in Græ. Scho.

cuius

cuius conſpectu, vt omnes eius actiones probarentur, ſibi curæ erat.

B *Quòd ſi etiam opertum eſt Euangelium.* Occurrit dubitationi emergenti (vt cenſent Theodoretus,
Theophyl. & Theophylactus) ex eo q dixit antea, quòd omnes
Thodor. reuelata facie repræſentamus gloriam Domini. Nam ſi ita eſt, vnde igitur adhuc velatum eſt Euãgelium
Græ.Scho. nonnullis? Secundum autem Græca Scholia. Dubitatio oriebatur ex eo, quòd dixerat in manifeſtatione veritatis cõmendare ſe ad omnem hominum conſcientiam. Quòd ſi ita ſe res habet; vnde igitur opertum eſt nonnullis Euangelium, vt non ſit illis manifeſtum? Cui dubitationi reſpondet, quòd ijs, qui pereunt, eſt opertum Euangelium; qui autem ſint hi, explicat ſubiungens.

C *In quibus Deus huius ſeculi excæcauit mentes infidelium.* Quæ verba variam receperunt interpretationem. Nam Chryſoſtomus hunc in modum explicat, quòd Deus omnium dominus eſt, & etiam huius ſeculi, & mũdi inferioris dominus, qui permittit excæcari mentes infidelium, ipſorum tamen
Theodor. culpa. Theodoretus autem ſubpungendum cenſet ad vocem *Deus*, vt non legatur cõiunctim, *Deus huius ſeculi*, ſed ita; *Deus excæcauit mentes infidelium huius ſeculi*; quoniam in hoc ſeculo viget infidelitas, cum in alia vita ſit futura nuda omnibus veritas. Neque (inquit) *Deus ijs incredulitatem immiſit. Sed cum vidiſſet eorum infidelitatem, non permiſit, vt viderēt occulta myſteria.* Et (vt inquit Theo-
Theophyl. phylactus) ſimile eſt huic, dictum illud in epiſt. ad
Aug. in lib. Rom. *Tradidit eos in paſſiones ignominiæ.* Auguſti-
contra Fau. nus in lib. 21. contra Fauſtum Manichæum: hanc
cap.21. quoque agnoſcit interpretationem: cui & dat manus, ſimul declarans, Deum iuſto iudicio (licet occultiſſimo) excæcare infideles. Idem hanc etiã aliam affert expoſitionem: vt, per *Deum huius ſeculi*, intelligatur Diabolus, licet non ſit re vera Deus; ſed, vt venter dicitur Deus nonnullorum, ita Diabolus Deus huius ſeculi mali; prout ſeculum in malam
1.Timot.4. partem accipitur: ſicut in epiſt. ad Timoth. *Demas enim me reliquit diligens hoc ſeculum.* Et huic quidem interpretationi conſentanea ſunt ea, quæ ha-
Epheſ.2. bētur in epiſt. ad Eph. vbi dicitur. *In quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſeculum mundi huius, ſecundum Principem poteſtatis aeris huius ſpiritus, qui nũc operatur in filios diffidentiæ*: quod reſpondet hic dictis, quod excæcauit mentes infidelium; quod tamen, non niſi Deo iuſte permittente fit; neque ſine aſſenſu humanæ prauæ voluntatis ad infidelitatem procumbentis.

D *Euangelij gloriæ Chriſti.* His inſinuatur, per Euangelium manifeſtari gloriam Chriſti, quam, ob eius mortem, conſecutus eſt: ſicut dicitur in epiſt.
Hebr.2. ad Hebr. *Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum, propter paſſionem mortis, gloria, & honore coronatum.*

E *Qui eſt imago Dei.* Nempe ſecundum diuinitatem; vti Deus de Deo.

F *In facie Chriſti Ieſu.* Id ipſum eſt dicere, quòd gloria Dei, ſub quodam lumine cognitionis, manifeſtata eſt ſanctis fidelibus per faciē Chriſti, in eius ſcilicet humanitate, per quam nobis cognitus eſt pater, & patris gloria, ſicut ipſe dixit. *Ego te clarificaui ſuper terram; manifeſtaui nomen tuum hominibus.* Ioan.17.
Nam (vt inquit Theodoretus) quoniam *Diuina natura ſub aſpectu nõ cadit, per ſumptam humanitatem diuina luce reſplendentem, & fulgura emittentem aſpicitur.* Theodor.

G *Semper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes.* Ambroſius, per *mortificationem Ieſu Chriſti*, eius mortem intelligit, quæ apparebat in Apoſtolis vndique vexatis, atque in pericula mortis traditis. Nam (vt inquit ipſe) *dubiũ non eſt, quòd in martyribus Chriſtus occiditur: & in ijs, qui pro fide patiuntur, aut exitus, aut vincula, aut verbera, Chriſti paſſiones ſunt.* Hæc autem, & quæ ſubduntur; quòd Apoſtoli quatenus viuentes, traderentur in mortem, vt & vita Ieſu in corpore eorum mortali manifeſtaretur; huc pertinent, vt palam fiat, quòd in periculis, & afflictionibus Apoſtoli vexabantur, & ab eiſdem etiam eripiebantur; vt ita manifeſtaretur in ipſis mors Chriſti, & eius reſurrectio. Quandoquidem, quòd eriperentur e tantis periculis, quibus opprimebantur Apoſtoli, hoc quædam a morte reſurrectio ſignificabatur. Et dum dicit; *dum viuimus*: hoc vult innuere, q poſt mortem non traderentur in mortem, cum ſint ad vitam non amplius deſituram peruenturi. Ambr.c.10.

H *Mors in nobis operatur.* Virtus in infirmitate perficitur, vt dicitur infra. Itaque pericula, & perſecutiones, & afflictiones operabantur in Apoſtolis fructum quendam; quãdoquidem ipſi, hæc patientes propter Chriſtum, in dies magis apud ipſum iuſtificabantur, & ita merebantur. 2.Cor.12.

I *Vita autem in vobis.* Id eſt, vita Apoſtolorum, quòd adhuc eſſent ſuperſtites, fructum operabatur in Corinthijs; tum, quòd per Apoſtolos ad fidem Chriſti perueniſſent; tum, quòd conſpicientes eos erutos e tantis periculis, quibus pene obruerentur; hoc etiam magis roborarentur in ſuſcepta fide. Nonnulli autem ex Græcis, hæc ita interpretãtur. Nos morimur ob Euangelium, vt vos per illud meliorem, & æternam vitam viuatis.

K *Habentes autem eundem ſpiritum fidei.* Dum ambulamus in hac vita, ſpiritus Dei viuificans adeſt nobis iuxta fidem, per quam ambulamus coram Deo, & Dei cognitionem habemus. Cũm vero euacuabitur fides (quod erit in alio ſeculo) ſpiritus Dei longe præſtantius habitabit in electis, qui facie ad faciem Deum videbunt.

L *Qui foris eſt noſter homo corrumpatur.* Homo foris intelligitur quo ad corpus, & quo ad ſenſus, ſecundum quos ſentit paſſiones corruptiuas; ſicut & corpus ad corruptionem cadit; & ita totum hominis, quod apparet extra, corruptioni eſt obnoxium.

M *Qui intus eſt renouatur de die in diem.* Internus autem homo, qui non apparet, tum quo ad mentem, tum quo ad voluntatem, renouatur in ſanctis; quoniam anima fidelis in dies ſemper proficit in fide, ſpe, & charitate. Quod contingit ijs, qui aciē mentis collocant, non in hæc temporaria; ſed in ea, quæ non videntur, & ſunt æterna; ob quæ, æquo animo patiuntur in externo homine omnia aduerſa-
tia,

Aug. in lib. quæſt.83. tia. Auguſtinus autem in lib.quæſt.83. animaduertit, hominem ioteriorem accipi pro ſpiritu mentis; exteriorem vero ſumi in corpore, & io hac mortali vita;ita tamen, vt vtrumque ſit vnus homo tantum; ſubiungens, Deum ad ipſius imaginem feciſſe homioem,ſecundum interiorem naturam;non autem ſecundum exteriorem..

PARAPHRASIS. Cap. V.

SCimvs enim, quòd ſi terreſtris hæc domus huius tabernaculi corporis noſtri, in quo mens inhabitat, diſſoluatur, ędificationem ex Deo habemus non manufactam, ęternam in cœlis a nobis obtinendam. Et enim in hoc gemimus,domicilio noſtro cœleſti ſuperindui optantes, corpore ſcilicet cœleſti, & immortalitate; ſi tamen veſtiti, noo nudi corpore ioueniamur. Nam & exiſtentes in tabernaculo huius terreni corporis, & ſi grauati ab ipſo(quum ſimus per ipſum ſubiecti quamplurimis incommodis) attamen gemimos,eo quòd nolumus hoc corpore exui,ſed ſuperindui quidē, ita vt mortale abſorbeatur a vita, vt morti vltra non ſit ſubiectum.Qui autem aptat nos io hoc ipſo, vt hac ſuper ueſte induamur, & ad immortalitatem deducamur, eſt Deus; qui dedit nobis,in ipſum credentibus,pignus, & arram ſpiritus illios, per quem domicilium hoc noſtrum viuificandum, & ad immortalitatem eſt deducendum. Audentes igitur ſemper,ſpe huius immortalitatis ſuffulti; ac ſcientes, quòd dum ſumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus ad Deum, nō per ſpeciem ipſum contemplamur) audacter confidimus,& bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præſentes eſſe ad Dominum: & ideo contendimus, ſiue abſentes,ſiue præſentes, illi placere. Omnes enim oos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti,vt recipiat vnuſquiſque,irreuocabili Dei iudicio, propria corporis, pront geſſit,ſiue bonom, ſiue malum. Atque ideo ſcientes nos timorem,quo erga Dominum nos gerere debeamus, hominibus idipſum ſuademus: & in hac noſtra cohortatione, quales nos exhibeamus,manifeſti ſumus Deo;ſpero autem,& apud conſcientias veſtras conſpicuos nos eſſe. Non enim iterum commendamus nos vobis. Sed occaſionem damus vobis,vnde poſſins pro nobis gloriari aduerſus illos, qui in faciem quidem gloriantur, at non ex corde; vt qui a propria factorum cōſcientia redarguātur. Siue enim excedimus, grandia atque magnifica de nobis proloquentes, id facimus ad Dei laudem:ſiue ſobrij ſumus,vt modeſte de nobis loquamor; id ad veſtram agimus ędificationem. Charitas enim Chriſti conſtringit nos; ęſtimātes hoc; quòd, ſi vnus pro omnibus mortuus eſt,ipſe Chriſtus;igitur omnes in ipſo,in qno crucifixus eſt vetus homo, mortui ſunt peccatis. Et Chriſtus quidem pro omnibus mortuus eſt; vt qui hac vita oiuntur, non amplius ſibi ipſis viuant; ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Quare poſt hac,neminem cognoſcimus ſecundum carnem;neminem hominum vltra ſpectamus, vt carnali hac maſſa circundatum corporea, atque caduca; ſed vt is, qui in aliam formam corporis immortalis eſt tranſmutandus. Nam & ſi Chriſtum etiam cognouimus ſecundum carnem, vt qui carnalem hanc maſſam corporis paſſibilem geſtauit, dum eſſet in terris; attamen ipſum vltra nō cognoſcimus ſecundum carnem; cum, poſt reſorrectionem a mortuis, induerit corpus penitus impaſſibile, & immortale. Quare, ſi quis in Chriſto eſt, fide in ipſo inſertus, noua effectus creatura, ab huioſmodi homine vetera præteriere. Ecce noua facta ſunt omnia; ita qoidem, vt ſicuti ſpiritu, ſic & corpore ſit inoouandus ad immortalitatem. Hæc autem omnia tam præclara bona oobis proueniont a Deo; qui oos ſibi inimicos reconciliauit per Ieſum Chriſtum, & nobis Apoſtolis miniſterium reconciliationis tradidit; ita quidem, vt, quemadmodum Deus erat in Chriſto reconcilians ſibi mundum, non imputans hominibos delicta eorum;ita quoque in oobis inſeruit verba huius reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur,tanquam Deo per nos exhortante homines: eoſdem,vice Chriſti, obſecramus ijs vocibus. Reconciliamini Deo,o Mortales: quandoquidem id faciēdi magna vobis eſt oblata occaſio;cum Deus Chriſtum,qui oumquam peccatum fecit,conſtituerit peccatum; hoſtiam ſcilicet,in qua omoium peccata dilueret, vt nos peccatores, per hanc hoſtiam reconciliati, in Chriſto efficeremur iuſtitia Deo; hoſtia ab omni macula atque iniquitate mundata; atque ideo grata, & acceptabilis io conſpectu Dei.

Editio vulgata.

SCimvs *enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitionis diſſoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domū non manufactam æternam in cælis. Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram quæ de cælo eſt, ſuperindui cupientes: ſi tamen veſtiti, non nudi inueniamur. Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati: eo quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur quod mortale eſt a vita. Qui autem efficit nos in hoc ipſum, Deus qui dedit nobis pignus ſpiritus. Audentes igitur ſemper,& ſcientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur a Deo, (per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præſentes eſſe ad dominum. Et ideo contendimus, ſiue abſentes, ſiue præſentes placere illi. Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Scientes, ergo timorem domini, hominibus ſuademus: Deo autem manifeſti ſumus. Spero autem & in conſcientijs veſtris manifeſtos nos eſſe. Non iterum commendamus nos vobis,ſed occaſionem damus vobis gloriandi pro nobis, vt habeatis ad eos qui in facie gloriantur, & non in corde. Siue enim mente excedimus, Deo, ſiue ſobrij ſumus, vobis. Charitas enim Chriſti vrget nos: æſtimantes hoc,quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt,*

tuus eſt, ergo omnes mortui ſunt. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & qui viuunt, iam non ſibi viuant ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit. itaque nos ex hoc neminem nouimus ſecundum carnem. Et ſi cognouimus ſecundum carnem, Chriſtum, ſed nunc iam non nouimus. Si qua ergo in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis: quoniam quidem Deus erat in Chriſto, mūdum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto reconciliamini Deo. Eum enim qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit: vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo..

ADNOTATIONES,

A SCIMVS *enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra.* Optimam diuinus Apoſtolus induxit occaſionem (quaſi aliud agens) tractandi de corporum reſurrectione, ex eo quod dixerat, externum hominem deſtrui, internum autem renouari; vnde emergebat ſcrupulus circa corpus, quaſi deſtruendum, & non amplius eſſet reparandum. Idcirco tollens omnem difficultatem, docet, corpora noſtra tranſmutanda eſſe ad ęternitatem, & incorruptibilitatem. Verba autem hæc: *terreſtris domus noſtra huius habitationis:* ſunt, qui ita interpretantur: nempe inferri ab Apoſtolo, quòd & ſi vita, quam nunc agimus in terris, deſtruatur; attamen aliam ſumus habituri in cœlis ęternam; vt cœlum ſit domus iſta ęterna nobis futura; nō vltra hęc terreſtris vita. Verum, dictorum verborum, is quoq; poſſet eſſe ſenſus: quòd, & ſi corpus hoc terrenum diſſoluatur; attamen aliud ęternum ſumus habituri; idem quidem corpus proprium cuiuſque noſtrum; ſed tranſmutatum in incorruptibilitatem. Vbi adnotandum eſt Græce legi, τοῦ σκήνους, id eſt tabernaculi; vt hinc innuatur corpus, in quo (tanquam in tabernaculo) anima inhabitat. Qua voce vſus eſt Apoſtolus ad denotandum, quòd non firma eſt domus huius tabernaculi. Sed in ipſa peregrinamur (in hoc forte alludens vitæ, quam tranſigebat populus Iſraeliticus, habitans ſub papilionibus, dum iter faceret per Aegyptum) cum mox firmam domum atque domicilium, corpus nempe cœleſte,
1.Cor.15. ſpirituale, & glorioſum, quale deſcriptū eſt in epiſt. ſuperiori, in perpetuum ſimus obtenturi. Cui quidem expoſitioni conſentire quoque videntur ea,
Auguſt. in Pſal.68. quæ habet Auguſtinus in expoſitione Pſ. 68. Dum inquit ex Apoſtolo, nos habere domum non manufactam, in cœlis ęternam; id eſt, *immortalitatem præparatam nobis.*

B *Aedificationem ex Deo habeamus. domum non manufactam, ſed ęternam in cœlis.* Corpus hoc noſtrum in tantum eſt manu factum; quatenus ex miſcella viri cum muliere, iuxta ordinem naturæ conſtituitur, atque formatur; & terrenum eſt, ſicuti & primus homo Adam ex puluere terræ creatus eſt.
Græ. Scho. Addamus (quod inquiunt Græca Scholia) quòd præſens vita opus habet noſtra opera, vt cōſtituenda ſit per cibum, potum, & huiuſmodi. At domicilium, ipſum corpus incorruptibile, non niſi a Deo fiet; & hoc ęternum in cęlis, quoniam ibi poſſidenda eſt hæc domicilij, noſtri corporis renouatio.

C *Habitationem noſtram quæ de cœlo eſt.* Hoc dicit; quoniam fiet corpus ſpirituale, non amplius obnoxium humanis neceſſitatibus; ſed viuificatū, & glorioſum erit. Et illi hoc continget de cœlo; nēpe ob cœleſtem gratiam. Vnde Theophylactus, *de* Theophyl.
cœlo, (inquit) *eſſe corpus; non quòd ſuperne deueniat, ſed quòd inde dimiſſam habeat ſibi immortalitatis gratiam.*

D *Si tamen veſtiti, & non nudi inueniamur.* Aliqui legunt, *inueniemur;* cui lectioni magis etiam quadraret ante allata interpretatio; qua dicebatur, habendam eſſe talem habitationem in cœlis, vitam nempe cœleſtem in fruitione Dei cum gloria, ſi tamen veſtiti, nempe virtutibus, & bonis operibus inueniemur. Nam, qui peccatorum onere erunt grauati, hi nequaquā hac cœleſti habitatione perfruentur; quamuis & ipſi ſint futuri per reſurrectionem corporum immortales; ſed non impaſſibiles. Græ- Græ. ſchol.
ca autem Scholia, cum Theophylacto, & Theodo- Theophyl.
reto inquiunt, nudos hic vocari, eos, qui ſunt nu- Theodor.
dati gloria corporum. Si autem legatur: *inueniamur,* prout habet editio vulgata, dictorum verborum is erit ſenſus. Nos ſcilicet ingemiſcere, vt ſuperinduamur immortalitate corporis (in quo aperte colligitur, idem cuiuſque corpus ſupponi transmutādum) vt non perdatur, & adnichiletur; ſed ſuper illud veſtis apponatur immortalitatis: *Si tamen veſtiti, & non nudi inueniamur.* Ita loqui videtur Apoſtolus: quoniam, qui obierunt, habent animam ſeiunctam a domicilio proprij corporis. Vnde de ijs, qui carent corpore, non conuenit dicere, quòd ſuperueſtiri ingemiſcant, ſed veſtiri quidem corpore immortali, cum nudi, & ſpoliati corporis domicilio inueniantur. Qui autem corpore veſtiti, in ipſo viuentes reperiuntur, ijs contingit optare, vt ſuper induātur immortalitate corporis, a quo nollent exui, ſed bene ſuperueſtiri, vti dictum eſt. Huicque interpretationi valde conſentanea videntur quæ ſequuntur.

E *Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo.* Quod ſane conuenit viuis, *ingemiſcimus grauati;* id eſt, etiam quòd corpus aggrauet nos viuentes in corpore, cum propter ipſum tot neceſſitatibus, atque incommodis obnoxij reddamur; attamen ingemiſcimus, eo quòd nolumus exui, & ſpoliari hoc domicilio; ſed ſuperueſtiri; vt abſorbeatur, quod mortale eſt, a vita, id eſt; cupimus vt ſeruetur proprium corpus noſtrū, ad vitam tamen traductum immortalem, abſorta mortalitate ab immortalitate: adeo quòd (vt exponit Theodoretus) *ſicut lux exoriens* Theodor.
facit tenebras euaneſcere; ita etiam vita, in quam non cadit interitus, tollit, ac delet corruptionem.

F *Qui autem efficit nos in hoc ipſum Deus.* Græce habetur, κατεργασάμενος. Quæ vox, & præſentis, & præteriti temporis recipit ſignificatum; vnde aliqui ita legunt, & *qui formauit nos in hunc mo-* Græ. Scho.
dum, Deus eſt; Vnde Græca Scholia cum Theo- Theophyl.

phylacto

phylacto interpretantur, quòd Deus effecit nos, & creanit ad hoc, vt eſſemus immortales. Sequentes autem vulgatam editionem dicemus; quòd, qui efficit, & conſtruit nos in hoc domicilium corporis immortalis, eſt Deus; adeo quòd non manufactum tabernaculum erit iſtud, vt fuit illud Moyſi, vel vt primus homo Adam ex pulnere creatus eſt; aut ſicut corpus generatur ex maris, & fœminę cõiunctione; ſed corpora quæ nunc poſſidemus, a Deo per ſpiritum viuificantem conſtruentur in immortalitatem: vt ita de cœlo habitationem ſimus accepturi a Deo; videlicet corpus ſpirituale, immortale, & glorioſum.

G *Qui dedit nobis pignus ſpiritus.* Arrabonem ſcilicet huius immortalitatis. Quæ, cum per ſpiritum viuificantem, non per animam viuentem, ab extrinſecis adiumentis ſit futura in corpore; ideo, ex eo quòd ſpiritum Dei recipimus in cordibus noſtris (& olim inuiſibilibus ſignis apparebat) quibus Dei potentia in nobis exequenda detegitur; certe hinc ſperandum, quòd totum corpus adeo viuificatum reddetur, vt euadat ſpirituale, & glorioſum cum omni incorruptibilitate.

H *Audentes igitur.* Id eſt, ex hac certa ſpe facti audaces, cõtra etiam propriam inclinationem, qua nollemus ſpoliari corpore, ſed ſuperindui immortalitate, citra animæ ſeparationem a corpore; attamen (inquit Apoſtolus) & expoliari corpore audemus, ex hac certa futura immortalitate confortati; cuius pignus, ipſum Dei ſpiritum nobis communicatum, habemus. Et ſcientes præterea, quòd, dum ſumus in hoc corpore mortali, *peregrinamur a domino;* apud quem eſſe non poſſumus cum hoc mortali corpore. *Per fidem enim ambulamus.* Non abſolute quidem alienus eſt a domino, qui fide Deo adhæret, & ſpiritum Dei accepit. Verumtamen ambulãs in fide, ideo peregrinatur a Deo, quoniam tantum in ęnigmate Deum cognoſcit, non per ſpeciem, neque facie ad faciem, vti contingit animæ beatæ, quæ fruatur diuina viſione, licet a corpore ſit ſeiuncta. Hinc deducit Apoſtolus, ineſſe ſibi voluntatem magis ſeparari a corpore, vt cum Deo eſ-
Philipp. 1. ſe poſſit: ſicuti alibi dixit: *cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.*

I *Et præſentes eſſe ad dominum.* Hinc manifeſte colligitur, ſupponi ab Apoſtolo, quòd, cum primum iuſtus peregrinatur, & exit ab hoc mortali corpore, eius anima exiſtens immortalis Dei viſione fruitur; quamuis ſit ſeiuncta a corpore:

K *Referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit.* Ante Tribunal Chriſti apparebunt omnia, quę quiſque fecerit, vel bona, vel mala. Et hæc Apoſtolus appellat propria corporis: propterea quòd anima rationalis, quæ infunditur a Deo in corpore, eſt ſancta; ſed ſtatim coinquinatur, recepta vt primum fuerit in corpore coinquinato; in quo omnia quoque ſua munia præſtat, & efficit anima; & ideo tum bona, tum mala facta ab anima, in corpore ſunt iudicanda.

L *Qui in facie gloriantur, & non in corde.* Pſeudo Apoſtoli gloriabuntur in apparentia, nõ in corde; vt qui ſibi conſcij eſſent prauæ ipſorum voluntatis, & malæ actæ vitæ. Vnde intrinſecus redarguebantur a propria conſcientia, vt ex corde gloriari non poſſent.

M *Siue enim mente excedimus.* Id eſt, dum magnifica de ſe enunciabat, in quo inſanire Apoſtolus male affectis videri poterat; vel, dum profunda myſteria tractabat, hæc ad Dei gloriam faciebat.

N *Siue ſobrij ſumus, vobis:* Id eſt, dum humilia de ſe afferebat, id faciebat ad Corinthiorum vtilitatem; vt hinc ſuo exemplo inſtruerentur ad modeſte ſe ſe gerendos.

O *Si vnus pro omnibus mortuus eſt.* Hanc ſtatuit regulam, iuxta quam hortatur omnes ad vitam agendam Chriſto conformem, & eſt huiuſmodi. Si, pro quia, Chriſtus mortuus eſt (quantum ad ſufficientiam, & eius voluntatem, vt omnes ſalui fierẽt) ergo omnes mortui ſunt; nempe in Chriſto, in quo vetus homo noſter crucifixus eſt, vt dicitur in epiſt. ad Rom.

P *Itaque nos ex hoc neminem nouimus ſecundum carnem.* Theodoretus explicans hũc locum, inquit, Rom. 6. Theodor. cum morte domini mortem diſſolutam didicerimus, nullum deinde hominem mortalem eſſe ſcimus: & ſi dominus habuit corpus paſſibile, tamen poſt paſſionem, id alienum a corruptione, & interitu effecit. Græca autem Scholia cum Theophylacto hæc referunt ad vitam carnalem, & veterem. Græ. ſchol. Theophyl. Nam renati, ad nouam quandam, & ſpiritualem vitam tranſeunt. Chriſtus autem (inquit Theophylactus) ſecundum carnem vixiſſe dicitur; quando pro naturæ paſſionibus (nulli tamen culpæ obnoxius) vixit; famẽ, ſitim perpeſſus. Aduertendum autem, quod interpres habet, *ex hoc*, Græcos legere ἀπὸ τοῦ νῦν, id eſt, *ex nunc*, & idem eſt ſenſus. Ac ſi ita diceret Apoſtolus. Ex illo nunc, quo Chriſtus reſurrexit ad vitam glorioſam, & immortalem, ad quam etiam peruenturi ſunt, qui in ipſo fuerint coninſiti; vltra non nouimus, neque conſideramus aliquem ſecundum carnem, nempe paſſibilẽ: ſicuti accepta eſt caro in epiſtola ſuperiori, dum dictum eſt: quòd caro, & ſanguis, id eſt corpus mortale, 1. Cor. 15. regnum Dei non poſſidebunt.

Q *Et ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum,* 1. Cor. 15. *ſed nunc iam non nouimus.* Aliquis dicere potuiſſet, dum viuimus in carne, ſumus, vti & Chriſtus fuit; ideo (inquit Apoſtolus) ſcimus quidẽ Chriſtũ fuiſſe in carne hac paſſibili; at non amplius eſt cum hac carne paſſibili. Et cum nos mortui ſimus cũ Chriſto per baptiſmum, & nũc illi viuamus, qui corpore factus eſt immortalis, tales nos quoq; cenſere debemus. Quod quidẽ magnã vim habere debet ad excitandos animos vere chriſtianos ad contẽptũ huius vitæ mortalis, pro qua, immortalem (quã quodammodo iam obtineamus in Chriſto) ſimus recepturi. Huic interpretationi conſentanea videntur, quæ habet Auguſt. in lib. contra Fau. dum explicans hæc Aug. lib. 11. contra Fau. cap. 1. Apoſtoli verba inquit. *Carnẽ hoc loco, non ipſam corporis noſtri ſubſtantiam, quam & dominus poſt reſurrectionem carnem appellat, dicens; palpate, & videte,* Luc. 24. *quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere, ſed corruptionem mortalitatemque carnis vult intelligere Apoſtolus; quæ tunc non erit in*

Tho. Aqui. *nobis, ſicuti in Chriſto non eſt*. Thomas autẽ verba hæc, *neminem nouimus ſecundum carnem*, ita interpretatus eſt. Non approbamus viuentem carnaliter, vel ſecundum obſeruantias carnales legis. Vel nos, ſecundum carnem, ſecundum affectum carnalem, ad quem non cognoſcimus, vel reſpicimus. Et quo ad Chriſtum, dicit, quòd Apoſtoli cognoſcebant Chriſtum ſecundum affectum carnalem, carnali beneuolentia ipſum proſequebantur; donec venit ſpiritus ſanctus, per quem eleuati fuerunt ſecundum ſpiritum, & ceſſauit carnalis affectus.

Ex hoc autem loco, non ignorandum eſt, Manichęos deduxiſſe, quòd Chriſtus non habuit verum corpus; cum Apoſtolus (& ſi alibi ſecus locutus ſit) attamen hic ſuam ſtatuit ſententiam, quòd non co-
Aug. lib. 11. contra Fau. cap. 1. gnoſceret Chriſtum ſecundum carnem. Aduerſus quos arguit Auguſtinus, tum ex eo quòd Apoſtolus non dicit, ſe opinatum eſſe olim Chriſtum habuiſſe carnem; ſed aſſertiue, inquit; olim nouimus Chriſtum ſecundum carnem; tum quoniam pariter nullum hominem agnoſceret ſecundum carnem, ſicuti dicit, quòd ex nunc non cognoſcit aliquem ſecundum carnem. Addamus, quòd Apoſtolus non impugnat ſimpliciter prius dictum; nẽpe, quòd olim agnouerit Chriſtum ſecundum carnem; ſed inquit, quòd nũc non agnoſcit ſecundum carnem; nempe, vt qui corpus acceperit immortale & ſpirituale poſt reſurrectionẽ. At dubitaret aliquis, cum Chriſtus obtulerit ſuum corpus poſt reſurrectionem tangendum Apoſtolis, quod carnem habebat; quomodo hoc loco dixerit Paulus, quòd nunc non cognoſcit Chriſtum ſecundum carnem? Cui dubitationi ita occurrendum eſt; quòd vtique caro erat in corpore Chriſti; ſed non, qualis antea, corruptibilis, & paſſibilis, & egens alimento, qualis in nobis degentibus in hac vita mortali reperitur.

R *Si qua ergo in Chriſto noua creatura*. Græce ita: εἴτις ἐν χριςῷ, καινὴ κτίσις. & poſſunt duobus modis conſtrui. Aut hunc in modum; ſi *qua ergo in Chriſto noua creatura*; & erit ſenſus; ſi quis factus noua creatura in Christo per baptiſmum, huic vetera
Theophyl. tranſierunt; vt non amplius facinora ſequatur, vt interpretatur Theophylactus, neque ritibus veteris legis ſit addictus, ſed aliam vitam ſectetur, & ad immortalitatem perueniat. Aut hunc in modum. *Si quis in Chriſto, noua creatura*; id eſt, ſi quis inſitus eſt in Chriſto, noua eſt creatura, cum vetus homo ſit crucifixus in ipſo per baptiſmum. Vnde ſubiungit Apoſtolus? *vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua*, quoniam ſcilicet peccata ſunt ſublata, & nouum genus vitæ ſequendum eſt. Sed, & caro immutanda, cum ex mortali ſit futura immortalis.

S *Reconciliamini Deo*. Hoc eſt ſummarium, & caput legationis, & prædicationis Euangelicæ; ac ſi ita populos adloqueretur Apoſtolus: o vos mortales, Deo reconciliamini.

Rom. 3. T *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis pec-*
Hebr 7. *catum fecit*. Deus (vt dicitur in epiſt. ad Rom.) pro reconciliando ſibi genere humano, conſtituit Chriſtum propitiatorem pro peccatis noſtris, Põtificem ſegregatum a peccatoribus, vt qui nullius peccati culpa eſſet grauatus: quem tamen Deus pro nobis fecit peccatum; quatenus in ipſo pœnas luit nobis debitas ob peccata; vnde piaculum factum eſt, & Rom. 8.
hoſtia deferens peccata noſtra; iuxta illud ad Rom. *Et de peccato damnauit peccatum in carne*. Et hoc; *vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo*: quoniam per ipſum iuſtificati ſumus ſecundum iuſtitiam, qua August. lib.
vere iuſti euadimus coram Deo. Auguſtinus autem cont. inim.
in lib. cõtra inim. leg. & Proph. animaduertens, quo- leg. & Prophe. c. 14.
modo poſſit dici, quòd Chriſtus non nouerat peccatum, ſi peccata arguebat, inquit; quòd nouerat peccata ſecundum ſapientiam; at non ſecundum Idem in lib.
experientiam. Idem in lib. Enchir. animaduertit, Enchir. cap.
Chriſtum, ob ſimilitudinem peccati, in qua vene- 41.
rat, dictum eſſe peccatum, cum eſſet ſacrificandus ob diluenda peccata; vnde inquit. *In veteri quippe lege, peccata vocabantur ſacrificia oblata pro pecca-* Oſee 4.
tis. Sicuti apud Oſeam inuehens dominus in peſſimos ſacerdotes, hæc habet; *peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum ſubleuabunt animas eorum*. Et ibi Ioſa habet: *peccata populi, id eſt occaſiones populi*.

PARAPHRASIS. Cap. VI.

COOPERANTES autẽ in hac Dei reconciliatione, vt qui pro Chriſto legatione fungimur, hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. (Ait enim Dominus per Eſaiam, tempore accepto exaudiui te; & in die ſalutis, adiuui te; ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis) illud etiam ſtudentes, ne vllam alicui demus offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum. Sed in omnibus exhibeamus, & conſtituamus nos, ſicut Dei miniſtros, in multa patientia; in tribulationibus; in neceſſitatibus; in anguſtijs; in plagis; in carceribus; in ſeditionibus; in laboribus; in vigilijs; in ieiunijs; in caſtitate; in ſcientia; in longaminitate; in ſuauitate; in Spiritu ſancto; in charitate non ficta; in verbo veritatis; in potentia Dei; tranſeuntes illęſi per media arma, quibus hominis probatur iuſtitia; ſiue a dextris ſint arma cum proſperitate; ſiue a ſiniſtris cum aduerſitate coniuncta. Nempe per gloriam, & ignominiam; per infamiam, & bonam famam; vt impoſtores reputati, & vt veraces; vt ignoti, & noti; vt morientes, & ecce viuimus; vt caſtigati, & non mortificati, nec morti traditi: quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes; ſicut egentes rerum temporalium, multos autem ſpiritualibus diuitijs locupletantes; tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. Os noſtrum apertum eſt ad vos o Corinthij, vt cum omni libertate vos alloquamur. Cor noſtrum dilatatum eſt, ſcatens beneuolentia. Vos neutiquam anguſtiamini in nobis, in corde noſtro. Sed anguſtiamini in viſceribus veſtris. Quare eandem remunerationẽ vobis optans (vt filijs dico) dilatamini & vos in cordibus veſtris. Nolite iugum ducere cum infidelibus: Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? quæ vero conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?

Quis

Quis autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim enim eſtis templum Dei viuentis, ſicut dixit Deus in Leuitico. Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus; & ipſi erunt mihi populus. Quapropter exite de medio eorum, & ſeparamini ab eis, dicit Dominus apud Eſaiam; & immundum ne tetigeritis, & ego ſuſcipiam vos; & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus omnipotens.

Editio vulgata.

ADIVVANTES autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. (Ait enim, Tempore accepto exaudiui te: & in die ſalutis adiuui te. Ecce, nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies ſalutis, nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum: ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iuſtitiæ a dextris, & a ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam: vt ſeductores & veraces: ſicut qui ignoti, & cogniti: quaſi morientes, & ecce viuimus, vt caſtigati, & non mortificati: quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. Os noſtrum patet ad vos o Corinthij, cor noſtrũ dilatatum eſt. Non anguſtiamini in nobis: anguſtiamini autem in viſceribus veſtris, eandem autem habentes remunerationem (tanquam filijs dico) dilatamini & vos. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras. Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei viui: ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis: & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini dicit dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos: & ero vobis in patrem: & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit dominus omnipotens.

ADNOTATIONES.

A *ECCE nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Qui adeſt homini, dum agit hanc vitam mortalem; ſed præcipue poſt Chriſti aduentum aduenit tempus acceptabile; tempus gratiæ, & abſolutionis a peccatis: quod deficiet in ſecundo aduentu, cum Chriſtus venerit ad iudicandum mundum.

B *Per arma iuſtitiæ a dextris, & a ſiniſtris.* Arma iuſtitiæ (inquit Theodoretus) ponuntur contraria; vt maledictum, & laus; mors, & vita; ex quibus tamen Apoſtolus contemperauit ſibi vnam virtutem; vt puta, non laus inflauit, nec maledictum excruciauit; ſed per contraria ingrediens; manſit immutabilis. Et per, *dextra*, intelligit quę grata ſunt animo, per *ſiniſtra* vero, contraria, iuxta hominum opinionem. Oecumenius autem inquit, ijs detegi, quibus medijs bona prædicta Apoſtolus peregerit: nempe per arma iuſtitiæ, dextra, & ſiniſtra; in quibus cum non fuerit deuictus, ideo arma iuſtitiæ facta ſunt. Quidam alij ita interpretantur: Per arma virtutum incedimus in proſperis, & aduerſis. Verum explicandum eſſet, quonam modo dextra, & ſiniſtra ſint arma iuſtitiæ. Igitur, cum dicat Apoſtolus, quòd tranſiuit per arma iuſtitiæ, rem magni periculi ſe cucurriſſe ſignificat; nempe per arma, quæ impetum faciunt; vt quicunque illis obſiſtit, & ea depugnat, hinc iuſtus declaretur. Sunt autem hæc arma, proſperitas, & aduerſitas rerũ, quæ per dextra, & ſiniſtra, ſignificantur; a quibus non contaminari, non contingit homini, niſi ex virtute Dei. Vnde, inquit Apoſtolus, hunc curſum ſe tenuiſſe in virtute Dei. Auguſtinus autem in enarrat. Pſal. 92. interpretatur per arma iuſtitiæ, decorem, & fortitudinem: dicens, quòd decorem afferebat Apoſtolus, quibus placebat; fortitudinem aduerſus eos, quibus diſplicebat.

Theodor. — Oecum. — Auguſt. in Pſal. 92.

C *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes.* Auguſtinus in tract. Pſal. 138. animaduertit, ad triſtitiam ſanctorum apponi, *quaſi*; quòd quaſi triſtes ſint; non autem ad gaudium eorumdem; vt dicatur, quòd quaſi gaudium habeant. Idque propterea quòd gaudij certa ſit ſpes, quaſi autem triſtitia eſſe dicitur; quoniam velut in ſomnis tranſit. Quemadmodum etiam ſancti limitate dicuntur, *ſicut egentes*; non ſimpliciter egentes: ſemper autem dicuntur *locupletantes*; quoniam ſua prædicatione alios in ſpiritualibus diuites facerent. Vel (vt inquit Theodoretus) quoniam Apoſtolus colligebat pecunias, vt dominus cuiuſuis domus piæ; & in pauperes diſtribuebat.

Auguſt. in Pſal. 138. — Theodor.

D *Os noſtrum patet ad vos o Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt.* Chryſoſtomus, quem ſequuntur alij Græci, ita hunc locum interpretatur. Cum Apoſtolus Corinthios eſſet reprehenſurus, vt eos ſibi conciliatos, commodius deinde, & fructuoſius accuſare, atque corripere poſſet; ideo præmittit, habere ſe apertum os ex abundantia cordis, & cor dilatatum ob ſummam, (qua ipſos proſequeretur) beneuolentiam; cui parem ei non redderent: quin anguſtiarentur in viſceribus ipſorum; ac propterea hortatur, vt & ipſi dilatentur in corde, & in beneuolentia: illaque verba. *Eandem autem habentes remunerationem.* Et ſi in Græco cod. verbum, *habentes*, deſideretur; attamen Photius interpretans, animaduertit, orationẽ ſupplendam eſſe, adiungendo verbum, vt puta, *ſuſcipite*, vel *afferte*; id eſt, vt eandẽ remunerationem, æqualem nempe beneuolentiã ſibi reddãt. Huicque interpretationi conſentanea videntur, quę habentur infra; *licet plus uos diligens, minus diligar.* Thomas autem aliam ſecutus interpretationem, inquit. Apoſtolus hortatur Corinthios, vt dilatentur, ne ſequi velint legalia, vel ritus Gentilium. Et per *remunerationem*, interpretatur, quòd ſi dilatabuntur, non anguſtiati a doctrina pſeudo

Chryſoſt. hom. 13. — Phot. — 2 Cor. 12. — Tho. Aqui.

Apoſtolorum, habebunt eandem remunerationem, qualem, & ipſe.

Forte poſſet etiam intelligi, quòd Apoſtolus dicat, apertum eſſe ſibi os, vt illos ſumma cum libertate alloquatur: vt qui ſermonem habiturus eſſet, tum de ſuo raptu ad tertium cœlum, tum de ſua iuſtificatione. Similiter, dicit dilatatum eſſe ſibi cor, ob eorum ſcilicet reſipiſcentiam. Vnde infra dicit.
2. Cor. 7. *Multa mihi fiducia eſt apud vos. Multa mihi gloriatio pro vobis: repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Ideo optat, vt & ipſi eandem habeant dilatationem; vt qui non amplius anguſtiantur in viſceribus Apoſtoli, non vltra de illis perperam ſentientis; ſed ſolum in viſceribus proprijs ipſorum anguſtiantur, vt qui triſtitia affecti eſſent ob epiſtolam præcedentem; in qua eos tam grauiter incuſauerat. Simul etiam eoſdem hortatur, ne iugum velint ducere cum infidelibus; ſed ſeparent ſe ab eorum commercio; innuẽs pſeudo Apoſtolos; vel Gentiles, quibus cum in idolio aliqui eorum ſe permiſcebant; vel etiam iudaizantes. Per hæc vero, *eandem remunerationem*, intelligere poſſemus, optare illis, vt ſint, quales Apoſtolus prædixit; nempe ſemper gaudentes; multos locupletantes; & omnia poſſidentes. Ad quæ obtinenda, ideo hortatur, ne iugum ducant cum infidelibus; neque ipſorum mores ſequantur; ſed ab ipſis ſe ſeparent, vt Deus in illis inhabitet.

PARAPHRASIS. Cap. VII.

HAs ergo habentes promiſſiones Chariſſimi, quòd templum Dei eſſe poſſimus, niſi obicem ipſi nobis ponamus; mundemus nos ab omni inquinamẽto carnis, & ſpiritus, perficiẽtes ſanctificationem noſtram in timore Dei. Capite nos, quæ nam dicere intendimus. Neminem iniuria affecimus; neminem corrupimus falſis dogmatibus; neminẽ ob lucrum circumuenimus. Non hæc dico ad veſtram cõdemnationem, quaſi vos his criminibus culpatos arguã. Prædixi enim vobis, quòd eſtis in cordibus noſtris, & ad commoriendum, & ad conuiuendum. Multa mihi libertas; atque fiducia adeſt agendi vobiſcum, multa mihi gloriatio pro vobis; repletus ſum conſolatione: ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. Nam, & cum veniſſemus in Macedoniã, nullam requiem habuit caro noſtra; ſed in omnibus afflicti fuimus. Foris pugnæ, nobis ab aduerſarijs ſuſtinendæ; intus timores, nos exagitabant ob tutandam fidelium ſalutem. Sed qui conſolatur humiles, Deus, nos quoque conſolatus eſt in aduentu Titi. Non ſolum autem in aduentu Titi; verum etiam in ea conſolatione, quam ille de vobis perceperat, eandem nobis referens; veſtrum ſcilicet de me deſiderium; veſtrum luctum; veſtrum zelũ mei cauſa ſuſceptum; vt maiori gaudio perfuſus ſim, quàm antea triſtitia affectus eſſem. Quoniam, & ſi contriſtaui vos in epiſtola, iã non me pœnitet huius facti. Et ſi me pœniteret (video enim, quòd epiſtola illa, quamuis ad horam ſolum, vos contriſtauit) nũc gaudeo, quòd non proprie contriſtati fueritis; ſed contriſtati eſtis ad pœnitentiam; vt qui contriſtati eſtis ſecũdum Deum, vt ita in nulla re detrimentum patiamini ex nobis. Quę enim ſecundum Deum eſt triſtitia, pœnitentiam ad ſalutem operatur non pęnitendam: mundi autem triſtitia mortem operatur. Ecce enim idipſum (quòd ſecundum Deum fueritis contriſtati) quantam in vobis genuit ſolicitudinem? quin defenſionem; quin indignationẽ; quin timorem; quin deſiderium; quin zelum; quin vindictam; vt in omnibus vos oſtenderetis incontaminatos ab illo facto. Igitur, & ſi ſcripſi vobis, vt feci, non propter eũ ſcripſi, qui fecit iniuriam; nec propter eum, qui illam paſſus eſt; non is mihi fuit ſcopus præcipuus illius epiſtolę. Sed ad manifeſtãdam ſolicitudinem noſtram, quã habemus de vobis coram Deo. Ideo conſolati ſumus ex conſolatione veſtra, quam accepiſtis ex fructu huiuſce pœnitentiæ veſtræ. Vberius autem lętatus ſum ob gaudiũ, quod præ ſe ferebat Titus; quia refectus eſt ſpiritus eius ab omnibus vobis; vt ſi quid ego apud illum de vobis gloriatus ſum, optima de vobis ſpopondens, nõ ſim confuſus. Sed vt in veritate omnia locuti ſumus vobis in prædicatione noſtra; ita quoque gloriatio noſtra apud Titũ de vobis veritas facta eſt; & eius viſcera abundantius ſunt erga vos affecta, dũ veſtram omniũ mente recolit obedientiam; quomodo cum timore, atque tremore illum excepiſtis. Gaudeo quòd in omnibus fiduciã habeo in vobis; vt de vobis, quæ velim, mihi polliceri valeam.

Editio vulgata.

HAs *ergo habentes promiſſiones chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus perficientes ſanctificationem in timore Dei. Capite nos. Neminem læſimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus. Non ad condemnationem dico, prædixi enim quòd in cordibus noſtris eſtis ad commoriendum, & ad conuiuendum, multa mihi fiducia eſt apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis: repletus ſum conſolatione: ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. Nam, & cum veniſſemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationẽ paſſi ſumus, foris pugnæ, intus timores. Sed, qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos, Deus, in aduentu Titi. Non ſolum autem in aduentu eius, ſed etiam in conſolatione, qua conſolatus eſt in vobis, referens nobis veſtrum deſiderium, veſtrum fletum, veſtram æmulationem pro me, ita magis vt gauderem. Quoniam, & ſi contriſtaui vos in epiſtola, non me pœnitet, & ſi pœniteret, videns quòd epiſtola illa (& ſi ad horam) vos contriſtauit, nunc gaudeo: non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundum Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſeculi autem triſtitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipſum, ſecundum Deum contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſolicitudinem: ſed defenſionẽ, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem,*

ſed

ſed vindictam: in omnibus exhibuiſtis vos, incontaminatos eſſe negotio. Igitur, & ſi ſcripſi vobis, non propter eum, qui fecit iniuriam, nec propter eum, qui paſſus eſt: ſed ad manifeſtandam ſolicitudinem noſtram quam habemus pro vobis coram Deo. Ideo conſolati ſumus. In conſolatione autem noſtra, abundantius magis gauiſi ſumus ſuper gaudio Titi, quia refectus eſt ſpiritus eius ab omnibus vobis, & ſi quid apud illum de vobis gloriatus ſum, non ſum confuſus: ſed ſicut omnia vobis in veritate locuti ſumus, ita gloriatio noſtra quæ fuit ad Titum, veritas facta eſt, & viſcera eius abundantius in vobis ſunt: reminiſcentis omnium veſtrum obedientiam, quomodo cum timore, & tremore excepiſtis illum. Gaudeo quòd in omnibus confido in vobis.

ADNOTATIONES.

A HAS *ergo habentes promiſſiones*. Nempe de corporis immortalitate, & quòd Dei templū ſumus futuri, ait Apoſtolus, mundari nos debere ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus; memorans *carnem*, & *ſpiritum*, vt innuat dari peccata, & carnalia, & ſpiritualia. Aut ſimul coniunxit inquinamentum carnis, & ſpiritus, vt ſignificet, omnia peccata fieri in corpore, vt dictum eſt ſupra; ſed non abſque conſenſu ſpiritus, & mentis noſtrę, quæ, in ſui coinquinatione, habet carnis additamentum, & ſocietatem. (1.Cor.5.)

B *Capite nos*. Id eſt (vt interpretatur Chryſoſtomus) dilatamini in corde, vt nos ſuſcipiatis. Aut ita interpretandum eſt: accipite nos in exemplum; vt ſit, ſicut illud in ſuperiori epiſtola, *imitatores mei eſtote*; Aut *capite nos*: id eſt, percipite quod ſum dicturus. (Chryſoſto. hom.41.) (1.Cor.6.)

C *Foris pugna*. Ab aduerſarijs: *intus timores*, ob ſolicitudinem, qua affligebatur ob ſalutem animarum.

D *Nullam requiem habuit caro noſtra*. Non mirum, quòd etiam ſancti afflictionem poſſint ſentire in hac vita ſecundum carnem, cum tamen ſpiritum obtineant liberum, & non ſuccumbentem afflictionibus.

E *Seculi autem triſtitia mortem operatur*. Huiuſmodi fuit pœnitentia, qua tacti ſunt Eſau, & Iudas, triſtes effecti, & dolentes de peccatis.

F *Non propter eum qui fecit iniuriam, nec propter eum qui paſſus eſt; ſed ad manifeſtandum ſolicitudinem, quam habemus pro vobis*. Fecerat iniuriam ſcortator; paſſus eam fuerat vir mulieris. Verum non propter alterum horum ſe ſcripſiſſe, inquit Apoſtolus, Corinthijs; quaſi quòd dolorem oſtēderet perceptum ex iniuria illata illi homini. Sed potiſſimus ſcopus epiſtolæ ei fuit, vt teſtatam Corinthijs faceret ſolicitudinem, qua premeretur ob ipſorum ſalutem, vt expurgarent vetus fermentum, ipſam prauitatem ex eorum conſortio.

G *Ita & gloriatio noſtra; quæ fuit ad Titum, veritas facta eſt*. Magni erant ponderis hæc verba ad flectendos, promouendoſque animos Corinthiorum; vt crederent, quòd Apoſtolus veritatem illis prædicaſſet: ſicuti & de gloriatione, quam de illis ſe habere denunciauerat Tito, veritas facta eſt; cum illi præſtiterint, quæ de ipſis locutus fuerat Tito cum ipſorum laude; nempe, quòd hæc, & hæc magnifica liberalitate eſſent præſtaturi.

PARAPHRASIS.

CAPIT. VIII.

NOTAM autē facimus vobis gratiam Dei, quæ data eſt in eccleſijs Macedonum; & quòd in multa probatione tribulationis, quam paſſi ſunt, abundātiam gaudij præſetulerunt; & quòd altiſſima illorum paupertas exuberauit in diuitias ſimplicitatis eorum, in qua tradiderunt bona ſua in eleemoſinas pauperum. Nam teſtimonium illis reddō, quòd non ſolum ſecūdum vires, verum etiam ſupra vires, vltronei, cum multa exhortatione obſecrarunt nos, vt gratiam, atque communicationem in miniſterium ſanctorum erogandam ſuſciperemus. Et non ſicut ſperabamus; ſed, ſupra ſpem noſtram, eleemoſinam tribuerunt; cum prius ſe dediſſent Domino, & nobis per volūtatem Dei: adeo vt hinc prouocati ſimus ad obſecrandum Titum; vt, quemadmodum cœpit, ita perficiat etiam in vobis gratiam iſtam. Sed ita tamen; vt, ſicut in omnibus abundatis fide, & ſermone, & ſcientia, & omni ſolicitudine, inſuper, & charitate veſtra erga nos; ita quoque in hac gratia perficienda abundetis. Non quaſi imperans id dico: ſed, ex aliorum ſtudio circa huiuſmodi gratiam, probare intēdens ſynceritatem charitatis veſtræ. Scitis enim gratiam nobis collatam a domino noſtro Ieſu Chriſto; quoniam, cum diues eſſet, rerum omnium exiſtens dominus, propter nos egenus factus eſt; paupertati, cęteriſque noſtris humanis miſerijs ſe ſubijciēs; vt vos ex eius inopia diuites efficeremini. Et conſilium in hoc do; quoniam vobis eſt vtile; qui non ſolum facere, ſed etiam velle cœpiſtis iam vſque ab anno ſuperiori. Nunc vero inceptum opus perficite; vt, quemadmodum promptitudo voluntatis fuit; ita quoque perficere ſtudeatis, iuxta veſtrarum facultatum vires. Nam, ſi animi adſit promptitudo (quam Deus in primis reſpicit) iuxta illud, quod quiſque habet, acceptus eſt, & non ex eo quod nō habet. Nō enim illud intēdimus, vt, ex bonorum veſtrorum cōmunicatione, alijs fiat relaxatio; vobis autem anguſtia ſuperueniat. Sed ex ęqualitate res agatur; nempe, vt in præſenti tempore copia veſtra illorum ſuppleat egeſtatem; vt & illorum abundantia, veſtrę inopiæ pariter ſit ſupplementum; atque ita paritas fiat, ſimilis illi, de qua ſcriptum eſt, de Gomor manna. Qui multum colligebat, non abundauit; & qui modicum, nihil minus habuit. Gratias autem ago Deo, qui hanc eandem pro vobis ſolicitudinem poſuit in corde Titi, qui noſtram exhortationem excipiens, huiuſque rei ſtudio vehementiori affectus, ſua ſponte profectus eſt ad vos. Miſimus autem cum illo fratrem, cuius laus eſt in Euangelio apud omnes eccleſias; non ſolum autem, ſed & ordinatus eſt comes peregrinationis noſtræ ab eccleſijs ſimul

cum onere huius gratiæ, quæ miniſtratur a nobis ad domini gloriam, & ad explendam promptitudinem animi noſtri ad hoc munus deſtinati; illud deuitantes, ne quis nos vituperet in hac eleemoſinarum plenitudine, quæ adminiſtratur a nobis ad domini gloriam, prouidentes bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Miſimus autem vna cum illis & fratrem noſtrum, quem probauimus ſæpe in multis ſolicitum eſſe, nunc vero etiam accurationem; ad id inducti ex multa confidentia, quam de vobis habemus, quòd partim in gratiam Titi, qui eſt ſocius meus, & coadiutor in veſtram ſalutem, partim in gratiam aliorum fratrum, qui ſunt Apoſtoli Eccleſiarum, gloria Chriſti, ſuis noſtris optatis reſpõſuri. Oſtenſionem ergo charitatis veſtræ, & gloriationis noſtræ, quam pro vobis habemus, erga illos oſtendite; nec non in faciem eccleſiarum, quibus hoc veſtrum opus eſt propalandum.

Editio vulgata.

NOTAM autem facimus vobis fratres, gratiam Dei quæ data eſt in eccleſiis Macedoniæ, quòd in multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipſorum fuit, & altiſſima paupertas eorum abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum: quia ſecundum virtutem (teſtimonium illis reddo) & ſupra virtutem voluntarij fuerunt, cum multa exhortatione obſecrantes nos gratiam, & communicationem miniſterij quod fit in ſanctos. Et non ſicut ſperauimus, ſed ſemetipſos dederunt primum domino, deinde nobis per voluntatem Dei: ita vt rogaremus Titum, vt quemadmodum cœpit, ita, & perficiat in vobis etiam gratiam iſtam. Sed ſicut in omnibus abundatis fide, & ſermone, & ſcientia, & omni ſolicitudine, inſuper & charitate veſtra in nos, vt, & in hac gratia abundetis. Non quaſi imperans dico: ſed per aliorum ſolicitudinem, etiam veſtræ charitatis ingenium bonum comprobans. Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis. Et conſilium in hoc do: hoc enim vobis vtile eſt, qui non ſolum facere, ſed, & velle cœpiſtis ab anno priore: nunc vero, & facto perficite: vt quemadmodum promptus eſt animus voluntatis, ita ſit, & perficiendi ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta eſt: ſecundum id quod habet, accepta eſt, non ſecundũ id quod non habet. Non enim, vt alijs ſit remiſſio, vobis autẽ tribulatio; ſed ex æqualitate. In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, vt fiat æqualitas, ſicut ſcriptum eſt: Qui multum, non abundauit, & qui modicum, non minorauit. Gratias autem Deo, qui dedit eandem ſolicitudinem pro vobis in corde Titi, quoniam exhortationem quidem ſuſcepit, ſed cum ſolicitior eſſet, ſua voluntate profectus eſt ad vos. Miſimus etiam cum illo fratrẽ, cuius laus eſt in Euangelio per omnes eccleſias: non ſolum autem, ſed, & ordinatus eſt ab eccleſiis comes peregrinationis noſtræ. in hanc gratiam quæ miniſtratur a nobis ad domini gloriam, & deſtinatam voluntatem noſtram; deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine quæ miniſtratur a nobis. Prouidemus enim bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Miſimus autem cum illis, & fratrem noſtrum, quem probauimus in multis ſæpe ſolicitum eſſe: nunc autem multo ſolicitiorem, confidentia multa in vos; ſiue pro Tito, qui eſt ſocius meus, & in vos adiutor: ſiue fratres noſtri Apoſtoli eccleſiarum gloria Chriſti. Oſtenſionem ergo quæ eſt charitatis veſtræ, & noſtræ gloriæ pro vobis, in illos oſtendite in facie eccleſiarum.

ADNOTATIONES.

GRATIAM Dei, quæ data eſt in eccleſiis. A
Magna gratia ſane cẽſenda eſt illa, quam Deus confert ijs, qui prõpti ſunt ad eleemoſinas; cum hinc ad regnum cœlorum pateat aditus, & meritorum fiat prouentus; ſicuti, & charitas operit multitudinem peccatorum.

B *Altiſſima paupertas eorum.* Græce, κατὰ βάθους, id eſt, *profunda*, vt omnino hinc denotetur ſumma paupertas, qua vix minor egeſtas eſſe poſſit; quæ tamen altiſſima paupertas (inquit Apoſtolus laudans hinc ſummopere Macedones) abundauit in diuitias ſimplicitatis ipſorum: id eſt, in ampliſſima ſimplicitate, & puritate; vt illi, qui propter hoc opus, in idipſum tantummodo reſpiciẽtes, eleemoſinas fecerint, & ita in ſimplicitate: iuxta illud Euangelicum; *ſi oculus tuus fuerit ſimplex.* Matt. 6.

C *Propter vos egenus factus eſt, cum eſſet diues.* Chriſtus, vt nos redderet diuites gratijs diuinis, pro nobis egenus factus eſt; dum noſtram ſuſcepit humanitatem; vltroneeq; caruit non ſolum copia, verum etiam omni commodo harum rerum externarum; vt qui neque haberet vbi caput reclinaret; non autem gratias, diuinaſq; virtutes vmquam dimiſit. Quòd autem diues eſſet in omnibus, ex hinc patet, vt tangit Auguſtinus in tract. Pſal. 101. quando per ipſum omnes diuitiæ factæ ſunt. August. in Pſal. 101. conc. 2.

D *Sed ex æqualitate in præſenti tempore, veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat.* Erit æqualitas, ſi egeſtati vnius populi ſuppleatur ex abundantia alterius de rebus temporalibus. Aut vult dicere, quòd Corinthij debeant ſupplere egeſtati ſanctorum quo ad hæc humana; & illi alij de abundantia ſpiritualium, quam habent, ſuppleant egeſtati Corinthiorum; licet deinde in datis & acceptis non ſit æqualitas valoris, ſed ſolum proportionis. Aut ſermo eſt accipiendus, quòd vtrinque prouideatur de ſpiritualibus. Vel ſolum eſt oratio ſemper de egeſtate temporalium, ita vt parilitas ſeruetur in eadem re: vt nunc diuites Corinthij exiſtentes, ſuppleant egentibus; & hi rurſus effecti diuites, ſuppleant egeſtati Corinthiorum. Aut æqualitas non attenditur penes remunerationem; ſed hunc in modum eſt accipienda, quòd egentes rerum temporalium, æquabuntur diuitibus, ex diuitijs a diuitibus ſibi collatis. Similiter ſancti ſubminiſtrabunt ſpiritualia egentibus, vt inuicem æquentur in ſpiritualibus bonis. Illud vero *in præſenti tempore*, dictum eſt; quoniam tunc temporis Corinthij abundarent diuitijs; & in alio potuiſ-

ſent

ſent illis egere. Vel, *in præſenti tempore*; quoniam in futuro, poſt tranſitum huius vitæ, nil huiuſmodi poteſt exhiberi. Vel quoniam in hoc tempore parilitas, iuxta prædicta, fiet; in futuro autem accipietur multiplicatio redditionis a Deo.

E *Cuius laus eſt in euangelio*. Vel Lucas deſignatur, vel potius Barnabas, qui deſignatus erat comes peregrinationis Pauli, vt habetur in Actibus; Act. 13. quem ideo Paulus non nominat, quoniam Corinthijs non eſſet notus, vt dicunt Græcanica ſcholia. Græ. ſchol.

F *Prouidemus enim bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus*. Nil boni vere coram hominibus, niſi ſit bonum coram Deo. Multa autem ſancti agunt, & patiuntur præſertim in ædificatione pusillorum, ad tollenda ſcandala. Et ideo reſpicientes tempora, & ſtatum hominum, ſtudent ea agere, quibus opera ipſorum ab hominibus iure commendentur.

PARAPHRASIS. CAP. IX.

NAM, quod attinet ad ſubminiſtrationem deſtinatam a vobis in ſanctos, ſuperuacaneum eſt mihi ſcribere vobis, quaſi ad hoc excitandi ſitis. Noui enim animi veſtri promptitudinem, de qua pro vobis glorior apud Macedones; quoniam Achaia parata eſt ad hoc idem miniſterium ab anno ſuperiori; & æmulatio, quæ ex vobis emanauit, prouocauit plures ad hoc opus. Miſimus autem fratres; ne gloriatio noſtra, quam pro vobis habemus, euacuetur in hac parte: vt (quemadmodum dixi) parati ſitis: ne, ſi forte aduenerint Macedones mecum, & inuenerint vos imparatos, pudore nos ſuffundamur (ne dicam vos) in hac ſubſtantia gloriationis, quam ita magnificauimus. Neceſſarium ergo exiſtimaui rogare fratres, vt præueniant ad vos, & procurent, vt iam antea a vobis promiſſa benedictio, ſit parata, tanquam vera benedictio, & non vt auaritia. Hoc autem denuncio. Qui parce ſeminat, parce & metet: & qui ſeminat in benedictione, de benedictione & metet. Vnuſquiſque, prout ſtatuit in corde ſuo, ita largiatur; non ex triſtitia, & quaſi coacte; hilarem enim datorem diligit Deus. Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis; vt in omnibus ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. Sicut ſcriptum eſt, diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, Deus, potens eſt etiam panem ad manducandum præſtare, & multiplicare ſemen veſtrum rerum harum temporarium, & augere germina iuſtitiæ veſtræ; vt in omnibus locupletemini, in omni cordis ſimplicitate; quæ operatur, ut per nos gratiæ agantur Deo. Si quidem huius officij miniſterium non ſolum ſupplet ea quæ deſunt ſanctis, verum etiam exuberat in hoc, vt gratiæ agātur Deo per multos; qui, ob probatum hoc miniſterium glorificant Deum in obedientia confeſſionis veſtræ in Euangelio Chriſti, & in ſimplicitate communicationis veſtræ in illos, & in omnes. Qui etiam in ipſorum obſecrationibus, quas pro vobis fundunt ad Deum, deſiderant vos videre, propter eminentem gratiam Dei, quæ data eſt vobis. Gratia autem ſit Deo ſuper hoc inenarrabili dono.

Editio vulgata.

NAM de miniſterio, quod fit in ſanctos, ex abundanti eſt mihi ſcribere vobis. Scio enim promptum animum veſtrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam, & Achaia parata eſt ab anno præterito, & veſtra æmulatio prouocauit plurimos. Miſi autem fratres, vt ne quod gloriamur de vobis euacuetur in hac parte, vt (quemadmodum dixi) parati ſitis: ne cum venerint Macedones mecum, & inuenerint vos imparatos, erubeſcamus nos, vt non dicamus vos in hac ſubſtantia. Neceſſarium ergo exiſtimaui rogare fratres, vt perueniant ad vos, & præparent repromiſſam benedictionem hanc paratam eſſe ſic, quaſi benedictionem, non tanquam auaritiam. Hoc autem dico: Qui parce ſeminat, parce, & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus, & metet. Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo: non ex triſtitia, aut ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus. Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus ſemper omnem ſufficientiā habentes, abundetis in omne opus bonum, ſicut ſcriptū eſt: Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Qui autem adminiſtrat ſemen ſemināti, & panem ad manducādum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ, vt in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. Quoniam miniſterium huius officij non ſolum ſupplet ea quæ deſunt ſanctis: ſed etiam abundat per multas gratiarū actiones in Domino: per probationem miniſterij huius, glorificantes Deum in obedientia confeſſionis veſtræ in Euangelium Chriſti, & ſimplicitate communicationis in illos, & in omnes, & in ipſorum obſecratione pro vobis, deſiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. Gratias Deo ſuper inenarrabili dono eius.

ADNOTATIONES.

IN hac ſubſtantia, Græce ἐν τῇ ὑποστάσει. A hinc ſignificans Apoſtolus fundatam, & firmam gloriationem, cui innitere tur ob conceptam bonam de Corinthijs opinionem in prouidenda larga eleemoſina, vnde maxime excitandi erant, ne Apoſtoli ſpei deeſſent.

B *Vt in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum*. Hinc apparet, Deum largiri bona temporaria, vt ex ijs fructificemus, & abundemus in operibus ſpiritualibus, ad quæ ordinantur temporaria.

C *In omnem ſimplicitatem*. Opera iuſtitiæ fieri debent in omni ſimplicitate; vt cor rectum, & recta adſit intentio, nil habens admiſtum duplicitatis, ac multo minus peruerſitatis, ita ut opera noſtra ad Dei gloriam dirigantur.

D Glori-

D *Glorificantes Deum*. Videtur hoc loco eſſe ſolœciſmus, cum non adſit, cui referatur hęc dictio, *δοξάζοντες*, ac ſi legendũ eſſet, *δοξαζόντων*: huic enim reſponderent illa alia priora verba, *διὰ πολλῶν*, & ſequens iſtud aliud participium, *ἐπιποθούντων*, vt ita denotētur ijdem plures, qui gratias agant, & glorificent Deum, & optent videre Corinthios. Aut ad participium, glorificantes, eſſet adiungendum, ſeu ſubintelligendum verbum, *ſint*, nempe ſint glorificantes.

PARAPHRASIS. Cap. X.

IPSE autem Ego Paulus, obſecro vos, per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti; ipſe inquam, qui ſecundum faciem humilis ſum inter vos, abſens autem (vt diffamant nonnulli) audeo erga vos; rogo autem ne mihi anſa detur, vt præſens audeam per illam confidentiam, qua exiſtimor aodere aduerſus quoſdam, qui nos iudicant, tanquam ſecundum carnem ambulemus. Nam & ſi in carne ſumus ambulantes, vt qui viuimus in hoc mortali corpore; attamen non ſecundum carnem militamus. Nam arma militiæ noſtræ, non ſunt carnalia, innixa rebus humanis; veluti diuitijs, eloquentiæ, & huiuſmodi: ſed potentiam, ac robur habent a Deo; ad cuius etiam gloriam exercētur, ad demolitionem munitionum, deſtruentes nos conſilia, & ratiocinationes ſapiētum huius ſeculi; & omnem celſitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam, quam habemus de Deo; & captiuantes omnem intellectum in obſequium Chriſti; & in promptu habētes vlciſci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit veſtra obedientia. Quæ ſecundum faciem ſunt, videte. Si quis confidit ſibi, ſe Chriſti eſſe; hoc iterum cogitet (ex ſe ipſo alios metiens) quòd, ſicut ipſe Chriſti eſt; ita & nos ſumus. Nam & ſi amplius aliquid gloriatus fuero, non confundar de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram. Ita dicam, ne exiſtimer terrere vos per epiſtolam; quando epiſtolæ (inquiunt) graues ſunt, & fortes; corporis autem præſentia, imbecillis, & ſermo contemptibilis. Cogitet & hoc is, qui ſe Chriſti eſſe ſibi confidit, quòd, quales ſumus verbo per epiſtolas, abſentes, tales etiam ſumus facto præſentes. Non enim audemus inſerere, & comparare nos quibuſdam, qui ſe ipſos cõmendant; ſed ipſi, in nobis, noſmetipſos metientes, hæc loquimur, comparãtes nos ipſos nobiſmetipſis; non illis, qui ſe extollunt. Nos autem non in immenſum gloriabimur; ſed ſecundum menſuram illius regulæ, qua præcipiens nobis Deus euangelizare, partitus eſt menſuram pertingendi etiam vſq; ad vos; cum ad omnes Gentes nos miſerit prædicare. Non enim, quaſi non pertingentes ad vos, extollimus nos ſupra modum. Vſque enim ad vos quoque perueninmus in Euangelio Chriſti; non in immenſum gloriantes in alienis laboribus: ſpem etiam habentes (adaucta cum fuerit fides veſtra in vobis) magnificari, iuxta præſcriptam nobis regulam, abondantius euangelizando regionibus, quæ vltra vos ſunt, & non in aliena regula; ſed in noſtra, in ea ſcilicet loca, quæ parata ſunt gloriationi. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur: nõ enim qui ſe ipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.

Editio vulgata.

IPSE autem ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem, & modeſtiã Chriſti, qui in facie quidem humilis ſum inter vos, abſens autem confido in vobis. Rogo autem ne præſens audeam per eã confidentiam qua exiſtimor audere in quoſdam: qui arbitrantur nos tanquam ſecundum carnem ambulemus. In carne enim ambulantes, non ſecundum carnem militamus. Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt: ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, & in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit veſtra obedientia. Quæ ſecundum faciem ſunt, videte. Si quis confidit ſibi, Chriſti ſe eſſe: hoc cogitet iterum apud ſe, quia ſicut ipſe Chriſti eſt, ita & nos. Nam & ſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram, non erubeſcam. Vt autem non exiſtimer tanquam terrere vos per epiſtolas (quoniam quidem epiſtolæ, inquiunt, graues ſunt & fortes præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis) hoc cogitet, qui eiuſmodi eſt, quia quales ſumus verbo per epiſtolas abſentes, tales & præſentes in facto. Non enim audemus inſerere, aut comparare nos quibuſdam, qui ſeipſos commendant: ſed ipſi in nobis noſmetipſos metientes, & comparantes noſmetipſos nobis. Nos autem non in immenſum gloriabimur: ſed ſecundum menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus menſuram pertingendi vſque ad vos. Non enim quaſi non pertingentes ad vos, ſuper extendimus nos. Vſque ad vos enim peruenimus in Euangelio Chriſti, non in immenſum gloriantes in alienis laboribus: ſpem autem habentes creſcentis fidei veſtræ, in vobis magnificari ſecundum regulam noſtram in abundantia, etiam in illa, quæ vltra vos ſunt, euangelizare, non in aliena regula in ijs quæ præparata ſunt gloriari. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt: ſed quem Deus commendat.

ADNOTATIONES.

IPSE autem ego Paulus. Miro quodam, atque ſaluberrimo artificio, Apoſtolus a A
conciliatione Corinthiorum, tranſit ad demoliendum indignas pſeudo Apoſtolorum machinationes, & obiurgationes, quas adoerſus Paulum concitarant. Ac primo quidem obſecrat illos per manſuetudinem, & modeſtiam Chriſti, cuius exemplo, & manſuetum, & modeſtum ſe oſtendit, & eos ſimul, qui inſolentius ſe gerebant, excitat ad man-

manſuetudinem, & modeſtiam; ſeu ad æquitatem, ad rectum ſcilicet, & temperatum vitæ genus; græcæ enim dictio hæc, *modeſtia*, habetur ἐπιεικείας: quę (vt conſtat apud Ariſtotilem in Ethi.) includit omnes habitus virtutum, quamuis ad æquitatem proprie referatur.

B *Qui in facie quidem humilis ſum.* Hoc diffamabant maleuoli illi, quòd Paulus in præſentia, & in facie, humilis, & abiectus eſſet; abſens autem longe alium ſe oſtenderet; hinc illum criminantes, tanquam humilitatem ſimulantem ob gloriam, & quęſtum proprium.

C *Audeam per eam confidentiam, qua exiſtimor audere.* Non inficiatur Apoſtolus confidentiã, qua poſſet vlciſci omnem inobedientiam ex potentia ſibi collata a Deo. Non autem concedit, ex audacia id ſibi ineſſe, tanquam ſecundum carnem ambulanti.

D *Sed potentia Deo.* Arma ſuæ militiæ, dicit eſſe potentia, ſeu valentia Deo; quoniam pendeant a potentia Dei, & eius gloriæ habent inſeruire; adeo vt ad hoc opus valorem habeant.

E *Ad deſtructionem munitionum.* Quę autem ſint
Chryſoſt. munitiones (ſecundum Chryſoſtomum, & Theo-
hom 21. phylactum ſubiungit Apoſtolus, dum inquit.
Theoph. F *Conſilia deſtruentes.* Græce dictio, *conſilia*, habetur λογισμούς. Et interpretatur Chryſoſtomus ſophiſmatum, & ſyllogiſmorum robur, quibus faſtum ſibi ſumebant Græci. Vel, ſecundum Theophylactum, intelligitur deiectio animorum, qui errore detinentur.

G *Et omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei.* Ijs verbis denotatur faſtus ſapiẽtum ſecundum carnalem ſapientiam, aduerſantem, & extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei. Vbi aduertendum eſt, Apoſtolum continuare ſuam orationem cœptam ſub metaphora munitionum, & deſtructionis eorumdem.

H *Et in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Conueniebat, vt ex prædicatione verbi euangelici, & ex miris operibus, & ſignis, quæ præſtabant Apoſtoli, omnis intellectus compos rationis facile traheretur ad Chriſti obſequium, & ad fidem Crucifixi induceretur.

I *Et in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Obtinuerat a Deo poteſtatem Apoſtolus Paulus, vti, & Petrus, & alij Apoſtoli, vlciſcendi rebelles in fide; eos vel ſolo verbo necando, vel Satanæ tradendo excruciandos in carne; quod cum inſinuet Apoſtolus, hinc vehementer terrere poterat illos pſeudo Apoſtolos.

K *Quæ ſecundum faciem ſunt videte.* Græce βλέπετε, & ſumi poteſt, tum iuxta modum imperandi, id eſt, *videte*, vt habet vulgata editio; tum iuxta indicatiuum; id eſt, *videtis*; quod interrogatiue legendum eſſet, ac ſi diceret Apoſtolus, videtis quæ ſecundum faciem? Concedit autem, vt ita agant, & iuxta hanc conceſſionem, nihilominus tamen illos coarguit: quoniam ſi iudicium proferre velint iuxta ea, quæ apparent ſecundum faciem, omnino opinari deberent, quòd talis erat futurus præſens, qualem ſe commemorat in epiſtola, iuxta ipſorum quoque ſenſum: nempe, quòd poſſit perficere, quę illi cenſebant ab ipſo dici corde ſimulato.

M *Hoc cogitet, qui huiuſmodi eſt.* Hæc verba cõiungenda ſunt illis alijs; *Si quis confidit ſibi Chriſti ſe eſſe.* Idque vult deducere Apoſtolus, quòd qui huiuſmodi eſt, vt confidat ſe Chriſti eſſe, habet cogitare, quòd Paulus quoque, qualem ſe prædicat in epiſtola abſens, talis ſit futurus præſens factis. Siquidem, quæ ſunt in litteris, ſunt ſigna eorum quæ ſunt in voce, & in anima. Vnde ſi iudicandum eſt ſecundum ea, quæ apparent in facie, & in ſcriptis litteris, debent igitur iudicium facere, quòd omnino ſit etiam facturus quæ ſcribit.

L *Vt autem non exiſtimer.* Græci aliter legunt: nempe, *ne exiſtimer terrere vos*; ſecundum quam lectionem videretur Apoſtolus hoc inſinuare, quòd non ſibi fuit in animo terrendi Corinthios ex potentia, quam dedit illi Deus. Supponit enim eã ſibi collatam in ędificationem, & nõ in deſtructionem. Et hinc obturat os maleuolorum diffamantium, quod in abſentia multam ſibi confidentiam aſſumeret, & graues, forteſque epiſtolas ſcriberet, dũ dicit, quòd non ſibi propoſitum erat aliquos terrere, niſi in ędificationem: ſed coacte poteſtate ſibi tradita vti ad deſtructionem.

N *Non enim audemus inſerere, & comparare nos.* Stat ſibi Paulus, quòd dicta ſua factis ſint futura æqualia; neque vltra ſibi aſſumit, vt velit ſe conferre cum illis, qui ſuper alios ſe extollunt.

O *Sed ipſi in nobis noſmetipſos metientes, & comparantes noſmetipſos.* Hinc apparet, quòd Apoſtolus eſt iudex ſui ipſius, vt, quę de ſeipſo ſcribit, conſentire etiam habeant cum ijs, quę poſſit pręſtare, non ſuperbe ſapiens, nec quicquam ſibi aſſumens ſupra gratiam & auctoritatem a Deo ſibi collatam. Gręci autem Codices, ad enarrata verba adiungunt hęc alia: οὐ συνιοῦσιν: ideſt, non intelligunt, & volunt Gręci expoſitores, Apoſtolum aſſerere hæc de alijs; non de ſe ipſo, ita enim legunt, atque interpretãtur. *Sed ipſi in ſe ipſis ſe ipſos metientes, & comparantes non intelligunt, neque perpendunt ſe arrogantes eſſe, ac ſibi ipſis imponere.* Siquidem poſſunt hæ voces, αὐτοὶ ἑαυτούς, referri, cum ad primam perſonam, tum ad tertiam. Forte autem hęc dictio, συνιοῦσιν, ſumi poſſet, iuxta modum participandi, in dandi caſu; ac ſi diceret Apoſtolus. Non audemus comparare noſipſos ipſis intelligẽtibus; illis nimirum, qui plurimum ſibi aſſumunt de ipſorum ſufficientia atque pręſtantia doctrinę.

P *Sed ſecundum menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus.* Hęc autem erat, vt Gentibus prędicaret: inter quas erant etiam Corinthij, quibus & Paulus prędicauerat. Et hęc quidem regula ſumenda eſt ex Actibus Apoſt. vbi dicitur: *Vas electionis eſt* Act. 9.
mihi iſte, ut portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus & filijs Iſrael. De qua etiã menſura, & regula habet ſermonem Apoſtolus in Epiſtola ad Rom, Rom. 19.
dum dicit. *Sic autem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamẽtum ædificarem.* Quòd ſi etiam prędicauit Romanis, quibus prius Petrus prędicauerat: attamen non ita prędicauit, vt ſibi aſſumpſerit apud illos ſe ſe iacere,

fun-

fundamentum fidei; quam iam ſuſceperant Romani a Principe Apoſtolorum; ſed vt confirmaret, & ſtabiliret eos, ſuperædificans illos in ſuſcepta fide: vt teſtatur in initio epiſtolę, quũ illis ſcripſit, inquiens. *Deſidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis, ad confirmandos vos.*

PARAPHRASIS. Cap. XI.

VTINAM ſuſtineretis me paulisper in inſipientia. Sed & ſupportate me, (in hac quoque inſipientia) ſalutis veſtræ cupidiſſimum; zelo enim Dei zelo vos: deſpondi enim vos vni viro virginem caſtã, & incontaminatam exhibere Domino. Timeo autem, ne, ſicut ſerpens decepit Heuam aſtutia ſua: ita quoque corrumpantur ſenſus veſtri, vt ab illa ſynceritate cadant, quam decet nos habere erga Chriſtum. Nam, ſi quis adueniens, alium Ieſum prædicat, quem nos nõ prædicauimus; vel alium ſpiritum accipitis, quem non accepiſtis; vel aliud euangelium, quod non recipiſtis; recte hunc ſuſtineretis. Verum hæc eſſe non poſſunt. Exiſtimo enim me nil minus feciſſe a magnis Apoſtolis, etſi imperitus ſermone eloquentiæ; at non ſcientia, quæ de Deo, ac Chriſto haberi ab homine poſſit. Sed in omnibus manifeſti vobis ſumus, vt non ſit neceſſe de ijs plura loqui. An peccaui, me humilians, & veluti expolians propria auctoritate, vt vos extolleremini ad ſalutem? quoniam gratis euangelium Dei vobis euangelizaui, a quibus meo iure tributum exigere poteram? Alias eccleſias expoliaui, ſumens ab illis ſtipendium, vt vobis miniſtrarem. Et, cum apud vos eſſem, nemini fui oneroſus. Nam, quod mihi deerat, ſuppleuerunt fratres, qui venerant a Macedonia; in omnibusque me vobis inoneroſum ſeruaui, & ſeruabo. Eſt Chriſti veritas in me, atque ideo firma: quòd gloriatio hæc, nõ exigendi debiti ſtipendij, non infringetur in me in regionibus Achaiæ. Quid ita? quia non diligo vos? Deus ſcit, qua vos proſequor beneuolentia. Quod autem facio, & faciam in poſterum; eo tendit, vt amputem occaſionem, & anſam ijs, qui eam quærunt, vt, in quo gloriantur ob prędicationem euangelij, inueniantur quales, & nos. Nam huiuſmodi pſeudo Apoſtoli, ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Neque id mirum: nam ipſe quoque Satanas transfiguratur in Angelum lucis: non eſt ergo magnum, ſi & eius miniſtri transfigurantur, vt appareant tanquam miniſtri iuſtitiæ, quorum finis erit ſecundum opera eorum. Iterum dico, ne quis putet me inſipientem: alioquin, vt inſipientem me ſuſcipite, vt & ego modicum quid glorier. Quod loquar (proteſtor) non loquor ſecũdum Deum, ſed quaſi in inſipientia, in hac ſubſtantia, & in hoc genere gloriationis. Quoniam, multi gloriantur ſecundum carnem; etiam ego gloriabor. Libenter enim ſuſtinetis inſipientes, cum ſitis ipſi ſapientes; ſuffertis enim, ſi quis in ſeruitutem vos redigit; ſi quis deuorat, apud vos exnanis; ſi quis accipit, de veſtris vos expolians facultatibus; ſi quis extollitor, ſe ſe efferens magnificis laudibus; ſi quis in faciem vos cedit. Id dico ſecondum ignobilitatem, quam vobis obijciunt; tanquam nos infirmi fuerimus in hac parte, nil huiuſmodi apud vos operantes. In quo autem quis audet (in inſipientia dico) audeo, & ego; Hebręi ſunt, & ego; Iſraelitę ſunt, & ego; ex ſemine Habrahę ſunt, & ego; miniſtri Chriſti ſint (vt minus ſapiens dico) plus ego. Quippe qui in laboribus copioſius verſatus ſum; in verberibus ſupra modum; in carceribus abundantius; in mortibus frequenter. A Iudęis quinquies quadraginta plagas vna minus accepi. Ter virgis cęſus ſum; ſemel lapidatus ſum; ter naufragium feci: nocte vna cum die in profundum egi. In itineribus ſępe; in periculis plurimum: periculis latronum; periculis ex genere meo; periculis ex gentibus; periculis in ciuitate; periculis in ſolitudine; periculis in mari; periculis ex falſis fratribus; in labore, & ęrumna; in vigilijs multis; in fame, & ſiti; in ieiunijs moltis; in frigore, & nuditate: Pręter hęc commemorata, quę extrinſeca ſunt; inſtantia quoque mea, ipſa ſolicitudo omnium eccleſiarum, qua quotidie maceror, & anguſtior. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? Si oportet gloriari, in his gloriabor, quę meæ ſunt infirmitatis, Deus, & pater Domini Noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſecula, ſcit quòd non mentior. Damaſci prępoſitus gentis Aretę Regis, cuſtodiebat ciuitatem Damaſcenorum, vt me comprehenderet, & per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum; atque ita effugi manus eius, fuga me liberans ab illa perſecutione, & ab inſidijs, quę in me vnum potiſſimum, ex tot Chriſti ſectatoribus, qui aderant, paratę erant.

Editio vulgata.

VTINAM ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ: ſed & ſupportate me. Aemulor enim vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos vni viro, Virginem caſtam exhibere Chriſto. Timeo autem, ne ſicut ſerpens Heuam ſeduxit aſtutia ſua: ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant a ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Nam ſi is qui venit, alium Chriſtum prædicat quem non prædicauimus, aut alium ſpiritum accipitis quem non accepiſtis, aut aliud Euangelium quod non recepiſtis: recte pateremini. Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe a magnis Apoſtolis. Nam & ſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia. In omnibus autem manifeſtati ſumus vobis. Aut numquid peccatum feci, meipſum humilians, vt vos exaltemini? quoniam gratis Euangelium Dei euangelizaui vobis. Alias eccleſias expoliaui, accipiens ſtipendium ad miniſteriũ veſtrum. Et cum eſſem apud vos, & egerem, nulli oneroſus fui: nam quod mihi deerat, ſuppleuerunt fratres qui venerunt a Macedonia, & in omnibus ſine onere me vobis ſeruaui, & ſeruabo. Eſt veritas Chriſti in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaiæ: Quare? quia non diligo vos? Deus ſcit. Quod autem facio, & faciam, vt amputem occaſionem eorum qui volunt occaſionem, vt in quo gloriantur, inueniantur

ueniantur ſicut & nos. Nam eiuſmodi pſeudo Apoſtoli, ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Et non mirum: ipſe enim Satanas transfigurat ſe in angelum lucis, non eſt ergo magnum ſi miniſtri eius transfigurentur velut miniſtri iuſtitiæ: quorum finis erit ſecundum opera ipſorum. Iterum dico, (ne quis me putet inſipientem eſſe: alioquin velut inſipientem accipite me, vt & ego modicum quid glorier:) quod loquor, non loquor ſecundum Deum, ſed quaſi in inſipientia, in hac ſubſtantia gloriæ. Quoniam multi gloriantur ſecundum carnem, & ego gloriabor. Libenter enim ſuffertis inſipientes: cum ſitis ipſi ſapientes. Suſtinetis enim ſi quis vos in ſeruitutem redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cędit. Secundum ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in inſipientia dico) audeo & ego. Hebræi ſunt, & ego. Iſraelitæ ſunt, & ego. Semen Abrahæ ſunt, & ego. Miniſtri Chriſti ſunt, & ego (vt minus ſapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies, quadragenas, vna minus accepi. Ter virgis cęſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundum maris fui, in itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus, in labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate, præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor. Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſecula, ſcit quòd non mentior. Damaſci præpoſitus Gentis Aretæ Regis, cuſtodiebat ciuitatem Damaſcenorum, vt me comprehenderet, & per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus eius.

ADNOTATIONES.

A VTINAM *ſuſtineretis.* A gloriatione prędicationis, qua Apoſtolus iuxta regulam ſibi datam peruenerat vſque ad Corinthios; tranſit ad deſtructionem conſiliorum, quibus pſeudo Apoſtoli machinas conſtruxerant aduerſus eius auctoritatem, diffamantes, q non eſſet de collegio Apoſtolorum Chriſti, quòd imperitus ſermone, & alia huiuſmodi diſſeminantes. Hanc autem cauſam ita tractat Apoſtolus, vt factis comprobet, ſe præſtaſſe, quæcunque vel magni Apoſtoli præſtiterunt. Et cum de ſe grandia eſſet proloquuturus, & inter hæc ea quoque, quæ carnē ſapiunt, & magni æſtimantur in hoc ſeculo; ideo proteſtantur, ſe proloqui ea, quæ ſapiant inſipientiam; non quòd ijs ſit addictus: aut ea in pretio habeat. Sed vt hinc Corinthiorum conſulat ſaluti; propterea quòd hæc nota illis facere, eſſet admodum ipſis vtile. Vnde inquit: *æmulor enim vos.* Supponit
Theodor. Corinthiorum eccleſiam (vt inquit Theodoretus) veluti quandam virginem Chriſto deſponſatam. Et id iure, cum in baptiſmo omnis anima euadat Chriſti ſponſa per ſpiritus coniunctionem. Et zelo pariter ſe feruere ait, vt incontaminata ſeruetur in ſenſibus circa Chriſti fidem hæc virginitas; vt non excidant Corinthij a *ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Græcæ legitur, *a ſimplicitate, quæ in Chriſtum*; id eſt, quam debet ſeruare Chriſtianus erga Chriſtum; cum fides debeat eſſe non fucata, neque ampulloſa, neque innixa eloquentiæ, & lenocinijs orationis. Perſtat autem Apoſtolus mirifice in metaphora virginis, dū de zelo, quo erga illos affectus eſſet, facit mentionem, docens quantopere excrucietur, ne virginitas eorum corrumpatur; ideſt, ne mens cadat a recta ſuſcepta fide, & ab illa recta mente, cuius virginitas (vt inquit Auguſtinus in tract. 13. Euang. ſecundum Aug. tract.
Ioannem) eſt *integra fides, ſolida ſpes, & ſincera charitas.* Adnotat autem Theophylactus, quòd in ſe- 13. in Ioan. Theoph.
culo, quæ nuptæ ſunt, non amplius conſeruant virginitatem. In eccleſia autem, quæ non fuerunt antea virgines, nuptijs hiſce Chriſti virginitati redduntur.

B *Nam, ſi is qui veniat.* Græce, ὁ ἐρχόμενος, hinc connotat Apoſtolus aliquem prorumpentem, & deforis accedentem, vt notat Photius ad prædicādum. Phot.
Inquit igitur Apoſtolus. Si quis adueniens (ſic quicunque) *alium Chriſtum prædicat*, ſiue, vt Græci legunt, *Ieſum* (quod ponderandum eſt, quoniam non eſt niſi vnus Ieſus & ſaluator, iuxta nomen impoſitum ab Angelo.) Si quis igitur (inquit) prędicat alium Ieſum ab eo, quem ipſe prædicauerit; vel ſi alium ſpiritum acciperent nō acceptum; vel aliud euangelium ſuſciperent nō ſuſceptum ab ipſo Paulo, recte cum ipſis ageretur, dum huiuſmodi præcones ſectarentur. Atqui alius Ieſus non poteſt eſſe; quoniam non niſi vnus eſt ſaluator mundi. & ſpiritus cœleſtis non niſi idem. & euangelium non niſi vnum; quibus ita ſe habentibus, concludit Apoſtolus, ſe illis ſecundum optimam regulam prædicaſſe: quandoquidem (vt Paulopoſt ſubiungit) in ſua prędicatione in nullo fuerit inferior, ne eximijs quidem Apoſtolis. Quòd ſi & alij in hac eadem prędicatione inſiſtunt, idem vt dicant, & prędicent oportet. Si autem alia ſupervacanea adijciant, hęc erunt extra ſimplicitatem fidei, quam oportet habere erga Chriſtum.

Gręci autem expoſitores mirantur, cur Apoſtolus conditionata oratione hoc loco vtatur, dum di- Gię. Expoſ.
cit: ſi aliud euangelium prędicetur, cum in epiſt. ad Galatas palam proteſtetur, & anathemate condem- Gal. 1.
net, ſi quis aliud euangelium prędicauerit. Atqui dicendum, in epiſt. ad Galat. ſtatui aliam non poſſe fieri prędicationem euangelij legitimam, ſi ſit pręter illam, quam ipſe denunciauerat. Hic autem loquitur cum conditione, quaſi concedendo, ſi ipſe defeciſſet a recta prędicatione, & alij legitimam cōfeciſſent; quod tamen, & ſe prętitiſſe declarat. Accedit, quòd in epiſto. ad Galatas, extirpanda erant quędam falſa dogmata apud eos a pſeudo Apoſtolis ſuperinducta, quibus Chriſti meritis, tanquam non ſufficientibus ad ſalutem, derogabatur; atque ideo Apoſtolus ibi prędictam comminationem anathematis protulit, vt pro conſtanti haberetur, ſalutē obtineri

tineri abſque vllo, tanquam neceſſario, adminiculo operum legalium.

C *Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe a magnis Apoſtolis*. Vel ironice magnos appellat pſeudo Apoſtolos, qui magna de ſeipſis iactabant. Aut ſermo eſt de vere magnis Apoſtolis, de Petro, Iacobo, & Ioanne, de quibus dicitur in epiſt. ad Galat. *Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ*
Gal. 2. Gręc. Expoſ. *eſſe*. Vtramque enim interpretationem afferũt Gręci expoſitores. Vnde, ſi Paulus nil minus egit ab ijs magnis Apoſtolis; ſequitur ergo, vt eius prædicationem, vti illęſam ab omni macula, Corinthij debeant conſeruare; & præconis ſui auctoritatem tueri; neq; aures præbere ijs, qui ei detrahere ſtudebant.

D *Et ſi imperitus ſermone*. Dat manus oppoſitioni, quam inducebant pſeudo Apoſtoli aduerſus ipſum, quòd eſſet imperitus ſermone; vt qui aptus non eſſet verbis perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ; quod neque curabat Paulus, cum ad crucis prædicationem huiuſmodi artificioſus ſermo non con-
1. Cor. 2. ueniret, vti dictum eſt in præcedẽti epiſtola. Verum & ſi imperitus ſermone, vt conſentit; attamen (inquit) *ſed non ſcientia;* ita quidem, vt nil ipſum effugiat cognitionis earum rerum, quæ pro ſalute ani-
Chryſoſt. lib. 4. de Sacerd. marum eſſent prædicandæ. Sed & Chryſoſtomus in lib. 4. de Sacerdotio multa ediſſerit, & tradit de admirabili, & forti quadã Pauli eloquẽtia, qua omnes confunderet, & deuinceret, ſiue ex Iudæis, ſiue ex Græcis ſecum diſputantes: quemadmodum in generalibus Præfationibus cumulatius explicatum eſt.

E *Hæc gloriatio non infringetur in me*. Hoc dictum
In cap. 14. Præfat. eſt de ſumptu ſibi debito ob prædicationem; de qua re eſt etiam ſermo in epiſtola ſuperiori, dum dicitur.
1. Cor. 9. *Quæ eſt ergo merces mea? vt euangelium prædicans, ſine ſumptu ponam euangelium*. Quod agebat pijſſimus Apoſtolus, ne offendiculum ſuæ prædicationi poneretur ab aduerſarijs, qui quærebant occaſionem eum diffamandi, quòd ob quæſtum prædicaret, vnde ſubiungit. *Quod autem facio, & faciam, vt amputem occaſionem eorum, qui volunt occaſionem vt in quo gloriantur, inueniantur ſicut, & nos*. Sunt qui dicant, quòd & illi pſeudo Apoſtoli profitebantur nihil accipere pro ſumptibus, ſed, cum eſſent diuites, non erant illa gloriatione digni, qua Paulus, cum eſſet pauper. Aut (inquiunt) illi palam non accipiebant. Verum nil refert, ſi palam id non erat, dummodo acciperẽt. Quòd autem acciperent, aperit Apoſtolus, dum ait paulo poſt. *Suſtinetis enim, ſi quis vos in ſeruitutem redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit*. Dum autem dicit, quòd non inuenirentur, in quo gloriabantur, vti & ipſe; intelligit de prædicatione, ob quam illi gloriabantur; non autem de non accipiendo ſumptum, cum acciperent. Et propterea non tales erant, vt Paulus; qui ſine ſumptu ponebat euangelium.

F *Non loquor ſecundum Deum, ſed quaſi in inſipientia in hac ſubſtantia gloriæ*. Eſt inſipientia, & non loqui ſecundum Deum (vt fatetur Apoſtolus) gloriari de nobilitate generis, & eiuſmodi, quæ carnem ſapiunt; in quibus tamen gloriari, tum ad peruerſorum hominum confuſionem, tum ad proprij nominis auctoritatem retinendam (quibus Apoſtolus, in hac ſua commemoratione nobilitatis, & aliorum huiuſmodi intentus erat) non eſt penitus inſipientia, cum ad finem non inſipientem hæc dirigantur.

G *Si quis in faciem vos cædit*. Non quòd percuterent illos in facie alaphis, ſed quoniam (vt declarat Apoſtolus inquiens, *ſecundum ignobilitatem dico*) hac ratione eos in faciem cędebant: dum Corinthijs pſeudo illi ignobilitatem obijcerent, veluti quòd non eſſent de genere Hebræorum, ſed Gentiles: ipſos enim (vt inquit Theodoretus) execraban- Theodor.
tur. Et Auguſtinus explicans hunc locum in lib. En- Auguſt. in lib. Enchi.
chir. *facies* (inquit) *eſt, qua quiſque cognoſcitur, quid ſit autem in facie cędi, exponit dicens, quòd eſt contemni, & deſpici*.

H *In quo quis audet*. Hic agit de gloriatione ſecundum carnem, quòd ortum duceret ex ſemine Abrahæ; quod Iſraelita eſſet, quod Hebręus. Iactabant ſe (inquit Theodoretus) illi pſeudo Apoſtoli Theodor.
de nobilitate, diuitijs, eloquentia, quæ ſunt res externæ: addit ad hęc Theophylactus etiam circunci- Theoph.
ſionem. De genere autem Hebręorum ſe quoque natum eſſe commemorat Apoſtolus; tum ad confuſionem illorum peruerſorum; tum vt ſcirent Corinthij ſui generis conditionem; hincque (vt decebat) eius deferrent auctoritati. Et hæc quidem potuit commemorare Paulus; vel quoniam pſeudo Apoſtoli de ſe ipſis talia iactarent. Aut quoniam de alijs Apoſtolis Chriſti hęc publicarent, a quibus longe abeſſe Paulum pſeudo illi Apoſtoli diſſeminarent; vt hinc, in contemptum, ipſum inducerent.

I *Plus ego*. Plus ſe miniſtrum dicit Chriſti; quoniam (vt dixit etiam in ſuperiori epiſtola) plus om- 1. Cor. 15.
nibus laborauit, patiens quamplurima; quę hic copioſa, & graui oratione proſequitur. Sed quomodo, qui pſeudo Apoſtoli prius nominati ſunt, hic Chriſti miniſtri nuncupantur? Huic dubitationi occurrendum eſt, dicendo; quòd, aut ita loquitur ex eorum vocibus, qui tales ſe iactarent eſſe Chriſti miniſtros. Aut, quoniam poterant Chriſti eſſe miniſtri, dum euangelium prędicabant, vel baptizabant, & tamen hęc facere poterant ob quæſtum, aut ob concitandam inuidiam, & ſeditionem aduerſus Paulum; prout in hanc ſententiam ſcribitur late in epiſtola ad Philip. Aut forte prius intellexit falſos Philip. 1.
Apoſtolos eſſe illos, qui ſe transfigurabant in Apoſtolos Chriſti, imitantes Satanam, qui ſe transfigurat in Angelum lucis. Nunc autem miniſtros Chriſti veros Apoſtolos intelligit; quibus cũ tamen Paulus non contendit de primatu excellentię: ſed ita loquitur, quoniam ſe illis conferre, vtile erat ad obſtruendum os eorum, qui, vt ipſe in contemptu haberetur, magna de alijs Apoſtolis propalabant, Paulum autem diffamabant.

K *Præter ea, quæ extrinſecus ſunt*. Hęc ſunt iam commemorata; nempe, pericula, & mala perpeſſa, & labores itinerum ſuſcepti. Cum autem ſubiungit; *inſtantia mea quotidiana;* innuit (vt ſentit Theophy- Theoph.
lactus ſequens Chryſoſtomum) factioſam conſpira- Chryſoſt.
tionem aduerſus Paulum factam a Iudęis. At vide- hom. 25.
tur & hoc quoque inter extrinſeca poſſe connumerari; ſicuti & pericula, & plagę, quę extrinſecus pro-

u eniebant,

ueniebant, quanquam perſonam Pauli attingerent. Nonnulli alij interpretantur; quòd, præter extrinſeca enumerata, adeſſet etiam inſtantia quotidiana; nempe, qua continue affligeretur; quæ qualis eſſet, exponit, cum dicitur: *ſolicitudo omnium eccleſiarum*; hæc enim ad internam animi perturbationem attinebat, & magis vrgebat animum Apoſtoli: quod etiam conſentaneum eſt ijs, quæ dicta ſunt ſupra;
2.Cor.7. *foris pugnæ, intus timores*. Perpendendum autem eſt verbum Græcum, *ἐπισύστασις*, quod *inſurrectionem* ſignificat, quæ poteſt aptari inſurrectioni, quę excitabatur in animo Apoſtoli. Vnde inquit, *ἐπισύστασίς μου*: vti ea, quam ex ſe ipſo ſuſciperet in animo perturbationem; videlicet ob ſolecitudinem eccleſiarum, quæ pendebat ex eius propria voluntate. Vnde ſubiungit; *quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Cui interpreta-
Auguſt. in pſal.95. tioni accedit Auguſtinus in tract. pſal. 98. dum inquit: *cęperat dicere interiora (præter ea, quæ extrinſecus erant, quæ patiebatur à perſecutoribus Chriſti) incurſus in me quotidianus, ſolicitudo omnium eccleſiarum*.

L *Si gloriari oportet*. Nempe, quoniam ita expediat pro continendis Corinthijs in officio; *quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor*: Nempe in perſecutioni-
Grę. Expoſ. bus, & afflictionibus, quas paſſus erat, ita Græci exponunt. Et inter grauia, quæ paſſus fuerat, extitit fuga e Damaſco dum dimiſſus per feneſtram in ſporta per murum (vt hic narrat) ſic effugit e manibus eorum, qui eius animam quærebant. Qua in re, & infirmitas denotatur, quòd inſidias mortis paſſus eſſet; vel etiam quòd fuga ſibi quæſierit ſalutem. Ex quo tamen illud palam fit (quod cedat in laudem, & magnam exiſtimationem Pauli) quòd magni fiebat a Iudęis chriſtianæ fidei perſecutoribus, ut Paulus tolleretur de medio, tanquam vir magnæ auctoritatis; & qui prius perſecutor exiſtens eccleſiæ, eiuſdem deinde effectus eſſet pręco grauiſſimus atque defenſor. Vnde eum Iudæi odio immenſo perſequebantur. Verum in infirmitatibus quoque ſuis (qualeſcunque perſecutiones, & quæcunque grauia ſuſtinuerat) hæc pro Chriſti nomine perpeſſus erat; quoniam hinc eius virtus magis a Deo perficiebatur. Vnde gloriandum pro illis ſibi erat, vt dicitur cap. ſequenti.

PARAPHRASIS.

CAPIT. XII.

SI gloriari oportet (non expedit quidem) veniam antè, ſi eſt gloriandum, ad viſiones, & reuelationes Domini. Scio hominem in Chriſto, ante annos quattuordecim, ſiue in corpore, neſcio, ſiue extra corpus, pariter neſcio, Deus ſcit; ſcio inquã raptum huiuſmodi hominem vſque ad tertium cęlum; & ſcio hunc hominẽ, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit; quòd raptus eſt in paradiſum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro huiuſmodi gloriabor: pro me autem (quantum ad me) nõ gloriabor, niſi in infirmitatibus meis. Nam etſi voluero gloriari, non ero inſipiens, veritatem enim dicam, ea memorans, pro quibus locus eſſet gloriationi. Parco autem, abſtineoque me ab hac gloriatione, parce de his loquẽs; ne quis inducatur ad exiſtimandum, quòd in me ſit aliquid ſuper id, quod videt in me; aut audit ex me. Et ne magnitudo reuelationum ad ſuperbiam, vanamque iactantiam extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carni meæ, non ſpiritui, qui liber eſt ab hoc offendiculo: ſtimulus iſte eſt, angelus Satanæ (perſecutio ſcilicet quæ fit ab aduerſarijs euangelij) mihi datus, vt me colaphizet, ac pungat continuo, ne efferar in ſuperbia. A quo ter Dominum rogaui, vt eriperet me, qui mihi reſpondit: ſufficit tibi gratia mea: Nam virtus in infirmitate perficitur, quoniam Dei potentia magis oſtenditur, dum, qui infirmi ſunt, magis roborantur. Libentiſſime igitur potius gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Quamobrem placeo mihi in infirmitatibus meis, in ipſis ſcilicet contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs, quas pro Chriſto patior. Nam cum infirmor, huiuſmodique premor moleſtijs, tum demum potens, atq; roboratus euado, ex potentia Chriſti in me cohabitante. Factus ſum inſipiens, in hunc deſcendens gloriationis ſermonem: huc me vos impuliſtis, a quibus commendari debueram. Nihil enim minus feci in prædicatione mea a ſummis Apoſtolis, tametſi ex me ipſo nihil ſum. Signa quidem Apoſtolatus mei peracta ſunt apud vos in omni patientia, in ſignis, & prodigijs, & virtutibus. Qua enim in re inferiores fuiſtis cæteris eccleſijs, niſi quòd vobis non fui oneroſus? Hanc mihi condonate iniuriam. Ecce tertio paratus ſum ad vos venire, neq; tamen vos grauabo; non enim quæro res veſtras, ſed vos: neque enim debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs. Quin ego omnem meam operam impendam in veſtram ſalutem, meque ipſum impendam, ac morti tradi patiar pro veſtris animabus; licet abundantius vos diligens, minus à vobis diligar. Sed eſto, ego vos non grauaui, nemo id mihi opponit; ſed aſtutus exiſtens, dolo vos cępi. Numquid per aliquem eorum quos ad vos miſi, vos circumueni? Rogaui Titum, vt ad vos veniret, aliumque miſimus cum eo fratrem. Numquid Titus vos circumuenit? an non eodem ſpiritu ambulauimus? nonne eiſdem veſtigijs? Hic rurſus mihi videre videor exiſtimari a vobis, quòd ijs ſermonibus nos excuſemus apud vos; cum coram Deo in Chriſto loquamur, & omnia (cariſſimi) in veſtram ædificationem. Timeo enim (ne forte veniens ad vos, non quales opto, vos inueniam; & ego inueniar a vobis, qualem non vultis; ne forte contentiones, æmulationes, iræ, concertationes, obtrectationes, ſuſurrationes, inflationes, atque ſeditiones ſint inter vos; ne iterum venientem me Deus humiliet apud vos; vt lugeam multos illorum, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam de immunditia, fornicatione, & impudicitia, quam geſſerunt.

Editio vulgata.

SI gloriari oportet, non expedit quidem: veniam autem ad viſiones, & reuelationes Domini. Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim (ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio: Deus ſcit) raptum huiuſmodi vſque ad tertium cœlum. Et ſcio huiuſmodi hominem (ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio: Deus ſcit) quoniam raptus eſt in Paradiſum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro huiuſmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor, niſi in infirmitatibus meis. Nam & ſi voluero gloriari, non ero inſipiens: veritatem enim dicam: parco autem: ne quis me exiſtimet ſuper id quod videt in me, aut aliquid audit ex me. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcederet a me, & dixit mihi. Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. Cum enim infirmor, tunc potens ſum. Factus ſum inſipiens: vos me coegiſtis. Ego enim a vobis debui commendari: nihil enim minus feci ab iis qui ſunt ſupra modum Apoſtoli, tametſi nihil ſum. Signa tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus. Quid eſt enim quod minus habuiſtis præ cæteris eccleſiis: niſi quòd ego ipſe non grauaui vos? Donate mihi hanc iniuriam. Ecce, tertio hoc paratus ſum venire ad vos, & non ero grauis vobis. Non enim quæro quæ veſtra ſunt: ſed vos. Nec enim debent filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis, ego autem libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ego ipſe pro animabus veſtris: licet plus vos diligens minus diligar. Sed eſto: ego vos non grauaui: ſed cum eſſem aſtutus, dolo vos cepi. Numquid per aliquem eorum quos miſi ad vos, circumueni vos? Rogaui Titum, & miſi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumuenit? nonne eodem ſpiritu ambulauimus? nonne iiſdem veſtigiis? Olim putatis, quòd excuſemus nos apud vos. Coram Deo, in Chriſto loquimur: omnia autem cariſſimi propter ædificationem veſtram. Timeo enim ne forte cum venero, non quales volo, inueniam vos, & ego inueniar a vobis, qualem non vultis: ne forte contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, detractiones, ſuſurrationes, inflationes, ſeditiones, ſint inter vos: ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia quam geſſerunt.

ADNOTATIONES.

A SI *gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad uiſiones, & reuelationes Domini*: Ita habet editio vulgata. Græci autem ſic. *Gloriari ſane non expedit mihi, ueniam enim ad uiſiones, &c.* Quaſi (ſecundum hanc lectionem) Paulus reddat cauſam, cur non expediat ſibi gloriari, acceſſuro ad viſiones, & reuelationes ſibi factas a Domino: per quas (vt inquit Theophylactus) clarus redderetur, & inflari homo poſſet. Theoph. Et idcirco paulo poſt inquit; *Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Propterea etiam appellat has viſiones, & reuelationes Domini, & non ſuas, vt abiiciat a ſe omnem tumorem, cũ hæc non ſua ſint, ſed domini; qui id totum perfecerit, abſque quòd, ex parte Apoſtoli, quidpiam acceſſerit; ſicuti etiam pro vitanda facilius omni inflatione, quæ in eius animum excitari potuiſſet ob raptum hunc mirificum atque diuinum, ad quem ſublatus eſt; ſe ipſum memorat ſub tertia perſona, quaſi de alio loqueretur, dum inquit. *Scio hominem in Chriſto ante annos quattuordecim &c.* & paulo poſt: *pro huiuſmodi gloriabor, pro me autem nihil gloriabor.*

Quærunt autem hoc loco Chryſoſtomus, & nõnulli alii, cur non poterat Apoſtolus etiam gloriari, cum in ſe ipſo hanc exaltationem in animo peruoluerer. Chryſoſt. hom. 26. Et reſpondens, quòd poterat: ſed ſubdunt, quòd non ita effertus homo, ſi manent ſecreta, quę ad laudem eius eſſe poſſunt, ſicuti ſi propalẽtur aliis. Neque vero (inquiunt) quòd ſibi timeret Apoſtolus ne ſuperbiret, ita locutus eſt; ſed vt ad modeſtiã hinc ſuo exemplo alios induceret. Magna autem exaltatio Apoſtoli pendebat ex hoc raptu, quem tamen non ob faſtũ, cuius eſſet ſtudioſus, ſed eo conſilio cõmemorauit; vt machinationes pſeudo Apoſtolorum deiiceret; & hinc ſaluti Corinthiorũ proſpiciens, eos ſibi obſequentes retineret.

B *Viſiones & reuelationes.* Ita loquitur; aut quoniam plures viſiones, & reuelationes Apoſtolus habuerit: Aut quoniam in illo raptu plurium rerum viſiones, & reuelationes extiterunt. Differt autem viſio a reuelatione; quoniam reuelatio ſupponit viſionem, & non e conuerſo. Siquidem Pharao habuit viſionem, non autem reuelationem, quam obtinuit Ioſeph interpretans viſionem Pharaonis. Et ita quidem dicendum, ſi circa idem exiſtat viſio, & reuelatio; cum etiam poſſint inuicẽ diſtingui, quatenus ſint circa diuerſa. Veluti ſi dixerimus, quòd Pauli viſio in illo raptu fuit circa diuinã eſſentiam: reuelatio uero circa alia extra viſionem; quemadmodum & prophetis, myſteriorum, & rerũ futurarum factæ ſunt reuelationes. Nam, dum in viſione diuinæ eſſentiæ Apoſtolus verſaretur, non videtur dicendum, quòd opus illi eſſet reuelatione pro explicandis viſionibus circa eſſentiam diuinã. Siquidem Deus lucem inhabitat clariſſimã, ita vt qui videt ipſum, ſicuti eſt, pro hac cognitione non eget alia reuelatione, & interpretatione.

C *Scio hominem in Chriſto.* Non dicit, ego in Chriſto; ſed tanquam de aliena perſona loquens, inquit; *Scio hominẽ in Chriſto*: quod facit, tũ vt patefaceret, quę narrat de raptu, ea a Deo, & a Chriſto extitiſſe, & nihil a ſe ipſo; hincq; auocet a ſe omnẽ tumoris ſuſpicionẽ; tum etiã vt cõmodius hęc enarret, hanc ſequens orationis formam. Inquit igitur: *Scio hominem in Chriſto.* Paulus de raptu certus erat, & quòd fuerat in illo raptu, *in Chriſto*, nempe Chriſto inſitus, nouerat; prout fuit etiam latro in

Chriſto;

Luc. 23. Chriſto; cui dictum eſt a Domino, *hodie mecum eris in paradiſo*. Siquidem nemo hominum poteſt Dei gloria frui, niſi in Chriſto ſit inſitus, & incorporatus; per quem ſaluati ſumus, & ad beatitudinem perducimur.

D *Siue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit*. De raptu (ſicuti dictum eſt) certus erat Apoſtolus. Verum ignorabat, num in corpore, an extra corpus raptus fuiſſet, ideſt, num exiſtente anima intellectiua in corpore, an extra corpus. Aduertendum autem, ad nuncupationem *raptus*, extaſim quandam ſupponi, ſeu mentis eleuationem, quæ in homine locum habet ob eius variam, multiplicemque naturam; quæ diſtinguitur in potentias diuerſas, tum ſenſuum exteriorum; tum communis ſenſus interioris, tũ imaginationis, & intellectus. Hinc fit, vt, cum homo alicuius ſenſus intenſa occupatus operatione detinetur, interim extaſim, & ſeiunctionem quandam ab alijs ſenſibus patiatur. Vnde illud vulgatum prodijt, quòd intenti ad alia, quæ ſub oculis deferuntur, nõ videmus, quod maxime contingit in meditatione intellectiua. Et propterea nõnulli philoſophiam deſcripſerunt, eſſe mortis meditationem; quoniam ſcilicet, ex vehementi intellectus applicatione ad ſpeculandum, vis animæ valde extollitur, & quodammodo a ſenſitium operatione ſegregatur; ac ſi tota in actu meditationis ſit poſita. Quicunque autem habent viſionem imaginariam,
Act. 10. qualis fuit illa Petri, de qua eſt mentio in Actibus; hi in extaſim a diuina potentia rapiuntur; ad quam multo magis rapi dicerentur, quicunque ad eſſentię diuinæ viſionem extollerentur, ad quam raptus eſt Paulus. Extaſis vero ſecundum potentiam appeti-
Dionyſ. tiuam, de qua eſt ſermo apud Dionyſium in cap. 4. de diui. nom. vt puta (quòd amor facit extaſim, non ſinens amatorem compotem eſſe ſui ipſius, dum eum transfert in rem amatam) ſi exacte perpendatur, non adeſt ſine cognitione. Siquidem amans eatenus extaſim patitur, quatenus totus eſt poſitus cogitatione in rei amatæ ſpecie meditanda, ad hanc ipſam meditationem inductus ab eo affectu, & appetitu, quo feruet erga rem amatam, quæ amantem ad ſe excitat, & rapit.

E *Ad tertium cælum*. Sunt qui primum cœlum conſtituunt aereum; ſecundum ſtellatum; tertium empireum ſupra octauam ſphæram. Alij ita diſtinguunt, vt primum cœlum ponant ipſum viſibile vſq; ad firmamentum; ſecundum aqueum; tertium empireum, vbi eſt paradiſus Domini. Quidam alij interpretantur per primum cœlum, cognitionem ſenſitiuam; per ſecundum, cognitionem imaginariam; & per tertium cęlum, intellectiuam; & ad hoc cę-
Theoph. lum, dicunt, fuiſſe raptum Paulum. Theophylactus autem ait, primum cęlum conſiſtere circa cognitionem morum; ſecundum cęlum, cum quis totius naturæ cognitionem, vt neceſſariam circumſcripſerit; tertium cęlum, cum diuinorum cognitio apprehenditur bonorum incomprehenſibilium; ſed contẽplatione acquiritur. Et dicit, quòd beatus Paulus in ea loca ſublatus, & arreptus eſt, quæ ſunt circa Trinitatem, omnia creata trãſcendens. Quidam alij dixerunt, Paulum fuiſſe raptum ad tertium cęlum, vbi eſt ſuprema Hierarchia Angelorum; adeo quòd vidit eſſentiam diuinam, vti & ſuprema Hierarchia Angelorum eam videt. Forte ſimplicior eſſet explicatio, ſi dicatur, quòd Apoſtolus raptus eſt ad tertium cęlum, vbi Deus, ipſa ſancta Trinitas eſt; quæ dicitur eſſe in cęlis, tanquam ibi præcipue glorificata: idque, dum ad diuinam vſque eſſentiam peruenit; id aſſecutus, inſitus exiſtẽs in Chriſto; per quem ad gloriæ viſionem omnes electi perducuntur.

F *Siue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio*. Ijs verbis videtur Apoſtolus ſignificare, ſe neſcire, num corporaliter raptus fuerit, in corpore ſcilicet, & in anima; an ſolum ſecundum animam. Quam expoſitionem non fert Auguſtinus, qui in lib. 12. Gen. August. lib. 12. Gen. ad lit. c. 3. & 4.
ad litteram, inquit. Si Paulus raptus eſt vſque ad tertium cęlum; ergo ſciuit verum cęlum: ſciuit ergo, aut corporeum, aut incorporeum eſſe. Si incorporeum, ergo ſciuiſſet, quòd non potuiſſet eſſe ibi corpus: ſi corporeum, etiam ſciuiſſet, quòd non poterat eſſe ibi anima in loco ſine corpore. *Vnde ipſe interpretatur*; quòd Paulus neſcierit, vtrum anima eius fuerit totaliter ſeparata a corpore (vnde dicit, *ſiue extra corpus*) aut anima fuerit dans eſſe corpori; ſed mẽs in illa viſione fuerit a rebus corporeis alienata per extaſim vehementiſſimam. Forſitam poſſet dici, Paulum neſciuiſſe, ſi in illo raptu extiterit in corpore, an fuerit ſeparatus a corpore, non accipiendo tertium cœlum, quaſi localiter; ſed ſecundum viſionem, quam acceperat de Deo, qui eſt in cęlis; ſicuti antea explicatum eſt. Acceperat autem inſitus in Chriſto, per quem, (quaſi per aliquem canalem) diuina ſibi viſio fuit communicata. Theo- Theoph.
phylactus autem inquit, quòd Apoſtolus tranſcendens omnia creata, neque erat in corpore (quippe qui nihil pro corporis ſenſibus tunc factitaret) neque extra corpus. *Nam & interea*, inquit, *cum ſic raperetur, vel intellectus ipſe in eo ceſſaret, ita vt nihil poſſet vera cognitione complecti, vacat enim diuinis in rebus mens omnis humana; & penitus torpet, cum homo a Deo fuerit arreptus, & ita ab eo educi neceſſe ſit, & a corpore ipſo efferri, & eiuſdem dicta omnia operari*. Quæ Theophylacti interpretatio videtur conſentire expoſitioni allatæ ex Auguſtino; quòd non eſſet Paulus in corpore, quoniam functiones in eius corpore deſierint. Et cum dicat Apoſtolus, *ſcio hominem, ſiue in corpore ſiue extra corpus, neſcio*; hinc videtur innuere, quòd homo ſit homo, etiam quòd extra corpus eſſet anima intellectiua, per quam homo præcipue eſt homo. Aut ita locutus eſt ad ſignificandum, quòd ille, de quo habet ſermonem, erat homo animam in corpore habens, dum raperetur, & poſt raptum etiam perſtiterit homo, habens pariter animam in corpore.

G *Et ſcio huiuſmodi hominem*. Repetit de eodem homine, ſe ſcire, quòd raptus eſt in paradiſum, iam & ſi neſciat, num in corpore fuerit, an extra corpus. Ex ijs ſuſpicati ſunt nonnulli, quòd Apoſtolus duos raptus paſſus fuerit. alterum in ſua conuerſione, cum tribus diebus fuit non manducans, neque bibens; alterum vero in alio tempore. Verum communis Græcorum interpretatio, vnum duntaxat raptũ hic ſignificatum eſſe ſupponit, repe-

titione autem verborum amplificatum eſſe ab Apoſtolo ob rei magnitudinem, vt vehementius animis Corinthiorũ infigeretur. Per raptum autem ad tertium cœlum, inquiunt, ſignificari altitudinem cognitionis; per raptum vero in paradiſum, ſuauitatem fœlicitatis denotari, quam deguſtauit.

H *Et audiuit arcana verba.* Græce ἄῤῥητα; quaſi non dicibilia, & ineffabilia. Per verbum autem, *audiuit*, denotare videtur reuelationes, quas acceperat
Theodor. in illo raptu: quamquam (vt refert Theodoretus) fuerunt, qui verba pro rebus interpretati ſunt; nempe, quòd Apoſtolus viderit Paradiſi pulchritudinem, & choreas ſanctorum, quę ſunt in illo, ac numeroſam, & modulatam hymnorum vocem.

I *Quæ non licet homini loqui.* Aut per hoc vult Apoſtolus, quòd homini illi, qui raptus eſt non liceret (quia et prohibitum fuerit) eloqui, & cõmunicare alijs quæ audiuit; & ad hunc ſenſum interpres *dictionem, ἄῤῥητα, arcana,* vertiſſe videtur. Aut voluit ſignificare, quòd homo exiſtens in carne, non poteſt illa proloqui, vnde ἄῤῥητα ῥήματα dicuntur, id eſt, verba ineffabilia, & inexplicabilia. Ad quę ſenſum
Theoph. reſpiciens Theophylactus inquit; quòd Apoſtolus arreptus in Paradiſum, in arcanis, & myſticis rebus verſatus eſt, quas (quia incognitæ, & inexplicabiles ſunt) niſi quis mortalem hanc, & abiectam conditionem abijecerit, aſſequi cognitione non potuit.

Verum hoc loco aliquis dubitaret, quomodo ſciebat Paulus, ſe raptum fuiſſe, & audiuiſſe arcana verba, ſi illa non poterat loqui, quaſi ex eius mente excidiſſent? & quomodo, ſi exciderãt, dicere potuit
1. Cor. 11. Corinthijs; *ego enim accepi a Domino, quod & tradi-*
1. Cor. 15. *di vobis;* & iterum ad eoſdem; *ecce myſterium vobis dico;* loquens de reſurrectione mortuorum; & ad
Rom. 11. Rom. *Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc.* Et quomodo pariter verum erit illud, quod de ſa-
2. Pet. 3. pientia Pauli Petrus enunciauit, inquiens. *Sicut & cariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis;* quomodo inquam hæc omnia ſimul conſiſtent, ſi non permanſerunt in eius mente, quæ ſibi reuelata fuerunt? Verum, quòd attinet ad illud, quomodo potuerit ſcire ſe raptum eſſe; de hoc non debet eſſe dubium; Nam ſi, qui dormierit, agnoſcere poteſt ſe dormijſſe; & qui in ſyncopem ceciderit, poſtquam in proprios ſenſus redierit (quamuis dum ſyncope laboraret, nullius rei haberet ſenſum) attamen hoc ſe paſſum eſſe agnoſcere poteſt; multo igitur magis potuit Apoſtolus agnoſcere, ſe raptum fuiſſe, & diuina fruitum viſione; tametſi in priorem reuerſus ſenſuum ſtatum, & intellectum obtinens *fantaſmatibus* ſenſibilibus addictum, quæ vidiſſet, cernere vlterius nõ
Dio. Carth. poſſet. Dionyſius autem Carth. explicans hunc locum inquit: quòd poſt raptum remanſerunt aliquæ ſimilitudines in anima Pauli, per quas memor erat eorum, quæ vidit in raptu. non vult tamen, quòd omnium memor fuerit quæ vidit; ſed quòd manſerit tanta in eo ſcientia, quanta fuerit neceſſaria pro inſtructione; ſed non omnia; quoniam corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam.

Verum (quod attinet ad Dei viſionem,) ſi hanc ſecundum eſſentiam obtinuit Paulus in illo raptu, admodum difficile videtur poſſe defendi, quomodo potuerit niſi eadem remanere in eius mente. Quod ſi eadem remanſit, ergo ſemper Paulus in hac vita beatus extitiſſet, diuinam ſemper viſionem habens: ſi vero ſpecies eadem diuinæ eſſentiæ poſt raptum in anima Pauli non remanſit; non fieri potuit, ut in eius mente eſſet repræſentatio diuinæ viſionis, cum nil poſſit Dei ſpeciem ſimpliciter, & proprie ſecundum eius eſſentiam repræſentare? ex quo ſequitur, viſionis ſimilitudines non potuiſſe in eius mente remanere, poſtquam ſeiunctus eſt a raptu. Idcirco, aut dicendum, quòd viſio in reuelatione myſteriorum fuit facta in quibuſdam ſimilitudinibus externis ab eſſentia diuina, & hæ remanere potuiſſent. Aut intelligendum, quòd reuelationes factæ fuerint extra viſionem, quas ſæpius Paulus acceperit, ſicuti etiam multis alijs prophetis, citra viſionem diuinam, fuerunt reuelata multa myſteria: ex quibus deinde reuelationibus dici poteſt, quòd ſapientia remanſit in Paulo a Deo ſibi communicata. Vnde de his myſterijs (prout occaſio poſtulabat) aliqua in ſuis epiſtolis; & prædicationibus propalabat. Non poſſumus autem percipere, vt inquit Theodoretus, quas habuerit viſio- Theodor.
nes; aut quid in ipſo remanſerit: ſed certum eſt, quod a Deo fuit ipſi communicata ſapientia, quam ſemper obtinuit. Sed & illud ponderandum eſt, quòd Apoſtolus in Chriſto exiſtens, in ipſo inſitus, dicit, quòd audiuit arcana verba, ſicuti & in Chriſto, ad eius pectus reſidens B. Io- Ioan. 13.
annes multa vidit, multaque ei fuerunt reuelata, ex quibus poſtea Apocalypſim confecit. Ex hoc autem, quod dixit Apoſtolus, ſe audiuiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui, colligunt Græci, falſam igitur eſſe eorum pronunciationem, quòd Paulus Apocalypſim confecerit.

K *Pro huiuſmodi gloriabor.* Non dicit pro ſe; vt hinc innueret, id totum, quod narrauit de raptu, ex gratia Dei emanaſſe. Sed tamen non inficiandum, quòd homo ijs diuinis ſubleuatus gratijs, valde glorioſus potuit apparere. Et magna ſane hinc detegitur modeſtia Pauli, qui tãto tempore raptum hũc tam glorioſum ſubticuerit, neque ipſum enunciauerit, niſi tanquam coactus pro ſui nominis dignitate tuenda apud Corinthios, ut ita eorum ſaluti tutius proſpiceret.

L *Pro me autem nihil gloriabor, niſi in infirmitatibus meis.* De gloria raptus nil ſibi tribuit; ſed eam omnem refert in Deum. De infirmitatibus autem ſuis vult gloriari; quoniam ex illis robur a Deo ſibi proueniat, vt dicit paulo poſt. Et cum ſubiungit; *& ſi voluero gloriari, non ero inſipiens.* Innuit, quòd ſi voluiſſet gloriari ob illum raptum, non inſipiens fuiſſet, quoniam veritatem enarraſſet; eaque magnalia, ex quibus magna gloriatio ſibi proueniſſet. Sed inquit; *Parco autem,* id eſt, abſtineo me ab hac gloriatione, idque, *ne quis in me exiſtimet ſuper id quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* Id eſt, ne quis cenſeat me tanquam Deum, & nõ hominem, ſed aliquid ſupra hominis naturã: ne de ipſo (inquit Theophylactus) maiorem Theoph.

aliquis

aliquis, quàm de homine opinionem conciperet.
Act. 14. Quemadmodum in Lycaonia factum eſt: vbi, cum
ipſum, tanquam Deum exiſtimaſſent, tauros ei ſacri-
ficare conati ſunt. Et ideo ait, ſobrie ſe loqui de
hac raptus gloriatione. Illis vero verbis; *aut aliquid
audit ex me*; videtur inferre, quòd abſtineat ab hac
manifeſtatione gloriationis, ne cenſeretur habere in
ſe viſiones, vltra ea, quæ enunciaret; ſignificans per
hæc, quòd ceſſarunt in ipſo viſiones circa eſſentiam
diuinam. Quidam interpretantur, quòd parcet,
dum abſtinet ſe ab enunciatione reuelationum. Cui
interpretationi refragari videtur illud, quod dixit
antea; quòd audiuit arcana verba, quæ non licet ho-
mini loqui.

M *Et ne magnitudo reuelationum extollat me.*
Aut multas reuelationes intelligit, quas acceperit in
raptu iam deſcripto. Aut multas illas dicit habitas
de myſterijs extra raptum; quæ, ſecundum ſapien-
tiam a Deo communicatam Paulo, in eius mente
ſemper conſeruatæ fuerunt, ſub ſimilitudinibus ta-
men, & eius generis imaginibus, quæ Deum in
ænigmate repręſentant. Ne igitur ex magnitudine
harum reuelationum extolleretur, inquit Apoſtolus
(quaſi ad medelã) *datus eſt mihi ſtimulus carnis meę,
angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Quę verba va-
August. in psal. 130. Gręc. Expoſ. rias receperunt interpretationes. Quidam enim
dixerunt, ijs ſignificari dolorem capitis, quo Paulus
a Satana vexabatur: quod exemplo ipſius Iob do-
cet Auguſtinus in pſal. 130. Græci autem expoſito-
res non æquo animo ferunt, quòd Paulus, qui alios
traderet Satanę ad interitum carnis; ipſe Satanæ
ſubijceretur vexationi. Et ſane neque videtur ex di-
gnitate, & magnitudine animi huius tanti Apoſtoli,
qui ſemper Chriſti mortificationem portaret in
corpore ſuo, paratuſque eſſet ad moriendum pro
Chriſto, vt publicaret, quòd ter Dominum rogauit,
vt a ſe huius morbi vexatio tolleretur; cum præſer-
tim non appareat, quòd propterea ab itineribus cõ-
ficiendis, & a prędicationibus habendis retardare-
Theoph. tur, aut impediretur. Quidam alij, inter quos etiam
eſt Theophylactus, intellexerunt vexationem hanc
extitiſſe ſtimulum carnis, & concupiſcentię; horum-
que ſententię conſentanea videntur, quę de ſe ipſo
Rom. 7. ſcripſit Apoſtolus in epiſtola ad Rom. dum inquit,
*quod nolo facio, & inhabitat in me, in carne mea pec-
catum.*

Verum, & hæc interpretatio habet ſuas anguſtias;
Siquidem huiuſmodi carnis tentatio, eius eſt gene-
ris, cui vir ſanctus, in fide ſibi conſtans, debeat reſi-
ſtere, eique opportunis occurrere remedijs; vt fer-
tur de ſancto Benedicto, qui, dum ei quodam die
ardentes ad libidinem faces a Diabolo ſubijceren-
tur, ſe in vepribus tandiu volutauit, dum, lacerato
corpore, voluptatis ſenſus dolore opprimeretur. Sed
1. Cor. 7. & eo conſilio (quod Paulus Corinthijs prębuit, do-
cens, quòd potius deberent nubere, quàm vri) ad
ſuę carnalis vexationis medelam, ſi vere eam patie-
batur, poterat vti.

Illud autem aduertendum eſt, communem eſſe
Gręcorum ſententiam, vt per infirmitates, quas com-
memorat Apoſtolus, intelligantur vexationes, affli-
ctioneſque, quas patiebatur a fidei Chriſtianę per-
ſecutoribus; vt manifeſte innuit; dum inquit in hoc
cap. *propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in
contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in an-
guſtijs pro Chriſto.* Quibus etiam conſentiunt, tum 1. Cor. 2.
ea quę habetur in epiſt. ſuperiori, vbi dicitur, quòd
acceſſerat ad eos in infirmitate, in timore, & tremo-
re; tum quę in Actis enarrantur a Domino Ananiæ
de Paulo; dum dicitur; *Ego enim oſtendam illi, quan-* Act. 9.
ta oporteat eum pro nomine meo pati. Inter omnia
autem, quæ præcipue ipſum affligerent, erant per-
ſecutiones ſibi factæ a Iudęis. Qui, vt obex Apo-
ſtoli prædicationi poneretur, omnes ipſorum cona-
tus intendebant: iuxta illa, quæ habentur in epiſtola
ad Theſſal. de Iudęis. Vbi dicitur; *qui & Dominum* 1. Theſſ. 2.
*occiderunt Ieſum, & prophetas, & nos perſecuti ſunt,
& Deo non placent, & omnibus hominibus aduerſan-
tur, prohibentes nos Gentibus loqui.* Ob id igitur mi-
rifice angebatur Apoſtolus; hincque animi exurge-
bat quotidiana, perenniſque eius ſolicitudo de om-
nibus eccleſijs; dum timeret, ne animæ fidelium ex
perſecutionibus, & inſidijs iudaicis a vero ſenſu fi-
dei abducerentur. Quare de ijs ipſum loqui cen-
ſendum eſt, cum ait: datum eſſe ſibi ſtimulum car-
nis angelum Satanæ, qui ipſum colaphizet: cum
præſertim vox hæc, *Satan*, tum græca, tum hebraica
lingua, aduerſarium ſignificet. Diabolus autem
aduerſarijs Pauli vtebatur Iudæis, tãquam ſuis an-
gelis, & miniſtris ad eum conturbãdum, & ad obi-
cem ponendum eius prædicationi. Dum autem
dicit; *datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ.* Gręci legũt,
carni meæ, & idem eſt ſenſus. Denotat autem, quòd
ſecundum carnem ægre hæc patiebatur, ſpiritu au-
tem ad Dei voluntatem ſe accommodabat. Et huic
quidem interpretationi conſentit Hieronymus in Hierony.
expoſitione epiſt. ad Gala. dum inquit. *Exiſtimo ma-
lorum hominum inſectationem, quæ Paulo negocium
faceſſebat, hoc debere ſtimulo exponi.* Quod præ- Amb. c. 27.
tendit ſimiliter Ambroſius, dum ait. *Hoc ergo reme-
dium datum eſt Apoſtolo, ut iniurijs præſſus, animo
non poſſet extolli pro magnitudine reuelationum; quia
ocioſum pectus neceſſe habebat in ijs, quæ viderat, ex-
tolli.*

N *Nam virtus in infirmitate perficitur*: Græcus
cod. habet. ἡ γάρ δύναμίς μου, id eſt, potentia mea, quę
Dei eſt. At occurrit dubium, quoniam non vide-
tur conueniens dictum, quòd Dei potentia, quę fir-
ma eſt, & immutabilis, perficiatur. Quam difficulta-
tem forte pręuidens interpres, reticuit dictionem
hanc, *mea*. Verum, & hac gręca lectione ſeruata,
dici poſſet, quòd Dei potentia, quam ſuis ſubmini-
ſtrat fidelibus, in ipſis eo magis valida oſtenditur;
quo magis infirmi atque vexati inueniũtur ob Chri-
ſti nomen. Vnde paulopoſt ſubiungit Apoſtolus,
cum enim infirmor, tum potens ſum. Quod agit Deus,
ut magis eius potentia ſplendeat, dum magis ro-
borantur per ipſum, qui infirmi, atque imbecilles
ſunt. Et ideo (vt dictum eſt in pręcedenti epiſtola) 1. Cor. 1.
Deus infirma elegit, & ſtulta, & ignobilia, & con-
temptibilia, vt confundat fortia, & ſapientia, & quę
ſunt in pretio.

O *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis,
vt inhabitet in me virtus Chriſti.* Apoſtolus ſecũdum

carnẽ erat infirmus, & ſecũdũ carnẽ angebatur;quæ perſecutiones adhortet; at ſpiritu potens euadebat, & alacris fiebat; vt propterea gloriaretur ob infirmitates, quas patiebatur pro Chriſto;quoniam hinc in ipſo inhabitabat virtus Chriſti,quæ potentem ipſum reddebat.

P *Nihil enim minus feci ab ijs, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli.* Hæc affert, non ad iactantiam, ſed ad demolitionem earum machinationũ, quas pſeudo Apoſtoli, & operarij ſubdoli diſſeminauerant pro deprimenda Pauli auctoritate:dum ipſum contemnerent, alios autem Apoſtolos magnificarent. Vnde ad inſinuandam ſuam humilitatem ſubiungit; *tametſi nihil ſum*; vt qui ſibi nihil tribueret, niſi infirmitates, quas pro Chriſti nomine pateretur.

Q *Lugeam multos ex ijs, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam.* Hæc Apoſtoli ſententia palam percutit hæreſim Nouationorum, qui a baptizatis tollebant renouationem ad pœnitentiam. Verum (vt inquit Auguſtinus ad Seleu.) *Scribebat hæc Apoſtolus baptizatis, a quibus exigebat pœnitentiam peccatorum.*

Auguſt. ad Seleu. epiſt. 108.

PARAPHRASIS. Cap. XIII.

ECce tertia iam hac vice venio ad vos.In ore duorum,& trium teſtiũ ſtabit, & confirmabitur omne verbum. Prædixi iam alias, & modo, ac ſi præſens forem ſecunda vice, prædico;& abſens nunc ſcribo ijs, qui ante peccauerunt,& cæteris omnibus;quoniam ſi veniam iterum,non parcam; quando experimentum quæritis eius,qui in me loquitur Chriſtus: qui erga vos non infirmatur,ſed potens eſt in vobis, & ad dona,& ad ſupplicia conferenda. Nam etſi crucifixus eſt ex infirmitate,cui vltronee ſe ſubiecit,pœnas nobis ex proprijs peccatis debitas, in proprio corpore ſuſcipiens, atque perſoluens; attamen reſurgens ex mortuis, iam viuit ex potentia Dei ſibi inexiſtente. Et enim, & nos quoque infirmamur in ipſo, perſecutiones, ac multa mala perpetientes propter ipſum, ſed viuemus cum ipſo ex potentia Dei erga nos exercenda. Vóſmetipſos tentate, experimentum ſumentes de vobis ſi eſtis in fide. Vos ipſos probate. An non cognoſcitis vos ipſos,quòd Ieſus Chriſtus eſt in vobis, ſi modo non eſtis reprobi? ſpero autem quòd cognoſcetis, quòd nos non ſumus reprobati; quin Dei potentia ſit præſto futura nobis, cum ea vti oportuerit. Oramus autem Deum,vt nihil mali faciatis:non vt nos probati appareamus; ſed vt vos, quod bonum eſt, faciatis:nos autem,tanquam reprobi ſimus,non vltra potentiam præ nobis ferentes vlciſcendi delicta. Non enim poſſumus aliquid contra veritatem. Sed, pro veritate tuenda, nobis eſt data potentia. Gaudemus enim,quando nos infirmamur, atque inualidi reddimur, tanquam carentes potentia, qua opus non habemus;vos autem potentes ſitis,donis diuinis affluentes. Hoc autem & oramus, veſtram ſcilicet conſummationem,vt in omnibus perfecti ſitis.Ideo enim hæc abſens ſcribo, ne præſens durius vtar illa poteſtate,quam Dominus dedit mihi in ædificationem, non autem in deſtructionem veritatis. De cætero,fratres,gaudete; perfecti, & bene coniuncti ſitis. Exhortamini inuicem; id ipſum ſapite;pacem habete;& Deus fons charitatis,& pacis erit vobiſcũ. Salutate inuicẽ in oſculo ſancto. Salutant vos omnes ſancti. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei,& cõmunicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis. Amen.

Editio vulgata.

ECce tertio hoc venio ad vos: In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum. Prædixi, & prædico ut præſens, & nunc abſens ijs qui ante peccauerũt, & cæteris omnibus, quoniam ſi venero iterum,non parcam. An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus:qui in vobis non infirmatur ſed potens eſt in vobis? Nam etſi crucifixus eſt ex infirmitate:ſed viuit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi ſumus in illo:ſed viuemus cum eo ex virtute Dei in vobis. Voſmetipſos tentate, ſi eſtis in fide, ipſi vos probate. An non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt, niſi forte reprobi eſtis. Spero autem quòd cognoſcitis, quia nos non ſumus reprobi. Oramus autem Deum,vt nihil mali faciatis, non vt nos probati appareamus, ſed vt vos,quod bonum eſt, faciatis, nos autem vt reprobi ſimus. Non enim poſſumus aliquid aduerſus veritatem:ſed pro veritate. Gaudemus enim, quoniam nos infirmi ſumus: vos autem potentes eſtis. Hoc & oramus, veſtram conſummationem. Ideo hæc abſens ſcribo, vt non præſens durius agam ſecundum poteſtatem,quam Dominus dedit mihi in ędificationem, & non in deſtructionem. De cætero fratres; gaudete, perfecti eſtote, exhortamini, idem ſapite: pacem habete,& Deus pacis,& dilectionis erit vobiſcum. Salutate inuicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes ſancti. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis. Amen.

ADNOTATIONES.

ECce *tertio hoc venio ad vos.* Theophylactus, & Oecumenius ſupponunt duos Pauli ad Corinthios aduentus,& tertium hic polliceri. Vnde, per hos tres aduentus, interpretantur confirmata iri tanquam per tres teſtes (iuxta illud in ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum) quęcunque non correpta apud illos inuenerit. Verum ſciendum eſt, in prioris epiſtolæ ad Corinthios argumento, quod adſcribitur Theodoreto, ſupponi poſt primũ abſceſſum Pauli a Corinthijs, poſt prędicationem euangelij,qua annũ,& ſex menſes apud ipſos confecit; non iterum eum reuerſum ad illos fuiſſe. In priori autem epiſtola ſcripſerat, ad illos ſe acceſſurum, quod non præſtitit: de qua profectione meminit in hac alia epiſtola, Idcirco,cum

A

Theoph. Oecum.

1.Cor.4.

2.Cor.1.

dixerit

dixerit in præcedenti capit. *Ecce tertio hoc paratus ſum ad vos venire;* intelligi poſſet, Paulum, hinc ſecundum innuiſſe aduentum, quando ad illos ſe acceſſurum prædixit. Vnde in hoc cap. cum dicit: *prædixi enim, & prædico, vt præſens vobis;* innuit ſe tanquam apud ipſos præſentem. Græci autem adiungunt hanc dictionem, τὸ δεύτερον, vt, pro ſecunda vice, reputetur intentio, quam habuerat Apoſtolus accedendi ad ipſos; ac præſertim, quòd hac admonitione, & prænunciatione ſui aduentus, quem proteſtatus erat in epiſtola ſuperiori, ſucceſſerat, vt Corinthij reſipuerint. Poſſet etiam illud, *tertio hoc venio ad vos*, explicari, pro eo, quod eſt; paratus ſum tertia vice ad vos venire. Sicuti, & alia vice paratus fuerat ad hanc eandem profectionem: cum pro prima vice ſit intelligendum, quando præſens illis prædicauit. Et illa verba: *in ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum*. Quę
Deut. 19. ſumpta ſunt ex Deuteronomio, poſſent accipi ſimpliciter in eo ſenſu dicta, quę ſonant; nempe quòd per ea, quæ duo, vel tres teſtes referrent de actibus ipſorum, certum iudicium ſit ſumpturus de ipſis.

B *Prædixi enim, & prædico, vt præſens vobis, & nunc abſens*. Videntur his verbis duę ſignificari admonitiones. Altera, quam quaſi præſens innuit, cum ad illos ſe acceſſurũ ſcripſit. Altera vero, quam nunc, vt abſens, denunciat; vnde iure infert, quòd non parcet ijs, qui ante peccauerunt; cum autem ſubiungit; *& cæteris omnibus*: intelligendum de ijs, qui de cætero peccabunt.

C *Qui in vobis non infirmatur, ſed potens eſt in vobis*. Duplicem hæc patiuntur interpretationem. Aut, quoniam fuerint conuerſi ad fidem, vnde potens in illis Chriſtus fuit. Aut, quoniam Chriſtus potens eſt illos vlciſci de peccatis eorum.

Chryſoſto. D *Crucifixus eſt ex infirmitate*. Chryſoſtomus
hom. 29. hoc loco animaduertit, ſumi *infirmitatem* multis modis: pro infirmitate corporis; vnde illud euan-
Ioan. 11. gelicum: *infirmitas hæc non eſt ad mortem*; pro in-
Rom. 14. firmitate fidei: *infirmum in fide ſuſcipite*; item pro perſecutionibus, & afflictionibus, & huiuſmodi.

E *Sed viuit ex virtute Dei*. Vel patris, vel filij, vt habet Theophylactus, inquiens, quòd *filio ſunt quæ & patris, communia*. Prout etiam exponit S. Thomas: addens & hanc aliam expoſitionem. *Viuit ex virtute Dei*, quæ eſt ipſe Deus. Vnde hac virtute ſuſcitauit ſe Chriſtus a mortuis, vitam deinceps agens a corpore in perpetuum indiſſolubilem.

F *Nam & nos infirmi ſumus in illo, ſed viuemus cum eo ex virtute Dei in vobis*. Hæc ſimilia ſunt ijs,
2. Cor. 4. quæ ſuperius habentur. *Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Ieſum: vt, & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali*. Item illud: *ergo mors, in nobis operatur, vita autem in vobis*; ita igitur & in hoc loco; infirmi ſumus ad ſimilitudinem infirmitatum, quas paſſus eſt Chriſtus; & nos pro illo patimur: erimus autem viuentes ex virtute Dei, *in vobis*, dum operabimur veſtram ſalutem.

G *Voſmetipſos tentate, ſi eſtis in fide*. Ac ſi diceret, non expecteris, vt ego de vobis ſumam experimentum. Sed voſmetipſos tentate, & experimini, ſi conſeruatis vos in fide; num facitis miracula, vt ante conſueueratis.

H *Ipſi vos probate*. Num a conſcientia in aliquo arguimini; vel in exercendo dona largita; vt addit Theophylactus. Theophyl.

I *An non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt: niſi forte reprobi eſtis*. Hæc quoque referunt Græci ad probationem ſumendam ex Græ. expoſ.
ſignis; quæ ederent, qui non eſſent vitæ culpatæ. Vox autem, ἀδόκιμοι, non pro reprobatione ſumitur ad differentiam prædeſtinationis; ſed pro improbitate vitæ; ad quam tamen ſequitur reprobatio, niſi peccator reſipuerit. Dubitatur autẽ, quomodo aliquis poſſit cognoſcere, quod Chriſtus ſit in ipſo, quod exigit Apoſtolus a Corinthijs, vt probent ſe ad hoc, vt cognoſcãt, an Chriſtus ſit in ipſis. Et enim ex aduerſo dici poteſt, quòd Chriſtus in ijs ſolum habitat, qui habent charitatem, vt dicit
B. Ioan. *Deus charitas eſt*. Atqui quòd charitatem 1. Ioan. 4.
habeamus, ſcire non poſſumus, iuxta illud Eccleſ. Eccleſ. 9.
Neſcit homo, vtrum amore an odio dignus ſit. Hinc ſequitur, quòd neque ſcire poſſumus, quòd Chri-
ſtus ſit in nobis. Huic dubitationi occurrẽs S. Tho- Tho. Aqui.
mas inquit, quòd Chriſtum habitare in nobis, poteſt accipi duobus modis: vel quantum ad intellectum, vel quantum ad affectum. Si quantum ad intellectum, ſic in nobis habitat ſecundum fidem informem. Et hoc modo nil prohibet, nos per certitudinẽ ſcire, quòd Chriſtus habitet in nobis: cum ſcilicet ſcimus, nos tenere fidem, quam Eccleſia catholica docet, & tenet. Quantum vero ad affectum, quòd Chriſtus habitet in nobis per fidem formatã, nullus ſcire poteſt: nec, quòd habeamus charitatem, niſi per reuelationẽ, & ſpecialem gratiã alicui concedatur hęc certitudo. Nihil autem prohibet, inquit idem Doctor, per quandam coniecturam nos ſcire poſſe, quòd ſumus in charitate, quando quis inuenit ſe taliter paratum, & diſpoſitum, vt nullo modo propter aliquod temporale vellet aliquid facere
contra Chriſtum: iuxta illud B. Ioan. *Si cor noſtrum* 1. Ioan. 3.
non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Huiuſmodi igitur probatione, quæ fit per diligens examen propriæ conſcientiæ, intendebat Apoſto-
lus hoc loco, vt probarent ſe Corinthij, num co- 1. Cor. 11.
gnoſcerent, an Chriſtus eſſet in ipſis. Quemadmodum etiam in priori epiſtola eoſdem hortatus erat ad faciendam de ſe ipſis huiuſmodi exactam conſciẽtiæ probationem, antequam accederent ad ſanctiſſimam euchariſtiam ſumendam.

K *Nos autem, vt reprobi ſimus*. Nempe quaſi non habentes potentiam, quam exercemus aduerſus delinquentes. Siquidem ſublatis facinoribus, ſeu deſiſtentibus hominibus a peccatis, deficiebat in Apoſtolo poteſtas mulctandi eos, qui non peccarent; atque ita improbus, ſeu reprobus quo ad hoc apparebat. Quod etiam optabat non habere, ſcilicet occaſionem ſumendi de illis punitionem; atque ita propalandi potentiam, quam Deus illi conceſſerat ad terrorem, atque ad correptionem peccatorum.

L *Gaudemus enim, quoniam nos infirmi ſumus; vos autem potentes*. Gaudebat Apoſtolus, quòd in-

firmus

firmus eſſet quo ad vſum potentiæ, ſublata ſibi occaſione eam exercendi: & quòd illi eſſent potentes, virtute Dei roborati, dum bene ſe gererent; & fidei teſtimonia cum ſignis ederent ob illorum inculpatam vitam.

2.Cor.10. M *Quam dominus dedit mihi in ædificationem; & non deſtructionem.* Immo etiam in deſtructionem, vt dictum eſt ſupra. Verùmtamen ad deſtructionem munitionum, & cõſiliorum eorum hominum, qui ſe extollunt aduerſus ſcientiam Dei, non autem ad deſtructionem veritatis, vt hoc loco intelligitur.

N *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Charitas Dei, & communicatio ſancti ſpiritus.* Tota ſancta Trinitas hic explicata eſt; non quo ad attributa eſſentialia, vbi potentia Patri, ſapientia Filio, bonitas Spiritui ſancto attribuitur; ſed cauſaliter, quatenus per Chriſtum gratia, & remiſſio peccatorum; a Deo Patre charitas, per quam tradidit filium; & communicatio per ſpiritum, vt notat Sanctus Thomas. Tho.Aqui.

ARGVMEN-

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM

Sancti Pauli ad Galatas.

IN *poſtremo capite huius epiſtolæ prope finem Apoſtolus habet hæc verba*. Quicunque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circũcidi, tantum vt crucis Chriſti perſecutionem nõ patiantur, neq; enim qui circunciduntur, legem cuſtodiunt: ſed volunt vos circuncidi, vt in carne veſtra glorientur. *Ex quibus colligitur, quæ nam fuerit occaſio, vt Paulus hanc Galatis ſcripſerit epiſtolam. Et enim nonnulli, qui Chriſti fidem ſuſceperant, ſiue ex Gentibus, ſiue (quod eſt veriſimilius) ex Iudæis; vt gratiam inirent cum illis perfidis Hebræis, qui Chriſti crucem deteſtabantur, miris in modis eam oppugnantes, & ne perſecutiones ab ab ipſis paterentur, (quæ magnæ excitabantur aduerſus omnes Chriſti præcones, ſed præcipue aduerſus Paulum, vt qui, cum prius chriſtianæ fidei grauiſſimus oppugnator extitiſſet, mox eiuſdem acerrimus effectus eſſet defenſor, palam prædicans, iuſtificationem apud Deum, & ſalutem, ſola cruce comparari, & non circunciſione, aut alijs vllis ceremonijs legalibus, quas omnes Chriſti morte abolitas affirmabat) eccleſiam Galatarum omni conatu a veritate euangelica ſeducere tentabant: illud molientes, & educentes, vt crederetur, ſalutem ſine circunciſione, & alijs legis Moſaicæ obſeruationibus, obtineri non poſſe. Cuius quidem falſæ, & erroneæ doctrinæ, maximam in animis Galatarum perſuaſionem iniecerant. Quod eo facilius conſecuti erant, quum de Paulo ea diſſeminaſſent, quibus funditus eius auctoritas deprimeretur, diffamantes, quòd ipſe multum ſibi aſſumeret de gradu, & munere Apoſtolatus, cum tamen ex collegio Chriſti Apoſtolorum non fuiſſet: & quòd a magnis Apoſtolis, Petro, Iacobo, & Ioanne diſſentiret, cum illi admitterent legalia vna cum Euangelio, Paulus autem legalia penitus abrogaret. Quin & facta ab eius prædicatione longe diſſentire contendebant, publicantes, quòd, qui circunciſionem deteſtaretur, Timotheum circuncidiſſet, & qui derogaret ceremonijs, Nazaræorum ritum Ceuchris, raſo capillo, & Ieroſolymis ex legis conſuetudine expiatus, ſumma cum religione obſeruaſſet. Hæc igitur, cum ad aures Pauli perueniſſent, adeo viſcera eximiæ eius charitatis commouerunt, vt illico epiſtolam hanc Galatis dederit totam ſua manu ſcriptam, vt patet ex his, quæ habentur prope finem, dum inquit.* Videte qualibus litteris ſcripſi vobis mea manu: *Cum tamen alijs ſcribendas epiſtolas dictaret, & in eis tantummodo ſua manu ſcriptam ſalutationem apponere conſueſceret. A quo tamen inſtituto in hac epiſtola diſceſſit, totam ſua manu eam conſcribens, vt Galatis efficacius ſignificaret, partim, quantopere de ipſorum ſalute anxius atque ſolicitus eſſet; partim etiam, vt eoſdem in perpetuum certiſſimos redderet de ſua conſtanti, & numquam mutata prædicatione. Quare illud intendit Apoſtolus in hac epiſtola, vt euellat ex animis Galatarum falſam illam doctrinam, quam prope penitus hauſerant de circunciſione, & de alijs legis ceremonijs, vna cum Euangelio obſeruandis. Nec non, vt demoliens technas, & diffamationem pſeudo Apoſtolorum aduerſus ipſum excitatam, ſuam ſtatueret, atque corroboraret in Apoſtolatu auctoritatem; quod perficit in priori parte epiſtolæ hunc in modum. Nam Apoſtolum ſe profitetur in frontiſpitio epiſtolæ, non delegatum ab hominibus, neque vocatum per hominem, ſed per Deum patrem, & Ieſum Chriſtum; eamque a ſe emanaſſe ita veram atque germanam Euangelij prædicationem aſſerit, vt audacter anathemate indiſcriminatim percutiat, atque condemnet omnes illos, quicunque aliter prædicarent Euangelium, quàm ipſe Galatis prædicaſſet; conſcius ipſe ſibi, quòd Euangelium (prout illud acceperat, non ab hominibus, ſed a Deo per reuelationem ſibi factam) ita illis prædicauerat. Id autem credi ſibi debere duplici ex capite quàm maxime perſuadet. Primo quidem ex eo, quòd exiſtens prius vehemens perſecutor eccleſiæ Chriſti (quod omnibus notum erat) cum primum ad fidem vocatus, & conuerſus eſt, reuelato ſibi per Chriſtum Euangelio, vt illud Gentibus denunciaret, illico in Arabiam profectus eſt, & inde reuerſus in Damaſcum, vbique prædicauit Euangelium, non accedens interim ad anteceſſores ſuos Apoſtolos, a quibus de Chriſti Euangelio potuiſſet edoceri, ſed poſt longum temporis interuallum. Vnde prædicationem interea ab ipſo habitam, quæ Spiritu ſancto, & alijs miris operibus roborata apparebat, non ab hominis doctrina ſibi communicatam, ſed vere a Dei lumine, & virtute in ipſum perueniſſe, pro comperto omnibus eſſe debere ſtatuit. Deinde vero, quoniam poſt multos annos a ſua conuerſione accedens Ieroſolimas, cum Euangelium, quod prædicaret, contuliſſet Petro, & Iacobo, & Ioanni, magnis Apoſtolis, & ſummis Chriſtianæ Eccleſiæ columnis; nihil ab illis additum, nihil mutatum aſſerit; quin certiſſimos effectos de gratia ſibi a Deo collata, dexteras ſocietatis Paulo dediſſe; vt ipſe legatione Euangelica vna cum Barnaba in Gentes fungeretur, illi vero apud circunciſos; quo tempore prohibuiſſe quoque ait, ne Titus circuncideretur, quem Ieroſolymis ſecum duxerat; licet id conantibus ſubintroductis quibuſdam falſis fratribus; non autem cogentibus, aut a Paulo in hoc diſcrepantibus, ſupremis illis Apoſtolis. Verum (quod maioris eſt ponderis) reſtitiſſe quoque ſe ait in faciem Petri Antiochiæ, eo quòd conueſcens prius cum Gentibus de communibus cibis, ab eis deinde ſe ſubtraxiſſet, ne deprehenderetur a Iudæis nuncijs miſſis a Iacobo, hunc in*

modum

modum inſimulans, ſeſe Gentium cibos tanquam immundos deuitare; atque ita ſe reſtitiſſe Petro commemorat, vt aperta oratione docuerit, legalia poſt Chriſti conſummationem abolita eſſe, neque prodeſſe quicquam ad iuſtificationem. Sibi autem (ex aduerſo) nil fuiſſe reſponſum a Petro, vel ab alijs Apoſtolis; ſed omnes eius dictis acquieuiſſe. Ex quibus omnibus deducitur, auctoritatem Apoſtolatus ſibi collatam, a Deo immediate proceſſiſſe, necnon eius prædicationem firmam ac veram eſſe, & ſummorum Apoſtolorum doctrinæ optime conſentientem. Hinc itaque hunc in modum roborata auctoritate ſui Apoſtolatus, & confirmata prædicatione Euangelij ab ipſo habita tanquam vera & germana, rem ipſam deinde aggreditur: oſtendens pluribus argumentis, iuſtificationem, & ſalutem nobis comparari ex fide Chriſti, & non ex operibus legis. Qua in re maxime vrget, & commonet Galatas ad euitandam falſam doctrinam de legalibus obſeruantijs; tum ex eo quòd magnæ ſit ſtultitiæ, cum Spiritum ſanctum, atque virtutes mira operandi acceperint ex auditu ſuſceptæ fidei, & non ex operibus legis; modo velint ad legalia ſe conuertere: tum ex hoc etiam, quòd ſuppudere ipſos debeat; quòd reuerterentur ad vanas illas ſuperſtitiones, & obſeruantias dierum atque temporum, quibus, ante Dei cognitionem cum eſſent Idololatræ, inuoluebantur: vt enim conſimilia docet eſſe ea, quæ in lege ad circumciſionem conſequuntur; cum omnes ceremoniæ, poſt Chriſti conſummationem, ſint abolitæ, & factæ inanes; & veluti fabulæ, & præter legis ſcopum; quæ huiuſmodi ceremonias induxerat obſeruandas, dum Meſſias, Chriſtus promiſſus, adueniſſet; eius etiam aduentum atque conſummationem ſignificarent. Quod vero attinet ad iuſtificationem, docet Paulus ex ſacra ſcriptura, promiſſionem bonorum, a Deo factam fuiſſe Abrahæ ex eius fide, nec non omnibus alijs eiuſdem fidei ſectatoribus; idque factum eſſe priuſquàm lex promulgaretur, quæ non benedictionem, ſed potius maledictionem continet, vt quæ omnia concluſerit ſub peccato, & delinquentes non liberet a mortis ſeruitute, & ab illa execratione, quam lex aduerſus tranſgreſſores interminatur. Vnde concludit Apoſtolus, liberationem a peccatis, & reditum in Dei gratiam, a lege nequaquam pendere, aut ab ea expectandam eſſe, ſed tantummodo a Chriſto inter Deum & homines mediatore: idque media fide, qua quiſque ad Dei auxilium ſe conuertat. Legem autem docet, optimo conſilio a Deo fuiſſe propoſitam; nempe, ad continendum populum illum Hebræorum in officio, donec Chriſtus adueniret; nec non ad ipſos erudiendos, quo nam modo ad Dei gratiam perducerentur, Chriſtum eis proponendo, qui legis eſt finis, per quem ſolum, vera libertas, atque ſalus ſperari debet ab his, qui credunt in eum. In hac igitur libertate, ad quam Chriſtus ſuo ſanguine nos vendicauit, hortatur Galatas, vt ſe ſe manuteneant, atque conſeruent; & ne iterum conuertantur ad nuda, & infirma elementa legis. Poſtremo (quod etiam præſtitit in epiſtola ad Rom.) eos inſtruit, quales ſe præſtent, poſtquam facti ſint iuſti per Chriſti fidem, vt placeant Deo; inſtructioniſque hoc præcipuum eſt caput, vt ſpiritu ambulent, & carnis non faciant praua deſideria. Denique (tanquam ſigillo hanc ſuam firmans epiſtolam) patefacit, eos, qui Galatis imponebant, vt circumciderentur, eiuſmodi eſſe, qui legem non ſeruarent; neque aliud molirentur, niſi vt gratiam inirent cum perfidis Hebræis, & apud ipſos gloriam conſequerentur. At ſibi non gloriandum Paulus ſtatuit, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius ſtigmata portare ſe in ſuo corpore profitetur.

IN EPI-

IN EPISTOLAM SANCTI PAVLI ad Galatas.

PARAPHRASIS. CAP. I.

PAVLVS Apoſtolus, non ab hominibus delegatus, neque per hominem vocatus ad Apoſtolatum, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitauit eum a mortuis, & qui mecũ ſunt omnes fratres, eccleſijs Galatiæ. Gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Qui ſemetipſum morti tradidit pro peccatis noſtris, vt eriperet nos de præſenti hoc ſeculo nequam, ſecundum voluntatem Dei, & patris noſtri, cui gloria in ſecula ſeculorum Amen. Miror, quòd tam cito, ac leuiter transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Chriſti, in aliud Euangeliũ, quod non eſt aliud, cum vnum ſit tantum verum Euangelium: niſi quòd ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti, Atqui illud ego denuncio, Si quis, ſiue ex nobis Apoſtolis, ſiue Angelus de cœlo (ſi id contingere poſſet) euangelizet vobis, præterquàm quòd euangelizauimus vobis, tanquam quòd pro redemptione generis humani, præter Chriſti mortem, & reſurrectionem, ſit etiam opus vti circuncisione, aut alio legis opere, is anathema intelligatur. Et quo altius hæc a nobis lata ſententia, in ſenſibus veſtris infigatur, iterum denunciamus. Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod a nobis accepiſtis de Chriſto, ſit anathema. Modo ne enim hominibus ſuadeo, quorum auribus blandiri velim? An Deo, cuius cauſam ago? Aut quæro hominibus placere? Et enim ſi adhuc (in hoc præſenti rerum ſtatu, in quo agitur de euertendo apud vos Chriſti Euangelio) hominibus placerem, eorũ obſequens voluntati, Chriſti ſeruus certe non eſſem. Notum autem vobis facio, fratres, quòd Euangelium a me euangelizatum, non eſt ſecundum hominem, vt ab humana pendeat ratione, & cognitione. Neque enim ego illud accepi ab homine, aut didici. Sed per reuelationem Ieſu Chriſti. Audiſtis enim, quæ mea olim fuerit in iudaiſmo conuerſatio; quoniam ſupra modũ perſequebar eccleſiam Dei; & expugnabam illam; & proficiebam in iudaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius quàm par eſſet, æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum. Cum autem placuit Deo (qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & ad ſe vocauit per gratiam ſuam) reuelare in me, in pectusque meum complantare filium ſuum, vt ipſum euangelizarem in Gentibus: continuo, non acquieui carni, & ſanguini; neque veni Ieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos. Sed abij in Arabiam; & iterum reuerſus ſum in Damaſcum. Deinde, poſt annos tres, veni Ieroſolymã videre Petrum; & manſi apud eum diebus quindecim: alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem domini. Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quòd non mentior. Deinde veni in regionem Syriæ, & Ciliciæ: eram autem ignotus de facie eccleſijs Iudeæ, quæ erant in Chriſto: a quibus id tantum auditum erat; quòd, qui olim perſequebatur eccleſiam Chriſti, nunc fidem illam euangelizat, quam aliquando oppugnabat: & in me, de hac mea conuerſione, glorificabant Deum.

Editio vulgata.

PAVLVS *Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum patrem qui ſuſcitauit eũ a mortuis, & qui mecum ſunt omnes fratres: eccleſiis Galatiæ. Gratia vobis & pax a Deo patre & Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, vt eriperet nos de præſenti ſeculo nequam, ſecundum voluntatem Dei, & patris noſtri: cui eſt gloria in ſecula ſeculorum Amen. Miror, quòd ſic tam cito transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam Chriſti, in aliud Euangelium: quod non eſt aliud; niſi ſunt aliqui qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangeliũ Chriſti. Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Modo enim hominibus ſuadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Notum enim vobis facio fratres Euangelium quod euangelizatum eſt a me, quia non eſt ſecundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici: ſed per reuelationem Ieſu Chriſti. Audiſtis enim conuerſationem meam aliquando in Iudaiſmo, quoniam ſupra modũ perſequebar eccleſiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Iudaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum. Cum autem placuit ei qui me ſegregauit ex utero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret Filium ſuum in me, vt euangelizarem illum in Gentibus: continuo non acquieui carni & ſanguini,*

neque

neque veni Ieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos: ſed abij in Arabiam, & iterum reuerſus ſum Damaſcum. Deinde poſt annos tres veni Ieroſolymam uidere Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim. Alium autem Apoſtolorum vidi neminem: niſi Iacobum fratrem Domini. Quæ autem ſcribo vobis: ecce coram Deo, quia non mentior. Deinde veni in partes Syriæ & Ciliciæ. Eram autem ignotus facie eccleſiis Iudeæ, quæ erant in Chriſto: tantum autem auditum habebant: Quoniam qui perſequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem, quam aliquando expugnabat, & in me clarificabant Deum.

ADNOTATIONES.

A APOSTOLVS, *non ab hominibus*. In alijs epiſtolis, in quibus Paulus facit mentionem de ſuo Apoſtolatu, aut Apoſtolum vocatum ſimpliciter ſe nominat, vt in illa ad Romanos: aut & Ieſu Chriſti Apoſtolum, ſe profert, vt in alijs. Hic autem circunſpectiori quadam, & magis explicata oratione, hoc munere ſe donatum declarat; id agens ad demoliendam pſeudo Apoſtolorum diffamationem; qui diſſeminauerant, Paulum non eſſe Chriſti Apoſtolum, ſed ab hominibus conſtitutum. Ideo
1.Cor.4. inquit: *Apoſtolus, non ab hominibus*. Népe non miſ-
2.Cor.12. ſus ab hominibus, prout Paulus miſit aliquãdo Timotheum, vel Titum ad Corinthios, vel alios ex fratribus. *Neque per hominem*. Id eſt, neque per hominis auctoritatem electus ſum in Apoſtolum:
Act.6. quemadmodum electi ſunt ſeptem illi Diaconi ab Apoſtolis, ex quibus fuit Stephanus. Neque a Deo per interiectionem hominis cõſtitutus Apoſtolus;
Deut.3. vti Ieſus filius Naue a Deo electus eſt per Moyſem, cui auctoritatem Deus tribuit eligendi eum in ducem, & principem populi. *Sed per Ieſum Chriſtum*
Rom.1. Per quem (vt dicit in epiſt. ad Rom.) *accepimus gratiam, & Apoſtolatum*. Cum autem dicat, Apoſtolum ſe conſtitutum eſſe non per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum; hinc innuit Chriſti diuinitatem, vt qui non ſit purus homo; quod etiam confirmauit ſubiungens: *& Deum patrem*. Hinc enim, & Chriſtus Dei filius, & Deus eſſe ſupponitur. Subdens deinde; *qui ſuſcitauit eum a mortuis*, pariter inſinuauit Chriſtum hominem; cum, vt homo, mori potuerit, non autem ſi ſolum Deus eſſet. Hoc au-
Chryſoſt. tem commemoratũ eſſe ab Apoſtolo, indicat Chryſoſtomus; tanquã ſemen poſitum argumenti huius epiſtolæ; vt ex commemoratione munificentiæ, ex cruce, & reſurrectione Chriſti collatæ vniuerſis, hinc excludatur legis neceſſitas. Quidam alij id dictum eſſe cenſent ab Apoſtolo ad inſinuandũ tempus in quo vocatus, & delectus eſt Apoſtolus; nempe, poſt Chriſti reſurrectioné; & hinc ſummis Apoſtolis ſe parem, vel etiam ſuperiorem oſtenderet, ex eo quòd Euangelij prædicãdi auctoritatem a Chri-
Tho. Aqui. iam facto immortali cęlitus accepiſſet. Et hinc Thomas animaduertit, conſuetum eſſe poni in plumbeis Põtificijs Paulum a dextris, Petrum vero a ſiniſtris; ad denotandum, quòd Paulus quadam præſtantiori via fuerit aſſumptus ad apoſtolatum; quum Petrus in hac vita mortali (quæ deſignatur per ſiniſtram) electus ſit; Paulus autem, poſt perfunctam hanc vitam, a Chriſto fuerit vocatus, iam adepta ab ipſo immortalitate, quæ inſinuatur per dextram.
Quibus etiam conſentiunt quæ habentur ab Augu- August.
ſtino in expoſitione huius loci: dum inquit. *Priores ſunt cæteri Apoſtoli per Chriſtum adhuc ex parte hominem, id eſt, mortalem. Nouiſſimus eſt Paulus Apoſtolus qui per Ieſum Chriſtum, iam totum Deum, id eſt, omni ex parte immortalem.*

B *Vt eriperet nos de præſenti ſeculo nequam*. Non eſt prauus curſus cœli, neque prauum eſt hoc decurrens ſeculum ſecundum naturam, quam obtinuit a Deo, vt ſenſit perfidus Manicheus. Sed ita locutus eſt Apoſtolus, ad ſignificandam actionum diabolicarum, & humanarum prauitatem; quæ eſt in multis; & erit in hoc curriculo mortalitatis, donec eius finis adueniat. Quod etiam reſpiciens Bea-
tus Ioannes dixit: *mũdus totus in maligno poſitus eſt*. 1. Io.5.
Siquidem illud eſt certum, poſt delictum primi parentis, quo peccatum peruenit in mundum, corruptelam vitioſitatis in hominibus ſemper extitiſſe; eandemque ſemper eſſe futuram, donec finis adueniat huius ſeculi; vt propterea nequã, & prauum nominetur. Qui autem ab hac obligatione prauitatis ſunt exempti, vel eximentur; hanc tantam gratiam Chriſti meritis habent referre; qui ſe tradidit pro peccatis noſtris, vt nos eriperet ab hac prauitate.

C *Transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam*
Chriſti. Aliqui (inter quos, & Hieronymus) vo- Hieron.
cem hanc *Chriſti*, Græce, χριστοῦ, coniungunt hunc in modum cum his alijs, ἀπὸ τοῦ καλέσαντος χριστοῦ, vt vocem hanc, καλέσαντος, iungant cum hac alia, χριστοῦ, vt ſit ſenſus. Miror, quòd tam cito transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam, a Chriſto ſcilicet vocante. Cui quidem interpretationi illud fauere videmr, quòd dictioni, χριστοῦ, non eſt appoſitus articulus, τοῦ, ſed coniunctus eſt alteri voci, τοῦ καλέσαντος, tanquam adiectiuo Chriſti. Quam tamen interpretationem quidã alij non admittunt; propterea quòd vocatio patri attribuitur, & non filio: & ideo ipſi aliter interpretantur; quòd a Deo ſunt vocati in gratiam Chriſti. Quam expoſitionem Græci omnes ſectantur; quæ tamen patitur & ipſa hanc difficultatem. Quoniam patri tribuenda eſt gratia, qua recipit peccatores per Chriſtum mediatorem: vnde non videtur conueniens, dicere, quòd ſint vocati a Deo in gratiam Chriſti. Verum poſſet etiam fieri interpretatio, vt dicat Apoſtolus, ſe mirari, quòd Galatæ tranferrentur a vocante, nempe ab ipſo Paulo, qui primus illis prædicauit Euãgelium, per quod & illos genuit, fungens Dei, & Chriſti le-
gatione, vt dicitur in poſt. epiſt. ad Corinthios. Ipſe 2.Cor.5.
igitur vocauit eos in gratiam Chriſti; quę Chriſti eſſe dicitur, quatenus Deus eam largitur hominibus ob Chriſti merita. Quod quidem vim maximam habet ad inſinuandum, quòd, per Chriſtum, gratia, & ſalus obtineatur; vt non ſit opus homini, pro ea conſequenda, inſerere ſe legalibus ceremonijs. Mirabatur igitur Paulus, quòd Galatæ a prædicatione, qua illos vocauit in gratiam Chriſti, transferrentur,

in aliud

in aliud Euangelium. Quibus verbis denotatur, quòd receptio in gratiam prædictam, continet Euangelium; nempe fœlix, fauſtumq; nuncium. Verum, cum dixerit Apoſtolus, *transferimini in aliud Euangelium*; quomodo poſtea ſubiungit, *quod non eſt aliud?* Nam ſi in aliud transferebantur, quomodo non erat aliud? hæc enim inuicem pugnare videntur. Ad id dicendum, quòd Euangelium Chriſti eſt vnum, & non eſt varium, neque diuerſum; adeo ꝙ iſtud ipſum conſtãs, & firmum eſt, quòd per paſſionem Chriſti peruenit redemptio ad genus humanum; hoc eſt enim fœliciſſimum nuncium, quod non mutatur. Sed quid eſt iſtud aliud Euangelium, quod innuit Apoſtolus? Id nempe; quòd aliqui volebant Euangelium *conuertere*, Græce, *μεταστρέψαι*,
Chryſoſt. quam vocem Chryſoſtomus accipit, pro eo, quod eſt ſubuertere. Sed, ſequentes lectionem vulgatam, dicere poſſemus, ꝙ erant aliqui, qui volebant conuertere Euangelium; dum ſtatuerent, legalia obſeruari debere pro iuſtificatione conſequenda: alioquin, Chriſti paſſionem non ſufficere: atq; ita conuertere volebãt Euangelium; dum ad ipſum adderent circuncisionem, & alia legalia; cũ tamē totum oppoſitũ dici debeat, ꝙ legalia in Chriſto impleantur; & non quòd per legalia Euangeliũ compleatur.

D *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo.* Horribilem fulminat hoc loco Apoſtolus execrationem, & anathematizationem, tum aduerſus ſeipſum, tum aduerſus Angelum, ſi id fieri poſſet, vt Angelus de cœlo euangelizaret præter veritatē Euangelij; quod agit, vt maiorem terrorem incuteret ijs, qui deuiarent a veritate Euangelij: nec non vt ſuæ prædicationi, quam habuerat apud Galatas, auguſtiorem probationem afferret. Vnde & hanc iterum repetit, vt magis cuiuſque animo ea infigeretur.

Chryſoſt. E *Præterquàm quod*. Chryſoſtomus interpretatur, eum anathematizari, qui euangelizauerit, præterquàm quod Paulus euangelizaret; tum, ſi aliqua contraria doctrinæ euangelicæ attulerit; tũ ſi quid
Aug. tract. 98. in Ioan. addiderit, quod labefactet Euangelium. Auguſtinus autem in tract. Euang. ſecundum Ioannē, animaduertit, Apoſtolum non dixiſſe, pluſquàm accepiſtis; ſed præterquàm quod accepiſtis: alioquin ſibi præiudicaret; cũ, ſcribēs Theſſalonicēſibus, dixerit, optare
1. Theſſ. 3. ſe ad illos redire, vt suppleret, quæ deeſſent fidei eorum. Ad quod, illud quoque addere poſſumus ex
1. Cor. 2. epiſtola priori ad Corinthios: vbi ait, non locutũ ſe eſſe apud eos ſapientiam, quam loquitur inter perfectos. Ex quibus locis apparet, dum augetur perfectio vitæ ſpiritualis, ſolidiorē quoq;, & perfectiorē cibũ tradendũ eſſe fidelibus pro fidei perfectione.

Verum, cum ex dictis hoc loco inſurgant Hæretici, deducentes ex hac ſententia Pauli iam expoſita, quòd nil admitti debeat præter Euangelium, & præter epiſtolas, & reliquam ſcripturam sanctam, vt canonicam, receptam. Idcirco, quo magis ſententia hæc Pauli nobis pateat, aduertendum eſt; quòd Euangelium continet fœlix nuncium humanæ redemptionis, quam Chriſtus ſua morte atque reſurrectione omnibus illis comparauit, qui fide ad ipſum conuerſi, ac pænitentes de peccatis, baptiſmate, iuxta eius mandatum, inſigniti fuerint. Hoc itaque Euãgelium Paulus prædicauerat Galatis, id ipſumq; ſuſceperant Galatæ. Huic Euangelio, ſi quis addere quidpiam præſumeret, ad hunc nempe ſenſum; ꝙ pro ſalute conſequenda, Chriſti paſſio non ſuffecerit, ſed adhibēda quoq; eſſent, tum circuncisio, tum alia legis præcepta ceremonialia, tãquam neceſſaria ad explendum Euãgelium; is vtiq; eſſet anathematizandus, vt qui, præter id, quod ſatis eſt ad perfectionem Euangelij, alia quoque, præter Euangeliũ, adiungeret. Quod pſeudo Apoſtoli, præſertim ex iudaiſmo aſſerebant: cõtra quos dictam execrationem Apoſtolus fulminauit. Vnde factum eſt etiam, vt in hac epiſtola pluribus ratiocinationibus oſtenderit, neque circuncisionem, neq; alia legalia vltra obſeruanda eſſe: propterea ꝙ hæc omnia per Chriſti mortem ſint aut abolita, aut adimpleta. Pro conſeruanda autem innocentia, quam homo ex Chriſti fide atque baptiſmo conſequitur, qualem ſe gerere exinde debeat, multa B. Paulus, multa & alij Apoſtoli, & viri ſancti Dei tradiderunt. Nec nõ ſummi Pontifices Petri ſucceſſores (iuxta auctoritatem Petro, & ſucceſſoribus a Chriſto collatam, Spiritu ſan- Math. 27.
cto eccleſię aſſiſtente ſecundum Chriſti promiſſa, qui vſq; ad conſummationem ſeculi, futurũ ſe rectorē Eccleſię Apoſtolis denũciauit) multa, & ipſi, pro temporis opportunitate, ſtatuerũt. Hinc dicendum, multa ſuppleri potuiſſe poſt initium naſcentis fidei, pro inſtitutione Chriſtianiſmi, vt fideles a lacte, ad ſolidum cibũ perducerentur; & charitate feruentiores, vti iuſtiores, in dies euaderent erga Deũ, & erga proximũ. Præterea, cum, ex humana fragilitate, labi in peccata poſt baptiſmum hominibus cõtingat; hinc illis, qui poſt adeptũ ſtatum innocentiæ ceciderint, opportuna quoque, atq; neceſſaria remedia, dum in hac vita degimus, miſericors Deus adeſſe voluit: quibus, ſuffragio tabulæ ſecundæ, ipſius pœnitentiæ, e naufragio in portum ſalutis iterum quiſq; ſe reduceret. Vnde præcipitur ex Chriſti inſtituto, vt, qui peccauerint, doleant de peccatis, eaque ſacerdoti confiteãtur, & pro remiſſione pęnę iniunctam pœnitentiam exequantur: ad Sanctorum interceſſiones confugiant: ieiunijs, & alia maceratione corpus caſtigent, & in ſeruitutem redigant: peccandi occaſiones effugiant: ſacramento ſanctiſſimę Euchariſtiæ, aduerſus diaboli, mundi, & carnis incurſiones ſe ſe muniant, & roborent: & indulgentijs ex theſauro eccleſiæ per Chriſti Vicarium ęlargitis, pie atque deuote fruantur, pro delenda pœna, quam merito ob peccata commiſſa aliquando perſoluere deberent. Denique multæ inſtitutiones, variaque decreta (prout opportunum, aut neceſſarium viſum eſt) ſucceſſiuo tempore, in regimine ſummorum Pontificum, tum pro dimiſſione peccatorum, ſecundũ maiorem, & minorem grauitatem; tũ pro iuriſdictione exercenda ſecundum varios eccleſiæ gradus; tum pro alijs huiuſmodi functionibus, ſancita fuerunt. Verumtamen, cum ijs omnibus hoc ſemper manet firmum, & immutabile: nihil addi poſſe ex operibus legis, tanquam neceſſarium ad cõplendum Euãgelium, quod in Chriſti morte, quam ſuſcepit pro redemptione mundi, conſummatũ eſt. Vnde veriſſima erit Apoſtoli ſententia, qua anathe-

matizauerit eos; qui, præter quàm quòd ipſe prædicauerat Galatis, de Chriſti euangelio euangelizare præſumpſerint; addentes legalia pro perficiendo Chriſti euangelio.

F *Modo enim hominibus ſuadeo, an Deo?* Opponebant pſeudo Apoſtoli Paulo (vt patet ex his quæ habentur infra cap. 5.) quòd ſe accommodaret hominum voluntati, modo circūciſionem prohibendo, modo prædicando, eam obſeruari debere cum alijs ceremonijs, prout ſuis proprijs rationibus magis conferre adiudicabat. Idcirco, poſt iteratam execrandæ anathematizationis ſententiam, Galatas, & quoſcunque alios interrogatione petit, vt videant, & conſiderent, num ita anathematizare, vt ipſe fecit, ſit hominibus ſuadere, id eſt, num ſit hoc ad applauſum hominum orare, ad quorum tribunal verſetur, vt illi imponebant? An potius id ſit proloqui ad Dei voluntatem, ad cuius Tribunal ſtet? Idcirco perpendant, num huiuſmodi denunciatio ad aures hominum ſit prolata, quibus ſatisfacere ſtuderet, an non potius ſit eiuſmodi, vt ab ea, non ſemetipſum, non alios Apoſtolos, nō etiam Angelum de cęlo exemerit, ſtatuens in genere anathematizationem aduerſus omnes, qui aliud, præter quàm quòd euangelizauerit illis, euangelizarēt. Hoc certe detegit, ſe non aſſentari hominibus, ſed Dei cauſam agere cum omni libertate atque ſynceritate; vt qui, prę oculis tātum haberet Dei gloriam, & ſalutem animarum.

G *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* Quando perſequebatur Chriſti eccleſiā; tunc Paulus placebat Iudæis, in quo ſi & nunc perſiſteret, adhuc placeret, tum Iudæis, tum illis omnibus, qui legalia adiungi debere euangelio obſtinate defendebant: quod ſi & nunc faceret, Chriſti ſer-
1. Cor. 10. nus certe non eſſet, qualem ſe profitetur. Quòd ſi in priori epiſtola ad Corinth. dixit. *ego per omnia omnibus placeo, nō quærens, quod mihi vtile eſt, ſed quod*
1. Cor 9. *multis, vt ſalui fiant.* & in eadem rurſus dixit, ſe factum tanquam Iudæum cum Iudæis, cum his qui ſub lege eſſent, tanquam ſub lege, & cum infirmis infirmum; attamen vbique illud adiunxit, hæc ſe feciſſe, non vt placeret ſibi; ſed vt ſaluti omnium conſuleret, ob quam, ad illorum imbecillitatem atque inueteratas conſuetudines, ad tempus, in quibuſdam actibus (citra tamen omne peccatum) ſe ſe accommodabat. At ſi Iudęis & pſeudo Apoſtolis Chriſti Crucis perſecutoribus placere cum glorię Crucis euacuatione voluiſſet, in hoc certe, nō quod eſſet ex Chriſti ſeruitio, ſed, quod placeret crucis inimicis, effeciſſet.

H *Non eſt ſecundum hominem.* Dicit, Euāgelium a ſe euangelizatum, non eſſe ſecundum hominem: quoniam illud nō accepit ab homine, ſed per Chriſti reuelationem: neque ab homine inſtructus eſt de Euangelio. Vnde ſubiūgit: *neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici:* quaſi aliud ſit accipere, nempe audire ſummatim euangelium; & aliud diſcere, & inſtrui circa multa. Aut intelligit non eſſe ſecundum hominem euangelium ab ipſo prędicatum, quoniam non a carne, & a ſanguine, neque a prudentia carnali pendebat, ſed a Chriſti reuelatione; quam etiam alij Apoſtoli habuerunt, ita vt neque illis caro, aut ſanguis reuelauerit Euāgelium, ſed Chriſti Spiritus, qui eos Illuminauit. Hoc igitur vult Apoſtolus aſtruere, quòd non habuit euangelium ab homine, ſed ab immediata Chriſti reuelatione: cum alij, qui accipiebant euāgelium ab Apoſtolis, per mediatam Chriſti reuelationem factam Apoſtolis (non autem ipſis) acciperent. Paulus autem vocatus a Chriſto, doctrinam Euangelij ab ipſo ſumpſit per immediatam reuelationem ſibi factam.

I *Abundantius ęmulator exiſtens.* Vt qui modum nullum ſeruaret conſiderandi, cui nam ſectę, aut fidei perſecutionem inferret. Vnde dicitur de Act 9.
Paulo: *cum eſſet ſpirans minarum & cędis in diſcipulos domini.*

k *Paternarum mearum traditionum*: Cum in Deut. 4.
Deuter. ordinauit Dominus: *non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* Hinc colligitur, quòd traditiones non erant bonę. Idque pręſertim, cum dixerit Dominus apud Matt. *irritum feciſtis mandatum Dei pro-*
pter traditionem veſtram. Verum in hoc, quòd ar- Matth. 15.
guantur propter proprias illorum traditiones, denotatur, quòd aderant etiam traditiones bonę, legi non repugnantes: ſicuti malę erant illę, quę ab hominibus erant inductę ob auaritiam, de quibus a Domino repręhendebantur. Poſſent etiam intelligi traditiones, de quibus hoc loco Paulus loquitur, illæ ex lege deſumptæ; vt circunciſio, purgatio, tonſio, & alia, iuxta mores Phariſęorum; ob quarum æmulationem, nimis a[illegible] præbebat Apoſtolus aduerſus eccleſiam, ad legis lationem tantummodo oculos intendens.

L *Qui me ſegregauit ex vtero matris meæ.* Græ-
ci expoſitores referunt hoc ad electionem Pauli Act. 9.
factam a Deo. Iuxta illud in Actis. *Vas electionis eſt mihi iſte:* ita quidem vt dictiunculam, *EX*, poſitam loco, *A B*, accipiant, ac ſi diceret Apoſtolus. Deus me elegit iam inde ab vtero, cum eſſem in vtero matris meæ; vel mox vbi eſſem ex vtero matris in lucem editus. Et hunc ſenſum intule-
runt Chryſoſtomus, Theophylactus, Græca ſcho- Chryſoſt.
lia, & cum ipſis Hieronymus: nec non Origenes, Orig.
perpendens hunc locum in commentarijs 1. cap. Theoph. Hierony.
epiſto. ad Roman. Auguſtinus autem particulam, Auguſt.
E X, vti iacet, accipiens, hunc in modum expoſuit: *qui me ſegregauit ex vtero matris meæ:* id eſt, ex gremio ſynagogæ, & ex gentis iudaicæ cœcitate me ſegregauit. Eſt & alia expoſitio ſimplex magis, & ad literam: *qui me ſegregauit ex vtero matris meæ.* id eſt, qui me in lucem edidit, & vitam mihi prębuit: vt ita Apoſtolus, & vitam, & vocationem ſuam, & reuelationem euangelij ad Dei gratiam & benignitatem referat.

M *Vt reuelaret filium ſuum in me.* His ſignificat Paulus, non ſolum ſe accepiſſe a Deo per reuelationem verbū fidei: verumetiā in eius pectore inſculptum fuiſſe Chriſtū, cuius amore lāgueret, neq; vereretur mortē ſubire pro eius nomine magnificando. Vnde & in calce epiſtolę ait, ſe portare ſtigmata Chriſti in corpore ſuo. *Vel in me* reuelauit, quaſi in depoſitum, vt Chriſtum euangelizaret Gentibus.

2.Cor.5. iuxta illud ad Corinth. *Poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur.*

N *Continuo non acquieui carni, & ſanguini.* Ver-
Hierony. bum hoc, *continuo*, cenſet Hieronymus coniungi
debere ad præcedentia, & ipſi ſubpungendum;
deinde ſequantur, *non acquieui carni, & ſanguini.*
Ac ſi diceret; poſtquã reuelatus eſt filius Dei in me,
vt illum cõtinuo euangelizarem, non acquieui car-
ni, & ſanguini. Cui interpretationi fauent, quæ ha-
Act.9. bentur in Actibus de Paulo; ꝙ ſtatim in ſynagogis,
poſt eius cõuerſionem, prædicabat Ieſum. Alij vero
coniungunt aduerbium hoc, *continuo*, cũ ſequenti-
bus, hunc in modum. *Poſtquam reuelauit filiũ ſuum
in me, vt euangelizarem illum in Gentibus, ſtatim non
acquieui carni, & ſanguini; neque veni Ieroſolymã ad
anteceſſores meos Apoſtolos. Sed abij in Arabiã.* Illis
autem verbis: *non acquieui carni, & ſanguini.* Inquit
Chryſoſt. Chryſoſtomus. *Apoſtolos tecte ſignificat, naturæ co-
gnomento eos deſignans.* Verũ ex aduerſo illud eſt, ꝙ,
cum ad hæc ſubiungat. *Neq; veni Ieroſolymam ad
anteceſſores meos Apoſtolos*; ſic bis continuata ora-
tione idem dicere Apoſtolus videretur. Quocirca
perpendendũ eſt diligẽtius verbum, illud, *acquieui*,
Græce, προσανεθέμην. quod etiam ſignificat, *contuli.*
Sicuti cap. ſequenti, ἀνεθέμην. & paulo poſt, προσανέ-
θεντο, accipitur in hoc eodem ſignificato. Cũ autem
Matt.16. iuxta illud, quod dixit dominus Petro. *Beatus es Si-
mon Bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi;*
Ioan.1. & quod habetur apud Ioan. *Qui non ex ſanguinibus,
neque ex voluntate carnis.* hæ voces, *caro, & ſanguis.*
inſinuent hominẽ carnalem, qui ſecundũ pruden-
tiam carnis ſe ſe regat, & nõ ſecundũ ſpiritum Dei;
Idcirco, cum dicat Paulus: *non contuli carni & ſan-
guini*; videtur id ſignificare voluiſſe; quòd, nõ conſi-
lio, neque prudentię carnali eſt immoratus; quaſi
perpendens, num Chriſti fidem, an potius legem
Moſaicam ſequeretur: ſed, ductus a Spiritu ſancto,
ſtatim ad prædicandum Euangelium ſe contulit in
Arabiam; interim neque accedens Ieroſolymam ad
Ambr. ſen. anteceſſores ſuos Apoſtolos. Siquidem neſcit tarda
c.4 in 1. c. molimina virtus Spiritus ſancti. Et ab hac quidem
Luc. interpretatione, editio vulgata non abhorrebit; quæ
habet: *non acquieui carni, & ſanguini.* Id eſt, non at-
tendi propriæ carnali prudentiæ, quæ in ipſo exci-
taretur. Neque acceſſi ad anteceſſores meos Apo-
ſtolos, a quibus de Chriſti Euãgelio potuiſſet Pau-
lus erudiri. Sed ſtatim profectus eſt in Arabiam ad
prædicandum Euangelium Chriſti. Quod, ſi conti-
nuo, poſt ſuam conuerſionem, effectum eſt; clare
igitur hinc deducitur, Paulum (vt dixit in hoc lo-
co) non accepiſſe Euangelium ab hominibus, neq;
ab homine edoctũ ſe fuiſſe; ſed immediate a Chri-
ſto per reuelationem.

O *Et iterum reuerſus ſum in Damaſcũ.* Nam ſe-
mel acceſſerat, cum per murum in ſporta dimiſſus
eſt; iterum vero, cum reuerſus eſſet ex Arabia.

P *Iacobum fratrem domini.* Fuit filius Alphei ex
cognatione ipſius Ioſeph viri Mariæ; dictus frater
domini; tum ex conſuetudine Hebræorum, quo-
niam cognatus eſſet ipſius Ioſeph; tum ob ſimilitu-
dinem, quam præſeferebat Ieſu, vt eius frater repu-
taretur. Sed non erat vere frater.

PARAPHRASIS. CAP. II.

DEINDE, poſt annos quattuordecim iterum aſcendi Ieroſolymã cum Barnaba, aſſumpto & Tito. Aſcẽdi autem ſecundũ reuelationẽ factam a Deo, & cõtuli cum anteceſſoribus meis Apoſtolis Euãgelium, quod prædico in Gentibus. Seorſum autem, & priuatim contuli cum illis, qui præcipui ſunt nominis, eo conſilio, vt perſpicerent, num aliquo modo in vanum currerẽ, aut cucurriſſem. A quibus non ſolum nihil mihi obiectum eſt. Sed neque Titus, qui mecum erat, & ſi Gentilis, & cũ præputio eſſet, compulſus eſt circuncidi; licet id ipſum molientibus nonnullis ſubintroductis falſis fratribus; qui illud in Cõcilium ſe inſeruerant, ad explorandam libertatem noſtram, quã habemus in Chriſto Ieſu; ea quidem mente ſe inſerentes, vt nos redigerent in legis ſeruitutem. Quibus ne ad horã quidem ceſſimus, admittentes ſubiectionem, quam intentarent: id ipſum autem agentibus nobis, vt veritas Euangelij, firma, atque cõſtans apud vos maneret. Ab illis autẽ Apoſtolis, qui ſunt in pretio (quales autem olim hi fuerint, nil mea intereſt, cũ Deus non ſit acceptor perſonarum) nihil mihi collatũ eſt. Sed contra, cum vidiſſent, quòd concreditũ eſt mihi Euangelium præputij, ſicut & Petro circunciſionis (qui enim Deus virtutem cõtulit Petro in Apoſtolatus munere obeundo apud circũciſos, mihi quoq; præſtitit virtutem operãdi Apoſtolatum meũ apud Gentes.) Et agnoſcentes gratiã, quæ data eſt mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui cenſentur columnæ in eccleſia Dei, dexteras mihi, & Barnabæ dederunt ſocietatis; vt nos quidem in Gentes fungeremur apoſtolica legatione; ipſi vero in circunciſionem. De hoc tantum nos rogarunt, vt pauperum memores eſſemus, proſpicientes eorum neceſſitatibus; in quo & diligens fui, vt hoc ipſum facerem. Cum autem veniſſet Petrus Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. Prius enim quàm venirent quidam miſſi a Iacobo, cum Gentibus Petrus edebat. Cum autem illi veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe ab illis, timens eos, qui erant ex circunciſione. Et ſimulationi Petri, qua nuncijs illis Iacobi oſtendere volebat, ſe abhorrere eſum ciborum communium, conſenſerunt & cæteri Iudæi; ita vt & Barnabas ſimul abduceretur in eandẽ cum ipſis ſimulationem. Sed, cum viderem quòd non recto pede incederent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus. Si tu, Iudæus cũ ſis, Gentiliter viuis, & non Iudaice, quomodo, quave ratione induceris, vt cogas Gẽtes Iudaizare? Nos natura Iudęi, & nõ ex Gẽtibus peccatores, Idololatræ, & ſine Deo, ſcientes ꝙ non iuſtificatur homo ex operibus legis niſi per fidẽ Ieſu Chriſti, & nos credidimus in Ieſum Chriſtum, ad hoc, vt iuſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis. Propter quod ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro. Quòd ſi quærentes iuſtificari in Chriſto, inuenti ſumus & ipſi peccatores; numquid igitur Chriſtus peccati miniſter eſt? abſit hoc. Si enim, quæ deſtruxi, iterum ædifico tanquam neceſſaria, iã me

præuaricatorem conſtituo,qui deſtruxerim ea,quę
non debebam.Atqui non ita ſe ses habet apud me.
Ego enim per legem moſaicam,quæ Chriſtum Sal
uatorem mihi ſubinnuit,eidem legi mortuus ſum,
eius ſcilicet ceremonijs,& peccatis ex ipſa prodeũ-
tibus ob eius mandata non ſeruata, vt viuam Deo:
Chriſto confixus ſum Cruci,mortuus exiſtens pec-
catis in ipſo.Viuo autem iam non ego hac noua vi-
ta ſpirituali, deſtructo in me veteri homine;ſed vi-
uit in me Chriſtus. Quòd autem nunc viuo in car-
ne, indutus hoc mortali corpore, in fide viuo filij
Dei,qui dilexit me,& tradidit ſemetipſum pro me.
Non abijcio gratiam Dei: non rurſus ad legis onus
sedeo. Si enim per legem iuſtitia, ergo gratis, atque
fruſtra Chriſtus mortuus eſt.

Editio vulgata.

*DEINDE poſt annos quattuordecim,iterum
aſcendi Ieroſolymam cum Barnaba,aſſum-
ſumpto & Tito. Aſcendi autem secũdum
reuelationem,& contuli cum illis Euange-
lium quod prædico in Gentibus, ſeorſum autem ijs qui
videbantur aliquid eſſe: ne forte in vacuum currerem,
aut cucurriſſem. Sed neque Titus qui mecum erat,cum
eſſet Gentilis,compulſus eſt circuncidi:ſed propter ſub-
introductos falſos fratres,qui ſubintroierunt explorare
libertatem noſtram,quam habemus in Chriſto Ieſu, vt
nos in ſeruitutem redigerent.Quibus neq; ad horã ceſſi-
mus ſubiectioni: vt veritas Euangelij permaneat apud
vos. Ab ijs autem qui videbantur eſſe aliquid (quales
aliquando fuerint, nihil mea intereſt. Deus perſonam
hominis non accipit) mihi enim qui videbantur eſſe ali-
quid,nihil contulerunt.Sed e contra,cum vidiſſent,quòd
creditum eſt mihi Euangelium præputij, ſicut Petro
circunciſionis (qui enim operatus eſt Petro in Apoſto-
latum circunciſionis:operatus eſt & mihi inter Gentes)
& cum cognouiſſent gratiam quæ data eſt mihi, Iaco-
bus & Cephas, & Ioannes qui videbãtur columnæ eſ-
ſe, dextras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis: vt
nos in Gentes,ipſi autem in circunciſionem: tantum vt
pauperum memores eſſemus, quod etiam ſolicitus fui
hoc ipſum facere. Cum autem veniſſet Cephas Antio-
chiã: in faciem ei reſtiti,quia reprehẽſibilis erat.Prius
enim quàm venirent quidã a Iacobo, cũ Gentibus ede-
bat:cũ autẽ veniſſent,ſubtrahebat & ſegregabat ſe, ti-
mens eos qui ex circunciſione erant.Et ſimulationi eius
conſenſerunt cæteri Iudæi, ita ut & Barnabas ducere-
tur ab eis in illam ſimulationem.Sed cũ vidiſſem quòd
non recte ambularent ad veritatem Euangelij,dixi Ce-
phæ coram omnibus:Si tu cum Iudæus ſis,Gentiliter ui
uis & non Iudaice: quomodo Gentes cogis Iudaizare?
Nos natura Iudæi,et non ex Gentibus peccatores; ſciẽ-
tes autem quòd nõ iuſtificatur homo ex operibus legis,
niſi per fidem Ieſu Chriſti, & nos in Chriſto Ieſu cre-
dimus, vt iuſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operi-
bus legis: propter quod ex operibus legis non iuſtifica-
bitur omnis caro. Quòd ſi quærentes iuſtificari in Chri-
ſto,inuenti ſumus,& ipſi peccatores:numquid Chriſtus
peccati miniſter eſt? Abſit. Si enim quæ deſtruxi,ite-
rum hæc ædifico, præuaricatorem me conſtituo. Ego
enim per legem,legi mortuus ſum, vt Deo viuã: Chri-
ſto confixus ſum cruci. Viuo autem iam non ego: viuit
vero in me Chriſtus. Quod autem nunc viuo in carne:
in fide viuo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſeme-
tipſum pro me. Non abijcio gratiam Dei. Si enim per
legem iuſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.*

ADNOTATIONES.

DEINDE *poſt annos quattuordecim.* Aliam A
hic ſuam commemorat Apoſtolus pro-
fectionem in Ieruſalẽ poſt annos quat-
tuordecim. Num autem curriculum hoc temporis
ſit computandum a die conuerſionis,an poſt aliam
profectionem,quam prius narrauit, incertum eſt:
ſicuti etiam eſt incertũ,num acceſſus iſte fuerit ille,
de quo eſt mentio in Actibus, cum ſcilicet coactũ Act.15.
eſt conciliũ Ieroſolymis ob contentiones,quę An-
tiochiæ inter credentes ortæ erant circa legaliũ ob-
ſeruationem. Verum,quod attinet ad ſcopum Apo-
ſtoli,qui Euangelium, quod prædicauerat Galatis,
legitimum fuiſſe oſtendere intendebat, & illud ſe
accepiſſe non ab homine, ſed a Deo per reuelatio-
nẽ;hoc ſatis valido comprobat argumẽto. Quoniã,
cum illud contuliſſet primariis Apoſtolis,Petro, Ia
cobo,& Ioanni,ab illis approbatum eſt, & nil con-
tra ab ipſis ſibi collatum.

B *Seorſum autem ijs, qui videbantur aliquid eſſe.*
Græce,legitur, τοῖς δοκοῦσι. qua dictione,inſinuan-
tur magnæ auctoritatis viri.Interpres autem,vt pla-
niorem redderet ſenſum, ſecutus locum alium cõ-
ſimilẽ infra, vbi legitur ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι,
tranſtulit hunc in modũ: *Ab ijs qui videntur aliquid
eſſe.* Quod explicans Theodoretus inquit;id eſt,*in-* Theodor.
ſignibus. Quod explicatius etiam expoſuit Apoſto-
lus infra,dũ ait. *Et cum cognouiſſent gratiã, quæ da-
ta eſt mihi; Iacobus,& Cephas,& Ioannes,qui vide-
bantur columnæ eſſe.* Cum ijs igitur Apoſtolis Pau-
lus priuatim contulit Euangeliũ, quod prædicabat:
vti illis primarijs,a quibus ſi approbatum eſſet, ab
alijs quoque omnibus, ob magnam eorum aucto-
ritatẽ,approbatum iri debere adiudicabat.Priuatim
autem, idcirco hanc collationem fecit; propterea
quòd multi legis emulationẽ habebant. Vnde (vt a-
nimaduertat Photius) illi,qui ex circunciſione nu- Phot.
per ad fidem venerant,audientes Paulũ,qui circun-
ciſionem abrogaret,magnum tumultũ excitaſſent.
Sed,& illud quoque addi poteſt; quòd arcana ſcri-
pturę non quibuſcunque,ſed ſolis præcipuis docto
ribus ſunt conferenda.

C *Ne forte in vacuum currerem,aut cucurriſſem.*
Hæc dictio,*forte* (quæ eſt apud interpretem) Gręce
ita legitur: μή πως, quod etiã verti poſſet, *num quo-
modo*: ſicuti in hoc ſenſu Photius accipit. Et Theo- Phot.
doretus hunc locum exponens,inquit. *Nõ poſuit de* Theodor.
ſeipſo, ſed de alijs; hoc eſt, vt omnes intelligant con-
cordiam,& conſenſionem prædicationis: Nã diſſe-
minato rumore,ut inquit Chryſoſtomus, ꝙ Paulus Chryſoſt.
diſſentiret ab alijs Apoſtolis, qui noti erãt mundo,
Chriſti fuiſſe Apoſtoli, incaſſum extitiſſent omnes
labores ſuſcepti per ipſum de lege Euangelica. Cer-
tiſſimus autem erat Paulus de ſua prædicatione:nec
dubiũ vllũ ineſſe ipſi poterat,quin ea,quæ per Chri
ſti reuelationem acceperat, certa atque firma eſ-
ſent. Verum ſatisfacere volens Apoſtolis, & diſ-
famationes diluere pſeudo Apoſtolorum, qui
ipſum

ipſum criminabantur, diſſentire a veris Apoſtolis Chriſti; idcirco illis ſuam prædicationem, quę uam eſſet, aperire voluit; non dubius ipſe vlla in parte, ſi in vanum curreret, aut cucuriſſet; ſed vt illi hac de re certi redderentur. Vnde illud: *num quo modo in vanum curro, aut cucurriſſem*, seferendum videtur aut ad Apoſtolos, quibus Euangelium communicauerat eo ſcopo, vt ipſi proſpicerent, num in vanum curreret, aut cucurriſſet; omnemque ambiguitatẽ, ſi qua illis inhæſerat, ex eorũ animo tolleretus.

August.

Aut ſecũdum Auguſt. non ad illos, quibus ſeorſum contulit Euangeliũ; ſed ad iſtos, quibus ſcribit, quaſi per interrogationem dictum intelligendum eſt, vt ex eo appareret, non eum in vanum currere, aut cucuriſſe; quia iam etiam, atteſtatiõne cęterorum, nihil ab Euangelij veritate diſſentire approbatus.

D *Sed neque Titus*. In collatione facta Euangelij a Paulo cum primarijs Apoſtolis, non meminit, quòd nil ab ipſis cõtra ſuam prædicationem adductum fuerit. Sed reticens hoc, tanquam manifeſtũ, affert quid aliud, quod multum conducit ad rẽ Galatarum, vt intelligerent, cum Paulo Principes illos Apoſtolos conſenſiſſe in hoc ipſo, quòd circumcisio non eſſet neceſſaria ad iuſtificationem. Quod quidem patefacit ex hoc, quòd illam dicit neglectam fuiſſe in Tito, qui erat cum præputio, cum non fuerit compulſus ab Apoſtolis circuncidi.

E *Sed propter ſubintroductos falſos fratres*. Variam hæc verba interpretationem habuerunt. Nam

Hieron.
Theodor.

Hieronymus, cui conſentit Theodoretus, exiſtimat, particulam hanc, *ſed*, vacare; & ita interpretatur. Sed neque Titus, licet eſſet in præputio, impulſus eſt circuncidi propter falſos fratres ſubintroductos, qui id moliebantur, vt circuncideretur. Ambroſius

Ambr.
Auguſt. ad Hierony. epiſt. 19.

cum alijs Græcis, & cum Auguſtino, dictionẽ, *ſed*, retinet. Ambroſius autem hanc partem orationis ſeiungit a præcedenti, & legens affirmatiue; *quibus ceſſimus ad horam*, (quæ lectio vſque ad tẽpora Hieronymi, & Ambroſij in Latinis habebatur codicibus, licet Gręci negatiue legerant, & hanc lectionem negatiue poſitam, vti germanam, recepit eccleſia) ita interpretatur; quòd Apoſtolus afferat cauſam, ob quam Timotheum Lyſtris circuncidi permiſerit; nempe, propter ſubintroductos falſos fratres, quibus ad horam ceſſit, dum Timotheus fuit circun-

Aug. in eadem epiſt. ad Hieron.

ciſus. Auguſtinus autem in epiſt. ad Hieronymum, ita locum hũc explicat, quòd Titum Apoſtolus circuncidi permiſiſſet, vti etiam permiſerat in Timotheo; attamen, propter falſos introductos fratres, qui hoc moliebantur pro explorãda eius libertate, non permiſit, quoniam illi ita conarẽtur; quaſi alias permiſiſſet. Adiungens, quòd non deteſtanda eſt circuncisio, vt Idololatria; neque vt quid ſacrilegum; vt autem neceſſariam ad ſalutem, noluit admittere in Tito; cum illi falſi fratres id iudicarẽt, quòd non poſſent eſſe ſalui homines, niſi ſuſcepta circunci-

Chryſoſt.

ſione. Chryſoſtomus autem ſic exponit: quòd neq; Titus compulſus eſt circuncidi, neque ab Apoſtolis. Poſtea ſegregat ſequentem periodum. *Sed neq; propter falſos fratres*, vt ſit amplificatiuus ſermo, quòd neque propter falſos fratres id molientes effectum eſt. Verum, cum lectio vulgata ita habeat, *ſed neque Titus, qui mecum erat, cum eßet Gentilis, compulſus eſt circuncidi, ſed propter ſubintroductos falſos fratres*, & apud Græcos ita legatur; διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους. Ideo, aduertendum, particulam hanc, δὲ, verti poſſe, *autem*; vt hunc in modum orationis fiat conſtructio. *Sed neque Titus compulſus eſt circuncidi*; & ad inſinuãdum, qui nam erant ad id cõpellentes, ſubiungitur: *propter autem ſubintroductos falſos fratres*; a quibus locutio procedebat, vt circunciderettur Titus (vt ita iſti denotẽtur fuiſſe compulſores) & nequaquam ab Apoſtolis; ac ſi ita dicatur. Aderant, qui cogere vellent Titum ad circunciſionem; ſed non eſt coactus: & qui nam erant, qui id moliebãtur? vtique falſi fratres ſubintroducti ad explorandam libertatem Apoſtoli.

F. *Quibus neque ad horam ceſſimus ſubiectioni*. Conabantur illi falſi fratres redigere Paulum cum alijs ſuis, in legis ſeruitutem; quibus (inquit) non ceſſiſſe, vt illis ſubijcerentur, neque ad horam; qua (in horę ſcilicet ſpatio) impleri in Tito circunciſio potuiſſet. Quod factum transfert Apoſtolus in vtilitatem Galatarum, inquiens, *vt veritas Euangelij permaneat apud vos*, nẽpe, vt ex hoc facto vos edocti, conſtantes in fide ſuſcepta permaneatis; & non ad legis obſeruãtiã traduci permittamini, tanquam neceſſariam ad complendum Chriſti Euangelium.

G *Quales aliquando fuerint, nihil mea intereſt*. De Apoſtolis, quibus contulerat Euangelium, nihil ait, ſua intereſſe, quales olim fuerint: ex hoc intelligens (ſecundum Chryſoſtomum) quòd olim prædicauerint circunciſionem: de quo facto ipſi rationẽ ſunt redditur. At, ſecundum Auguſtinum, his verbis voluit Apoſtolus innuere genus vitæ ipſorum; nũ mali, aut boni prius fuerint; dicẽs, nihil hoc ſua intereſſe; Deus enim in ſua gratuita vocatione non reſpicit vllam hominis qualitatem, vel conditionem. Ambroſius refert ad priorem Apoſtolorum ſtatũ, quòd fuerint prius homines ſimplices, & imperiti, & nullius dignitatis in lege. Vnde, iuxta hanc interpretationem, per parentheſim ita legẽdum eſt (ab ijs autem qui videbantur eſſe aliquid) nempe, cum iam eſſent in pretio, vt magni Apoſtoli: *quales aliquando fuerint*; nempe, olim piſcatores, & Idiotę, nil mea intereſt; id eſt, ego non reſpicio: Deus enim perſonam hominis non accipit. Ab ijs igitur, quibus ego contuli Euangelium, nil mihi contra collatum eſt: ſed vt certi, quòd verum, & legitimum eſt Euangelium, quod prędico, in teſtimoniũ huius conſenſionis, dexteras dederunt ſocietatis, vt Paulus in Gentes: ipſi autem in circunciſionem prædicarent.

Chryſoſt.

Auguſt. in expoſi. epi. ad Gal.

Ambr. c. 2.

H *Cum autem veniſſet Petrus Antiochiã*. Oecumenius refert, Euſebium Pamphili cenſuiſſe, hunc Petrum, cui Apoſtolus dicit in faciem ſe reſtitiſſe, non fuiſſe Cepham; ſed aliũ eiuſdem nominis, vnũ ex ſeptuaginta duobus diſcipulis. Verũ, cũ Paulus, vt videret Petrum, honoris cauſa, Ieroſolymam ſe contuliſſet; vtique de ipſo Principe Apoſtolorũ ſermonem eſſe ſupponendum eſt. Quod etiam deſeruit præſenti ſcopo epiſtolę: in qua veritatem Euangelij, qua circunciſionem, & alia legalia abrogabat, omnino ita ſe habere, ex conſenſione quoque aliorum Apoſtolorum erat cõfirmaturus. Græci autem

Oecum.

Græ.ex poſ. Hierony. expoſitores,& Hieronymus, cenſent ſimulatā fuiſ-
ſe Pauli in Petrum reprehenſionem, & inuicem
conſenſiſſe, vt Petrus ſubtrahendo ſe a Gentibus
ſcandalum redimeret Iudæorum; & ſcandalum il-
latum Gentibus, ex ſubtractione Petri ab illis, per
reprehenſionem Pauli ſedaretur; huic reprehen-
ſioni manum dante Petro, cum nil ex oppoſito
reſponderit. Vnde illud, *in faciem*, interpretan-
tur, pro eo quod eſt, ſecundum apparentiam, non
2.Cor.10. re vera. Iuxta illud ad Corinthios *Quæ ſecun-*
2.Cor.5. *dum faciem ſunt, videte*. Et alibi: *qui in facie glorian-*
tur, & non in corde. Sed ijdem expoſitores, quod le-
git interpres, *quoniam reprehenſibilis erat*, legunt
reprehenſus erat, & interpretantur, quòd a Genti-
bus erat reprehenſus: & propterea Paulus fecit il-
lam reprehenſionem aduerſus Petrum, ſed ex con-
ſenſu eiuſdem.

Auguſt.epi. 19. ad Hierony. Ambr. Auguſtinus autem, & Ambroſius, & alij quam-
plures cenſent, Paulum vere reſtitiſſe in faciem Pe-
tri; id eſt, in eius præſentia, quoniā eſſet reprehen-
ſibilis. Quod & inſinuāt rationes a Paulo ſubindu-
ctæ, quibus deducit, ea egiſſe Petrum, ex quibus
Gentes cogerentur Iudaizare. Verumtamen non di-
cendum, quòd Petrus ſubtraxerit ſe a Gentibus, &
ab eſu ciborum communium, quaſi illos immun-
dos exiſtimaret. Sed hoc ſimulauit, ne diſpliceret Iu-
dæis Chriſtianis, qui ad ipſum venerant a Iacobo.
Vnde ſubiungitur. *Et ſimulationi eius conſenſe-*
runt cæteri. Vſus eſt Petrus hac hypocreſi, ne of-
fenderentur Iudæi, qui aduenerant miſſi a Iacobo.
Pauli autem reprehenſio, ob adductam cauſam,
fuiſſe iuſta videtur, ne hinc Gentiles cogerentur iu-
daizare. Neque vero par ratio cenſenda eſt facti,
Act.16.18. 21. quod proceſſit a Petro, cum his alijs, quæ præſtitit
Paulus; vel cum circuncidit Timotheum; vel cum
Cenchris caput totondit: vel ſe purificauit, & expia-
uit in gratiam Iacobi. Nam in his omnibus actio-
nibus, Paulus eorum ſaluti deſeruiuit, qui legalibus
addicti erant. neque hinc ſcādalum ad Gentes per-
ueniebat. At Petrus, cum ſe ſubtraxit a Gentibus, &
ab eſu ciborum communium, deteſtari ita eos ſe
oſtēdit, & tacite innuere, quòd legalia eſſent obſer-
uanda. Vnde & inducebantur Gentes ad Iudaizan-
dum; & Iudæi in legalium obſeruatione, tanquam
neceſſaria forent ad ſalutem, magis etiam confirma-
bantur. Et ita neutri populo proſpiciebatur, ſed po-
tius offendiculum ponebatur. Cui vtrique populo
prouidit Deus per Pauli reprehenſionem factam in
Petrum. Accedit, quòd, cum Pauli ſcopus ſit in hac
epiſtola Galatis manifeſtare, quòd firma ſit aucto-
ritas Euangelij, quod illis prædicauit (quoniā ipſum
contulerit cum primarijs Apoſtolis, & nil ab illis ſit
contra ſibi collatum) non videtur conueniens, vt ſi-
mulatam Galatis deſcriberet reprehēſionem, quam
Petro feciſſet: cum ſerio cum ipſis hāc agat cauſam,
ob ſuam teſtandam, & tutandam in prædicatione
auctoritatem, ac veritatem. Idque præſertim, cum
antea dixerit, quòd ſeruus Dei non eſſet, ſi adhuc
hominibus placeret. Præterea illud molitur Pau-
lus, vt aſtruat veritatem Euangelii, quam vult eſſe
eiuſmodi, vt legalia abrogentur, & Galatas a iuda-
zando, iam in hoc dogmate periclitātes, dimoueat;
quod certe vim non haberet, niſi, quæ cōmmemo-
rauit de reprehenſione facta in Petrum, re vera ita
ſe habuiſſent.

Ponderandum etiam magnum eſſe diſcrimen,
(vt elicitur ex epiſt. Auguſtini ad Hieronymum) Auguſt. ad
quòd in initio legis euangelicæ Iudæis Chriſtianis Hiero.epiſt.
concederetur patrijs vti ceremonijs (tum, ne abdu- 19.
cerentur a fide, tum, vt ita probaretur vere illa fuiſ-
ſe legitima ſacramenta, & ceremonias a Deo man-
datas, donec paulatim cum honore ad ſepulturam
res iam mortua deduceretur) & quòd cogerentur
Gentiles ad ſuſcipienda legalia, quod in facto Petri
contingebat. Neque vero habēda erat vlla ratio Iu-
dæorum penes hoc, quod Paulus intendebat, ne
cogerentur Gentiles Iudaizare; cum id etiā prodeſ-
ſet Iudæis Chriſtianis, ne cogerentur ad eſum cibo-
rum in lege iam prohibitorum.

Vtrum autem obſeruatio legalium fuerit morti-
fera poſt Chriſti mortem, cenſet Hieronymus, quòd Hierony.
eſſet mortifera. Auguſtinus autem vult, quòd tem- Auguſt.
poris interuallo, donec publicaretur altis radicibus
Euangelium, fuiſſe quidem mortua legalia, non ta-
men mortifera; dummodo in illis ſpes ſalutis non
poneretur. Et ſane decretum, quod prodijt ex pri- Act.15.
mo Concilio Ieroſolymitano, oſtēdit, quòd nō fue-
rint tunc temporis mortifera, cum ex eo Concilio
mandatum emanauerit Gentibus, vt abſtinerent ſe
ab immolatis ſimulacrorum, & a ſanguine, & a ſuf-
focatis: idque in tolerantiam Iudæorum, ne hinc
contaminarentur. Vnde obſeruationes legales non
erant illico abrogādæ, ſed cum honore, (vt dictum
eſt) ad tumulū erat ducenda ſynagoga. Idololatria
autē illico Gentibus fuit interdicenda. Vtrum autem
Apoſtoli vſi fuerint legalibus poſt Chriſti aſcēſum,
quaſi intendentes obſeruare legem, id negat Hiero- Hieron.
nymus, at Auguſtinus aſſerit; non tamen quaſi in Auguſt.
illis ponerent fiduciam. Et ſi dictum eſt a Paulo in
epiſt.ad Corinth. quòd factus eſt Iudæis tanquam 1.Cor.9.
Iudæus, & legem habens cum legem habentibus;
hoc (inquit Auguſtinus) ob diſpenſationem factum
ab ipſo, & ab alijs Apoſtolis; non vt legalia profi-
terentur obſeruaſſe.

Quamquam autē ſupponatur Petrus, qui Prin-
ceps erat Apoſtolorum, fuiſſe reuera reprehenſus a
Paulo, quoniam eſſet reprehenſibilis; non propte-
rea hinc inducendum eſt, quòd Papa poſſit errare
in ijs, quæ ſunt fidei; vt poſſit decretum hæreticum
ſtabilire: quandoquidem rogauit Dominus pro fide
Petri, & aſtiturum ſe ſemper promiſit Eccleſię con- Luc.22.
ſeruatorem. Neque vero Petrus in ea actione circa Matt.28.
dogma fidei errauit, ſed tantum ſcandalum, & illud
non ex malitia, ſed ex quadam incircunſpectione
cauſauit. Adhuc vero, & ſi Paulus reſtitit in faciem
Petri; non propterea tamen inferendum, quòd fue-
rit par Petro in iuriſdictione regiminis: licet eſſet in
exequutione auctoritatis Sed & penſandum, qualis
eſſet Apoſtolus Paulus, electus vas a Chriſto in illa
præſertim naſcente eccleſia. Et cum Petrus miſſus Act.8.
fuerit in Samariam a collegio Apoſtolorum; non
propterea hinc inferendum, quòd concilium ſit ſu-
pra Papam. Siquidem cōſtat, quòd Petrus præfuit
Concilio Ieroſolimitano pro definitione decretorū

in

in eo Concilio habendorum: vnde etiam, tanquam ille (qui primatum obtinebat in Concilio) primus quoque ſuam dixit ſententiam. Sed neque mirum, quòd Petrus Princeps Apoſtolorum ex conſenſu fratrũ dicatur miſſus fuiſſe in Samariam a Coapoſtolis; cum pauci tunc adeſſent fideles in illa primo naſcente eccleſia; plurimumque intereſſet, quòd Principe Apoſtolorum præſente, & aſſiſtente, illo in initio eccleſię, Chriſtianorũ decreta ſtatuerentur.

I *Nos natura Iudæi, & nõ ex Gentibus peccatores* Dum Gentes cogerentur Iudaizare, inducebantur ad id, quod non erat ſecundum eorum naturam, aut inſtituta; ad quorum differẽtiam, Paulus ſe cum alijs Apoſtolis natura Iudæum appellat; vt qui ex genere Iudaico ortum vna cum illis traheret: qui, tanquã cognoſcentes Deum, diſtinguerentur a Gentilibus, quos appellat *natura peccatores*, quoniam eſſent Idololatræ; a quo genere peccati (quod eſt omnium peccatorum maximum, ſi idolatria ex parte ipſius peccati conſideretur) longe aberant Iudæi.

K *Non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti*. Hanc eandem ſententiam protu-
Rom. 3. lit in epiſt. ad Rom. cum dicit: *qui iuſtificat circunciſionem ex fide*, id eſt, quatenus eſt coniuncta cum fide: ita & hoc loco inquit, non iuſtificari hominem ex operibus legis, niſi fuerint coniuncta fidei.

L *Si enim quæ deſtruxi, iterum hæc ædifico, prævaricatorem me conſtituo*. Valet hæc raciocinatio ad probandum, quòd Chriſtus fuerit miniſter peccati, ſi legalia obſeruanda eſſe pro ſalute, ſupponantur, quæ Chriſtus ſua morte demolitus fuerit. Nam, ſi per Chriſtum præſupponimus hominem iuſtificari ſine operibus legis, & rurſus ad legalia redeamus, quæ omiſſa fuerant, (quod quidem eſſet ædificare quod deſtructum eſt) tanquam ſint neceſſaria ad ſalutem; iam prævaricatorem ſe conſtituit, quicunque illa dimiſerit. & hoc auctore Chriſto, factum eſt; vnde ſequitur, quòd Chriſtus fuerit peccati miniſter, per quem omiſſa ſint legalia, quæ non ſine crimine poterant omitti.

M *Ego enim per legem legi mortuus ſum, vt Deo viuam*. Tantum abeſt, quòd Chriſtus ſit miniſter peccati, demoliens legalia, quin, inquit Apoſtolus, ego hoc profiteor, quòd hinc vitam habeam, & legi hac in parte ſim mortuus. Siquidem abijcitur lex, quatenus obſeruantionibus legis fit renunciatio, & homo peccatis moritur, quæ ex tranſgreſſione legis perpetrabantur, vt non amplius viuant in homine iuſtificato, nec lex puniens peccata, vltra illi dominatur. Quod etiam dictum fuit in epiſtola ad
Rom. 7. Rom. *mortificati eſtis legi*. Et ſunt illi, qui ſunt regenerati per baptiſmum, vt viuant Deo; non autem legi, tanquam ſubditi ei exiſtentes pro peccatis; neque pendentes ab obſeruationibus legis; ſed a iuſtitia, quæ a Deo ad credentes in ipſum, & eius mandata obſeruãtes emanat. Illud autem, *per legem*, ſunt qui interpretantur, quòd per legem euangelicam homo moriatur legi Moſaicæ. Verum poteſt etiam intelligi, quòd per legem Moſaicam (quatenus ſcilicet lex ducit hominem ad Chriſtum, cum Chriſtus le-
Rom. 10. gis ſit finis,) homo moriatur legi Moſaicæ, non amplius ſubiectus eius dominio, vt dictum eſt antea.

N *Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Chriſtus*. Id eſt, non viuit homo vetus amplius in homine, qui ſit affixus cruci, & mortuus peccatis: ſed viuit in ipſo Chriſtus, & ſpiritus Chriſti, cui adhæret; & per quem iuſtificatur: iuxta illud ad Rom. *ſi au-* Rom. 8.
tem Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus vero viuit, nempe propter acceptam iuſtificationem.

O *Chriſto confixus ſum Cruci*. Moritur vetus homo, dum peccatis moritur, quę cum ſublata ſint per crucem Chriſti; ideo, qui mortuus eſt peccatis, is cruci vna cum Chriſto affixus dicitur.

P *Viuo autem*. Qui mortuus eſt peccatis, viuit, nempe ſpiritu: & cum ſubiungitur, *iam non ego*: hinc innuit Apoſtolus, quòd nemo poſſit ex ſe iuſtificari. Ideo vita ſpiritus viuit, quatenus in ipſo eſt Chriſti Spiritus.

Q *Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei*. Id eſt, etſi in carne viuo, in hac mortali carne, attamen hanc vitam ago in fide filij Dei, a quo immortalitatem expecto: & ideo ad eius voluntatem me gero, atque rego, non abijciens a me gratiam eius, qui ſe tradidit pro mea redemptione.

PARAPHRASIS. Cap. III.

O INSENSATI Galatæ, quis vos faſcinauit nõ obedire veritati iam ſuſceptæ? vos inquam, ante quorũ oculos Ieſus Chriſtus præſcriptus atque depictus erat, & in vobis crucifixus? Hoc ſolum vellem diſcere a vobis; num ex operibus legis ſpiritum accepiſtis, an ex auditu fidei, cui conſenſiſtis? ſic ne ſtulti eſtis, vt cum ſpiritu cęperitis, nunc carne conſummemini, ad carnalem circunciſionem declinantes? Tanta ne incommoda, quæ ſubijſtis ob Chriſti fidem, fruſtra perpeſſi eritis? ſi tamen fruſtra: non enim ominabor, quin ab hoc errore reſipiſcere poſſitis. Qui ergo ſubminiſtrat vobis ſpiritum illum diuinũ, & virtutes mirabiles in vobis operatur, Deus, ex operibus ne legis hæc vobis præſtitit, an ex auditu fidei? ſicuti de Abraham ſcriptum eſt, quòd credidit Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Cognoſcite ergo, quòd qui ſunt ex fide, ex ipſaque pendent, hi ſunt filij Abrahæ. Prouidens autem ſcriptura, ſancto ſpiritu dictata, quòd ex fide iuſtificat gẽtes Deus, prænunciauit Abrahæ, quia in te, in tuæ nempe fidei imitatione benedicentur omnes gentes. Quare, qui ex hac fide ſunt, atque dependent, benedictionem accipiunt una cum fideli Abraham, qui eſt pater omnium credentium. Nam, qui pendent ex operibus legis, ſub maledictione ſunt. Scriptum eſt enim in Deut. Maledictus qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea. Quòd autem in lege nemo iuſtificetur apud Deum, hinc debet eſſe manifeſtum: quoniam, per Abacuc, iuſtus ex fide viuit. Atqui lex non conſiſtit ex fide: ſed ex eo decreto, quòd qui legis mandata fecerit, viuet in illis, non dans pęnas indictas tranſgreſſoribus a lege. Chriſtus ab hac maledictione legis, a reatu ſcilicet peccatorum, & ab ipſa-

met ſubiectione legis, peccata noſtra, & infirmitatem noſtram redarguentis, nos redemit: factus ipſe pro nobis maledictio, ſuſcipiens in ſuo corpore noſtras puniendas maledictiones. Quòd autem Chriſtus ſit factus maledictio, perſpicuũ eſt ex eo, quod ſcriptum eſt in leuit. Maledictus omnis, qui pendet in ligno, in quo Chriſtus perpendit, vltroneè tamen id patiens pro noſtra redemptione; vt ad gentes benedictio Abrahę perueniret in Chriſto Ieſu, vt hinc pollicitationem ſpiritus, a quo omnia nobis bona proueniunt, acciperemus per fidem. Fratres (ſecundum hominẽ agam vobiſcum, & ſecundum humanam rationem,) attamen inhærendo hominum inſtitutis, illud profari licet, quòd hominis teſtamẽtum per eius mortem confirmatum, nemo ſpernit, aut quidpiam illi ſuperaddit. Atqui Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius. Non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis; ſed quaſi in vno: dum dicit ſcriptura, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus, in quo vno, in propagatis ab Abraham benedictionis promiſſio ſtatuenda erat. Id autem dico, quòd teſtamentum promiſſionum; confirmatũ a Deo in Chriſti morte, lex poſt quadringentos & triginta annos lata, irritum non facit, ita vt promiſſio Dei facta Abrahæ euacuetur. Nam ſi ex lege hæreditas penderet, iam non ex promiſſione. At Abrahæ per promiſſionem, antequàm eſſet poſita lex, Deus donauit. Vnde ex lege non expectanda hæreditas atque promiſſio. Quid igitur lex? quorſum conſtituta eſt? ob tranſgreſſionem eſt poſita; vt homines a peccatis auerteret, & ad fidem induceret, in hoc remedium conſtituta; donec veniret ſemen, ipſe Chriſtus, cui promiſsio facta erat; ipſa inquam lex, quæ ordinata eſt per Angelos in manu mediatoris. Mediator autem non eſt vnius tantum, ſed duorum; Deus autem vnus eſt; & ideo immutabilis; idem, qui promiſſa fecit Abrahæ, & qui legem contulit: vnde lex Dei promiſsis non poteſt aduerſari. Quid igitur lex? num aduerſus promiſſa Dei? abſit hoc. Tantum enim abeſt, vt lex ſit contra promiſſa Dei, vt adeo bene ſit conſtituta, quòd ſi eſſet data cum facultate, vt poſſet viuificare, vere ex lege obtineretur iuſtitia; cũ lex ea admoneat, quæ adimpleta iuſtum redderent facientem. Verum ſcriptura, & lex omnia concluſit ſub peccato; tum præcepta dando, quorum tranſgreſsione committuntur peccata; tum omnes de peccatis arguendo: vt hinc, ex occaſione peccatorum, homines dignoſcerent, egere ſe Dei miſericordia: atque ita promiſſio pendens ex fide Ieſu Chriſti, credẽtibus in eum condonaretur. Prius autem quàm veniret explicita fides Chriſti, antequàm ſcilicet Chriſtus conſummaret noſtram redemptionem, ſub lege cuſtodiebamus, concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat, quæque per legem innuebatur; cum legis finis ſit Chriſtus, per quem ſalus credentibus aduenit. Itaq; lex pædagogus noſter fuit, manuducens nos ad Chriſtum, & inſtruẽs nos ſub virga timoris de propitiatione per ipſum nobis obtinenda, vt ex fide in Chriſtum iuſtificemur. At vbi venit fides explicita, & Chriſtus (qui in lege promiſſus erat mediator inter Deum & homines, opus noſtræ ſalutis abſoluit) iam non ſumus ſub pædagogo; non ſub nube fidei, quæ, iam patefacta eſt non amplius ſub illa execratione legis; non ſub pœnis, atque peccatorum iugo. Omnes enim filij Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Quicunque enim baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, in nouum hominem (veterem abijciendo) per eius ſpiritum formati: ita quidem, vt nullum ſit diſcrimen, ſiue ſit Iudęus, qui baptizatus eſt, ſiue Græcus, ſiue liber, ſiue ſeruus, ſiue maſculus, ſiue fœmina: omnes enim vos, vnum eſtis; vnum corpus, vnus ſpiritus in Chriſto Ieſu. Si autem eſtis, Chriſti; igitur Abrahæ ſemen eſtis, & hæredes Dei, ſecundum promiſsionem a Deo factam Abrahæ.

Editio vulgata.

O INSENSATI *Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Ieſus Chriſtus proſcriptus eſt, & in vobis crucifixus? Hoc ſolum a vobis volo diſcere: Ex operibus legis Spiritum accepiſtis, an ex auditu fidei? Sic ſtulti eſtis, vt cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini? Tanta paſſi eſtis ſine cauſa? ſi tamen ſine cauſa: Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei? Sicut, Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Cognoſcite ergo, quia qui ex fide ſunt, ij ſunt filij Abrahæ. Prouidens autem ſcriptura, quia ex fide iuſtificat Gentes, Deus prænunciauit Abrahæ. Quia benedicentur cum fideli Abraham. Quicunque enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim: Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea. Quoniam autem in lege nemo iuſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt: quia iuſtus ex fide viuit. Lex autem non eſt ex fide: ſed qui fecerit ea viuet in illis. Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictũ, (quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis qui pendet in ligno) vt in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Ieſu: vt pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. Fratres (ſecundum hominem dico) tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit aut ſuperordinat. Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius. Non dicit. Et ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in vno. Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Hoc autem dico, teſtamentum confirmatum a Deo: quæ poſt quadringentos triginta annos facta eſt lex, non irritum facit ad euacuandam promiſſionem. Nam ſi ex lege hæreditas, iam non ex promiſſione. Abrahæ autem per repromiſſionem donauit Deus. Quid igitur lex? Propter tranſgreſſiones poſita eſt donec veniret ſemen cui promiſerat: ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediator autem, vnius non eſt: Deus autem vnus eſt. Lex ergo aduerſus promiſſa Dei? Abſit. Si enim data eſſet lex quæ poſſet viuificare: vere ex lege eſſet iuſtitia. Sed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato: ut promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. Prius autem, quàm veniret fides ſub lege cuſtodiebamur concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat. Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto: vt ex fide iuſtificemur.*

At

At vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo. Om-
nes enim filij Dei eſtis per fidem in Chriſto Ieſu. Qui-
cunque enim in Chriſto baptizati eſtis: Chriſtum in-
duiſtis. Non eſt Iudæus, neque Græcus: non eſt ſeruus,
neque liber: non eſt maſculus, neque fœmina. Omnes
enim vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu. Si autem vos
Chriſti: ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundum repromiſ-
ſionem hæredes.

ADNOTATIONES.

A O INSENSATI *Galatæ.* Apoſtolus, poſt
confirmatam auctoritatem ſui Apoſto-
latus, ſuæque prædicationis; iam, tãquam
ſedens in throno maieſtatis, grauiſsimis
verbis vrget Galatas, vt reſipiſcant, qui prope iam
defecerant a Chriſti fide: vnde eos ſtultos nominat:
non temere quidem, aut animo calumniandi (quod
Matth. 5. prohibetur a Chriſto apud Matth.) ſed ipſorũ cor-
reptioni conſulens, atque ſaluti. Vnde & cauſam
huius inſaniæ, & erroris, quo opprimerentur Gala-
tæ, admodum prudenter in alios transfert inquiens:
quis vos faſcinauit: ideſt, inuido oculo ſeduxit, vt
Chriſtum deſereretis; & ad legalia conuerteremini.
Quod factũ, vt dignũ graui reprehẽſione, exagerat,
ſubiungens: *ante quorũ oculos Ieſus Chriſtus proſcri-*
ptus eſt, & in vobis crucifixus: Græce legitur προ-
γράφη; pro eo, quod eſt, *proſcriptus*, vel etiã *præſcri-*
ptus. Et aduertẽdũ in plurimis græcis codicibus va-
care hanc particulã, *Et*, ſicuti etiam in multis latinis
exemplaribus nõ reperitur: non apud Auguſtinum,
neque apud Ambroſium. Et horum verborum va-
August. in epiſtola ad Gal. riæ afferuntur interpretationes, vt ſecundum Augu-
ſtinum ſit ſenſus. Quiſnam potuit vos, qui ſemel
veritatem edocti eſtis, ſic faſcinare, & illudere, vt
Chriſtum præſcriberetis, & eijceretis ex veſtri poſ-
Ambr. c. 3. ſeſsione? id eſt ex vobis, quos ſibi acquiſierat ſan-
guine ſuo? Secundum autem Ambroſium hunc in
modum: vt Chriſtum, ceu purum hominem, & in-
efficacem ad iuſtificandum iam proſcribaris, & eius
Hieron. crucem a vobis reijciatis? At ſecundũ Hieronymum
ita. Ante quorum oculos Chriſtus præſcriptus; id
eſt, ante ſcriptus, ſcilicet a Prophetis, & ita vobis co-
gnitus etiam ante euangelium per ſcripturas Pro-
Gręc. Expoſ. phetarum. Græci autem hunc in modum interpre-
tantur. Ante quorum oculos ſic præſcriptus erat
ex prædicatione Pauli, atque depictus Chriſtus, ob
fidem eximiam, qua illi adhæſerunt; ac ſi inter ipſos
fuiſſet crucifixus: adeo in ipſorum animis impreſſus
erat: quod etiam ſignificatur in baptiſmi ſuſceptio-
ne, in quo Chriſti mors, atque ſepultura repræſen-
tatur. Vnde maxima denotatur faſcinatio, per quam,
a tam ſingulari impreſsione, abducerentur animi
Galatarum.

B *Vt cum ſpiritu cæperitis, nunc carne conſume-*
mini. Acute pungit Galatas, dum inquit: cœpiſtis
ſpiritu, nempe vitam agere, cum per ſpiritum veram
agamus vitam: & poſtea ſubiungit, *nunc carne con-*
ſumemini: non dicit conſummatis, & perficitis car-
ne; ſed conſumemini carne; ad denotandum, quòd
a pſeudo Apoſtolis in carnis mutilatione per cir-
cunciſionem, ſi illam ſuſciperent, conſumerentur,
maleque perderentur.

C *Maledictus omnis qui non permanſerit.* Ex his
patet, in conſtitutione legis interminationem ma-
ledictionis factam fuiſſe omnibus tranſgreſſoribus;
quam maledictionem totam genus humanum in-
curriſſe declarauit Apoſtolus in epiſt. ad Rom, dum Rom 3.
dixit: omnes, & Iudæos, & Gentiles cauſatos ſub
peccato, & quòd omnes in Adam peccauerũt. Cum Rom. 5.
autem in lege dicatur: maledictus, qui non perman-
ſerit in omnibus ijs, hinc videretur inferendum: er-
go, qui permanſerit in his, erit benedictus. Vnde ex
operibus legis iuſtificatio haberetur, contra ea, quæ
determinata ſunt in capite præcedenti. Idcirco huic
tacitę obiectioni occurrens Apoſtolus, inquit: *quo-*
niam autem in lege nemo iuſtificatur apud Deum, ma-
nifeſtum eſt. Sed vnde manifeſtum? ex ſententia
illa Abacuc prophetæ, quam etiam induxit in epiſt.
ad Rom. nempe, quia iuſtus ex fide viuit. Atqui lex Rom. 1.
non conſiſtit ex fide, quam non largitur lex: Quod Leuit. 18.
patet ex eo, quod in lege dicitur: *qui fecerit ea, viuet*
in illis: vt non patiatur pœnas, quæ ſunt impoſitæ
tranſgreſſoribus legis. Non autem ſequitur, quòd
qui viuit in lege, vt non ſuccumbat morti in ea cõ-
minatæ, viuat propterea etiam apud Deum. Atque
ideo firma manet anterior concluſio; quòd nemo
ex operibus legis iuſtificatur apud Deum; ſi tamen
opera ſupponantur fidei non coniuncta.

D *Chriſtus nos redemit de maledicto legis.* Male- Eph. 2.
dictum legis erat contra peccatores, quales omnes
nos eramus, cum naſcamur omnes filij iræ: neque,
legis auxilio, ab hac maledictione eripi poteramus,
quin peccatis obnoxij perpetuo teneremur. Chri-
ſtus autem pro nobis perſoluens in carne ſua, rede-
mit nos ab hac maledictione; tum liberãdo nos ab
omnibus noſtris iniquitatibus, tum gratiam confe-
rendo, qua illæſos nos conſeruaremus a peccatis:
quando, quod impoſſibile erat legi propter infir- Rom. 8.
mitatem carnis, (vt dicitur in epiſt. ad Rom.) ipſe
moriendo, poſſibile nobis effecit, & quomodo?

E *Factus pro nobis maledictum.* Neceſſe erat,
ſuppoſita Dei ordinatione, iuſtitiæ diuinæ ſatisface-
re, vt maledictio inſerta generi humano aboleretur.
Chriſtus hãc in ſua carne ſuſcepit; quę (prout inquit
Auguſtinus in lib. contra Fauſtum) non erat caro Aug. cont. Fauſt. li. 14. cap. 4.
peccati, quia nõ de traduce mortalitatis in Mariam
per maſculum venerat, ſed in ſimilitudinem carnis
peccati; vt quæ mortalis eſſet caro; & ita dicebatur
peccatum habere, quatenus morti obnoxia erat,
quæ mors eſt in pœnam peccati. Vnde, tum mor-
tem ſuſcipiens, quę eſt in pœnam peccati; tum pec-
catorum pondus ſuſtinens, quo genus humanum
obſtrictum erat (ad quod & maledictio conſeque-
batur) hinc Chriſtus, iuxta ſententiam Deute. ma- Deut. 27.
ledictus eſt factus.

F *Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Reticet
Apoſtolus vocem, *a Deo*, quæ in Deuter. legitur: &
(vt cenſet Hieronymus) ab aliquo Hebræo, poſt Hieron.
Chriſti paſſionem appoſita fuit; vt infamiam nobis
inureret, vt qui in Chriſtũ a Deo maledictum cre-
damus. Auguſtinus autem id non habet: ſed ſuppo- Aug. ibidẽ cap. 5.
nit ita dictum fuiſſe a Moyſe, tanquam prœuidente

hęreſim

hȩreſim illorum, qui Chriſtum non vere mortuum vellent: vnde nec maledictum. At (inquit ipſe) ſi maledictus omnis; ergo & Chriſtus, ergo & vere mortuus eſt. Et ſane, ſi Apoſtolus ſcribēs ad Romanos, Rom 8. dixit Chriſtum factum eſſe peccatum; & quòd 2. Cor. 5. de peccato peccatum Deus damnauit: & ad Corinth. *eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*: & omnis, qui pendet in ligno eſt maledictus, hinc ſequi videtur, quòd & Chriſtus ob peccatum pependerit in ligno, & quòd propter peccatum ſit maledictus. Verum dicimus, quòd Chriſtus fuit maledictus, non ex proprio reatu, ſed habens in ſe maledictionē ſuſceptam pro redemptione humani generis. Aug. Cont. Fauſt. li. 14. cap. 4. Nam (vt inquit Auguſtinus in eodem lib. contra Fauſtum) cum ex homine, & pro homine mortem ſuſcepit; in illo etiam, & pro illo, maledictum, quod mortem committatur, ſuſcipere non dedignatus eſt: &, vt filius Dei, ſemper viuens in ſua iuſtitia, mortuus eſt propter delicta noſtra in morte ſuſcepta, pro luenda pęna nobis debita. Non enim tolli poteſt, quin Deus odiret peccatum, & ita ſuſpēſionem in ligno factam in Chriſto ob peccatum oderat; quatenus ſignificabatur peccatum, propter quod ſuſpenſus eſt; pro quo neque proprio Rom 8. filio pepercit Deus. Et nihilominus tamen crucifixio Chriſti ita grata fuit Deo, poſtquam eſt abſoluta, vt omnes credentes in Crucifixum, & Dei obtemperantes, ſibi reconciliarit; non vltra præterita ipſorum peccata vlciſcens, ſed ſuam gratiam, & ſpiritum ſanctum ſuum illis conferens: cum tamen Chriſtus pro omnibus pacem impetrarit, ſi infinita paſſionis eius ſufficientia conſideretur: iuxta illud Ioan. 2. apud Ioan. *Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.*

G *Vt in Gentibus benedictio Abrahæ fieret.* Ad hoc pro nobis Chriſtus factus eſt maledictus, vt, promiſſa benedictio Abrahę, per ipſum adimpleretur in Gentibus. Qua dictione *in Gentibus*, Apoſtolus inſinuauit, non opus eſſe, vt ſint filij Abrahæ ſecūdum carnem, qui benedictionis pollicitationem ſint hæreditaturi. Sed id quidem requiri, vt fidem habeant ſimilem fidei Abrahæ. Vnde ſubiungit: *vt pollicitationem ſpiritus accipiamus per fidem*: Quæ verba nōnulli ita interpretantur: quòd Spiritus ſanctus voluit illam pollicitationem effari, de qua in Gen. 12. lib. Gen. vbi Deus benedictionem Abrahæ prædicit, quòd in ipſo eſſent benedicendæ omnes gentes. Grg. Expoſ. Græci autem hunc in modum; vt acciperemus pollicitationem ſpiritus; quoniam ſpiritualia ſic promiſerat Deus Abrahæ. Quæ interpretatio conſentanea eſt huic voci, *per fidem*. Siquidem non niſi per fidem ſpiritus adoptionis obtinetur. Iuxta illud: Ezech. 36. *Dabo vobis ſpiritum nouum*. Et apud Ioel: Ioel. 2. *& erit in nouiſſimis diebus. dicit dominus, effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem.*

N *Non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis. ſed quaſi in vno.* Ponderat Apoſtolus, non dictum eſſe in lib. Geneſ. *in ſeminibus, quaſi in multis ſed quaſi in vno, ſed in ſemine*; vt hinc arguatur, quòd Chriſtus fuit illud ſemen, in quo benedicendæ erant Gentes. Vnde paulo poſt etiam inquit: *donec veniret ſemen*: id eſt, Chriſtus; ob ipſum enim eſt benedictio. Quod etiā habetur ad Rom. Rom. 4. *Non enim per legem promiſſio Abrahæ aut ſemini eius, vt hæres eſſet mundi. Sed per iuſtitiam fidei.* Et quamuis ſemen accipiatur pro poſteritate, & numquam plurium numero explicetur; attamen Apoſtolus hanc vocem in plurali numero vſurpauit: *non in ſeminibus, ſed in ſemine*, vt ſignificantius hanc rem patefaceret: quòd in Chriſto ſolo, qui eſt ex ſemine Dauid, futura erat benedictio, per ipſum, in poſteros Abrahæ propaganda.

I *Hoc autem dico teſtamentum cōfirmatum a Deo.* Pro *teſtamento*, Græce legitur, διαθήκη, quæ vox, tum teſtamentum, tum pactum, ſeu pollicitationem ſignificat. Non debet autem abſurdum videri, quòd teſtamentum adſcribatur Deo: ſi prȩſertim addatur, *in Chriſto*, prout habetur in cod. Græco; ut ita optime inferatur, a Deo confirmatum eſſe teſtamētum, & pactum in Chriſto, in eius ſcilicet morte. Iuxta illud ad Hebræos. Hebr. 9. *Vbi enim teſtamentum, mors vt intercedat teſtatoris neceſſe eſt.* Et in Chriſto, in eius ſcilicet morte confirmatum eſt teſtamentum, ſeu pactum factum a Deo Abrahæ. Vnde Theodorus Theodor. inquit, vetus quoque ſcriptura vocat Dei teſtamentum, promiſſionem, quæ facta eſt Abrahæ: nihil ergo ei addi, vel minui poteſt, aut infirmari per legē.

K *Propter tranſgreſſionem poſita eſt.* Inquit, vt homines auerterētur a peccato, lex propoſita eſt; vt, ſi non ab omnium, ab aliquorum ſaltem tranſgreſſione prohiberet. Et etiam (ſecundum Auguſtinum, Auguſt lib. de Perf. Iuſti. in lib. de perfec. Iuſt. hominis) vt abundaret delictū, & ita ad gratiam implorandam homo manuduceretur. Siquidem fuit lex, vt pædagogus, inſtruens hominem de ſuo miſero ſtatu, ipſumque prouocans, & trahens ad Deum.

L *Ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Ipſius ſcilicet Moyſi, qui fuit ſequeſter inter Deum, & populum. Mediator autem legis ad hoc fuit, vt lex obſeruaretur a populo. Quod nonnulli referunt ad Chriſtum, in cuius manu fuerit ordinata lex, vt per ipſum adimpleretur, & ab ipſa homines liberarentur.

M *Mediator autem vnius nō eſt; Deus autem vnus eſt.* Aut ſic interpretandum; quòd Chriſtus non eſt mediator vnius, cum opus ſit, vt mediator ad duo referatur, & ideo mediator inter Deum, & homines, reconcilians nos Deo. Illud vero: *Deus autem vnus eſt*: Nonnulli ſic explicant: Idem eſt Deus reconcilians, & cui fit reconciliatio: Quidam autem ſic, Chriſtus, qui mediator eſt, non eſt vnius naturæ, vel ſubſtantiæ, ſed duplicis, humanæ ſcilicet, & diuinæ. At Adamus Sasbout cenſet, his verbis, Adamus. *mediator vnius non eſt*, ſignificari Moyſem, qui non eſſet vnius voluntatis, & decreti, & conſilij; ſed mutabilis, vt qui eſſet homo: Deus autem in ſua voluntate eſt immutabilis. Ambroſius autem interpretatur, inter vnum aliquem populum, mediatorem nō Ambr. c. 3. eſſe; ſed inter duos; nempe inter Gentilem, & Iudaicum, quos Chriſtus (abolēdo ea per quæ duo hi populi diſſidebant, auferendo a Gētibus numerum Deorum, quod erat ſcandalum Hebrȩis, & a Iudȩis opera legis, quę Gentes abominabātur) inter ſe reconciliauit, & ambos inter ſe reconciliatos reconci-

liauit

liauit Deo. Quam interpretationẽ attulit etiã Gen-
Geonad. nadius, referente Oecumenio. Aduertendum au-
1. Tim. 2. tem in epiſt. ad Timoth.ſermonem eſſe de vno me-
diatore,dum dicitur: *vnus enim Deus, vnus & me-
diator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus.* Hic au-
tem ſimpliciter mediator proponitur, & non dici-
tur,quod ſit,vnus,ſed quòd non eſt vnius. Forte,cum
dixerit,quòd mediator non eſt vnius,poſtea ſubiun-
xit, *Deus autem vnus eſt*, ad inſinuandum, quòd ſi
vnus Deus, vtique idẽ eſt, qui legẽ tulit,& fecit pro-
miſſa Abrahæ. Debet igitur manere firma eius pro-
miſſio;& non fieri irrita per legem,ſiue ſit ſermo de
Chriſto mediatore, ſiue de Moyſe; de quo ſimpli-
cior,& magis ad litterã accõmodata videtur eſſe ex-
poſitio. Cui accedit etiam Theodoretus,inquiens:
Theodor. *Non eſt mediator vnius: interceſſor enim inter popu-
lum & Deum: Deus autem vnus eſt, qui dedit & pro-
miſſionem, & legem ſtatuit: non enim alius Deus illa
diſpenſauit; illa vero alius.*

Chryſoſto. N *Lex ergo aduerſus promiſſa Dei?* Id videtur cõ-
ſequi ſecundum Chryſoſtomũ ex eo, quod dictum
eſt, quòd lex affert maledictionem, quæ contraria
eſt benedictioni promiſſarum. Dubitat autem me-
rito Apoſtolus, num lex irritum faceret promiſſum,
tanquam exiſteret contra legem. Et negat, promiſ-
ſum eſſe contra legem. Sed & ait,quòd lex nõ con-
fert promiſſum:vnde ſubiungit:*ſi enim data eſſet lex,
quæ poſſet viuificare,vere ex lege eſſet iuſtitia.* Ad quæ
ita ſubinfert Chryſoſtomus:*non eſt lex aduerſus pro-
miſſa, cum non poſſit viuificare.* & ſic integra ſunt
permanentia promiſſionis. Poſſet etiam ita fieri in-
terpretatio, quòd lex non eſt cõtra promiſſa; quin
immo eiuſmodi eſt, quòd ſi data eſſet cum facul-
tate viuificandi,vere ex lege eſſet iuſtitia;vti illa,quæ
ſtatuerit ea,quibus promiſſa obtinentur. Non poteſt
autem viuificare, quoniam non præbet virtutem
operandi ea, quæ præcipit:ipſa tamen lex non iubet
niſi iuſta, & nil affert aduerſus promiſſa. Illud vero
dictum,quòd *vere ex lege eſſet iuſtitia*,ſignificat dif-
ferentiam inter iuſtitiam ex fide, & eam, quæ eſt ex
Rom. 4. lege, quæ coram hominibus poteſt eſſe,ſed non co-
ram Deo,vt dicitur in epiſt. ad Rom. *ſi enim Abra-
ham ex operibus legis iuſtificatus eſt, habet gloriam,
ſed non apud Deum.*

Græ.expoſ. O *Sed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato.* Vel
omnes (vt Græci exponunt) lex arguit eſſe peccato-
Rom. 3. res. Iuxta illud ad Roma. *omnes enim peccauerunt, &
egent gloria Dei.* Vel lex ita omnia ſtatuit, vt ſi non
obſeruentur,peccata committantur;cum lex ad hoc
Rom. 15. fuerit inſtituta, vt per ipſam homo cognoſceret,
quòd incideret in peccata ob legis tranſgreſſionem.
Aduertendum autem in epiſt. ad Rom. hanc ean-
dem ſententiam aliter haberi, vbi dicitur: *concluſit
enim Deus omnia in incredulitate.* Et quomodo hæc
ſententia cõueniat, aut diſcrepet ab hac alia, in eadẽ
epiſtola ad Roma. in Adnot. P, cap. 11. explicatũ eſt.

P *Prius autem quàm veniret fides.* Vel Chriſtus,
vt exponunt nonnulli. Vel explicata de Chriſto fi-
dès, prius quàm ipſe cõſommaſſet oblationem pro
redemptione mundi, *cuſtodiebamur concluſi in eam
fidem, quæ reuelanda erat.* Id de Iudæis præcipue in-
telligẽdum eſt; qui ſub lege cuſtodiebantur,ne pec-
cata committerent, circumſcripti illa ſepe, de qua
apud Matth. idque per legem,de qua paulo ante di- Matth. 21.
ctum eſt,quòd poſita fuit propter tranſgreſſionem;
id eſt, vt cautos illos redderet, ne transgrederentur
legis mandata, ob penas in ea comminatas. Turrim
autem eiſdem ædificauit Deus; dum Iudæis dedit
Prophetas,procul,& de longe proſpicientes. Am-
broſius autem, *turrim*, verticem legis interpretatur. Ambr.
Aut ſorte turris appellatur; quoniam hic reſpicien-
dum erat in Saluatorem. *Concluſi in eam fidem, quæ
reuelanda erat.* Siquidem illis omnia contingebant
in figura vt dicitur in priori epiſt. ad Corint. conclu- 1. Cor. 10.
ſi autem dicebantur in fidem, id eſt, implicite con-
cluſi; quoniam ad hanc Chriſti fidem lex induce-
bat homines,cum finis legis ſit Chriſtus;quæ fides, Rom. 10.
qualis nam eſſet,poſt Chriſti aduentum atque con-
ſummationem manifeſtata eſt. Et ita reuelata eſt fi-
des, quæ antea manebat ſub nube. De quo etiã ex-
plicatius in epiſto. ad Rom. in Adnot. M capitul. 1.
actum eſt.

Q *At vbi venit fides, iam non ſumus ſub pæda-
gogo.* Fides explicita aduenit, poſt Chriſti conſum-
mationem. Quæ fides, per baptiſmum, reddidit ho-
mines liberos a maledictione, & a pędagogia legis,
grauiter inſtruẽtis,atque plectentis omnes ſibi ſub-
iectos;vt filij Dei euadant,quicunque baptizati ſunt
in Chriſto, eum induentes, ita vt non amplius ſub
nube, ſed ſub reuelata fide conſiſtant,ſcientes,quo-
modo vere ſint liberi a peccatis per Chriſtum verũ
noſtrum liberatorem,atque Redemptorem;& quo-
modo per ipſum ad æternam ducantur beatitudi-
nem: quæ quidem omnia ante Chriſti conſumma-
tionem,non ita patebant.

PARAPHRASIS. Cap. IIII.

DIco autem (vt inſtitutus ſermo
de legis pędagogia magis pateat)
quòd quanto tempore hęres par-
uulus eſt,nihil differt a ſeruo, ta-
metſi bonorum omnium ſit do-
minus,ſed ſub tutoribus,& acto-
ribus eſt vſque ad tempus hæreditatis adeundæ ſibi
præfinitum à Patre. Ita & nos, cum eſſemus paruu-
li, nondum in fide roborati, & ad Deum cognoſcẽ-
dum non Idonei, per legem, obſeruationibus ob-
ſtricti rerum viſibilium, ſub elementis mundi era-
mus ſeruientes in ſacrificijs, & alijs huiuſmodi ob-
eũdis. At vbi venit plenitudo temporis, in quo pla-
cuit Deo,profundere benedictionem Abrahæ pro-
miſſam, erga genus humanũ,multis præmiſſis,quæ
ad noſtram conferebant redemptionẽ,tum demum
emiſit Deus filium ſuum factum ex muliere,factum
itidem ſub lege:cuius obſeruantionibus vltronee ſe
ſubiecit, vt eos,qui legis ſeruitute obſtricti erant,ab
ea redimeret: vt ita liberi effecti,in filiorũ Dei ado-
ptionem reciperemur. Quoniam autem eſtis filij
Dei,in huius rei teſtimonium,emiſit Deus ſpiritum
filij ſui in corda veſtra,clamantem Abba,pater:quæ
vox non niſi a filio ad patrem emitti ſolet, Quare,
quicunque ſpiritum hunc accepit,iam non amplius
eſt ſeruus, ſed filius: quòd ſi filius, etiam hæres eſt

Dei,

Dei,per gratiam Dei,Chriſto mediatore; qui nobis tantam beatitudinem comparanit. Sed tūc quidem vos, priuſquàm Chriſti fidem, Deique ſpiritum reciperetis, ignorantes Deum, ſeruiebatis ijs (qui natura non ſunt Dij) Idolis, ac falſis Dijs. Nunc autem cum cognoneritis per lumen fidei Deum: vel (vt rectius loquar) cum ſitis cogniti a Deo, qui ex dono fidei in eorum numero vos vocatos recepit, quos etiam nouit vt ſuos; quomodo iterum conuertimini ad infirma, & egena elementa? ad earum rerum obſeruationes, a quibus (cum gratiam non conferrent) expectari iam antea ſalus nō poterat; & nunc multo minus poteſt poſt Chriſti conſummationem: Quibus tamen denuo ſeruire vultis. Dies obſeruatis,& menſes,& tempora, & annos; vt antea,cum Gentes eſſetis Deum ignorantes, facere ex magna ſuperſtitione conſueueratis. Siquidem hæc conſimilia ſunt legalium ceremoniarum obſeruationibus. Verum fateor, timeo de vobis, ne incaſſum pro vobis laborauerim. Eſtote vt ego, qualis nunc ſum, legis ceremonijs non amplius ſubiectus; quando & ego olim fui, quales modo eſtis vos fratres, inſtitutionum legalium acer æmulator. De hoc obſecro vos, nullaque cauſa eſt, cur mihi non obſequamini, denuncianti vobis, quę ueſtrę conferunt ſaluti. In nulla quippe re mihi iniuriam intuliſtis: quin vos ipſi noſtis, quòd a principio, ex infirmitate carnis, multis oppreſſus afflictionibus, euangelium vobis prædicaui; & tentationem veſtrā, quæ ob afflictionem carnis meę vobis contingeret, non ſpreuiſtis, neque reſpuiſtis; ſed ſicut Angelum Dei ſuſcepiſtis me; ſicut Ieſum Chriſtum. Quæ igitur beatitudo veſtra? nonne hęc a vobis cenſebatur, ꝙ euangelij Chriſti pręd:cator ipſe vobis aduenisſem? Teſtimonium enim hoc perhibeo vobis, quia ſi fieri poſſet, oculos vel ipſos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi, in pręclarum eximij veſtri in me amoris teſtimonium. Vnde igitur tanta mutatio? Ergo inimicus vobis factus ſum, verum vobis dicens? Æmulantur vos (mihi credite) nonnulli, ac veſtrę ſalutis ſtudio ſe teneri pręſeferunt; at non recto animo: ſed illud ſtudent, excludere vos a Dei gratia, & a vera Abrahę filiatione; eo nempe cōſilio, vt vos ęmulemini ipſos, alijs pręceptoribus illos pręferendo. Bonum autem eſt ęmulati ſemper in bono, & non ſolum id præſtare, dum pręſens ſum apud vos. Filioli mei, quos iterum parturio, partus dolores pro vobis ſuſcipiens, donec in vobis Chriſtus perfecte formetur, qui finis eſt meę parturitionis. Vellem autem pręſens eſſe modo apud vos, & mutare vocem meam, a blandis verbis, in querelam conuerſam, & in luctum. Quandoquidem confundor, & anceps admodum ſum animo de vobis. Dicite mihi, qui ſub lege vultis eſſe, legem non legiſtis? ſcriptum eſt enim in lib. Geneſ. quòd Abraham duos filios habuit, vnum de Ancilla Agar, & vnū de libera. Sed, qui de Ancilla, Iſmael nomine, ſecundum carnem natus eſt, cum ipſum ex Agar iuuencula ſuſceperit Abraham, valens ſecundum ordinem naturæ filios ex ea gignere? Qui autem de libera, ipſe Iſaac, ſecundum promiſſionem factam Abrahæ, dono ipſi datus eſt a Deo, cum Sara non eſſet apta ad concipiendum, cum iam ob ætatem deſiſſent ei fieri muliebria, atque ſterilis naturæ eſſet. Quæ quidem ſecundum allegoriam ſunt dicta, ad rerum ſcilicet aliarum ſenſum, & intellectum hunc in modum referenda. Siquidem his duabus Abrahæ vxoribus, duo Dei teſtamenta deſignantur. Vnū quidem latum in monte Sina, in ſeruitutem generans, quotquot ad legis mandata, atque, ceremonias obſtringebantur; quod per Agar ancillam deſignatur. Siquidem, & Agar nomen eſt montis Sina in Arabia; huicque correſpondet per ſimilitudinem illa, quæ nunc viget terreſtris Ieruſalem, quæ, una cum filijs ſuis Iudæis, prædictæ ſeruituti legis obſtricta eſt. Suprema autem Ieruſalem, vti illa, quæ filios ſecundum ſpiritum a Deo procedentem gignit, libera eſt, ab omnique ſeruitute ſeiuncta, & hęc quidem omnium noſtrum eſt mater. Nam ſcriptum eſt apud Eſaiam. Lętare ſterilis, quę non paris; erumpe, & clama, quæ non parturis: quoniam multi filij deſertę magis quàm eius, quę habet virum. Nos autem, fratres, filij ſumus Dei, iuxta modum Iſaac; qui per promiſsionem Abrahę natus eſt. Sed quomodo tunc Iſmael filius ancillę, qui ſecundum carnem natus erat, perſequebatur eum, qui ſecun- ſpiritum ex fide erat, illi imponere volens: ita & nunc, qui ſunt carnales, neque Abraham ſecundum fidem & ſpiritum imitantur, perſequuntur eos, qui ſecundum Dei ſpiritum creati ſunt. Sed quid dicit ſcriptura in lib. Gen.? Eijce ancillam, & filiū eius: non enim hęres erit filius ancillę vna cum filio liberę. Itaque fratres, cum ſecundum ſpiritum ſimus ex fide regenerati, non ſumus ancillę filię, ſed liberę, qua libertate Chriſtus nos liberauit.

Editio vulgata.

DIco autem, quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt a ſeruo, cum ſit dominus omnium, ſed ſub tutoribus, & actoribus eſt vſque ad præfinitum tempus a patre: & ita nos, cū eſſemus paruuli, ſub elementis mundi eramus ſeruientes. At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege: vt eos qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorū reciperemus. Quoniam autem eſtis filij: miſit Deus Spiritum filij ſui in corda veſtra clamantem: Abba, Pater. Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius. Quòd ſi filius, & hæres per Deum. Sed tunc quidem ignorantes Deum, ijs qui natura non ſunt dij, ſeruiebatis. Nunc autem cum cognoueritis Deum, immo cogniti ſitis a Deo, quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuo ſeruire vultis? Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos. Timeo vos, ne forte ſine cauſa laborauerim in vobis. Eſtote ſicut ego, quia & ego ſicut vos: fratres obſecro vos Nihil me læſiſtis. Scitis autem quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis iampridem, & tentationem veſtram in carne mea non ſpreuiſtis, neque reſpuiſtis, ſed ſicut angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum. Vbi eſt ergo beatitudo veſtra? Teſtimonium enim perhibeo vobis, quia ſi fieri poſſet: oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi. Ergo inimicus

vobis

vobis factus ſum, verũ dicẽs vobis? Aemulãtur vos nõ bene: ſed excludere vos volunt, vt illos æmulemini. Bonũ autẽ æmulamini in bono ſemper, & nõ tantũ cũ pręſens ſum apud vos. Filioli mei, quos iterũ parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Vellẽ autẽ eſſe apud vos modo, & mutare vocẽ meã: quoniã confundor in vobis. Dicite mihi qui ſub lege vultis eſſe, legem non legiſtis? Scriptũ eſt enim, quoniã Abraham duos filios habuit, vnũ de ancilla, & vnũ de libera. Sed qui de ancilla, ſecundũ carnẽ natus eſt: qui autẽ de libera, per repromiſſionẽ, quæ ſunt per allegoriã dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta, vnũ quidẽ in mõte Syna, in ſeruitutẽ generans, quæ eſt Agar (Syna enim mons eſt in Arabia: qui coniunctus eſt ei, quæ nunc eſt Ieruſalẽ,) & ſeruit cũ filijs ſuis. Illa autẽ quę ſurſum eſt Ieruſalẽ, libera eſt: quæ eſt mater noſtra. Scriptũ eſt enim: Lætare ſterilis, quæ nõ paris: erũpe, & clama, quæ non parturis: quia multi filij deſertę, magis quàm eius quæ habet virũ. Nos autẽ fratres ſecundũ Iſaac promiſſionis filij ſumus. Sed quomodo tunc is, qui ſecundũ carnẽ natus fuerat, perſequebatur eũ qui ſecundũ ſpiritũ, ita & nunc. Sed quid dicit ſcriptura? Eijce ancillã, & filiũ eius: nõ enim hęres erit filius ancillę cũ filio liberę. Itaque fratres, nõ ſumus ancillę filij, ſed liberę, quæ libertate Chriſtus nos liberauit.

ADNOTATIONES.

A DICO autem quãto tempore hęres paruulus eſt. Promiſſa fuit Abrahę in Chriſto hęreditas, ſed nõ collata, niſi poſt Chriſti fidẽ cõſummatã; lataq; lex fuit poſt promiſſionẽ factam Abrahæ: qua lege cuſtodiebãtur Iudęi ſub pędagogo, & ſi futuri eſſent hæredes, alio tamen modo gubernarẽtur tãquã minores, & paruuli in ſcientia, dum deducerentur ad Chriſtũ, & ad hęreditatem; alio vero modo ſe haberent poſt ſuſceptã fidem. In lege itidem, vt paruuli, ſub vmbra, & cuſtodia regebantur, nondum apti frui hęreditate.

B *Sub elementis mũdi eramus ſeruientes:* Nempe, quatenus legales obſeruationes, nouilunia, & ſabbata (vt exponit Theodoretus) a ſole, & luna peragerentur, a quibus dies, nox, & ſeptimanę, & mẽſes, & anni pendent. Alij referũt ſimpliciter ad legem, tũ naturalem, tũ illã Moyſi. At proprie videtur ſermo eſſe de lege Moyſi, vt patet ex eo, quod dicitur: Deũ miſiſſe filiũ ſuum factũ ſub lege, vt eos, qui ſub lege erãt, redimeret. Vnde forte aptior eſſet interpretatio, ſi dixerimus, q́ Iudęi erant ſeruientes mũdi elementis: vt puta cęlo, in obſeruatione dierũ, ac menſiũ, iuxta ſolis, & lunæ decurſus; igni, in ſacrificijs; terræ, in cineris, & sãguinis aſperſione; & aquę, in ablutionibus. In ijs enim ceremonijs detinebantur Iudęi ex Dei prouidentia, ne ad Idololatriã cõuerterentur. Sed aduertendũ, in ep. ad Coloſſ. eſſe mẽtionẽ de elemẽtis, quatenus accipiũtur pro principijs, & elemẽtis humanę philoſophię: dũ dicitur; *videte, ne quis vos decipiat per philoſophiã, & inanem fallaciã. ſecundũ traditionẽ hominũ, ſecundũ elementa mundi.* In epiſt. autem ad Heb. accipiuntur elementa pro exordijs, & rudimentis fidei Chriſt. anę, dũ dicitur. *Rurſum indigetis, vt vos doceamini, quę ſint elementa exordij ſermonis Dei.*

Theodor.

Coloſſ. 2.

Hebr. 5.

C *Miſit Deus filium ſuum.* Ponderat Theodoretus, q́ Apoſtolus non dixit, miſit ipſum, vt naſceretur de muliere, vt diuinitatis miſſionẽ ſuſpicemur. Sed miſit natum ex muliere. Gręca autẽ vox, *ἐξαπέστειλεν*; innuere videtur vnigenitũ filiũ, qui ad extra venit, dum in propria venit, carnem humanã aſſumens, qui tamen ſemper erat in mundo. Qua voce vtitur etiã paulo poſt, loquens de Spiritu ſancto, dũ dicit *Miſit Deus ſpiritum filij ſui.* Qui etiã ſpiritus venit ad extra, cũ in forma rei viſibilis, aut columbæ, aut alterius rei apparuit. Circa illud autem, *factũ ex muliere.* Auguſtinus adnotat, mulierem accipi etiam pro fęmina, ita vt poſſit eſſe ſermo de virgine. Nam & de coſta viri dicitur in lib. Geneſeos, q́ Deus ędificauit eã in mulierem. Theophylactus autem cum alijs Gręcis animaduertit, Apoſtolum dixiſſe, *factũ ex muliere*, pro demolienda eorum hæreſi (inter quos Appelles) qui aſſerebant, Chriſtum ex elementis formaſſe ſibi corpus in aere, ac deinde per virginem, tanquam per canalem, tranſijſſe. Quod autem attinet ad illud, *factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret:* quòd Chriſtus fuerit factus ſub lege, hinc patet, inquit Theophylactus, & Oecumenius; quòd circumciſionem ſuſcepit, & alia legis munera adimpleuit; cum tamen immunis eſſet ab execratione legis. Illud vero, *vt eos qui erant ſub lege, redimeret:* Sunt qui interpretẽtur, de ſolis Iudæis eſſe dictum, quos a iugo legis, Chriſtus implẽdo legem, redemit. Græci autem cenſent, comprehendi etiam Gentiles, cum & ipſi redempti ſint ab execratione legis, cui ſubijciebamur omnes, vt dictum eſt in cap. præcedenti. Vnde, cum dicitur; Chriſtus nos redemit de maledicto legis; non intelligendum de ceremonijs legis, quibus ſubiecti non erant Gentiles, vt Iudæi; qui, per Chriſtum, & ab execratione legis, & ab onere legalium ceremoniarum ſimul exempti ſunt. Græcorum autem expoſitioni fauent ſubſequentia verba: *vt adoptionem filiorum reciperemus:* quæ pertinent ad Galatas, quibus ſcribitur, & conſequentes ad Gentiles: & ita non ſolum ad Iudæos. Quod etiã colligitur ex ijs alijs verbis. *Quoniam autem eſtis filij Dei:* Quibus quidem redemptionem factam a Chriſto ab execratione legis in ipſis Galatis, Apoſtolus ſignificat.

Theodor.

Aug. expoſ. epiſt. ad Galat.

Gen. 2.

Theoph.

Theoph.
Oecum.

D *Miſit Deus ſpiritum filij ſui.* Auguſtinus in tract. Euang. ſecundum Ioãnem, ex ijs Apoſtoli verbis deducit, Spiritum ſanctum procedere de filio: ſed & a Patre, cũ dixerit Apoſtolus in epi. ad Rom. *Quòd ſi ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſũ a mortuis.* Vnde & Patris, & filij idem eſſe ſpiritus apparet. Vocari autẽ idcirco cẽſet Aug. Spiritũ ſanctũ; *Quoniã (inquit) ſi de ſingulis etiã interrogemus; nõ poſſumus niſi patrẽ, & filiũ, ſpiritũ dicere, quoniã ſpiritus eſt Deus; id eſt, nõ corpus eſt Deus. quod ergo cõmuniter vocãtur, et ſinguli, hoc proprie vocari oportuit, & eũ, qui non eſt vnius eorũ: ſed in quo cõmunitas apparet amborũ.* Ex quo cõcludit, debere nos credere, q́ etiã de filio procedat ſpiritus sãctus, eũ filij quoq; ipſe ſpiritus dicatur. quod Chriſtus ſignificauit, cũ poſt reſurrectionẽ *inſufflauit ĩ diſcipulos, dicẽs: accipite Spiritũ sãctũ, etc.*

August. in Ioan 99.

Rom. 8.

Ioan. 4.

E *Immo cogniti a Deo:* Corrigit prius dictũ: *nũc cognoſcẽtes Deũ*, ĩ hoc cõmorãs: *Immo cogniti ſitis a Deo:* vt hic innueret Apoſtolus, q́ niſi Deus prius nos cognouiſſet, vt vocatione ſua dignos nos faceret; vtiq; ad Dei notitiã nõ perueniſſemus: præſtãtius autẽ eſt cognoſci a Deo, quàm Deũ cognoſcere. Nã qui co-

Ioan. 20.

gnitus eſt a Deo, gratus, & amicus Dei cenſendus
Math. 7. eſt, vt iuſtus: nam iniquos ipſe non nouit. Iuxta illod
in Euangelio de peccatoribus: *at ego non noui vos.*

F *Conuertimini iterum ad infirma & egena ele-
menta*, Iis vrget Galatas, tanquam deditos idolola-
triæ, vt qui ſeruirent elementis, adorando ſolem, lu-
nam & huiuſmodi, & ſuperſtitionibus plurimis im-
plicati eſſent, circa obſeruationem dierum, mẽſium,
annorum, & temporum. Vnde grauiter increpat ip-
ſos, quòd cõuerterentur ad priſtinas Gentilium va-
nas ſuperſtitiones: quandoquidem ſimilia ſectari di-
cẽdi ſunt, qui, iuxta ritus, & ceremonias Iudæorum,
inuoluerentur in obſeruatione menſium, & ſabba-
torum, & huiuſmodi: quæ dicuntur ab Apoſtolo,
infirma, & egena elementa: infirma quidem, quo-
niam non poterant ſecundum conſcientiam perfe-
Hebr. 9. ctum facere ſeruientem; vt dicitur in epiſt. ad He-
bræos: *egena* vero, vt quæ gratiam non largirentur,
neque continerent: quod de illis ceremonijs Iudai-
cis, præſertim dicendum eſt, poſt Chriſti conſumma-
tionem; per quam factum eſt, vt non amplius illæ
ceremoniæ præſeferrent eas ſignificationes, quas
Cyril. prius continebant circa Chriſti myſteria. Cyrillus
autẽ (vt citat Oecumenius) dixit, appellati ab Apo-
ſtolo, *elementa mundi*, particulas vniuerſi, *egena au-
tem, & infirma*, dici, non propter abiectionem ipſo-
rum, ſed quoniam careant intellectu, vita, & ſenſu.
Amb. c. 4. Ambroſius, per *elementa mundi*, intelligit ſolis, &
lunæ adorationes: obſeruare autem dies, accipit,
dum ſuperſtitioſe obſeruentur, qui nam dies ſint
faſti, & nefaſti: tempora vero obſeruare, vt negare
aliquid in initio Veris fieri oportere, & ſimilia. An-
nos autem obſeruare, vt dicare initium anni Iano
Bifronti. Præſtat autem interpretari, quòd Apoſto-
lus ſimul miſcuerit obſeruationes dierum & tem-
porum ſecundum gentilitatem, & etiam ſecundum
ritus Iudæorum (qui, vti dictum eſt, poſt Chriſti
conſummationem, vanæ ſuperſtitiones effecti ſunt,
quin & mortiferi poſt publicatum Euãgelium) hinc
vrgens Galatas, tanquam iterum reuertentes ad pri-
ſtinas gentilitatis, & Idololatriæ ſuperſtitioſas con-
ſuetudines. Aduertendum autem, cum, in lege vete-
ri, obſeruationes feſtorũ eſſent ſignificantes ea, quæ
circa Chriſtum, & ſalutem noſtram erant futura;
idcirco, poſt Chriſti conſummationem (cum ſignifi-
cata in illis ceremonijs fuerint adimpleta) eadẽ mox
obſeruare peccatum eſſe, & contra veritatem, quaſi
non aduenerint ea, quæ ſignificabantur. Apud vero
Chriſtianos, dies feſti celebrantur in commemora-
tione factorum Chriſti, & Sanctorum ſuorũ; vt hinc
accẽdamur ad Chriſti dilectionem, & ad eius, San-
ctorumque veſtigia imitanda: quæ quidem agũtur
varijs temporibus, prout vario tempore, quæ geſta
ſunt, repræſentamus, & commemoramus. Vnde &
Luc. 22. Chriſtus iuſſit fieri conſecrationem panis, & calicis,
in eius cõmemorationem. Et licet Sancti, ſerui Chri-
ſti, omnibus diebus, indifferẽter cultores Dei, vt de-
cet, ſe præſtant, attamen, cum communiter homines,
(etſi Chriſtiani) implicati rebus ſecularibus exiſtant,
idcirco, vt ſaltem diebus feſtis Deo ſeruientius, &
ſanctius inſeruirent, pia mater eccleſia inſtituit die-
rum feſtorum obſeruationem.

G *Eſtote ſicut ego, quia & ego ſicut vos*. Vt ſentit
Chryſoſtomus, alloquitur hoc loco Apoſtolus Iu- Chryſoſt.
dæos Chriſtianos, illos cohortans, vt velint eſſe con-
temptores legalium, ſicut & ipſe eſt: quando & ipſe
fuit, quales nunc ipſi ſunt, æmulator ſcilicet legis
Moſaicæ. Verum nil prohibet ſupponere, quòd ge-
neralis ſit ſermo ad omnes Galatas, non ſolũ ad eos,
qui eſſent ex Iudaiſmo; verũ etiam ad eos, qui eſſent
Gẽtiles; cum & ipſi in legalium obſeruatione impli-
cati eſſent. Quidam alij ſic interpretãtur; *eſtote ſicut
ego, quia & ego ſicut vos.* Id eſt: ſicut ego accõmoda-
ui me veſtræ gentilitati, iuxta illud ad Corint. factus 1. Cor. 9.
ſum ſicut Iudæus cum Iudæis, cum non habentibus
legem, quaſi legem non habens, cum infirmis, infir-
mus; ita & vos, accommodate vos meo inſtituto, vt
ſpernatis legalia, ſicut & ego ſperno.

H *Per infirmitatem carnis euangelizaui vobis*: In-
ſinuat ſecundum Chryſoſtomum, afflictiones, & Chryſoſt.
perſecutiones, quas paſſus erat; ſicuti; & in hoc ſenſu
accepit infirmitatem carnis in vtraque epiſt. ad Co-
rinth. Hieronymus autem interpretatur, *infirmitatẽ*, Hieron.
capitis dolorem, quo ſæpiſſime laborabat Paulus, &
hũc fuiſſe ſtimulum Satanæ, de quo in epiſt ad Co- 2. Cor. 12.
rint. licet etiam aliter, ſtimulum Satanæ, perſecutiõ-
nes illatas Apoſtolo a Iudæis interpretetur.

I *Quos iterum parturio*: His verbis eximiam oſtẽ-
dit mæſtitiam, qua angebatur, tãquam iterum partu- A
riens Galatas; id eſt, ad modum mulieris parturiẽtis
adlaborãs, donec formetur Chriſtus in ipſis, & ple-
ne eũ cognoſcant; cuius opera, atque virtute, abſque
legalibus obſeruantijs, ſalus acquiritur. Et cum ſub-
iungit, *vellem autem eſſe apud vos modo, & mutare
vocem*. inquit Chryſo. his verbis ſignificari ab Apo- Chryſoſt.
ſtolo, optare apud illos eſſe, vt eos fleret. Oecume- Occum.
nius hanc vocis mutationẽ interpretatur, quòd mo-
do horũ degenerationẽ deploraret; modo aliorum
collaudaret perſeuerãtiam. Forte perſiſtens Apoſto-
lus in metaphora parturientis, ait: optare apud illos
eſſe, & mutare vocem, ad modum parturientis, nem-
pe exclamãdo, dũ illos parturiret, vt formetur Chri-
ſtus in ipſis. Et id quidem, *quoniã confundor in vobis.*
Quidam aliter legunt. *Hæſito in vobis.* Græci habent,
ἀπορῦμαι ἐν ὑμῖν vt ſignificet in anguſtijs poſitũ ſe eſſe
pro illis, ſicuti pariitura mulier ſibi timet, incerta, an
proſpere fœtum edat, nec ne. Et his quidẽ verbis de-
notat Apoſtolus dolorem, & animi ſui dubitatiõ-
nem, qua pro ſalute Galatarum angebatur.

K *Dicite mihi*. In anguſtũ deducit Apoſtolus in-
genium eorũ, qui legis obſeruationibus addicti eſſẽt
ex hac conſideratione, quam ex ipſa lege deſumit.
Supponit enim, notũ illis eſſe debere ex Pentateuco
Moyſi: quòd Abrahã habuit duos filios inter ſe val-
de diſpares. Alterum de Agar ancilla, Iſmaelem no-
mine, progenitum ex potentia carnali, quæ ineſſet
Abrahæ ad prolem educẽdã de iuuencula. Alterum
vero ex Sara, vxore ſua libera, Iſaac, ex diuina pro-
miſſione datũ Abrahæ, dũ eſſet impotens ad prolẽ,
& Sara ſterilis, & cui per ætatem iam deſierant fieri
muliebria. Ex his igitur duabus fœminis, & filijs vtri-
uſque, docet Apoſtolus, per allegoriã, deſignari duo
teſtamenta, quæ Deus erga genus humanũ protulit.
Alterũ ſecundũ ſeruitutẽ terroris, & oneris multarũ
obſeruationũ ceremonialium, quãdo Iudæis data eſt
lex in monte Syna, cũ promiſſione bonorũ tempo-
ralium.

ralium. Alterũ vero ſecũdũ promiſſionẽ cęleſtis hæreditatis in ſumma libertate poſitũ, quod teſtamẽtũ deſignari, ait, per Sarã liberã, filios liberos generãtẽ, qui pertinẽt ad verã hæreditatẽ. Aliud vero teſtamẽtũ in ſeruitutis compedibus coarctans, denotari, per Agar ancillã, filios in ſeruitute generãtẽ. Cui reſpondet Ieruſalẽ terrena, quæ pertinet ad Iudęos adhuc legis ſeruituti adhærẽtes: quẽadmodũ in Sara Ieruſalẽ libera deſignatur. His autẽ ita ſuppoſitis, Apoſtolus percõtatur Galatas, num velint eſſe ſub teſtamẽto ſeruitutis, obſtricti oneri legaliũ obſeruationum? & lũge ab hęreditate remoti; an potius ſub teſtamẽto libertatis, per quod, filijs iam ereptis a ſeruitute, hæreditas cœleſtis eſt deſtinata. Verũ adnotandum eſt, ad illa verba: *vnum quidem in monte Syna in ſeruitutem generans, quæ eſt Agar*; Subiungi a græcis Expoſitoribus, hæc alia: *Agar enim Syna mons* Græ. ſchol. *eſt in Arabia*: hincque Græcanica ſcholia ſupponunt, Agar, lingua Arabica, appellari *Syna*, vnde, & ex nomine, & ex eo, quòd lata ſit lex in monte Syna in ſeruitute, denotari deducunt per *Agar*, teſtamẽtum ſeruitutis, filijs Iſrael factum in monte Syna. Illa autem verba, *qui coniunctus ei, quæ nunc eſt Ieruſalem*: Sunt qui ita interpretantur, dictum eſſe. *Ei, quæ nunc eſt Ieruſalem*: quoniã hæc eadem ciuitas olim Iebus, & Salem dicta ſit. Verum poteſt etiam interpretari, ita dictum eſſe, ad denotandum Populum Iudaicum inſeruientem legis obſeruationibus; idque, ad differentiam cœleſtis Ieruſalem, quæ ſurſum eſt, & æterna. Illud autem, *qui coniunctus ei, qui nunc eſt Ieruſalem*. Cum Arabia longiſſimo interuallo diſtet a regione, vbi ſita erat Ieruſalẽ; ideo non videtur accipi poſſe in eo ſenſu, vt dicatur eſſe coniunctus mons ſyna ipſi Ieruſalem. Atque ideo interpretandum, quòd ſit coniunctus, id eſt, ſimilis: Græce habetur, *συστοιχεῖ*, vt denotetur ſimilitudo, quę eſt inter Syna montem, quo ad ſeruitutem legis ibi latæ, & inter Ieruſalem terrenam legi inſeruientem: idque ſecũdum coniugata, de quibus eſt mentio in li. Top. apud Ariſt. in loco de Coniugatis: qualia ſunt, caſtitas, caſte, caſtus, & ſimilia, quæ inuicem ſibi reſpondent.

L *Quæ ſunt per allegoriam dicta*. Certiſſimum eſt, præter ſenſum hiſtoriæ, ſeu litteralem, contineri ſub allegoria, alium quoque ſenſum, qui dicitur typicus in priori epiſt. ad Corint. id eſt, figuratus: 1. Cor. 10. quatenus ſub figura vnius rei, per quandam ſimilitudinem, alia res ſignificatur: prout patet in exemplo Gen. 16. hic adducto de Agar ancilla, & de Sara libera, & de Gen. 21. natis earum. Nam re vera extiterunt hæ mulieres, & earum nati, vt refert hiſtoria Geneſeos; & nihilominus in harum rerum figura, tum populus Iudaicus, tanquam filius Agar, ſeruiens legi, tum Gentilis, tanquam filius Saræ, liber ab onere legis, & ereptus per Chriſtum a peccatis, ſignificabantur. Adeo Chryſoſt. quòd hiſtoria, quę (vt habet Chryſoſtomus in proœmio pſalmorum) eſt baſis, & fundamẽtum aliarum intelligentiarum, quę circa ipſam quadam contemplatione extenduntur, debet manere firma, vt ſubiecti in hiſtoria contenti, euerſio non ſuccedat: alioquin (inquit Chryſoſtomus) ſola allegoria, abſque hiſtoriæ veritate, remaneret. Veluti eſſet, appellare pro abyſſo dęmones, & pro dragone diabolum, vt idem animaduertit: hinc deducens, quòd allegoria ſola, nempe ſola res, ſub alterius rei ſimilitudine expreſſa (prout ſi draco diabolus appelletur) nõ debet nuda accipi; ſed habere etiã cõiunctã quandã cõtẽplationẽ, qua, iſta ſimilitudo explicetur. Ac ſimpliciter quidẽ allegoria accipitur, quatenus rebus nonnullis, & factis, alię res ſignificantur. Quòd ſi cõtingat, per facta huius ſeculi, ſignificari quæ ſunt futura in patria; hinc ſenſus allegoriæ, anagogicus a verbo *ἀνάγω* (quod, inter cętera, ſignificat etiã, ſubſtollo ſubueho) conſtituitur; ita dictus, quatenus, ab ipſis rebus præſentibus ſignificatio dirigitur ad ea, quæ ſunt futura. Quòd ſi & ex hiſtoria morũ inſtitutio deſumatur, ita ſermo moralis appellatur. Interdum etiã nominatur ſenſus ſpiritualis, ad differentiã carnalis: veluti eſt carnalis, ꝙ circũciſio fiat in carne pręputij: ſpiritualis autẽ, cũ intelligitur circunciſio cordis, quæ fit ſecundũ ſpiritũ. Ad hæc, poteſt cõtingere, vt ſermo hiſtoricus, ſeu litteralis, aut proprijs vocibus exprimatur, aut per metaphorã, per voces ſcilicet ab alijs rebus per ſimilitudinẽ deſumptas; vnde & metaphoricus, ſeu tropicus nuncupatur.

M *Is, qui ſecundum carnem natus erat, perſequebatur eũ, qui ſecundũ ſpiritũ.* Auguſt. in ſerm. de Iſaac, & Iſmaele ſupponit, cum ſcriptura dicit, quòd Iſmael luderet cum Iſaac (& hinc mota Sara dixerit, *eijce* Gen. 21. *ancillã hanc, & filiũ eius*) per luſũ illũ, ſignificari quãdã illuſionẽ, cũ maior eſſet Iſmael, & luderet cũ minori natu Iſaac; vnde q̃dã quaſi ſeductio denotatur.

PARAPHRASIS. CAP. V.

IN ea igitur libertate, ad quã Chriſtus vos vẽdicauit, ſtate, in eaque vos manutenete: & nolite iterũ iugo ſeruitutis detineri. Ecce ego Paulus, denuncio vobis, quoniã, ſi circuncidamini, Chriſtus nihil vobis proderit. Teſtificor autem rurſus omni homini circuncidenti ſe, ꝙ vniuerſæ legis faciendę debitor conſtituitur. Euacuati eſtis a Chriſto, a fructu eius meritorũ, qui in lege iuſtificari pręſumitis; a gratia Chriſti excidiſtis. Nos enim ſpiritu, quo in Deum tendimus, ſpem iuſtitię expectamus. Siquidẽ in Chriſto Ieſu, pro ſalute, atq; hæreditate obtinenda, neq; circũciſio aliquid valet, neq; pręputiũ, ſed fides, quę per charitatẽ operatur. Currebatis bene: quis vos impediuit veritati nõ obedire? nemini conſenſeritis. Perſuaſio hæc, per quam ad legis obſeruãtiã trahimini; certe nõ eſt ex eo, qui vos vocauit. Modicũ fermẽti totã maſſã fermentat, atq; corrũpit. Cõfido autem de vobis in domino, ꝙ nil aliud ſapieris, quod ſit alienũ a vocatione veſtra priſtina. Qui autẽ cõturbat vos, portabit iudiciũ, quicunq; is ſit. Ego autẽ fratres, ſi adhuc circũciſionem pręđico, vt mihi obijcitur a nonnullis; quid adhuc perſecutionẽ patior? quæ aduerſus me excitatur, ex eo quòd circũciſionẽ irritã factã eſſe per Chriſtum prędicẽ? igitur euacuatũ eſt ſcãdalũ crucis? quo cõturbãtur Iudęi, audiẽtes, per Chriſtũ, abolita eſſe legalia. Vtinã & abſcindãtur, qui vos cõturbant, vt ab hoc malo opere deſiſtãt. Vos etenim fratres, ĩ libertatẽ vocati eſtis; dũmodo hanc libertatẽ nõ detis in occaſionẽ carnis, vt illa abutamini, facientes carnis deſideria: ſed mutua charitate vobis inuicẽ ſeruite. Vniuerſa enim lex uno ſermone impletur. Diliges proximũ tuũ ſicut te ipſũ. Si autẽ vos inuicẽ mordetis,

tis,& comeditis, videte ne inuicẽ cõſumemini. Dico autem, in Chriſto, ſpiritu ambulate, & carnis deſideria non perficietis. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem; atque inuicem ſibi ita aduerſantur, vt nõ quęcunque vultis, illa faciatis. Quòd ſi ſpiritu ducimini, nõ eſtis ſub lege, quæ pęnam ſtatuit aduerſus malefactores. Manifeſta autem ſunt praua opera carnis; quę ſunt, fornicatio, immũditia, impudicitia, luxuria, idolorũ ſeruitus, veneficia, inimicitię, rixę, diſſẽſiones, ſectę, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia. Quæ prędico vobis, ſicut & prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Fructus autem a ſpiritu prouenientes, ſunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mãſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas: Aduerſus hæc non eſt lex, cum huiuſmodi a lege non prohibeantur, neque horum factores, ſub legis minis, atque punitionibus continentur. Qui autem Chriſto ſe totos dediderunt, ij carnẽ crucifixerunt cum paſſionibus, atque concupiſcentijs, vt in opera carnis praua non conſentiant. Si ſpiritui viuimus (vt regenerati in Chriſto) demus operam, vt ſecundum ſpiritum ambulemus; & non efficiamur inanis gloriæ cupidi; non inuicem prouocantes; non inuicem inuidentes.

Editio vulgata.

STATE, *& nolite iterum iugo ſeruitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniã ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ. Euacuati eſtis a Chriſto, qui in lege iuſtificamini, a gratia excidiſtis. Nos enim ſpiritu ex fide, ſpem iuſtitiæ expectamus. Nam in Chriſto Ieſu neque circũciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides, quæ per charitatẽ operatur. Currebatis bene: quis vos impediuit veritati nõ obedire? Nemini cõſenſeritis. Perſuaſio, nõ eſt ex eo qui vocat vos. Modicũ fermentũ totã maſſam corrũpit. Ego confido in vobis in Domino; q nihil aliud ſapietis: qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicunque eſt ille. Ego autem fratres, ſi circunciſionem adhuc prædico: quid adhuc perſecutionem patior? Ergo euacuatum eſt ſcandalum crucis. Vtinam & abſcindantur qui vos conturbant. Vos enim in libertatem vocati eſtis: fratres: tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem ſeruite inuicem. Omnis enim lex in vno ſermone impletur. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Quòd ſi inuicem mordetis, & comeditis: videte ne inuicem conſumemini. Dico autem: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum; ſpiritus autem aduerſus carnem: hæc enim ſibi inuicem aduerſantur: vt non quæcunque vultis illa faciatis. Quod ſi ſpiritu ducimini: non eſtis ſub lege. Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Fructus autem Spiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mãſuetudo, fides, modeſtia, cõtinentia, caſtitas. Aduerſus huiuſmodi non eſt lex. Qui autem ſunt Chriſti, carnẽ ſuã crucifixerũt cũ vitijs, & concupiſcẽtijs. Si viuimus ſpiritu, ſpiritu & ambulemus: Non efficiamur inanis gloriæ cupidi inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.*

ADNOTATIONES.

A STATE *& nolite.* Græci expoſitores præſens caput hunc in modum exordiuntur. *Qua ergo libertate Chriſtus vos liberauit, ſtate;* Et videtur optima cõiunctio ad hęc ſequentia; *Et nolite iterum iugo ſeruitutis contineri:* quibus verbis, videtur *iugum* denotari legis, de quo Petrus in Actibus. Act. 15. *Quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?* vbi inſinuatur, innumerabilia prope fuiſſe pręcepta circa ceremonias atque ritus legis. At diceret aliquis hoc loco, quomodo Galatæ dici poſſunt contineri iterum ſub iugo legis, cum ipſi non eſſent Iudęi? cui dubitationi ita occurrendum videtur; non dici ab Apoſtolo, *iugum legis,* ſed, *iugum,* ſimpliciter nominari: ſed & iugum quoque legis erat ſeruire peccatis, & ſubmittere ſe minis, & maledictionibus legis; cui iugo iterum ſubmittebant ſe Galatę, dum vellent ſequi legalia tanquam neceſſaria ad ſalutem, cum tamen per ea a peccatis non liberarentur. Vnde ſecundum Hieronymum, erat peccatum mortale, ſeruare legalia poſt Chriſti conſummationem. Hieron. Et ideo qui illa obſeruabant, dici poterant, quòd reuerterentur ad idololatriã. Secũdũ autẽ Auguſtinũ, ponendo ſpẽ Auguſt. ad Hieron. in illis obſeruationibus, reuertebantur iterũ ad iugum ſeruitutis, quo & Gentiles prius fuerant implicati, ſeruientes dijs non veris; qui etiã legi adhærentes, non gratiæ Chriſti, iam non liberarentur a maledictione legis, & a ſeruitute peccati per legem.

B *Debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ.* Chryſoſto. Circunciſio ſecum affert obligationem omnium legalium, vel per conſequentiam, vt notat Chryſoſtomus: quoniam circunciſio includit ſacrificia; hæc, ablutiones; hæ, obſeruationes tẽporũ. Aut, quoniã circũciſio erat ſignũ profeſſionis de ſuſcepta Iudaica religione, per quam profitebãtur legẽ ſeruare, quemadmodum hoc idem præſtat apud nos baptiſmus.

C *Nos enim ſpiritu ex fide, ſpem iuſtitiæ expectamus.* Vel ſpiritu ſancto (quem impetrat fides) expectamus ſpem iuſtitiæ; non legis obſeruantijs, vt interpretatur Chryſoſtomus. Chryſoſt. Alij exponunt, quòd per legis ſpiritualem intelligentiam, non per litteram, conſequimur ſpem iuſtitiæ: Aliqui etiam per *ſpem iuſtitiæ,* vitam æternam intellexerunt.

D *In Chriſto Ieſu neque circunciſio aliquid valet, neque præputium.* Id eſt, vt in Chriſto Ieſu incorporemur, nec quidpiam intereſt, vt aliquis ſit circũciſus, aut quòd in præputio exiſtat: *Sed fides, quæ per charitatem operatur.* Hinc pendet, vt ſimus in gratia Chriſti, & conſeruemur, ſi fidem cum operibus cõiunctis charitati habeamus. Quòd ſi dictũ eſt in epi. Rom. 2. ad Rom. *circuncíſio quidem prodeſt ſi lex ſeruetur.* Id quidem in eo ſenſu dictum eſſe in propria eius loci explicatione in Adno. cap. 2. animaduertimus, quatenus circunciſio intelligebatur facta nõ ſolum in carne, ſed etiã ſecũdũ ſpiritũ. Sed & ante Chriſti cõſummationẽ, haud dubiũ eſſe debet, quin obſeruare

Rom. 2. mãdatũ, quod erat in lege, vt circũciderẽtur Iudæi, proderat illis; ſi legis (vt dicitur ĩ eadẽ epiſtola) fuiſſent obſeruatores; quoniam ita Dei præcepto audientes fuiſſent in ſuſcipienda, cum proteſtatione fidei, circuncisione, quam Deus illis demãdauerat.

E *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Græci legunt, *fermentat*, id eſt, conſpergit: quam
Hieron. lectionem approbat Hieronymus, & exponit, quòd pauci impoſtores totam congregationem corrum-
Grę. Expoſ. punt. Alij (vt Græci expoſitores) interpretantur; quòd, paulum deficere a vera doctrina, ducit hominem alienum a tota.

F *Si circuncisionem adhuc prædico.* Aduerbium, *Adhuc*, græce ἔτι, pro, *Etiam*, & poſſet eſſe ſenſus; ſi etiam; id eſt, ſi vna cum Chriſto circunſionem etiam prædico, tanquam neceſſariam: quod tamen Apoſtolus numquam prædicauit. Aut ſic, ſi adhuc prædico circuncisionem, vt maleuoli calumniantur me prædicaſſe; & modo prædicare, quod falſiſſimum erat. Et licet Timotheum circunciderit, id egit per diſpenſationem ob tolerãtiam Iudæorum; non q̃ ſpẽ ſaluris in circũciſione ponendã ſtatueret.

G *Vtinam & abſcindantur, qui vos conturbant.* Vt vel pudenda ipſis abducantur, vt fiant ſpadones, neque amplius carnalia ſeminent. Vel abſcindantur a veſtro conſortio, vel a mala hac operatio-
Chryſoſt. ne. Aut ſecundum Chryſoſtomum, amputetur eis membrũ, vt ita ex ignominia corrigãtur, & ceſſent.

H *In libertatem vocati eſtis.* Non ita quidem vt poteſtatibus non ſubijciantur, cum oppoſita ſentẽ-
Rom. 13. tia lata ſit in epiſt. ad Rom. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Sed in hunc ſenſum, in libertatem vocati, vt non vltra ſubijciantur legis ceremonijs, nõ legis execrationi, maledictionibus, & minis. Sed & libertas maxima homini illi comparata dici poteſt, qui per ſpiritum Chriſti non amplius a paſſionibus ſeditionem patiatur, ſed libera ratio-
Chryſoſt. ne vtitur, cum ſpiritu ſe gerat, vt explicat Chryſoſtomus in epiſt. ad Eph. hom. 2 quod tamen non fit ad ſubitũ, neq; omnino pugna tollitur inter carnẽ, & ſpiritum, dum viuit homo in hac mortali carne.

I *Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpi-*
Theodor. *ritus autem aduerſus carnem.* Theodoretus per *carnem*, intelligit mentis inordinationem ad deteriora; per *ſpiritum* autem, gratiam inhabitantem. Et ſunt qui ita interpretantur: quòd caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, vt multa non faciamus, ad quæ incitat ſpiritus. Et cõtra de ſpiritu circa carnis operationes: & exemplum afferunt de Petro, qui, cum propoſuiſſet ſibi non negare dominum, poſtea tamen negauit, nõ conſtans ſibi in propoſito. Verum & per *ſpiritum* intelligi poteſt ipſa mens humana, quæ habet conſpicere, quæ conueniat agere; vt, ſi recte ſe gerat, hac ratione concupiſcat contra carnis deſideria: ſicuti & hæc militant aduerſus ſpiritum. Et hinc Manichæi dixerunt, carnem de ſe malam eſſe; quod eſt hæreticum dogma. Siquidem ex peccato primi parentis hanc maculam, & hoc incentiuum contraxit homo in carne, vt in ipſa excitarentur appetitiones aduerſantes rectæ rationi: quibus quidẽ modo adhæret ratio ſeducta a cõcupiſcẽtia, & modo ab illis ſe ſeiũgit, nõ eis cõſẽtiẽdo.

K *Vt non quæcunque vultis, illa faciatis.* Id ita intelligendum, quòd homo non agat, quæ vellet ex concupiſcentia, ob ſpiritus repugnantiam: vel non agat, quæ vellet ſpiritus, ob repugnantiã carnis. Aut intelligendum, quòd non agat homo, quæ vellet ſecundum ſpiritum, & ſecundum rectam rationem. Nollet enim vt inſurgerent in ipſo carnis incitamenta, & appetitiones prauæ. At id vitare non poteſt ob inhabitans in carne peccatum vt dicitur in epiſt. ad Rom. licet peccato nõ reddatur obnoxius, Rom. 7.
dum illis ſtimulis carnis ſuum non præbet, ſecundum rationem, conſenſum. Auguſtinus in ſerm. de Auguſt. de
verb. Dom. dicit hanc Apoſtoli ſententiam eſſe pe- verb. Dom.
riculoſam; cum nonnulli in prauum ſenſum acce- ſer. 43.
perint, referentes ſuorum ſcelerum culpam in carnis concupiſcentiam. At ipſe refert eam ad inſultus carnis contra hominis conſenſum, quos nollet homo ſentire, vt inſurgerent: & ita fiunt in ſuo corpore, quæ nollet, vt fierent. Et hæc pugna perpetua eſt (inquit) in hac vita in ſanctis; tandem erit, quòd caro (cum induerit immortalitatem) & ipſa volet, quæ ſpiritui ſunt cõſona, vt nulla amplius in ipſis pugna permaneat.

L *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Vel legem membrorum intelligit eam, quæ eſt aduerſaria legi ſpiritus, vt dicitur in epiſt. ad Rom. vel abſolute le- Rom. 7.
gem Moſaicam: quando, qui ſpiritu Dei ducitur, eſt liber ab execratione legis, & ab eius minis: quoniã (vt ſubiungit paulo poſt) lex non eſt aduerſus fructus ſpiritus. Non enim (vt dicitur in epiſt. ad Ti- 1. Timot 1
moth.) lex eſt poſita iuſto, quaſi hinc inducatur timore pęnarum ad recte viuendũ, qui, ob Dei amorem, rectam agit vitam: ſed cõtra peccatores, vt perterriti minis legis, deſiſtant ab operibus prauis. Quæ quidem ab Apoſtolo hic nuncupantur opera carnis: quoniam ex ipſis (iuxta carnis deſideria cõfectis) condemnatio cõtrahitur. Fructus autem ſpiritui attribuuntur, qui ex ipſo colliguntur: videlicet charitas, gaudium, pax, patientia, & alia huiuſmodi, ad quę conſequitur fructus æternæ vitę.

N *Carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs.* Theodoretus inquit: qui vna cũ Chri- Theodor.
ſto ſunt conſepulti peccato, mortem reddiderunt. Aut ita, crucifixerunt carnem cum vitijs, & concupiſcentijs, vt in ipſis deſint, tũ mala opera ſequentia ad prauas concupiſcentias; tum prauę concupiſcentię, quatenus illis non conſentiunt: non quòd mortem ſibi cõſciuerint, vt aduertit Theophylactus. ſed Theoph.
ipſam carnẽ mortificarunt, & in operibus vitioſis, & in aſſenſu concupiſcentiarum prauarum.

PARAPHRASIS. Cap. VI.

FRATRES, & ſi præoccupatus, & deprehenſus fuerit homo in aliquo delicto; vos, qui ſpirituales eſtis, non ſeruientes carni, hunc corrigentes, inſtruite, dantes operã, vt inſtauretur, atq; ſarciatur, ad priſtinum bonũ ſtatũ reuocatus, idq; in ſpiritu lenitatis, nõ cũ aſperitate; hinc cõſiderãs vnuſquiſq; ſeipſum, ac ſe te caute gerẽs, ne & ipſe ab huiuſmodi

rentatione deprehendatur. Alter alterius onera portate, in infirmitate, qua quiſque laborat, vos inuicem adiuuantes; & ſic vna omnes adimplebitis legem Chriſti, quæ mutuam in nobis exigit dilectionem. Nam, ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit ex ſe, niſi quatenus ex gratia Dei pendet, is ſe ipſum decipit, atque ſeducit. Vnuſquiſque autem examinet, & probet opus ſuum, non aliena opera penſet: & tunc in ſemetipſo ſolum gloriam habebit, vt decet: & non in altero, ad cuius comparationem iuſtificare ſe velit: vnuſquiſque enim ſarcinolam ſuam portabit, ac de factis proprijs reddet rationem. Communicet autem qui inſtruitur verbo atque prædicatione, ei, a quo inſtruitur, in omnibus bonis. Nolite errare, ſed recto pede incedite; Deus non irridetur; quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet; quoniam, qui ſeminat in obſequium carnis ſuæ, de carne & metet corruptionem. Qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitã æternam. Bonum autem operantes non deficiamus: tempore enim ſuo metemus, bonis operibus non deficientes. Igitur, dum tempus habemus, operemur bonum, ad omnes; maxime autem ad domeſticos fidei. Videte qualibus litteris ſcripſi vobis mea manu. Quicunque placere volunt hominibus ſecundum carnem, hi vos ad circuncſionem coarctant: & id tantum, vt crucis Chriſti perſecutiones non patiantur; Neque enim, qui circunciduntur, legem obſeruant; ſed volunt vos circuncidi, vt in veſtra carne (quòd opera ipſorum circuncidamini) glorientur. Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem & mihi crucifixus eſt mũdus iſte profanus, quem vt ſtercus reputo; & ego mundo, qui me odit. In Chriſto enim Ieſu, neque circuncſio aliquid valet, neque præputium; ſed noua creatura, quæ per baptiſmum ſit regenerata. Et quicunque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illis, & miſericordia, & ſuper Iſrael Dei. De cętero, nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto; ex quibus, Chriſti militem me eſſe, præclare vnuſquiſq; agnoſcere poteſt. Gratia Domini Ieſu Chriſti, ſit in ſpiritu veſtro fratres. Ameu.

Editio vulgata.

FRATRES, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Nam ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit: ipſe ſe ſeducit. Opus autem ſuum probet vnuſquiſque, & ſic in ſemetipſo tantum gloriam habebit, & non in altero. Vnuſquiſque enim onus ſuum portabit. Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui ſe catechizat, in omnibus bonis. Nolite errare: Deus non irridetur. Quæ enim ſeminauerit homo: hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſua: de carne, & metet corruptionem, qui autem ſeminat in ſpiritu: de ſpiritu metet vitã æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus, tẽpore enim ſuo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei. Videte qualibus litteris ſcripſi vobis mea manu. Quicunque volunt placere in carne: hi cogunt vos circuncidi, & tantum vt Crucis Chriſti perſecutionem non patiantur. Neque enim qui circunciduntur, legem cuſtodiunt: ſed volunt vos circuncidi, vt in carne veſtra glorientur. Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. In Chriſto enim Ieſu, neque circuncſio aliquid valet, neque præputium: ſed noua creatura. Et quicunque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſrael Dei. De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum ſpiritu veſtro fratres. Amen.

ADNOTATIONES.

SI *præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto.* Græce παραπτώματι, quod eſt quid minus quàm, ἁμαρτία, & innuitur peccatum nõ proueniens a malitia, in quod aliquis, opera ſeductorum, fuerit inductus, quaſi incautus, vt falſæ doctrinæ adhæreat, vt explicat Hieronymus. Aut in genere accipitur delictum, in quod aliquis deprehenſus fuerit, qui quidem a ſpiritualibus viris eſt corrigendus cum lenitate, vt ad optiſſimum bonum ſtatum reducatur: id enim verbum, καταρτίζετε, ſignificat, quaſi coadunare, & reſarcire. A Hieron.

B *Conſiderans te ipſum.* Tranſtulit Apoſtolus orationem a pluribus, ad ſingularem perſonam, vt ita vnumquemque magis vrgeret, maiorem enim emphaſim habet hæc phraſis, quo magis quiſque in ſe ipſum reſpiciat,

C *Alter alterius onera portate.* Id eſt, peccata, & imperfectiones, quibus quiſque oneratur, & ab ijſdem ſubleuatur, ſi frater fratri cõpatiatur, illumq; moneat, & adiuuet. Et hæc quidem ſunt onera, quibus ſubiacet homo ad compatiendum proximo de infirmitatibus ſuis, cum ſint deinde alia onera reddendę rationis de omnibus, quæ quiſque geſſerit in hac vita,

D *Et ſic adimplebitis legem Chriſti.* Græce ἀναπληρώσατε; quo verbo ſignificari poteſt, quòd ſimul omnes adimplebunt, vt notat Chryſoſtomus: & Chryſoſt.
id præſtabitur, portãdo omnia onera proximorum, vti Chriſtus portauit noſtra. Aut intelligendum eſt, quòd adimplebitur lex Chriſti, & perficietur, exercendo charitatem erga proximos; ſicut ſignificauit Dominus dicens; *in hoc cognoſcent homines,* Ioan. 13.
quòd diſcipuli mei eritis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.

E *Communicet autem is, qui cathechizatur.* Theophylactus animaduertit, Chriſtum pręcepiſſe diſcipulis, accipere alimenta ob has omnes cauſas: ad humilitatem ipſorum, dum egerent præſidio eorũ, quos inſtruerent in fide. Item, ne impediretur prædicatio, dum opus eſſet illis neceſſaria prouidere: Et vt eorum diſcipuli gratos ſe præſtarent erga Theoph.

præ-

præceptores,& hinc aſſueſcerent vti charitate. Ac
denique,vt diſcipuli pauperes,æquo animo ferrent
paupertatem , cum & ab hac viderent præmi ſuos
præceptores Chriſti miniſtros.

F *Qui ſeminat in carne*. Id eſt, qui facit deſide-
ria carnis,(ſine carne enim vita hæc tranſigi nequit,
in qua tamen Chriſtianus,Dei auxilio ſuffultus, vi-
uere poteſt abſque quòd obtemperet carnis concu-
piſcentijs) *de carne & metet corruptionem*; quoniam
ſcilicet ex eo,quòd voluerit facere carnis deſideria,
hinc ad corruptionem æternæ damnationis , tan-
quam ad prouentum ſibi debitum,deducetur.

G *Metemus non deficientes*. Græce *μὴ ἐκλυόμενοι*.
Nam qui non perſeuerauerit,ſaluus non erit. Am-
Ambr. broſius legit , *non defatigantes* . Cui verſioni con-
Chryſoſt. ſentaneus etiam videtur Chryſoſtomi commenta-
rius , qui inquit , quòd talis erit prouentus , vt ſine
defatigatione accipiatur; & non cum ſudore, & la-
bore;prout accipitur meſſis cum labore , & ſudore
a cultoribus terrę.

H *Videte qualibus litteris ſcripſi* . Non ſcribebat
ſua manu epiſtolas Paulus , ſed dictabat alteri ſcri-
Rom. 16. bendas;vt patet ex illa ad Rom. *Ego Tertius,qui ſcri-
pſi epiſtolam* ; ſed ſolum apponebat ſalutationẽ ſua
manu ſcriptam. Verumtamen hanc pręſentem epi-
ſtolam vniuerſam ſuis digitis conſcripſit ; tum vt
Galatas certiſſimos redderet de ſua vera prędica-
tione;tum ut eiſdem patefaceret, quàm grauiter af-
fligeretur ob ipſorum ſalutem . Per hęc autẽ verba,
qualibus litteris , vel ſignificatur qualitas litterarum
Hieron. ſecũdum Hieronymũ,quibus ſcripſit, & ſi non bo-
Chryſoſt. nos characteres pingeret.Chryſoſtomus ait, defor-
mes vult deſignare litteras,quoniam non bene pin-
Auguſt. in ep. ad Gal. geret. Auguſtinus inquit,*qualibus litteris*,quoniam
aperte pluribus verbis meam ſententiam expoſui.

I *Quicunque enim placere volunt in carne*. Vti illi,
qui ſecundum carnem , non ſecundum ſpiritũ am-
bularent,gratiam aucupantes a Iudęis , dum prędi-
carent circuncisionẽ,prout illi optabant; idque ipſi
agentes , ne perſecutionem a Iudęis paterentur ex
Crucis Chriſti prædicatione: & ita volebant gloria-
ri in carne eorum,qui circunciderentur.

K *Mihi abſit, gloriari niſi in Cruce domini noſtri* Theoph.
Ieſu Chriſti . Hinc enim (vt adnotauit Theophyla-
ctus) vera gloria peruenit ad Chriſtianũ; quoniam
propter ipſum Chriſtus ſit affixus cruci ; a quo etiã
ad æternam gloriam eſt perducendus . Sed etiam
gloriari poterat Paulus in cruce Chriſti ; id eſt , in
proprijs paſſionibus , & aſſlictionibus , quas ob
Chriſtum toleraret.

L *Per quem mihi mundus crucifixus eſt , & ego
mundo* . Mundum illum intelligit , de quo dixit
Chriſtus : *regnum meum non eſt de hoc mundo:* Et vt Ioan. 18.
inquit Theophylactus præſentis vitæ bona , & glo- Theoph.
ria,& delitiæ , & reliqua , quibus mundus delecta-
tur,Paulo erant crucifixa, vt non vigerent , neque
quidpiam valerent apud ipſum : ſicuti & ille erat
crucifixus mundo per Chriſtum, cuius crucem , &
imitationem,quam prædicabat Paulus,mundus ni-
hili faciebat, neque audire volebat; adeo quòd , ne-
que bona mundi ipſum poterant comprehendere;
neque ipſe ad ea confugere volebat.

M *Et ſuper Iſrael Dei* . Id ad differentiam Iſrae-
lis ſecũdum carnem; iuxta illud ad Corinthios, *vi-* 1. Cor. 10.
dete Iſrael ſecundum carnem.

N *Ego enim ſtigmata Domini Ieſu porto*. Nempe
afflictiones,verbera,& huiuſmodi:ex quibus pote-
rat eſſe perſpicuum vnicuique , quòd Chriſto Pau-
lus totus eſſet addictus ; ac propterea hinc inſinua-
bat , quòd nemo facceſſere moleſtiam ſibi deberet,
tanquam ſuſpecto , quòd eſſet præco , & defenſor
circunciſionis,Chriſti gloriæ detractãs,quaſi quòd,
ſine circunciſione , Chriſti paſſio ad ſalutem credẽ-
tium non eſſet ſatis. Inſpiciant igitur (inquit) ſtig-
mata, quæ in corpore meo porto , Chriſti inſignia
referentia , & hinc cognoſcant , ac certi ſint , quòd
Chriſti ſectator,ac verus ſum miles , eiuſque nomi-
nis perpetuus propugnator.

ARGV-

ARGVMENTVM
IN EPISTOLAM
Sanctí Pauli ad Epheſios.

BEATVS Apoſtolus Paulus, quem continua ſolicitudo omnium eccleſiarum mi-
rifice diuexabat, cum, eius opera, Epheſii Chriſti fidem egregie ſuſcepiſſent, neque
ad eos accedendi ſibi facultas eſſet, eo quòd vinculis obſtrictus Romæ teneretur
(quas ſe paſſurum ab illis diſcedens, eiſdem denunciauerat, dum diceret, quòd non
Act. 20. amplius eius faciem eſſent viſuri) quamuis Timotheum eorum Epiſcopum con-
ſtituiſſet: attamen immenſa flagrans charitate; & ipſorum ſalutem mirifice
zelans, per epiſtolam eos inuiſere voluit, eo conſilio, vt ipſos in fide magis con-
firmaret; ſimulque animaret ad vitam ſine macula degendam cum mutua chari-
tate; nec non ad viriliter pugnandum (vt decet egregios Chriſti milites) aduerſus
omnes Diaboli aſſultus, pro æterna, & cæleſti illa hæreditate, ad quam eſſent
vocati. Atque ideo non conturbarentur, neque deficerent animo, etſi audirent eorum Apoſtolum, Doctorem
Gentium, coniectum in carcere; quaſi vero ob id proſpere non ſuccederet res Euangelij; cum potius hinc eius
veritas magis propalaretur, illuſtriorque redderetur. Prout per Tychicum fidelem Dei miniſtrum eis ſigni-
Epheſ. 3. ficauit. Nam (quòd e vinculis Apoſtolus hanc dederit epiſtolam, eius verba manifeſtant) dum inquit. Cuius
rei gratia ego Paulus vinctus Chriſti Ieſu pro vobis Gentibus. Et paulo poſt. Propter quod peto ne defi-
Epheſ. 5. ciatis in tribulationibus meis, pro vobis, quæ eſt gloria veſtra. Et rurſus. Vigilantes in omni inſtantia,
Epheſ. 6. & obſecratione pro omnibus ſanctis, & pro me, vt detur mihi ſermo in apertione oris mei, cum fidu-
cia notum facere myſterinm Euangelij, pro quo legatione fungor in catena iſta. Qui autem cenſuerunt,
Apoſtolum, cum hanc ſcriberet epiſtolam, de facie nondum Epheſios vidiſſe, facile errore duci arguuntur, tum
Act. 19. ex his quæ modo ſunt enarrata, tum ex illis quæ habentur in Act. Apoſt. Vbi dicitur, quòd veniens Paulus
Epheſum, inuenit ibi nonnullos diſcipulos, qui in Ioannis Baptiſmo tantummodo baptizati erant, & de Spiritu
ſancto nondum quidpiam acceperant; ſuper quos, in nomine Ieſu baptizatos, impoſitis manibus, cecidit Spiri-
tus ſanctus; vt ita linguis loquerentur, & prophetarent: ibique, per biennium, Paulus verbum Dei docuit in
Schola cuiuſdam Tyranni, mirasque virtutes eſt operatus. Vnde, cum poſt diſceſſum ab Epheſiis, catena
vinctus fuerit, de qua in hac epiſtola eſt ſermo, clare colligitur, hanc epiſtolam datam fuiſſe Epheſiis, poſtquam
eos viderat, & de Chriſti Euangelio eoſdem inſtituerat. Et huius ſententiæ fuiſſe Theodoretum, proſpiciet,
quicunque eius in hanc epiſtolam legerit argumentum. Illud vero, quod aduerſari huic ſententiæ videretur,
nempe, quòd Apoſtolus Epheſios alloquatur in initio epiſtolæ, tanquam illos, quos lateret gratia Apo-
Epheſ. 3. ſtolatus, quam Deus Paulo conceſſiſſet, dum inquit. Si tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ
data eſt mihi in vobis, quoniam ſecundum reuelationem notum mihi factum eſt ſacramentum,
ſicut ſupra ſcripſi in breui, prout poteſtis legentes intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti,
quod alijs generationibus non eſt agnitum, &c. Facile diluitur, ſi dixerimus: Apoſtolum non conſue-
uiſſe propalare reuelationes a Deo ſibi factas, ſed eas celabat ex humilitate, niſi quando aliter agere pro
ſalute fidelium expediret; vt fecit rem agens cum Corinthijs, & cum Galatis, vt pſeudo Apoſtolorum dif-
famationes aduerſus eius auctoritatem excitatas demoliretur; & dogmata veræ fidei a ſe prædicata apud eoſ-
dem confirmaret. Quod etiam maxime conueniens fuit, vt ageret cum Epheſijs, vt eos in fide magis roboraret,
ne deficerent animo, vt qui eſſent perterriti, ex eo, quòd catenis obſtrictus teneretur eorum præco atque magiſter.
Nam, quem tanta cum ſapientia illos per epiſtolam alloquentem conſpicerent, illum par erat, vt (tanquam veræ
fidei prædicatorem) pro certo ſequendum eſſe dignoſcerent, & nequaquam ab eius inſtitutis diſcedendum eſſe
ſtatuerent. Hinc epiſtola hæc ad Epheſios, ſenſibus valde profundis eſt referta, & altiſſima continet myſteria:
quibus palam inſinuatur, quòd Epheſij ad Chriſtianæ fidei culmen iam perueniſſent, vtpote effecti tales, quibus
ſolidus cibus conueniret, & vt eis eam ſapientiam propalaret Apoſtolus, quam loqui conſueuerat perfectis, vt
1. Cor. 2. dicitur in epiſtola ad Corinthios. Illud autem potiſſimum ipſis teſtatum eſſe vult, reuelata ſibi a Deo fuiſſe ea
myſteria, quæ vel ipſas poteſtates cæleſtes latuerunt; donec, per Apoſtolos Chriſti, Eccleſia conſtitueretur, per
quam deinde multiformis Dei ſapientia Angelicis etiam innotuit poteſtatibus. Inter hæc autem myſteria, illud
propalatur, per Chriſtum, quem Deus propoſuit propitiatorem pro peccatis noſtris, ad vnum caput redigi ſub eius
poteſtate, tum quæ ſunt in terris, nempe homines; tum ſpiritus omnes beatos: ſupra quos, Chriſtus reſurgens
a mortuis, factus omnibus ſublimior, in cæleſtibus eſt conſtitutus, omnium princeps, & caput. Ad hæc illud
quoque palam fit, Chriſti fideles in hac vita typum gerere Chriſti glorificati, dum a morte, id eſt, a peccatis
per baptiſmum reſurgunt; eoſdemque in Chriſto, ad gloriam æternæ vitæ in cæleſtibus peruenturos. Præterea
& id docetur, Chriſtum ſua morte diſſoluiſſe Chyrographum mortis æternæ humano generi comminatæ: ita qui-
dem, vt & circuncisi, & præputiati inter ſe olim inuicem aduerſarij, & Angelorum ſimul hoſtes exiſtentes,

in vna

in vna mutua omnium concordia fuerint coniuncti, ſublata inimicitia, quæ erat inter nos & Deum, medio ipſo angulari lapide Chriſto Ieſu: per quem, tanquam vnum corpus; & vnus ſpiritus omnes effecti, Deo reconciliati ſumus. Hincque Apoſtolus (qui eſt præcipuus huius epiſtolæ Scopus) hortatur Epheſios, vt ad vnitatem Eccleſiæ in edificationem Sanctorum, iuxta dona vnicuique data, inuicem omnes conſpirent, ſanctam atque immaculatam vitam ducentes. Deinde vero, a Politiæ eccleſiaſticæ regimine (quod præmittit) ad partes familiæ ſermonem conuertens, illos inſtituit; tum, quomodo mulieres erga viros, & viri erga vxores ſe gerant; tum quales filij erga parentes ſe præſtent, & parentes in filiorum educatione; tum quæ, qualiſque inter Dominos & ſeruos (iuxta normam Chriſti) debeat eſſe communicatio. Denique ad aſſiduas orationes illas cohortans, & ad armaturam omnem Dei accipiendam, qua poſſint diabolicas impugnationes reprimere, & ſe in die Iudicij, ſanctos, atque tutos ſeruare, epiſtolam claudit: quæ cum illa, quæ ſcripta eſt ad Coloſſen. eſt conferenda; cum vtraque, vno eodemque Apoſtoli ſpiritus impulſu, ſit conſcripta.

IN EPISTOLAM SANCTI PAVLI ad Epheſios.

PARAPHRASIS. CAP. I.

PAVLVS, Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, omnibus ſanctis, qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Ieſu: Gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Benedictus ſit Deus, & & idem Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui in omni benedictione, & largitate donorum ſpiritualium cœleſtem hæreditatem concernentium, benedixit nos in Chriſto, a quo omnia ad nos bona proueniunt; ſicut in ipſo elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus in conſpectu eius ſancti, & immaculati, in charitate, quum prædeſtinauit nos in adoptionẽ filiorum per Ieſum Chriſtum, in eius imaginis conformationem, iuxta beneplacitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ, quę conuenit gratię eius: in qua gratos nos ſibi reddidit in dilecto filio ſuo: in quo habemus redemptionem noſtram ob eius ſanguinẽ, remiſſionem peccatorum noſtrorum, ſecundum diuitias gratiæ ſuæ; quam copioſiorem in nos Apoſtolos effudit in omni ſapientia, & prudentia nobis communicata; dum, ſecũdum beneplacitum ſuum, nobis manifeſtauit myſterium, abſconſumque illud conſilium voluntatis ſuæ, quod ab æterno ſibi propoſuerat exequendum in filio ſuo, in diſpenſatione temporum ſibi propoſitorũ: inſtaurare ſcilicet, & ſub vno capite (in ipſo Chriſto) omnia redigere, & quæ in cœlis ſunt, & quæ in terra. In quo, & nos Apoſtoli, ſorte, ex Dei ſpeciali fauore, vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui operatur omnia iuxta conſilium volũtatis ſuæ, ad hoc, vt eſſemus in laudem, atque manifeſtationem gloriæ ſuæ. Nos inquam, qui prius ſperauimus in Chriſto, eius fidem ſuſcipientes. In quo etiam vos audiẽtes (ex prædicatione Apoſtolorum) ſermonem veritatis, ipſum Euãgelium, veſtræ ſalutis nuncium optatiſſimum, & credentes in ipſum, ſignati eſtis ſpiritu ſancto; qui eſt arrabo, & pignus hæreditatis noſtræ, datus pro redemptione eorum, quos ſibi Deus in filios acquireret in laudem gloriæ ſuæ. Propterea & ego audiens fidem veſtram in Chriſto Ieſu, & dilectionem veſtram erga omnes ſanctos, nõ ceſſo gratias agere Deo pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis; vt Deus domini noſtri Ieſu Chriſti, & pater gloriæ; det vobis ſpiritum ſapientiæ, & reuelationis in eius cognitione; illuminetque oculos mentis veſtræ, ita vt ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis eius; & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in ſanctis; & quę ſuper eminens magnitudo potentię ipſius in nos, qui credimus, exercendę, ad inſtar illius operationis ex potenti virtute ſua prodeuntis, quę in Chriſto operatus eſt, excitans eũ a mortuis, & ſedere faciens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem; & ſuper omne nomen, quod nominari poteſt; ei, hanc tantam excellentiam condonans, non ſolum in præſenti ſeculo, ſed etiam in futuro. Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius, vt nihil ſit futurum non aliquando ſibi ſubiectum: eumdemque hũc in modum ſuper omnia præfectum, conſtituit caput Eccleſiæ; quæ eſt corpus ipſius myſticum, ipſa nempe perfecta plenitudo pendens a Deo, qui omnia implet in omnibus.

Editio vulgata.

PAVLVS Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, omnibus ſanctis qui ſunt Epheſi: & fidelibus in Chriſto Ieſu. Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cæleſtibus, in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate, qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, per Ieſum Chriſtum in ipſum: ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ: in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo. In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius (remiſſionem peccatorum) ſecundum diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis in omni ſapientia & prudẽtia, vt notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ ſecundum beneplacitum eius, quod propoſuit in eo, in diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto: quæ in cælis & quæ in terra ſunt, in ipſo. In quo etiam nos ſorte vocati ſumus: prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui operatur omnia, ſecundum conſilium voluntatis ſuæ: vt ſimus in laudem gloriæ eius, nos, qui ante ſperauimus in Chriſto: in quo & vos, cum audiſſetis verbum veritatis, (Euangelium ſalutis veſtræ:) in quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hęreditatis noſtrę, in redemptionem acquiſitionis in laudem gloriæ ipſius. Propterea & ego audiens fidem veſtram quæ eſt in Domino Ieſu, & dilectionem in omnes ſanctos; non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciẽs in ora-

in orationibus meis, vt Deus, Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis, in agnitione eius, & illuminatos oculos cordis veſtri, vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis eius, & quę diuitię gloriæ hæreditatis eius in ſanctis, & quę ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus ſecundum operationē potentię virtutis eius, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum a mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro. Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius: & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quę eſt corpus ipſius, plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.

ADNOTATIONES.

A SANCTIS: id eſt, per baptiſmū ſanctificatis. Subdens autem Apoſtolus, *& fidelibus in Chriſto*: hinc commendat Epheſios, quòd fideles obſeruatores ſe pręſtarent ſuſceptę fidei, vt qui magnos in fide progreſſus iam feciſſent. Vnde ipſis ſcribens, ſapientiam loquitur, quam conſueuerat loqui inter perfectos.

B *Benedictus Deus, & Pater domini noſtri Ieſu Chriſti*. Aut, ſeiungendus eſt, *Deus*, a patre, vt Deus intelligatur omnium Deus, vt exponit Theodoretus. *Pater* autem referatur ad Chriſtum. Aut Deus & Pater ita coniungendi ſunt, vt ad Chriſtum referantur: vt Deus, dicatur Ieſu Chriſti Deus, quo ad eius humanitatē (Deus ſiquidem, & Chriſti hominis eſt Deus) vox vero, *Pater*, innuat filiationē Chriſti, quam habet a Deo; tum, vt Deus eſt ex Deo, Verbum a Patre genitum; tum vt homo eſt, qui ex virtute Dei Virginem obumbrante factus eſt homo. Auguſt. autem in lib. 2. contra Maxim. inquit; quòd *eſt Pater filio de vtero ſuo; iuxta illud, ex vtero ante luciferum genui te; de ventre vero matris, eſt Deus eius non de ſuo*.

Theodor.

Auguſt. lib. 2. Cont. Maxim. c. 7.

C *Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto*. Benedictio Dei, eſt operū productio in noſtrum commodum; noſtra autem benedictio, ad Dei laudem pertinet. Illud autem, *in omni benedictione ſpirituali*, dictum eſt, ad differentiam benedictionum Iudaicarum, quę erant carnales, & temporarię. Illud vero, *in cœleſtibus*, (ſecundū Hieronymum) copulandum eſt *Deo*, vt dicatur: Deus in cęleſtibus exiſtens. Theophylactus autē refert ad bona cœleſtia, vt ad illa pertineat Dei erga nos benedictio, quam iure meritò Apoſtolus appellat, *omnem*, cum eiuſmodi benedictio ad ęternam ſpectet beatitudinem; vltra quam nihil, quod vel ad corporis, vel ad animę plenitudinem pertineat, deſiderari poteſt. Vnde horum verborum commodus hic eſſet ſenſus. In omni benedictione ſpirituali nos Deus benedixit, dum nos cumulauit donis ad ſpiritus perfectionem conferentibus, dirigens nos ad cœleſtium, non ad terrenarum rerum hæreditatem. Et hęc, *in Chriſto*, qui primas obtinet in cœleſtibus ſuper omnes creaturas: per quem & nos, in ipſo incorporati, cœleſtia bona obtinebimus. Sunt autem qui legūt, *Chriſto*, omiſſa prępoſitione, IN, & ita explicant, hanc benedictionem nobis factam in gloriam Chriſti. Verum apud omnes Gręcos expoſitores in eorū interpretatione legitur, ſicuti & in editione vulgata, *in Chriſto*; & Theophylactus id explicans inquit: *in Chriſto*, id eſt, propter Chriſtum. Sed & quę ſequuntur, prędictam inſinuāt prępoſitionem, huic dictioni Chriſto coniungendam, dum dicitur; *ſicut elegit nos in ipſo*; adeo quòd dicendum eſt; quòd benedixit nos Deus ad obtinenda cœleſtia bona in Chriſto, ſicut & elegit nos in Chriſto.

Hieron.

Theoph.

D *Elegit nos*. Per hoc verbum, *elegit*, denotatur corrupta generis humani maſſa ex peccato originali; a qua corruptela Deus ſelegit eos, qui vocati, audiunt vocem eius, & ipſum ſequuntur: qui autem non audiunt, non dicuntur electi, vt qui permaneant in maſſa corruptionis. Theophylactus autem exponens hæc: *elegit nos*, inquit. *Dei Apoſtolus deſignat clementiam, & illorum virtutem; quippe quos Deus ſecreuerit, vt probos futuros*. Sed Auguſtinus in lib. de Prædeſt. ſanct. hanc ſententiam adſcribit Pelagio aſſerenti, quòd, ante mūdi conſtitutionem, Deus elegit in ſua potentia, quales futuros eſſe pręſciuit. Verum aduertendum, quòd Pelagius ſupponebat, quòd homo ſua ſponte conſtitueret ſe ſanctum per liberum arbitrium, quod non diceret Theophylactus, vt qui fateretur, omnia bona in homine a Deo prouenire, & hunc in modum electos fuiſſe eos, qui boni ex diuino auxilio ſint futuri. Auguſtinus autem, ex hoc dicto Apoſtoli, colligit in loco citato, quòd nō elegerit Deus, quia tales futuros pręſciuit; dicit enim Apoſt. *vt eſſemus ſancti*. Verum (vt explicatum eſt in epiſt. ad Rom. in Adnot. M, cap. 8.) quos Deus prædeſtinauit, etiam præſciuit; præſciuit autem tales, vel tales; neque tamen, quia tales eſſent futuri, Ideo prędeſtinauit eos, aut elegit; quaſi hinc excitatus: quandoquidem ex ſua ſola bonitate vocat ad ſe peccatores, qui, Dei auxilio ſuffulti, vna cum proprio liberi arbitrij conſenſu, boni euadunt: & ita prædeſtinauit, & ordinauit, vt tales per diuinam gratiam exiſtentes in hac vita, cōformes eſſent imagini filij ſui in ęternitate. Sicuti & in hoc loco dicitur: quòd *elegit nos, vt eſſemus ſancti*; nempe, vt in hoc operam noſtram collocaremus, & tales exiſtentes, ſtatuit recipere in adoptionem filiorum Dei: vt omnino hęc ſententia concors ſit cum illa alia prædicta in epiſt. ad Rom. Et Auguſtinus de Prędeſtinatione ſanct. explicans hūc locum inquit, elegit nos Deus, non quia ſancti eramus (quaſi pręexiſterent animæ humanæ antequàm in corpus a Deo immitterentur quæ opinio fuit Origenis) nec etiā quia tales, per nos ipſos, eſſemus futuri, vt Pelagiani cenſuerunt: ſed elegit nos, vt eſſemus ſancti, & immaculati, nempe diuino ſuffulti auxilio. Vnde vtraque reijcitur hęreſis.

Theoph.

Auguſt. lib. de prædeſt. San. c. 17. & 19.

Auguſt. de præd. Sanc. c. 18.

E *Ante mundi conſtitutionem*, vt hinc innuatur, quod Dei cognitio, & prouidentia circa ea, quę ſunt extra ſe in tempore, ab ęterno poſita eſt in eius mente, atque diſpoſitione; cum nil noui in Deo cadere poſſit; & quę ſunt futura, ſint coram ipſo tāquam pręſentia.

F *Vt eſſemus ſancti & immaculati*. Elegit Deus

credentes

credẽtes in ſe, vt eſſent ſancti, & immaculati (incorporati exiſtentes in Chriſto) *in conſpectu eius*, & non ad normam humani iudicij. Ex quibus aperte ſignificatur, ſtudium, ſeu induſtriam propriam hominis requiri, vt ſe præbeat ſanctum, *& non torpeat animus* (vt inquit Theophylactus) *nil exiſtimans vltra eſſe virtuti ſtudendum, vt vitam quis aſſequatur, quòd Dei arbitrio ſit electus*. Verum dicendum eſt, non ſine Dei auxilio ſanctitatem haberi poſſe: pro qua orare quiſque Dominum debet, nec nõ ſanctis ſuis inſpirationibus conſenſum dare, & collaborare (quod ad proprium ſtudium attinet) pro manutenẽda ſanctitate. *Sancti autem ſunt*, inquit Theophylactus, *qui fidei ſunt participes, qui baptiſmo ſunt inſigniti: immaculati autem, qui ſe conſeruant irreprehenſibiles, vt nullis ſordibus irretiantur*. Auguſtinus autẽ in lib. de perfect. iuſt. hominis inquit, *ſi immaculatus ſine crimine intelligitur, poteſt inueniri in hac vita; at non ſine peccato*. Verum, nil prohibet referre hanc immaculatam vitam in conſpectu Dei ad futurum ſeculum, vt tunc tales appareamus coram Deo.

Theoph.

Auguſt. lib. 10. de perfect. iuſt. hom.

G *In charitate*. Chryſoſtomus hanc dictionem coniũgit hunc in modum; quòd Deus nos elegit *in charitate*, id eſt in ſua dilectione. Poteſt etiã coniungi hunc in modum, vt explicetur, quonam modo debeamus eſſe ſancti coram Deo, nempe, in charitate, quæ eſt vinculum perfectionis; quam explicationem ſequutus eſt Ambroſius.

Chryſoſt. hom. 1.

Ambr. c. 1.

H *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum*. Hunc in modum videtur continuandus orationis contextus. Benedictus ſit Deus &c. Qui benedixit nos in omni benedictione &c. in Chriſto; ſicut & in ipſo elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ſuo, cum prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum Dei per Ieſum Chriſtum, in ipſum, ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ. Vbi aduertendum, dictionem hãc, *in ipſum*, a nonnullis referri ad Deum patrem; vel (vt exponũt Græca Scholia) quoniam per dictam adoptionem ad Deum ducamur. Aut quoniã (vt ait Theodoretus) per eam filij Dei nominemur. At S. Thomas refert dictionem, *in ipſum*, ad filium, & exponit in quantum ei conformamur. Et videtur interpretatio admodum conſentanea ijs, quæ in hanc ſententiam habentur in epiſt. ad Rom. *Quos Deus præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus ĩ multis fratribus*. Ac ſi diceretur hoc loco, quòd prædeſtinauit electos in adoptionem filiorum ſuorum (per Ieſum Chriſtum mediatorem) in ipſum, nempe in eius formam, quã imitentur, & ſimiles illi ſint in vita ſpirituali & ſancta. Et hunc in modum, prędeſtinatio in adoptionem filiorum Dei, apponeretur ad eos, qui ſint effecti ſancti, quorum ſanctitas a Deo eſt, non abſque tamen propria hominis adiuncta induſtria; Alioquin, prædeſtinatio in adoptionem filiorũ Dei, id totum penitus eſſet a Deo, abſque vllo humani ſtudij concurſu. Neque vero propterea ſequitur, quòd Deus prædeſtinet aliquos, quoniam præuideat ipſos futuros ſanctos, quaſi hinc excitetur ad illos prædeſtinandos. Sed dicimus, quòd ita ſtatuit Deus ab æterno, vt qui eſſent ſancti in hac vita, in adoptionem filiorum Dei prædeſtinarentur, conformes cum eſſent effecti imagini filij ſui dilecti, quemadmodum explicatum eſt in Epiſt. ad Rom. loco ante citato.

Gr. Scho.
Theodor.
Tho Aqui.

Rom. 8.

Rom. 8.

I *Secundum propoſitum voluntatis ſuę*. Ita dictũ eſt, ad denotandum, quòd Deus non fecit, neque diſpoſuit coacte quę prædeſtinauit, ſed ſua libera voluntate, cum eius beneplacitę voluntatis nulla poſſit eſſe cauſa, niſi propria ſua voluntas.

K *In laudem glorię gratię ſuę*. Non quòd Deus egeat noſtra laudatione, vt aduertit Chryſoſtomus: ſed finis iſte debet eſſe ex parte noſtra, vt propter tot, & tam immenſa beneficia nobis collata, Deum laudemus, & glorificemus. Quod autem conuenit fieri, & rectum eſt, id ex voluntate Dei eſt vt fiat; & ita in laudem Dei omnia noſtra opera tendere debent.

Chryſoſt. hom. 1.

L *Quę ſuperabundauit in nobis*. Gręce legitur ἧς ἐπερίσσευσεν id eſt, quã Deus abũde effudit in nos. cui interpretationi recte cohæret participium illud, quod ſubiungitur, γνωρίσας, quod interpres conuertit; *vt notum faceret nobis ſacramentum*. Ita autem horum verborum conſtructio commode haberetur: In quo habemus redemptionem per ſanguinẽ eius (remiſſionem peccatorum) ſecundum diuitias gratiæ eius, quam abunde effudit in nos, in omni ſapientia, & prudentia, notum faciens ſacramẽtum voluntatis ſuæ. Hæc igitur copioſa largitio gratię ſuit collata Apoſtolis. Verba autem illa, *in omni ſapientia, & prudentia*: poſſunt coniungi ad ea, *ſuperabundauit in nobis: in omni ſapientia*; quæ ſpectat ad rerum diuinarum cognitionem; *& prudentia*, pro adminiſtranda ſalute populorum. Et hæc quidem collata ſunt Apoſtolis, dum ipſis manifeſtatum eſt ſacramentum incarnationis Verbi, & diuinæ potes hoc voluntatis. Poſſunt etiam iungi hunc in modum; quòd abundauit gratia in manifeſtatione myſterij, quod refertum fuit omni ſapientia, & prudentia: vtramque enim interpretationem infert Theophylactus. Sed ſi prior expoſitio accipiatur, ſupponendum erit, hanc ſapientiam communicatam quo ad manifeſtationem myſterij, eſſe ſecundum captum humanum; non quo ad puram Dei cognitionem, quæ ænigmatice tantum hic haberi poteſt; non autem clara. Sed neque (quod attinet ad myſterium diuinę voluntatis) ęnigmaticę ipſum ſine reuelatione communicatur; in qua etiam in dies progreſſus maiores fieri poſſunt ab homine. Vide in Epiſt. ad Philipp. *& hoc oro, vt charitas veſtra magis, ac magis abundet in omni ſcientia, & in omni ſenſu*, Et in illa ad Coloſſ. *non ceſſamus pro vobis orantes, & poſtulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni ſapientia, & intellectu ſpirituali*.

Theodor.

Philipp. 1.

Coloſſ. 1.

M *Inſtaurare omnia in Chriſto*, Græce ἀνακεφαλαιώσασθαι. id eſt (vt exponit Auguſtinus) *inſtaurare in cœlis locum Angelorum, qui damnati ſunt: in terris autem inſtaurare, quatenus, homines ad vitam æternam prædeſtinati, a corruptionis vetuſtate renouantur*. Aut intelligi poteſt; quòd ſimul coniuncti, & pacificati fuerunt per Chriſtum Iudæi, & Gentiles, vt

Auguſt. lib. Ench. cap. 62.

dicitur

dicitur cap. ſequēti; nec non genus humanum cum Angelis. Aut ita, quòd, quæ ſeorſum in pluribus explicata ſunt, vt puta a Prophetis, ſummatim peracta ſunt in Chriſto; dū factū eſt verbū abbreuiatum per ipſum in ſalutē. (Rom. 9.) Aut ita interpretādum, quòd Chriſtus cōſtitutus eſt caput creaturarū, & earum quæ in cœlis; & earū quæ in terra, vt ſub ipſo omnia ſubijciātur; adeo vt etiā diabolus cū ſuis angelis ſit abſolute futurus ſub eius imperio. (Theodor. Rom. 8.) Theodoretus autē refert hæc ad ea, quæ habētur in Epiſt. ad Rom. vbi dicitur; quòd ingemiſcit omnis creatura; & quòd omnia ſunt renouāda, & inſtauranda; vt etiā Angeli cōprehendātur, qui nunc grauiter dolent de improbitate hominum: ſic, *hac nube diſcuſſa*, vt inquit Theodoretus, *per Chriſtum inſtaurabuntur*. Verbum autē *ἀνακεφαλαιώσασθαι*, (Theoph.) Theophylactus interpretatur: *in ſummam collectionem, breuem appellari rerū mutationem*. Ex ijs autē omnibus circa enarrata verba, breuis hæc colligi poſſet interpretatio; quòd cū renouatione rerum, & mutua pacificatione hominum, inter ſe, & horum cum Angelis, omnia tandem ſub Chriſto rerum omnium capite reducentur.

N *In quo & nos ſorte vocati ſumus.* Sors eſt euētus rerū ſupra captū humani ingenij, ſoli Deo manifeſtus, procedēs a ſola Dei prouidētia, vt nil ex parte hominis concurrat. Ideo ſorte vocati dicuntur ad iuſtitiā, qui fiunt digni hac vocatione; cū id ex Dei mira benignitate, ſecundū beneplacitum ſuæ prouidētiæ, nō ex vllis operibus proueniat hominum generi; quod erat perditū; neq; ex ſeſe caput vnquam erigere poterat ad ſalutē conſequendā. Illud autē, *in quo*, vel ad Chriſtū referri poteſt, vel ad opus inſtaurationis: in quo & Apoſtoli ſorte ſunt vocati: cum vero ſubiūgitur, *vt ſimus in laudem gloriæ eius*: clare ſignificatur, ad hoc vocatos eſſe Apoſtolos, vt portent nomen Ieſu Chriſti in laudem gloriæ eius: ſicuti etiam dicitur in Epiſt. ad Rom. (Rom. 1.) *per quem accepimus gratiam, & Apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius.*

O *Nos qui ante ſperauimus in Chriſto.* (Theoph.) Theophylactus interpretatur, quod *credētes ſperamus in Chriſto, antequam futurum immineat ſeculū, quę tunc nobis euentura ſunt bona.* Aliqui referunt hoc ad diuinam præſentiā, in qua, omnia futura ſunt facta. (Ambr. Tertull.) Ambroſius, & Tertullianus inquiunt, quòd Apoſtoli, licet eſſent in iudaiſmo, at tamen ex oraculis prophetarū i Chriſto ſperauerūt. Vnde deducit Ambroſius, dignū fuiſſe ex ijs elegi prædicatores, qui ante ſperauerūt ſalutē, quæ illis promiſſa erat in Chriſto. Aliqui ad Iudæos referunt, ad quos primo Chriſtus eſt miſſus, qui primes vocati, etiam prius crediderunt. Poſſet etiā ita fieri interpretatio. Nos, qui ante ſperauimus in Chriſto, id eſt, qui fuimus ex primis ipſum ſequentibus, & primiæ fidei Chriſti.

P *In quo, & credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto.* Vt præcedat fides oportet, quæ ſupponit baptiſmum. Deinde ſimul accedit ſpiritus ſanctus; qui dicitur, *promiſſionis*; vel quoniam promiſſus eſt a Deo, quemadmodum teſtatur Ioel, inquiēs; (Ioel. 2.) *pollicitus eſt Deus, effundam de ſpiritu meo in omnem carnem*. Et Chriſtus apud Lucam; (Act. 1.) *accipietis*, inquit, *virtutē ſuperuenientis ſpiritus ſancti*. Hoc igitur ſpiritu ſignati ſunt Chriſti fideles. *Iudęi autem ex circumciſione, ſunt belluarum more* (vt inquit, Theophylactus) (Theoph.) *carnis ſignaculo excepto, notis inuſti.*

Q *Qui eſt pignus.* Gręce *ἀῤῥαβὼν*, id eſt, arra. Differūt autem *pignus*, & *arrabo*. nā *pignus*, pro mutuo datur; at *arrabo*, ſiue *arra*, eſt pro contractu emptionis, & vēditionis, vt adnotauit Hieronymus. (Hieron.) Spiritus igitur ſanctus nobis datus eſt pro arra hæreditatis noſtræ: id eſt, vitæ æternæ, quæ per ſpiritum ſanctum viuificantem acquiritur. Et hoc, *in redemptionem acquiſitionis*. Deus nos redemit per Chriſtum a ſeruitute mortis, & diaboli, & ita acquiſiuit nos Chriſtus; *in laudem gloriæ Dei*; qui nobis, ſibi inimicis exiſtentibus, tantam fœlicitatē contulerit; vnde non debemus vnquam ceſſare a laudibus Dei.

R *Vt Deus domini noſtri Ieſu Chriſti.* Vt ita, quo ad humanitatē, dicatur Deus Chriſti, ſicut etiā explicatum eſt antea. Illud vero, *pater gloriæ*, aut eſt, hebraiſmus, pro eo quod eſt, Deus glorioſus. Aut ſecūdū Theophylactū, (Theoph.) ita dictū eſt, propter tam pręclara dona, & glorioſa, quæ Deus nobis contulit. Baſilius (Baſil.) autē refert ad diuinitatē filij, vt *pater gloriæ*, intelligatur pater Verbi, quod eſt gloria patris, iuxta illud ad Hebr. (Hebr. 1.) *qui cū ſit ſplēdor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius*. Nā (quū diuina natura a nobis nō cognoſcatur) adoratione, & glorificatione appellatur. Vnde (vt exponit Theodoretus, (Theodor.) *Deus Chriſti, & eius humanitatis, eſt Deus: pater autē gloriæ, id eſt, diuinitatis eiuſdē.*

S *Det vobis ſpiritum ſapiētiæ, & reuelationis.* Hæc ſimul cōiūxit, denotās eā ſapiētiā, quæ nō niſi per reuelationem haberi poſſit. Aut per, *ſapiētiam*, intellexit cognitionem magis cōmunem, quæ ex ordine vniuerſi acquiritur, iuxta ea, quæ habentur in Epiſt. ad Rom. (Rom. 1.) per *reuelationem* autem, per cognitionem, magis ſpecialem a Deo communicatam.

T *Et quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in ſanctis.* Sanctorum hæreditas, eſt ipſemet Deus, nempe frui Deo.

V *Et quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus, ſecundum potentiæ virtutis eius quam operatus eſt in Chriſto ſuſcitans illum a mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus.* Theophylactus, & Gręca Scholia referunt magnitudinem potentiæ, (Theoph. Gr. Scho.) de qua hic eſt ſermo, ad hoc, quòd ſurrexiſſe nos a morte animæ, id fuerit cum potentia æquali, potentiæ illi, qua Deus Chriſtum a mortuis excitauit. Siquidem (vt inquit Theophylactus) *magna eſt potentiæ, & virtutis, animum a priſtina conſuetudine immutare; & ab erroribus eruere hominem, qui illis inhęſerit.* Aut (vt refert Gręca Scholia) (Gr. Scho.) denotatur cauſa, ob quam credimus, & reſipiſcimus a priori errore; nempe, ob eam efficaciam credimus, & reſurreximus a morte animæ, per quam Chriſtus excitatus eſt a mortuis, & in cœleſtibus collocatus ad dexteram Dei Patris. Theodoretus (Theodor.) autem ponderat magnitudinem potentiæ Dei in hoc, quòd humanitatem Chriſti excitauerit a mortuis, & ob ignominioſam eius mortem, illum ad dexteram ſuam extulerit. Forte poſſemus ita interpretari; optari ab Apoſtolo, vt Epheſij (per ſapientiam & reuelationem) cognoſcant ſpem vocationis Dei: quod explicatur per

hæc alia verba) *& quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius*; id eſt, fœlicitatis præparatæ ipſis credentibus, in quos Deus eſt exercitaturus potentiam, & robur ſuæ virtutis, excitando illos a mortuis, eos immortales, & impaſſibiles efficiendo, atque ad cœleſtem gloriam perducendo; vbi Chriſtus ſedet ad dexteram patris: quemadmodum, & in Chriſto hæc omnia peregit. Adnotandum autem ex illo verbo, in *cœleſtibus* (vbi dicitur conſtitutus Chriſtus ſuper omnem principatum, & poteſtatem) manifeſtari, cum ſuperius dictum eſt, *benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto*: intelligi debere, quòd in Chriſto, ad hæreditatem regni cœlorum, benedictio nobis facta eſt; quatenus in Chriſto coinſiti, & incorporati in ipſo, eam conſequimur.

X *Et omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro*. Communis eſt interpretatio; quòd Chriſtus eſt conſtitutus ſuper omnes dominationes, non ſolum eas, quæ nominantur in hoc ſeculo, ſed etiam ſuper eas, quæ nominabuntur in futuro. Forte non inconueniret dicere, Chriſtum deſcribi ab Apoſtolo prælatum omni dominationi, & poteſtati, quæ nominatur; vt hoc ſit dictum, ad excipiendum Deum, cui non eſt prælatus Chriſtus (quum & de Deo proprie dicatur quòd non nominatur aliquo determinato nomine, Deus enim dicitur eſſe ipſum ens, iuxta illud, *ego ſum qui ſum*: Et quòd hanc prelationē ſuper omnem poteſtatē, & principatum Chriſtus obtinebit; nō ſolum in hoc ſeculo, verum etiam in futuro.

Exo. 3.

Y *Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius*. Tandem enim, vt etiam explicatum eſt in epiſt. ad Corint. omnia ſubijcientur Chriſto; tum omnes reges mundi, & poteſtates, vel per fidem illum adorantes, vel relegati ad tartareas carceres, ſecundum iuſtitiam ad Dei voluntatem: tum ipſe Diabolus cum angelis ſuis ita penitus proſtrabitur, vt non amplius quicquam poſſint operari, ſed ſolum pati, quæ in eorum ſupplicium Deus deſtinauit.

1.Cor.15.

Z *Et ipſum dedit caput ſuper omnem eccleſiam*. Græci legunt, *& ipſum dedit caput ſuper omnia Eccleſiæ*. Id eſt, vt ipſe, ſuper omnia exiſtens, ſit caput Eccleſiæ, quod in idem recidit cum noſtra editione: & conuenit interpretationi ſuperius aſſignatæ: adeo quòd inſtaurare in Chriſto omnia, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terra, vt dictum eſt antea, ſit idem cum preſenti dicto, quòd Chriſtus conſtitutus eſt caput Eccleſiæ ſuper omnia. Eccleſia autem tum militans, tum triumphans accipitur, cuius pars eſt etiam cohors Angelorum.

A A *Quæ eſt corpus ipſius*. Nempe eccleſia, quæ, tanquam corpus, refertur ad caput eius, quod eſt Chriſtus. Vel ſimpliciter intelligitur, Eccleſia eſſe corpus Chriſti myſticum ſecundum humanitatem.

B B *Et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur*. In græcis cod. vacat particula, *Et*, quæ in vulgata editione eſt adiuncta huic dictioni, *plenitudo*: & loco verbi, *adimpletur*, legunt Græci πληρουμένου, quod tum paſſiue (vti conuertit interpres) tum actiue accipi poteſt. Et ſi paſſiue accipiatur, illud *omnia*, intelligendum erit, id eſt, ſecundum omnia adimpletur, vt quęque membra conferant complementum: adeo quòd Chriſtus, caput Eccleſiæ, adimpleatur in ſuo corpore per omnia mēbra, quę reperiuntur in Eccleſia. Sunt autem qui hoc intelligant ſecundum illud ad Coloſſ. *adimpleo, quæ deſunt paſſionibus Chriſti in carne mea pro corpore eius*, vt ita paſſiones Chriſti, id eſt, membrorum Chriſti paſſiones, adimpleantur in membris ſuis, cum paſſiones ſanctorum, Chriſtus, pro ſuis cenſeat. Si autem dictio prædicta actiue ſumatur, ita poſſumus interpretari. Dictum eſt, quòd Eccleſia eſt corpus Chriſti. Iam exponitur, quid ſit iſtud corpus; nempe eſt plenitudo eius, qui implet omnia in omnibus; cum ab ipſo pendeant omnia, quæcunque ſunt in omnibus; hic eſt Deus, quo plena ſunt omnia, & ita eccleſiæ perfectio ſignificatur. Iuxta dicta ad Corinthios, quòd *Deus eſt omnia in omnibus*. Theodoretus autem ait. *In præſenti vita, Deus eſt in omnibus; cum habeat naturam, quæ non poteſt circumſcribi; ſed non eſt omnia in omnibus; quandoquidem alij impie, alij iniuſte ſe gerunt, habitat autem in ijs, qui ipſum timent, & in ijs, qui in eius ſperant miſericordia. In futura autem vita, ceſſante mortalitate & peccato non amplius locū habente, Deus erit omnia in omnibus.*

Coloſſ. 1.

1.Cor.15. Theodor.

PARAPHRASIS. CAP. II.

ET vos, cum eſſetis mortui ob delicta, & peccata, in quibus aliquādo ambulaſtis iuxta ſeculum, & curſum huius corrupti mundi: ſecundum principem poteſtatis, qui regit aerem hunc tenebroſum, & ſpiritus illius, qui nunc operatur in filios diffidentiæ, & incredulitatis: inter quos, & nos olim conuerſati ſumus, addicti cōcupiſcentijs carnis noſtræ, explentes voluntatem carnis, & noſtrarum cogitationum, exiſtentes & nos vti & alij, iræ filij, ſubiecti diuinæ vltioni propter peccata aduerſus nos concitatæ. Deus autem, qui diues eſt in miſericordia, propter eximiam charitatem, qua dilexit nos; cū mortui eſſemus propter delicta noſtra, in æternam traditi damnationem; conuiuificauit nos in Chriſto, cuius gratia ſalui facti eſtis, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu: hoc agens, vt, in ſeculis ſuperuenientibus, manifeſtas redderet abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate, qua erga nos proſtratos, atq; perditos eſt vſus in Chriſto Ieſu. Gratia enim ſalui facti eſtis per fidem: & hoc non ex vobis (Dei enim donum eſt) non ex operibus, ne quis in ſeipſo glorietur; ſed in Deum omnem gloriam referat obtentæ ſalutis. Dei ſiquidē factura ſumus, creati, & regenerati in Chriſto Ieſu in bonis operibus, quę a Chriſti meritis pēdent, quæ Deus præparauit, vt in illis ambulemus. Propterea mementote, quòd olim vos Gentes (iuxta carnē, veluti in deriſum, appellati præputium ab ijs, qui dicuntur circunciſio in carne manufacta) tunc tēporis ſine Chriſto exiſtētes, eratis alieni a politia Iſrael, quæ a Dei ordinatione pendebat, & hoſpites teſtamētorum, & pactionum, quas Deus pepigerat cū Populo Iſraelitico, nullam ſpem habentes diuinarum promiſſionum, & omnino atei, ac ſine veri

Dei

Dei cognitione, atque cultu in mundo conuerſantes. Nunc vero vos, qui tam longe a Den eratis, propo facti eſtis ad Deum io ſanguine Chriſti', quem pro nobis effudit. Ipſe enim eſt pax noſtra', qui reconciliat oos Deo; & in vnum populum Dei, tum Gentilem, tum Hebræum populum coniungit: quique parietem ioterpoſitam e maceria diſſoluenda conſtructam (populum a populo, & vtrumque a Deo, & ab Angelis diuidentem, huius tantæ inimicitiæ ſnmitem) in carne ſua diſſoluit: dum legem mandatorum, ipſam moſaicam, dogmatibus fidei euacuanit; vt ita, duos prius diſtinctos inter ſe populos, ſimul pacificans, in ſe ipſo enderet, ac refnrmaret in vnum hominem nouum; & reconciliaret vtroſque Deo, in vno corpore per crucem; in ſe ipſo inimicitiam deſtruens, qua longe a Deo tenebamur. Vnde veniens Chriſtus, & in ſua natiuitate, &, poſt reſurrectionem multo magis, pacem euangelizauit oobis, tum Gentilibus, qui lnngius, tum Hebræis, qoi propius aberant a Deo. Siquidem nmnes, in vno eodemque ſpiritu nnbis cœlitus per Chriſtum commonicato, ad Deum Patrem habemus acceſſum, vt iam non amplius inimicitiam priſtinam vereamur. Itaque iam non eſtis hnſpites, & aduenæ ad Dei commercium, & ad diuinarum promiſſionum participationem. Sed eſtis, vna cum ſanctis, conciues, & domeſtici, ad regnnm cœlnrum attinentes, ædificati ſupra fundamentum Apoſtnlnrum, & prophetarum, in ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. In quo, omnis ædificatio cnnſtructa, creſcit in templum ſanctum in Domino. Iu quo & vos coædificamini io habitaculum Dei in ſpiritu ſancto.

Editio vulgata.

ET *vos, cum eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, iu quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſeculum mundi huius, ſecundum principem poteſtatis aeris huius, ſpiritus, qui nunc operatur in filios diſſidentiæ, in quibus, & nos omnes aliquando conuerſati ſumus in deſiderijs carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum: & eramus natura filij iræ ſicut & cæteri. Deus autem (qui diues eſt iu miſericordia) propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chiſto, (cuius gratia eſtis ſaluati,) & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu, vt oſtenderet iu ſeculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ, in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu. Gratia enim eſtis ſaluati per fidem (& hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt) nou ex operibus, vt ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus factura, creati iu Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Propter quod memores eſtote quòd aliquãdo vos, qui eratis gentes in carne, qui dicebamini præputium ab ea quæ dicitur circunciſio in carne, manufacta: qui eratis in illo tempore ſine Chriſto, aliénati a conuerſatione Iſrael, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Chriſto Ieſu vos qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ, ſoluens inimicitiã in carne ſua: legem mandatorum decretis euacuans: vt duos condat in ſemetipſo in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitiam in ſemetipſo. Et veniens euangelizauit pacem vobis qui longe fuiſtis, & pacem ijs qui prope: quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad patrem. Ergo iam nou eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa, creſcit in templum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificamini iu habitaculum Dei in Spirituſancto.*

ADNOTATIONES.

ET *vos quoque conuiuificauit cum eſſetis mortui*. Nonnulla exemplaria latina ita legunt. Sed emendatinra oon habent verbum, *conuiuificauit*, vti neque græca. Vnde ſnſpicandum eſt, ab aliquo adiectum eſſe, ad maiorem ſenſus dilucidationem. Siqnidem Apoſtolus, a perſnna Epheſiorum, quos alloquitur inquiens, *& vos cum eſſetis mortui delictis*, vſque ad illa verba: *in quibus & nos omnes aliquando conuerſati ſumus*; transfert nrationem ad ſuam, & ad Apoſtolorum, ſeu aliorũ Chriſtianorum perſonas; continuanſque ſermnnem ſibi propoſitum, ipſum concludit ijs verbis: *conuiuificauit nos in Chriſto (cuius gratia eſtis ſaluati) & conreſuſcitauit, & conſedere fecit iu cœleſtibus in Chriſto Ieſu*. Quorum verborum ſenſus, & conſtructio, & ad Apoſtolos, ſeu Iudæos Chriſtianos, & ad Epheſios generatim aptari poteſt, vt omnino, ab ijs poſtremis dictionibus, pendeat periodus tnnius nrationis, ab initio capitis, vſque ad hanc partem continuatæ. Qua in re illud aduertendum eſt, in hac ſerie oratinnis, cum Apoſtolus dicit. *Deus autem, qui diues eſt*: ex ſententia Hieronymi, particulam hanc, *autem*, ſuperuacaneam eſſe: quam tamen nb prolixitatem perindi, ad ſuſtentationem orationis, non inconcinne pnſitam iure quis exiſtimaret. Erit autem huius cap. cum præcedenti hæc cootinuatio: vt, cum antea Apoſtolus dixerit, Deum excitaſſe a mortuis Chriſtum, & conſedere eom feciſſe in cœleſtibus ad dexteram ſuam, ſuper omnem principatum, & poteſtatem; hic inferat, Deum quoqne conuiuificaſſe, & conreſuſcitaſſe, & conſedere feciſſe in cęleſtibus, in Chriſto, Epheſios, vna cum ipſis Apoſtnlis. Quę verba, a Græcis expoſitoribus trãsferuntur ad mutationem ante actæ vitæ, in qua mortui erant in peccatis, & poſtea conuiuificati ſunt, & reſurrexerunt ab hac morte, & vitam cõuerſantem in cęlis acquiſierũt; cum tamen ſenſus verborũ manifeſte pręſeferat, & inſinuet Chriſtum reſuſcitatum a mortuis, in quo etiã fideles dicuntur conreſuſcitati: quod de morte enrporea intelligẽdũ eſſe videtur, a qua ſint cõreſuſcitati in Chriſto; cũ de ipſo dici ne-

A

Hieron.

Gr. Expoſ.

queat, quod a morte peccatorũ reſurrexerit, vt conſequi videtur ad prioré interpretationẽ, quũ conreſuſcitati homines a peccatis dicãtur in Chriſto, vnde & Chriſtus inueretur ſurrexiſſe a peccatis, quod dici nequit. Nec non & Chriſtus ſupponitur exiſtẽs in cœlo, vbi & fideles dicuntur conſediſſe; quatenus pertinent ad hæreditatem regni cœleſtis, quam in Chriſto ſunt conſecuturi.

B *Cum eſſetis mortui delictis, & peccatis.* Græce τοῖς παραπτώμασι, καὶ ταῖς ἁμαρτίαις, quæ vel appoſita ſunt ſimul ad amplificationem ſermonis; vel (ſecun- [Hieron.] dum Hieronimũ) per vocem, παράπτωμα, id eſt delictum; ſignificatur primus lapſus ad peccandum: per vocem autem ἁμαρτία: id eſt, *peccatum*; denotatur quando ad facinus peruentum eſt, vt iam in peccan- [Rom. 4.] do ſit factus habitus. Verum in Epiſt. ad Rom. & in [2. Cor. 5.] poſteriori ad Corin. παράπτωμα, pro quibusvis pec- [Haymon] catis accipitur. Haymon diſtinguit peccatum a delicto, inquiens, delictum pertinere ad omiſſionem præceptorum, quæ debent perfici: ſicuti honorare parentes; peccatum vero ad cõmiſſionem eorũ, quæ prohibẽtur ne fiant, vt furari. Quam diſtinctionem forſitan accepit ab Auguſtino in lib. 3. Quæſt. le- [Aug. Quæſt. leuit. libr. 3. quæſt. 19.] uit. titu. 20. Verum Auguſtinus eo loco ponderat græca vocabula dicens; quod παράπτωμα, pertinet ad peccatum, cum homo deliquit, veluti impingẽs, delictum autem, ait, eſſe ἁμαρτίαν, id eſt, negligentiã, quando omittuntur, quæ debent præſtari; vnde inquit, aliud etiam offerebatur pro peccato commiſſionis, & aliud pro peccato omiſſionis in veteri teſtamento. Sed aduertendum, nullum hic eſſe de ne- [Orig.] gligentia ſermonem. Origenes autem in comment. cap. 4. in epiſt. ad Rom. diſtinguit peccatum, voce hac, ἁμαρτία, explicatum, ab iniquitatibus, Græce ἀνομίαις, dictis; quoniam iniquitates ſunt delicta, quę contra legem committuntur: peccata vero, quę perpetrantur contra quàm natura doceat, vel conſciẽ- [Rom. 6.] tia arguit. Adnotandum autem in epiſt. ad Rom. dici, *cum mortui eſſemus peccato*, græce dandi caſu, τῇ ἁμαρτίᾳ, ad ſignificandum, quod non vltra homini dominaretur peccatum, cum homo, ob baptiſmum ſuſceptum, mortuus intelligatur eſſe peccato. Hic autem, cum dicitur, *cum eſſemus mortui peccatis*, ſtat dictio, *peccatis*, in auferendi caſu, vt ſignificetur, quòd mors hominibus illata eſt a peccatis.

C *Secundum ſeculum mundi huius.* Inquit, Epheſios ambulaſſe in peccatis ſecundum ſeculum; id eſt, ſecundum curſum mundi huius prætereuntis, & ſecundum conſuetudinem hominum ſpem ponentium in ſeculo mundi huius corruptibilis, & non in æternitate; vt omnino hinc innuatur corruptela hominum moribus inſita, emanans a pecca- [1. Ioan. 6.] to originali; ex quo prouenit, vt mundus poſitus fuerit in maligno, vt dicitur in Epiſt. B. Ioannis: hoc eſt, quòd hominum in mundo conuerſatio in vitio ſit conſtituta. Magis autem explicans Apoſtolus hanc in peccatis conuerſationem, ſubiungit. *Secundum principem poteſtatis aeris huius*, ſpiritus, *qui nunc operatur in filios diffidentiæ*. Id eſt (ad normam, & ad voluntatem, ſeu ad regimẽ Luciferi, principatum obtinentis ſuper omnes angelos, qui ceciderunt ei adhærentes) eſt conuerſatio, & deambulatio peccatorum. Quòd autem Lucifer ſit princeps, Dominus inſinuauit, dum diceret: *nunc princeps huius* [Ioan. 12.] *mundi eijcietur foras*: Sub quo tamen ſunt aliqui diaboli, principatum obtinẽtes ſuper alios inferiores nequam ſpiritus. Vnde illud Iudæorum in Euã- [Luc. 11.] gelio. In *Principe Beelzebub Principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia*. Et infra in hac Epiſt. *Nõ eſt nobis col-* [Eph. 6.] *luctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes: & poteſtates aduerſus mundi rectores tenebrarum harum contra ſpiritualia nequitiæ*. Verum (vt aduertit Theophylactus, non eſt penſandum, [Theoph.] quòd ſatanas obtineat principatum in hoc mundo, tanquam ſibi debitum. Sed quoniam tyrannice occupauit, ſeducens hominem; & quoniam homines ei ſe ſubiecerint. Ideo & eiectus eſt foras per Chriſti regnum a dominio fidelium, a quo denique omnino eijcietur, cum Chriſtus venerit ad iudicandũ. Dicitur autem ſatanas, *princeps poteſtatis aeris huius*, vel quoniam (vt cenſet Ioannes Damaſcenus) [Io. Damaſ.] Angeli, qui ceciderunt, erant de ordinibus inferioribus, qui præeſſent rebus terreſtribus; vnde poteſtatem in aere habere dici poterant. Aut quoniam, & ſi fuerint (vt quidam alij ſentiunt) de ordinibus ſuperioribus; attamen relegati fuerunt in aerem hunc caliginoſum, vt etiam habetur in epiſt. Iudæ. [Iud. epiſt.] Quod etiam inſinuant clarius, quæ infra habentur, vbi dicitur. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus princeps, & poteſtates, aduerſum mundi rectores tenebrarum harum*. Siue modo hæ tenebræ ſupponantur eſſe in media regione aeris; ſiue vbi eſt locus inferni. Dictio autem illa, *ſpiritus*, eſt generandi caſus; græce enim habetur, τοῦ πνεύματος: qua magis etiam explicatur, quorum nam ſit princeps ſatanas, relegatus in aerem caliginoſum cum ſuis ſatellitibus: nempe dicitur eſſe princeps ſpiritus praui, & nequam, id eſt, naturæ illius prauæ ſpiritualis, quæ tota eſt conuerſa ad prauitatem, & a Deo penitus auerſa: de qua infra cap. vltim. dicitur, *quod ſunt ſpiritua-* [Eph. 6.] *lia nequitiæ*: quoniam ſpiritus illi peruerſi, ſunt & ad nequitiam omnino intenti.

D *Quæ nunc operatur in filios diffidentiæ.* Nempe, in eos homines qui Dei vocationi nolunt adhærere, Diabolus exercet ſuam virtutem, & operationem; dum ſuggeſtione ad peccandum (volentes tamen) inducit. Dicuntur autem filij diffidentię, homines, qui rebelles ſunt Deo. Siquidem incredulitas, & diffidentia eſt mater impiorum, tanquam radix, ex qua vniuerſa prodeunt peccata. Quòd autem dictum ſit Ab Apoſtolo, quòd ſpiritus nunc operatur in filios diffidentiæ, huc tendit ad inſinuandum, quòd poteſtas diaboli, quæ adhuc aliqualiter viget, tandem euacuabitur, vt eius poteſtas, & operatio penitus deficiat in Chriſti ſecundo aduentu.

E *Facientes voluntatem carnis, & cogitationum.* Hieronymus, per facere carnis voluntatem, intel- [Hieron.] ligit peccata craſſiora, veluti eſt gula, & fornicatio. Ex voluntate autem cogitationum, ait, prouenire alia peccata; vt inuidia, hæreſis, & ſimilia. Verum dici etiam poteſt, hæc ſimul fuiſſe

ab

ab Apoſtolo coniuncta, ad denotandum, quòd, in perpetratione peccatorum, tum carnis inclinatio peruerſa, tum praua itidem animi cogitatio concurrit: ſiquidem, abſque mentis conſenſu, non fit conſummatio peccati; voluntas autẽ & carni, & cogitationibus coniungitur; quoniam, niſi cõcurrat voluntas ad carnis inclinationem, quę fomes eſt, peccatum non committitur.

F *Eramus natura filij Iræ*. Non ſimpliciter filij Iræ, ſumus natura; quando in primeuo ſtatu creatus eſt homo rectus, qui, bonus exiſtẽs coram Deo, non poterat non eſſe gratus eius deitati, & Ideo nõ dignus ira Dei. Sed ob peccatum, quo ſe auertit homo a Deo, incidit in Dei iram; cui omnes eius poſteri naſcũtur obnoxij, ob traducem maculam peccati originalis. Ira autem, non quaſi paſſio exiſtens in Deo, prout in nobis, eſt accipienda; ſed pro vindicta, in qua ſumenda, accenditur ira in homine.

Theoph. G *Vt oſtenderet in ſeculis ſuperuenientibus*. Theophylactus animaduertit, magis perſuaderi quæ prędicta ſunt, quòd Deus nos conuiuificauit, conſurrexit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Christo ex hoc, quoniam hæc effecerit, non ob noſtra merita, ſed vt patefaceret ſuam bonitatem ſuper nos in tam abundanti gratia; quòd, ex filijs iræ, ad tantam gloriam ſit nos perducturus. Hoc autem apparebit in ſuperuenientibus ſeculis; nempe, poſt Iudicium vniuerſale, apparebit maieſtas gloriæ collatæ a Deo
Theodor. ſuis electis. Nũc enim (vt inquit Theodoretus) *bonorum magnitudo quæ ſperantur; infidelibus omnino ignota eſt: fideles autem nunc vident eam, tanquam in ſpeculo, & in ænigmate.*

H *Gratia enim eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis (Dei enim donum eſt) non ex operibus*. Hæc
Tit. 3. ſententia concors eſt cum illa ad Tit. *non ex operibus Iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit*. Cum autem prius dixiſſet Apoſtolus, quòd Deus nos mortuos ob peccata conuiuificauit (qui autem mortuus eſt non poteſt ex ſe opus facere) Idcirco iure dicit, quòd nos mortuos conuiuificauerit, hoc non eſt ex nobis, non eſt ex operibus noſtris; ſed ex Dei gratia prouenit, non tamen ſine fide noſtra, quæ etiam eſt do-
Philipp. 1. num Dei. Iuxta illud ad Philipp. *quia vobis datum eſt a Chriſto, non ſolum vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini*. Ob id autẽ fidẽs, donum eſt Dei,
Gr. Scho. quoniam (vt dicunt Græcanica Scholia) niſi Deus miſiſſet filium; niſi vocaſſet, & propoſuiſſet credenda; niſi lumine (quod præcipuum caput eſt) colluſtraſſet; vtique in nobis non aduenıſſet fides; quam qui non ſuſcipiunt, ipſorum fit culpa, qui non audiunt, neque admittunt lumen, & illuſtrationes diuinas, & motiones, quibus Deus nos vocat & ſtimulis excitat. Illa vero verba; *& hoc non ex nobis, do-*
Chryſoſt. hom. 1. Theoph. *num enim Dei eſt*. Chryſoſtomus cum Theophylacto ita explicat; quòd eſt ex Dei dono, quòd velit credentes fieri ſaluos; nempe (vt hanc ſententiã magis explicemus) vt reputet, & acceptet in credẽtibus fidem ad iuſtitiam, adeo vt per fidem iuſti efficiantur, vt dictum eſt de Abraham in Epiſt. ad Rom.
Rom. 4. Non enim poſſumus hoc mereri; vt quia credimus, debeamus idcirco, & iuſti, & ſalui fieri; ſed eſt ex Dei miſericordia, vt nobis ob fidem velit & iuſtitiã, & ſalutem condonare. Verum & dignum quoq; eſt Dei bonitate, vt, qui ad ipſum fide confugiunt, ijs manum porrigat, & ſaluos eſſe velit. Cõſenſus autẽ, quem præbet homo credendo audita, & adhærẽdo Deo, licet ſit a Deo, vt in homine excitetur, dum ei confert lumen, & excitationes; attamen eſt etiam ex hominis libera voluntate, vt conſentiat, adeo vt hominis dicatur proprius eſſe conſenſus; de quo tamẽ gratias agere debet Deo, & diuino auxilio acceptũ referre, quòd crediderit, quum credere in Deum, ſine Dei auxilio, ex ſe ſe homo nequaquam poſſit: & ideo non eſt ex nobis fides, tanquam ex nobis, vt dicit Apoſtolus.

I *Ipſius enim ſumus factura*. Aliqui id referũt ad primordia creationis. Sed aptior intelligentia videtur, ſi de regeneratione per baptiſmũ accipiatur, in qua perfecte creati ſumus in Chriſto. Nam mortui exiſtentes in peccatis, hinc, tanquam ex nihilo (vt impij, & ſine vllo merito exiſtentes) regeneramur, ſeu creamur; a peccato, quod eſt nihil, ad Dei gratiam accedentes.

K *Creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis*. Horum verborum communis eſt interpretatio, quòd Deus dat nobis bona opera facere: tanquam ex prædeſtinatione, quoniam Deus hæc præparat bona; nõ ita tamen, quin etiam concurrat noſtrum liberum arbitrium, vnde ſubiungitur; *vt in illis ambulemus*. Verum & hæc poſſet afferri interpretatio, vt dicamus innui diuerſitatem, quæ eſt inter primam, & ſecundam creationem, in qua noua fit creatura. Siquidẽ ab initio Deus creauit hominem rectum, non tamẽ in operibus bonis fundatum, ſed bene ad ipſa bona opera aptũ: quinimmo lapſus eſt in opere ſuo, trãſgrediens Dei mãdatum, dum pomum vetitum comedit. At peccator, & impius, euadit noua creatura; dum per fidẽ reſurgit a peccatis, & creatur in Chriſto, qui eſt firmum fundamentũ, ita vt in bonis operibus Chriſti fundetur eius regeneratio. Quæ bona opera Chriſti, Deus pręparauit, mittẽdo filiũ ſuum pro ſalute noſtra, & ad exemplum noſtrum, vt eius veſtigia ſequamur; atque ita regenerati, bona opera faciamus, in virtute bonorum operum præparatorũ & præexiſtentium in Chriſto. Auguſtinus autem in Auguſt. lib. de Gr. & li. arbit. c. 7.
lib. de gratia, & lib. arb. ponderans hũc locum, animaduertit, Apoſtolũ ex hoc, quòd non ex operibus ſaluamur, voluiſſe auferre extollentiam, ne quis ſibi præſumeret, id ex ſuis operibus obtinere, & rurſus (ne exiſtimaretur ſola opus eſſe fide) ſubiunxiſſe, creatos nos eſſe in bonis operibus, vt in illis ambulemus. Verum; inquit Auguſtinus, intelligendũ non dictum eſſe ex operibus, *tanquam ex tuis, ex te ipſo tibi exiſtentibus; ſed tanquam ijs, in quibus Deus te traxit, id eſt, formauit, & creauit.*

L *Alienati a conuerſatione Iſrael*. Græce legitur *τῆς πολιτείας*: & eſt ſenſus, quòd Deus regebat populum ſuum Iſraeliticum per legem illis datam, & per Duces, & principes (ſicuti per Moyſem) qui Dei ordinationes exequebãtur, rationem recte viuendi populo præſcribentes. Ab hac igitur politia, & gubernatione, longe aberant Gentiles; qui propterea idololatræ, ac ſine veri Dei cultu erant.

M *Et hoſpites teſtamentorum promiſſionis ſpem non habentes*. Chryſoſt, Theophylactus Oecumenicus, & Hieronymus coniunctim hæc legunt. *Hoſpites teſtamentorũ promiſſionis*: & interpretantur, quòd Gentiles erant hoſpites, & adueni, ita quòd illis nõ attinebant teſtamenta, & pacta; quæ plura fuerunt apud Hebręos, facta illis a Deo, vel de pluribus rebus. Aut plura dicuntur teſtamenta, quòd ſimul nouũ, & vetus Teſtamentũ comprehendatur; iuxta
Bar. 2. illud Baruc. *Statuam illis teſtamentũ alterum in ſempiternum*. Ita igitur Gentiles erant hoſpites a teſtamentis contentis in promiſſione, ſeu continentibus promiſſionem factam Hebræis. Illud vero; *ſpem non habentes*, explicant, referentes ad futuram reſurrectionem, cuius ſpem Gentiles non habebãt. Alij autem ſeiungunt vocem hanc, *promiſſionis*, a prioribus verbis, vt ita legant. *Hoſpites Teſtamentorum*; & hic ſubpungunt: deinde ſequuntur; *promiſſionis ſpem non habentes*. Vnde animaduertũt, explicari, quales nam eſſent hoſpites teſtamentorum, nempe ſpem non habentes promiſſionis factæ a Deo in teſtamentis, & pactis habitis cum populo Iudæorum.

N *Et ſine Deo in hoc mundo*. Græce ἄθεοι. vt qui non cognoſcerent verum Deum, & ita Gentiles in mundo erant ſine Deo, quoniam ſine vero Dei cultu eſſent; cum tamen Deus ſit omnium Deus, non
Rom. 3. ſolum Iudæorum verum etiam Gentium; vt qui mundum regat ſua prouidentia, pluuiam oriri faciens ſuper Iuſtos, & peccatores.

Matth. 5. O *Ipſe enim eſt pax noſtra*. Siquidem, Chriſto mediatore, genus humanum pacem obtinuit apud Deum; ita vt & Gentilis populus, & Iudaicus, qui prius erant inter ſe aduerſarij, in eandem veritatem conſenſerint. vnde ſubiungitur: *qui fecit vtraque vnum*; nempe circuncïſionem, & præputium ſimul vniuit.

P *Et medium parietem macerię, ſoluens inimicitias in carne ſua*. Ideſt, diſſoluit medium illud, quo, (tanquam pariete) Iudęi, & Gentiles inuicem diſtinguebantur. Erat autem paries, lex Iudæis propoſita; quę, quoniam diſſoluenda, & euacuanda erat iuxta cultũ illum ceremonialem, vt vna communis Chriſti Eccleſia conſtitueretur; idcirco maceries (quaſi res diſſolubilis, & non firma) appellatur ab Apoſtolo. Maceries autem iſta, legem continens, erat miniſtra inimicitiæ inter Deum vna cum Angelis, & inter homines: quatenus tranſgreſſores erant legis a Deo propoſitæ; nec non fomes hinc aderat diſſenſionis, quæ inter populum Iudaicum atque Gentilem verſabatur; cum, religione, cultuque Deorum inter ſe maxime diſſiderẽt; odioque mutuo ſe ſe perſequerentur. Has omnes igitur inimicitias Chriſtus diſſoluit in carne ſua, legalia euacuans, & morte delẽs peccata hominum. Quod etiã ſcriptum eſt in epiſ.
Coloſſ. 2. ad Coloſ. dum dicitur, *omnia in ipſo pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt*.

Q *Legem mandatorum decretis euacuans*. Gręce δόγμασι. Quem locum quidam ita interpretantur, quòd Chriſtus euacuauit legem mandatorum, quo ad decreta poſitiua iuxta ſacrificia impoſita, & alia huiuſmodi pręcepta; vt, ne tetigeris, ne guſtaueris; quę euacuanda erant. Verum, ſi Apoſtolus id voluiſſet intelligere, dixiſſet euacuans, τὸν νόμον τὸν ἐν δόγμασι: ideſt, legem ad decreta attinentem; vt diſtingueret hunc in modum, qua in parte lex eſſet euacuata. Itaque dicemus, hic ab Apoſtolo explicari, quo nam modo Chriſtus diſſoluerit inimicitiam, nempe hac ratione; quatenus euacuauit legem mãdatorum, ipſam moſaicã, quę ſine fide erat (ſiquidem, vt dicitur in Epiſt. ad Galat. *lex autem non eſt ex fide*) & attulit dogmata fidem concernentia; vt Gal. 3.
hoc reſpondeat ijs, quæ habentur in Epiſt. ad Rom. Rom. 3.
quòd eſt excluſa gloriatio Iudæorum, non per legem factorum, ſed per legem fidei. Indubitatum eſt enim, quòd pręcepta euangelica fidem in primis requirunt; vnde illud ad Rom. *Si confitearis ore tuo* Rom. 10.
dominum Ieſum, & in corde credideris, quòd Deus illum ſuſcitauit, a mortuis, ſaluus eris. Chryſoſtomus, Chryſoſt.
Theophylactus, & Gręca Scholia intelligunt, per hom. 4.
decreta, aut fidem ipſam, aut pręcepta euangelica, Theoph.
quę Chriſtus promulgauit. Theodoretus ait: *de-* Gr. Scho.
creta, ſeu placita, appellat doctrinam euangelicam, Theodor.
quoniam, in animi electione, ſita eſt perfectionis recta inſtitutio. Vnde, *qui poteſt* (inquit) *capere capiat; ſi vis perfectus eſſe, vende quæ habes; quando ieiunas &c. Hæc fiunt non ex lege, ſed ex libera animi voluntate*.

R *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & prophetarum*. Omnes, qui Chriſti fidem ſuſcipimus, creamur noua creatura in Chriſto, & ſtruimur, vt ſimus templum Dei in Spiritu ſancto, per Chriſtum communicantem nobis Spiritum ſuum: qui Chriſtus, eſt fundamentum (cum aliud poni non poſſit, vt dicitur ad Corint.) ſuper quod 1. Cor. 3.
ſtruxerunt Apoſtoli, & prophetę pro ędificio totius Eccleſię erigendo. Hoc autem fundamentũ, Chriſtus nempe, eſt lapis angularis; de quo dicitur, quòd erat lapis reiectus ab ędificatione templi ſalomonis, & in angulo fuit poſitus, de quo dixit Dominus in Euangelio; *& eſt mirabile in oculis veſtris*. Matth. 21.
Erat autem poſitus in angulo, ad denotandũ, quòd duo populi, in Chriſto erant coniungendi in vnum. Et ſuper hunc lapidem Apoſtoli, prędicando, Chriſti fidem fabricauerunt, & ſtruxerunt Eccleſiam. Et de hoc luculentius actum eſt in cap. prioris epiſt. ad Corin. in Adnot. E. Theophylactus autem ſupponit Theoph.
Apoſtolos, & prophetas pro fundamento ſubeſſe; ipſos vere Epheſios, (vt ſuperpoſitam molem) ſtructuram reliquam abſoluiſſe.

PARAPHRASIS. CAP. III.

HVIVS rei gratia (vt ędificemini in Templum ſanctum Dei) Ego Paulus vinculis obſtrictus Ieſu Chriſti pro vobis Gentibus (ſi tamen audiſtis diſpenſationem gratię Dei, quę data eſt mihi ad veſtram ſalutem; quoniam ſecundum reuelationem notum factum eſt mihi ſacramentum, quale ante deſcripſi paucis verbis; ad quę reſpicientes, legendo poteſtis intelligere, quę ſit intelligentia, & prudentia

dentia mea circa myſterium Chriſti, quod in alijs generationibus non eſt agnitum filijs hominum; ſicuti nunc, poſt Chriſti reſurrectionem, reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius, & Prophetis in ſpiritu) Gentes eſſe cohęredes promiſſionis a Deo factę populo Hębręorum; & concorporales, & comparticipes in Chriſto Ieſu per euangelium; cuius factus ſum Ego miniſter ſecundum donum gratię Dei, quę data eſt mihi; ſecundum operationem virtutis eius. Mihi enim omnium ſanctorum minimo, data eſt hæc gratia, Gentibus euangelizare imperueſtigabiles diuitias, quæ in Chriſto ſunt reconditæ; & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio, & communicatio ſacramenti abſconditi a ſeculis in Deo, qui omnia creauit per Ieſum Chriſtum; ita vt, nooteſcat nunc principalibus, & poteſtatibus cœleſtibus per Eccleſiam, moltiformis ſapientia Dei, quam fecit ſecundum præfinitionem ſeculorũ in Chriſto Ieſu domino noſtro, io quo habemus fiduciam, & acceſſum ad Deum in confidentia illa, quę pendet ex fide, quam habemus in Chriſto. Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis, quas pro vobis patior, quæ ſunt gloria veſtra. Huius igitur rei gratia (vt reuertar ad id, quod maximopere viget me veſtri cauſa) flecto genua ad Patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlis, & io terra nominatur, vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ, virtute corroborati, per ſpiritum eius, in ioteriorem hominem; Chriſtum habitare per fidem io cordibus veſtris; vt hinc, in charitate radicati, & fuodati, poſſitis cõprehendere cum omnibus ſanctis; quid ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum, quibus typis (quantum nobis fas eſt in hac vita) Dei celſitudo explicator. Scire etiã Chriſti charitatẽ exuperantẽ omnem cognitionem; vt ita, tum quoad diuinitatẽ, tũ quo ad humanitatẽ, impleamini in omni plenitudine Chriſti, beatitudinẽ conſequentes; quę ſita eſt in cognitione Dei viui, & Ieſu Chriſti filij ſui. Ei autem, qui potẽs eſt omnia facere ſuperabũdaoter, quàm oos petimus, aut intelligimus, ſecundum eius virtutem, quæ operatur in uobis, ipſi gloria in eccleſia, In Chriſto Ieſu, in omnes generationes ſeculi ſeculorum. Amen.

Editio vulgata.

HVIVS rei gratia, ego Paulus vinctus Chriſti Ieſu, pro vobis gentibus: ſi tamen audiſtis diſpẽſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi in vobis, quoniam ſecundum reuelationem notum mihi factum eſt ſacramentum, ſicut ſupra ſcripſi in breui: prout poteſtis legentes intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti, quod alijs generationibus non eſt agnitum filijs hominum, ſicuti nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius & Prophetis in Spiritu. Gentes eſſe cohæredes, & cõcorporales, & comparticipes promiſſionis eius in Chriſto Ieſu per Euangelium: Cuius factus ſum miniſter ſecundum donum gratiæ Dei, quæ data eſt mihi ſecundum operationem virtutis eius. Mihi omnium ſanctorum minimo, data eſt gratia hæc: In gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes quæ ſit diſpenſatio ſacramẽti abſcõditi a ſeculis in Deo, qui omnia creauit, vt innoteſcat nũc principibus, & poteſtatibus in cæleſtibus, per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei, ſecundum præfinitionem ſeculorum, quam fecit in Chriſto Ieſu Domino noſtro. In quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia, per fidem eius. Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælis, et in terra nominatur, vt det vobis ſecũdum diuitias gloriæ ſuæ, virtutem corroborari per Spiritum eius in interiori homine, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati, & fundati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum: ſcire etiam ſuper eminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quàm petimus aut intelligimus, ſecundum virtutem quæ operatur in nobis: ipſi gloria in eccleſia, & in Chriſto Ieſu in omnes generationes ſeculi ſeculorum. Amen.

ADNOTATIONES.

HVIVS *rei gratia, Ego Paulus vinctus Chriſti.* Hic primom illud occurrit adootandum, vocem hanc, *vinctus*, ſtare a parte ſubiecti, vt patefacit adiectus articulus, ὁ, græce enim legitur ὁ δέσμιος, ſicuti etiam infra cap. 4. eodem modo habetur. Vinctum autem Chriſti ſe nominat Apoſtolus; propterea quòd vinctus, & in carcere ductus eſſet ob Chriſti nomen; qui pro ſuis, ſibi aſcribit ſuorũ fidelium afflictiones. Chryſoſtomus aotem, & Theophylactus continuantes præſentem contextum, dicunt, Apoſtolum docere, non ſolum Chriſtum pro Gentibus crucifixum; ſed & ipſum Paulum vioctum eſſe, & in carne poſitum ob hoc idem. Græca autem ſcholia, ſupponuot oratioois ἀνταπόδοσιν: ideſt retribononem, ibi ſitã eſſe; vt coniungantur verba poſita in initio capitis, *Cuius rei gratia*, &c. cum alijs: *mihi minimo ſanctorum data eſt gratia*; ac ſi ita interpretentur, Huius rei gratia, nempe, vt vos, coędificemini in habitaculum eius (mihi Paulo, qui iam vinctus ſum Ieſu Chriſti, & miotmus omnium ſanctorum, data eſt gratia hæc, euangelizare in Gentibos, &c. Neq; interest (dicũt) quòd motetur rectum, in obliquum; cũ id, in eiuſmodi circuitionibus ſermonis, quibus vtitur Apoſtolus, ſæpe vſurpauerint Thucidides, & Demoſthenes præcipui oratores. Supplent autem hi omnes verbum ſubſtantiunm; ac ſi dixiſſet: Apoſtolus, Ego vinctus ſum Chriſti. Hieronymus vero cenſet ſolecíſmum eſſe in hac oratione. Nam inquit: pro eo, quod dicere debuit, *huius rei gratia, Ego Paulus vinctus Ieſu Chriſti pro vobis Gẽtibus, cognoui myſteriũ*, &c. ait: *huius rei gratia Ego Paulus vinctus ſecundum reuelationem notum mihi factum eſt*, &c. Sed contra Hieronymum facit illa vocula, *quoniam*, quam ipſe diſſimulaſſe videtur. Aliquis autem ex commentarijs Ambroſij ſupplet orationẽ ad hunc modum.

A

Chryſoſt. hom. 6.

Theoph.

Græ. ſchol.

Hieron.

Ambr.

Huius

Huius rei gratia, Ego Paulus vinctus Ieſu Chriſti, pro vobis Gentibus legatione fungor.

Adamus Sasbout.

Sed (vt adnotauit doctiſsime Adamus Sasbout) veriſimile eſt, huic parti orationis, Apoſtolum reddidiſſe primum verbum circa finem capitis, dũ ait: *Huius rei gratia flecto genua mea, &c.* Quam interpretationem probabiliorem reddi exiſtimaremus, ſi dixerimus, hæc inuicem ita coniungi, vt quæ in calce habentur capitis præcedẽtis, eadem (licet ſub alijs verbis) hic repetantur, ita vt hunc in modum verborum coniunctio, ordo, & ſenſus conſtituatur: *In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu ſancto.* Et ſunt poſtrema verba capitis pręcedentis: quibus hęc alterius huius capitis verba ſubſequuntur. *Cuius rei gratia, Ego Paulus vinctus Chriſti Ieſu pro vobis Gentibus.* Ad quę deinde ſequuntur plurima, per parẽtheſim longiſsimam, & hyperbata plura interiecta: videlicet hæc: (*Si tamen audiſtis, diſpẽſationẽ gratia, quæ data eſt mihi in vobis, &c.*) continuando vſque ad illam partem; *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur, vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ virtutem, corroborari per ſpiritum eius in interiori homine, Chriſtũ habitare per fidẽ in cordibus veſtris,* &c. Adeo quòd dicere poſſumus; ꝙ cum in initio cap. dixit: *Cuius rei gratia, Ego Paulus.* &c. voluit ſubintelligere, quę inferius poſuit; *Flecto genua mea, etc.* & cuius nam rei gratia hoc? nempe ob id, quod dictum erat in calce capitis præcedentis: *In quo & vos coędificamini in habitaculum Dei in Spiritu ſancto.* Vt ita fiat in vobis. Quod cum in initio huius capitis non expreſſiſſet, myſteriorũ copia (quibus plenum erat pectus Paulinum) inter ſcribendum obrutus, vt communem ſermonis curſum tenere non potuerit: ideo, poſt lõgam digreſſionem, idem ſubiecerit; dum dixit. *Huius rei gratia flecto genua ad Patrem domini noſtri Ieſu Chriſti.* Et quorſum hoc? aut propter quid? nempe. *Vt det vobis ſecundum diuitias glorię ſuę virtutem, corroborari per ſpiritum eius in interiori homine, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris.* Quorum verborum ſenſus, ſi recte perpendantur, ſenſui aliorum verborum correſpõdet, quæ ſunt poſita in calce capitis præcedentis; videlicet illis: *In quo & vos coędificamini in habitaculum Dei in Spiritu ſancto.* Longa autem parentheſis, ſiue hyperbata interiecta, continent enarrationem diſpenſationis factę Paulo a Deo, circa myſterium abſconditum, ſibique communicatum, vt illud euangelizaret in Gentibus.

B *Si tamen audiſtis diſpenſationem gratię Dei, quę data eſt mihi in vobis.* Hæc verba pẽdent ex illis alijs: *vinctus pro vobis Gentibus;* vt ijs inſinuet Apoſtolus, quomodo a Deo id ſibi venerit; hincque periodum orationis contexit longa hyperbato productam, vt enarrauimus. Diſpenſationem autem gratiæ ſibi collatæ explicat, dum dicit: *quoniam ſecundum reuelationem notum mihi factum eſt ſacramentum, &c.* Dum ſcilicet myſterium redẽptionis humanæ ſibi eſt reuelatum, mandatumq;, vt illud Gentibus euangelizaret. Circa quam reuelationem, per ea, quæ in ſuperioribus enunciauit tam alta de Dei prouidentia, atque Chriſti exaltatione, potuerunt, (inquit) Epheſij intelligere prudentiam ſuam, græcæ σύνεσιν, quæ proprie ad virtutem intelligendi refertur, vt patet ex lib. 6. Eth. apud Ariſt. vt hinc denotetur, reuelationis myſteria de Chriſto ſibi maxime nota, atque perſpicua fuiſſe. Videtur autem poſſe dubitari, quòd Apoſtolus Epheſijs, ante hanc epiſtolam, non prædicaſſet, ex hoc, quòd dixerit, *ſi tamen audiſtis diſpenſationem gratię, quę data eſt mihi.* Quaſi antea de hoc notitiam non habuerint; quam tamen illos habuiſſe veriſimile eſt, ſi Epheſijs Euãgelium prædicauerat. Cui quidem dubitationi occurri poteſt, dicendo, quòd in initio prædicationis factæ apud Epheſios, illis, vt adhuc imperfectis, hæc tam alta myſteria, atque profunda dogmata, non explicauerat, vt egit conuenienter in hac Epiſtola, cum iam multum profectum feciſſent in Chriſtianiſmo.

C *Quod alijs generationibus non eſt agnitum filijs hominum.* Ex hoc dicto ſuboritur difficultas, cum Dominus dixerit in Euangelio; quòd Moyſes, & Luc. 24.
Prophetæ de ipſo ſcripſerunt, quomodo igitur di- Ioan. 5.
cit Apoſtolus, quòd non eſt agnitum Myſterium filijs hominum? Chryſoſtomus, & Hieronymus in numero hominum, non cenſent hic computari Patriarcas. Quibus tamẽ id obijci poſſe videtur, quòd & Chriſtus filium hominis ſe nominauit. Propterea, ad euacuandam hanc difficultatem, ſat erit dicere; quòd in alijs generationibus, & ſeculis, ita non eſt agnitum, & reuelatum, nec ſine vmbra, myſteriũ Chriſti; ſicuti Apoſtolis, & Prophetis, poſt Chriſti aduentum, & eius conſummationẽ, manifeſtatũ eſt: quod & Chryſoſt. affert in eadem hom. 6. Dum autem dicit Apoſtolus, *in ſpiritu,* innuit, quòd non caro, & ſanguis myſterium Apoſtolis reuelauit: ſed Spiritus ſanctus Dei, qui eorum intellectum illuminauit, atque edocuit. Moyſes autem, & teſtamenti veteris Prophetæ, de toto myſterio Chriſti in geneſe, non autem diſtincte enunciarunt.

Chryſoſt. hom. 6. Hieron.

D *Gentes eſſe cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſsionis.* Ijs tangitur beatitudo ex parte corporis, & animæ, quam ſancti Dei ſunt cõſecuturi. Quòd autem hæc fuerint etiam conferenda Gentibus, non cognitum fuiſſe Patriarchis, & Prophetis veteribus, cenſet Ambroſius, quòd Gentes ſine circuncisione exiſtentes, participes fierent donorum. Verum, in oppoſitum, prophetiæ clamãt in fauorem Gentium. Chryſoſtomus autem inquit, hoc ignoraſſe Patriarcas, quòd ex æquo cum Iudæis futuræ eſſent Gentes participes. Vel inquit, non ſic aperte hoc cognouerunt, cum multæ circunſtantiæ, & conditiones, quæ conuenerint in hoc myſterio, latuerint veteres. Sed forte hæc verba, *quòd alijs generationibus non eſt agnitum filijs hominum.* Non ſunt referenda ad comparticipationem donorum futuram etiã in Gentibus; ſed ſimpliciter ad totum myſterium Incarnationis Chriſti, & modi mundum redimendi; quę certe non ita agnita fuerunt (ſicut dictum eſt antea) a filijs hominum, quemadmodum poſt Chriſti aduẽtum, & conſummationem ſuæ mortis, & reſurrectionis, ſunt reuelata ſuis ſanctis Apoſtolis, & Prophetis.

Ambr. c. 3.

Chryſoſt. hom. 6.

E *Inueſtigabiles diuitias.* Dubitat Theodoretus,

Theodor.

tus,quomodo Apoſtolus illas prędicabat,ſi ininneſtigabiles erant? Et inquit: prædicabat, quòd eſſent imperueſtigabiles. Ad quod & addi poteſt, quòd, ſine reuelatione præuia facta a Deo,erant imperueſtigabiles, non autem poſt reuelationem.

F *Sacramenti abſcõditi a ſeculis in Deo.* Hinc colligitur,quòd myſterium,ſi abſcõditum erat in Deo, præſertim de Verbo incarnando,nulli igitur creaturæ,non Angelis,non hominibus patere poterat;niſi quibus Deus voluit reuelare.

G *Qui omnia creauit.* Iis verbis,adduntur in gręcis cod. hæc alia. *Per Ieſum Chriſtum.* Quæ explicans

Theoph. Theophylactus inquit: *quia nihil ſine ipſo factum eſt.* Vel *per Chriſtum reuelatum eſt ſacramentum.*

H *Vt innoteſcat.* Huic verbo, Græci addunt aduerbium, *nunc*, vt reſpondeat dicto ſuperius: *Sicutì nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis.* Sed addito,vel ſublato,non variatur ſenſus. Dicit igitur ſacramentum abſconditum in Deo, quod nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis, innoteſcere principibus, & poteſtatibus in cœleſtibus, ideſt, non terrenis, non diabolicis;ſed Angelicis,& cœleſtibus poteſtatibus; idque per Eccleſiã hanc militãtem ex Chriſti membris conſtitutam: & hoc in tempore Apoſtolorum, dum populos ad fidem Chriſti ipſorum prædicatione perducerent, & ita Chriſti virtutem manifeſtarent,quam & Angeli conſpicerent. *Secundum præfinitionem ſeculorum.* Vt hinc appareat denotari, quòd in tempore innotuit, ex progreſſu Eccleſiæ, multiformis Dei ſapientia circa Verbi incarnationem,& alia myſteria ad mundi redemptionem pertinentia. Quod autem attinet ad notitiam, quę ſupponitur ex tẽpore acquiſita ab Angelis, Gregorius

Greg Nyſſ. Nyſſenus(referente Theophylacto)aſſeruit,ante incarnationem, poteſtates cęleſtes habuiſſe quandam cognitionem Dei: vt puta,quòd ſola voluntate cunctã creauit,& eidem licere omnia,& curare ſapienter intelligebant. Incarnato autem Dei verbo,ex cõtrario contraria ſunt effecta: per mortem, vita ſucceſſit: per infirmitatem, potentia; per ignominiam,

Hieron. glòria Dei. Hieronymus autem cenſuit, quòd Angeli ignorarẽt myſteria, propter illam auctoritatem

Eſai.63. Eſaiæ. *Quis eſt iſte,qui venit de Edom &c.* Dionyſius

Dionyſ. autem dixit,reuelationes propheticas per Angelos fuiſſe miniſtratas, & ita circa myſteria, ergo illis fuerunt cognita. Verum poteſt haberi ratio reuelationis, qualiter fuerit facta illis a Deo, ita vt potuerint Angeli illa non ſciuiſſe, quæ ſunt ſupra ordinem, niſi ſpecialiter & ipſis reuelentur. Præterea dici etiam poteſt, quòd non omnia omnibus ſingulatim fuerunt reuelata, præſertim quo ad Verbum incarnatum. Vnde in annunciationibus factis ab Angelis de Meſſia, non apparet, niſi hominem ab ipſis exponi naſciturum, qui mundum ſaluus eſſet facturus a peccatis. At,quomodo hæc eſſent diſpenſanda, ex opere operato,Angeli diſcere potuerunt, vt hic innuit Apoſtolus, ex functionibus Eccleſię.

I *Ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra.* Græce πατριὰ, quę vox proprie ſignificat cognationem ab vno capite procedentem: iuxta quod ſignificatum, hęc eſſet verborũ interpretatio: quòd omnis cognatio, vt in Angelis, & Archangelis,Principatibus, & Poteſtatibus, nec non in familijs hominum, ita ſe habet, vt nominetur, ideſt, fit a Deo,vt omnes creatas eſſe has cognationes a Deo intelligamus. Si autem accipiatur paternitas deducta denominatiue a patre, ita dicere poſſemus,quòd Deus eſt pater Chriſti,pater eſſentialiter, non denominatiue,quoniam ex Patre Verbum,Deus de Deo,vt ex vtero genitus patris. At non ita angelicæ naturæ, & humanæ eſt pater. Nam & ſi Deus dicitur etiam pater Angelorum, & hominum,attamen nõ eſt etiam ſecundum eſſentiam in paternitate idem cum his filijs, ſicuti Verbi pater eſt: ſed tantummodo ſecundum modum creationis, & adoptionis. Et ideo dicit Apoſtolus, quòd nominatur paternitas in cœlis reſpectu Angelorum, & in terra reſpectu hominũ, ad denotandum, quòd horum Deus pater eſt non in paternitate ſecundum eſſentiam, ſed tantum ſecundum nominationem,& quandam participationem. Vnde Thomas hunc locum explicans,inquit. Tho. Aqu.
Paternitas,quæ eſt in ipſis creaturis, eſt quaſi nominalis, & vocalis. Sed illa paternitas diuina, qua pater dat totam naturam filio, abſque vlla imperfectione, eſt vera paternitas.

K *Vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ virtutem,corroborari per ſpiritum eius in interiore homine, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris,in charitate radicati,& fundati.* Horum verborum ſenſus, (ſicuti antea adnotatum eſt)conuenit ſenſui verborum in calce cap. præcedentis poſitorum, videlicet, *in quo,etiam vos vt ædificamini in habitaculum Dei,in ſpiritu ſancto.* Vnde,vt hęc efficiantur, Apoſtolus flectit genua ad Patrem D.N.Ieſu Chriſti. Et hæc quidem exoptat, atque precatur Epheſijs,ob hæc,quæ ſubiungit: *vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis,quæ ſit latitudo, & longitudo,& ſublimitas, & profundum.* Ex ipſa diſpoſitione per fidem facta in cordibus, vt Chriſtus in illis inhabitet, conſequitur beatitudo, quæ terminis vniuerſum ambientibus explicatur, cum Deus,ex ſe ſit inexplicabilis. Dicit autem Apoſtolus; *vt poſſitis comprehendere*,non abſolute inquiens longitudinem, & latitudinem, & reliqua: ſiquidem Deus eſt incomprehenſibilis ab intellectu creato; ſed ait; *quæ ſit latitudo, & longitudo*,&c. vt aliqualis notitia innuatur,quæ a nobis haberi poſſit de Deo. Hieronymus autem applicat *altitudinem*, ad Angelos, *profunditatem* ad inferos, & Hieron.
quæ infra eos ſunt; *longitudinem* autem, & *latitudinem*, ponit eſſe media inter inferos, & ſuperos; Auguſtinus vero in epiſt. ad Honoratum, *latitudine* cõprehendi,ait, bona opera charitatis,*longitudine*,perſeuerantiam in bonis operibus,*altitudine*, ſpem cœleſtium pręmiorum; *profunditate* vero, Dei iudicia. Aug. epiſt. 120 ad Honor.
Alij referunt ad myſteria, vt Gregorius Nyſſes, applicans longitudinem,& latitudinem, & reliqua ad crucis myſterium. Greg Nyſſ.

L *Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti.* Hoc ad Chriſti humanitatem pertinet, qui erga nos ſibi inimicos eam exercuit charitatem, vt eius cognitio omnem ſcientiam, & omnem noſtri intellectus captum exuperet.

M *Vt impleamini in omnem plenitudinẽ Dei.* Quæ verba Theodoretus explicans,inquit; *vt Deum per-* Theodor.

ſecte

Theoph. *fecte inhabitantem ſuſcipiatis.* Theophylactus: *vt ſitis omni virtute repleti, qua plenus eſt Deus.* Poſſent etiã hæc aptari beatitudini, de qua fuit ſermo antea: quę

Ioan. 17. etiam pendet ex comprehenſione immenſæ charitatis Chriſti erga nos: iuxta illud Euangelicum; *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum:* adeo quòd Apoſtolus optet, Epheſios & ſpiritu, & corpore impleri, ſecundum perfectionem, quam Deus largitur ſanctis ſecundum captum ipſorum.

PARAPHRASIS.

Capit. IIII.

OBSECRO itaque vos ego vinctus in Domino, vt digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes vos inuicem in charitate, ſoliciti ſeruate vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Vnum eſtis corpus myſticum, & vnus ſpiritus; ſicuti & vocati eſtis in vna ſpe communis vocationis veſtræ. Vnus eſt Dominus Ieſus Chriſtus, Redemptor noſter. Vna fides, non varia, circa eadem dogmata. Vnum baptiſma, emanans ab eodem fonte corporis Chriſti. Vnus Deus, & Pater omnium noſtrum, qui ſuper omnes nos præſidet, & omnia regit ſua prouidentia, & in omnibus nobis inhabitat per gratiã. In hac autem corporis myſtici, & ſpiritus vnitate, vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis, quam Chriſtus largitur. Propter quod dicit pſalmographus: aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quid autem ſibi vult, aſcendit? niſi quòd prius deſcenderit in inferiores partes terræ? qui deſcendit, vtique idem eſt, qui & aſcendit ſuper omnes cęlos, vt omnia impleret ſua potentia, & dominatione. Idem ipſe Chriſtus diſtribuens dona hominibus, ex ipſis, alios conſtituit Apoſtolos, alios vero prophetas, alios autem Euãgeliſtas; alios paſtores, & doctores, & hos omnes ad conſummationẽ ſanctorũ, in opus illius miniſterij, quod tẽdit ad ædificationem corporis myſtici Chriſti; donec omnes, in vnitate fidei, & cognitionis filij Dei, occurramus, & perueniamus in virum perfectum, in menſuram ætatis conuenientis plenitudini Chriſti; vt perfectam de ipſo cognitionem, ac ſtabilem, iuxta fidei dogmata, obtineamus: ita quidem, vt nõ ſimus amplius (veluti infantes inualidæ ætatis) fluctuãtes; qui huc, illuc circumferamur omni vento doctrinæ, a nequitia, & aſtutia hominum ſtudentium errore alios circumuenire. Sed veritatem, rectamque fidem ſectãtes, in charitate creſcamus per omnia, in eo innixi, & eius auxilio ſuffulti, qui corporis prædicti eſt caput, ipſe Chriſtus. Ex quo totum corpus eccleſię bene compaginatum, atque connexum, per contactum ſubminiſtrationis (quæ a Chriſti ſpiritu emanat ſecũdum eius efficacem operationem, in menſura cuique parti congrua) facit augmentum corporis, in eius ædificationem, in charitate, per quã perfectio, & conſummatio hæc obtinetur. Hoc igitur dico, & teſtificor in Domino; vt iam non ambuletis, ſicuti & reliquæ gentes ambulant, in vanitate ſenſus ſui, mente obtenebrati, abalienati a vita Dei ob ignorantiam, quæ eſt in illis propter cęcitatem cordis eorum. Qui quidem deſperantes (vt obdurati in impęnitentia, nullãque dolentiam admittentes peccatorum) ſemetipſos tradiderunt vitę impudicæ atque diſſolutę, operantes omnem immunditiam coniunctam auaritiæ. Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum: ſi tamen ipſum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, iuxta veritatem, quæ eſt in Chriſto Ieſu; quomodo oporteat vos deponere, ſecundũ priſtinam viuendi cõuerſationem, veterẽ hominẽ, qui ad interitum ducitur ſecundum concupiſcentias, quæ decipiunt homines, renouari autem ſpiritu mentis veſtræ, & induere nouũ hominem, creatum ſecundum Deum in iuſtitia, & vera ſanctitate. Quapropter, deponentes mẽdacium, loquimini veritatem, vnuſquiſque cum proximo ſuo; quoniam ſumus inuicẽ membra. Iraſcimini, & nolite peccare: ſol non occidat ſuper iracũdiam veſtram: & nolite locum date Diabolo, vt vobis dominetur. Qui furabatur, iam non furetur; magis autem laboret operãdo manibus ſuis quod bonũ eſt, vt habeant vnde tribuat neceſſitatem patienti. Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed qui bonus eſt, ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Et ne cõtriſtetis Spiritum ſanctum, in quo ſignati eſtis in die redemptionis. Omnis amarulentia, ne dum excandeſcentia; ne dum ira, indignatio, & blaſphemia, tollatur a vobis cũ omni malitia. Eſtote autem inuicem benigni, miſericordes, donantes vobis inuicem, ſicuti & Deus, in Chriſto, iniquitates noſtras donauit nobis.

Editio vulgata.

OBSECRO *itaque vos ego vinctus in Domino, vt digne ambuletis vocatione qua vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes inuicem in charitate, ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus ſpiritus: ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma. Vnus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Vnicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. Propter quod dicit, Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ? Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit ſupra omnes cęlos, vt impleret omnia. Et ipſe dedit quoſdam quidem. Apoſtolos, quoſdam autẽ Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem paſtores, & doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem*

uentionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput, Chriſtus: ex quo totum corpus compactum, & cõnexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate. Hoc igitur dico, & teſtificor in Domino, vt iam non ambuletis ſicut, & Gentes ambulant, in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis propter cæcitatem cordis ipſorum, qui deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in auaritiam. Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum: ſi tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, (ſicut eſt veritas in Ieſu.) Deponite vos, ſecundum priſtinam conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſiderium erroris. Renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo: quoniam ſumus inuicem membra. Iraſcimini, & nolite peccare: ſol non occidat ſuper iracũdiam veſtram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operando manibus ſuis quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti. Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus eſt ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Et nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur a vobis cum omni malitia. Eſtote autem inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem, ſicut, & Deus in Chriſto donauit vobis.

ADNOTATIONES.

A VNVM *Corpus, & vnus Spiritus*: Qui baptiſmo ſunt inſigniti, & ſi plura mẽbra ſint, attamen per baptiſmum euadunt vnum corpus myſticum. Quapropter, queadmodum in corpore vnuſcuiuſque adeſt vnus ſpiritus, qui vegetat omnia membra corporis, & ea ſimul continet; ita quoque in myſtico corpore fidelium, debet eſſe vnus ſpiritus, per quẽ omnia membra regantur, & contineantur. Eſt autem iſte ſpiritus, ipſa Dei charitas diffuſa in cordibus fidelium.

B *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus, & pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Hæc omnia perſonant vnitatem, quæ in animis fideliũ eſſe debet: vnus enim, & idem eſt Dominus, & redẽptor noſter Chriſtus. Vna fides, quæ, quo ad credenda, eadem eſſe debet in omnibus; non quo ad virtutem, & vigorem fidei, quæ varia, tum maior, tum minor in fidelibus reperitur: vnde illud Apoſtolorum ad Chriſtum, adauge
Luc. 17. nobis fidem. *Vnum baptiſma*, emanans ex virtute corporis Chriſti, in quod conſepelimur, pariterque creamur, atque renouamur in nouum hominem, mundari a peccatis veteris hominis. *Vnus Deus, & pater omnium*: Deus quidem omnium, ſed pater eſt fidelium, qui per ipſum regenerantur: *qui eſt ſuper omnes*; vt qui omnibus nobis præſit, & dominetur, vti eſt etiam creator omnium. *Et per omnia*: Seu, per omnes nos percurrit ſua ſapientia, noſque regit. Quibus verbis poteſt denotari filius: ſicuti per præcedentia, pater ſignificatur. *Et in omnibus nobis*; nempe, habitans per gratiam, vti etiam per potentiam; & innuitur Spiritus ſanctus. Hinc, ex hac tanta horum omnium vnitate, vnio quoque maxima innuitur, quæ debet eſſe in animis fidelium.

C *Vnicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.* Quemadmodum in corpore noſtro plura ſunt membra, & horũ diuerſa ſunt munia. Ita, in corpore myſtico Chriſtianiſmi, plura ſunt membra, & plura in ijs diuerſa dona gratiarum diuinarum exiſtunt: ob quam diuerſitatem, niſi adſit charitas, quæ inuicem vniat omnia membra ad idem opus, & ad cõſummationem vniuerſalis Eccleſiæ, proculdubio rueret huiuſmodi corpus ad perniciem. Idcirco Apoſtolus hortatur Epheſios ad vinculum charitatis; docens, ad hanc ipſam tuendam multum conferre, ſi membra nihil ſibi aſſumant, tanquam ex ſe ipſis quidpiam valeãt. Quod & maxime decens eſt fieri, cum omnia dona ſingulis membris ſint collata a Dei bonitate, in gratiam Chriſti, ad hoc, vt per ſingula membra perficiatur Eccleſiæ ędificatio. Siquidem, (vt dicit Apoſtolus) vnicuique data eſt gratia ſecundum menſurã donationis Chriſti. Vti enim placuit Chriſto, ſic ad membra deriuarunt gratię donorum. In quam ſententiam ſcriptũ eſt quoque in Epiſtola ad Rom. Rom. 12.
quòd Deus diuiſit menſuram fidei; quoniã ſcilicet, ad rationem, & proportionem fidei diſtribuantur dona, vt conuenit cuiuſque vocationi, & fidei, ſecundum Dei prouidentiam.

D *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Hęc Paulus ex pſal. 67. Pſal. 67.
deſcripſit, ſecundum eius conſuetudinem, ad ſuum ſenſum verba accommodans: Ita enim legitur in pſalmo; *Aſcendiſti in altum, cępiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus.* Sunt vero, qui illud, *aſcendens in altum*, intelligant aſcenſum in cruce; de quo dixit Dominus. *Et ego, ſi exaltatus fuero a terra, om-* Ioan. 12.
nia traham ad me ipſum. Alij intelligunt aſcenſum in cœlis, in quo ſecum duxit ſanctos illus patres, qui ſub Diaboli imperio captiui tenebantur, quos Chriſtus in ſuam vendicans ditionem, hac ratione ſibi captiuos reddidit, eoſdemque vera libertate donauit. Nonnulli aduertunt, phraſim eſſe poſſe hebraicam, cum dicitur, *captiuã duxit captiuitatem*; pro eo, quod eſt, captiuos ducere. Poſt autem hunc aſcenſum in cœlis, Chriſtus promiſſum Spiritũ ſanctum emittens, in hac miſſione, hominibus dona, et gratias contulit. Cum autem in pſalmo legatur; *Accepiſti dona in hominibus.* Et Apoſtolus dicat. *Dedit dona hominibus*: hinc Auguſtinus in Trac. pſal. Pſ. l. 67.
67. Inquit, quòd Chriſtus, ſecundum dictum Apo- Auguſt. in tract. pſ. 67.
ſtoli, aſcẽdens in cęlum dedit dona hominibus, mittens illis Spiritum ſanctum; qui Spiritus ſanctus eſt patris, & filij. Secũdum autem pſalmiſtam, accepit dona in hominibus; quoniam, quæ membris ſuis collata ſunt, ipſe cenſet accepiſſe in ſe ipſo. Idem in

lib. 15.

lib. 15. de Trini. ait. *Dedit hominibus, tanquam caput,*
Idem li. 15. de Trinit. *membris ſuis; accepit in hominibus, idem ipſe vtique*
in membris ſuis; & dedit de cęlo; accepit in terra. Qui-
dam alij dicũt, pſalmiſtam ita locutum eſſe, vt qui,
quòd erat futurum, pronunciaret; nempe, Chriſtum
accepiſſe dona, quę largiretur hominibus, & quòd
Apoſtolus commemorans rem iam confectam, di-
xit; *Dedit dona hominibus.* Adnotat autem Theo-
Theoph. 1. Cor. 12. phylactus hic dici, quòd filius largitur dona Spiri-
tus ſancti: alibi vero (vt in priori epiſt. ad Corinth.)
dici, Spiritum ſanctum impartiri hanc gratiam, vt
omnia operetur vnus idemq; Spiritus. Alibi quo-
que, Patrem datorem harum gratiarum ſignificari,
ſicut in eadem epiſtola ad Corinthios, dum dicitur:
1. Cor. 12. *Poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo*
prophetas, &c. vt hinc innuatur, communem Trini-
tati hanc ineſſe operationem, ſeu diſpenſationem
Theodor. gratiarum. Theodoretus autem ponderans verba
pſalmographi, *accepit dona in hominibus.* Et hęc alia
Apoſtoli, *dedit dona*: Vtraque inquit facta ſunt, ac-
cipiens fidem, reddit gratiam.

E *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & de-*
ſcendit primum in inferiores partes terræ. Pſalmo-
graphi dictum Apoſtolus interpretatur. Nempe, ex
eo, quòd dicatur aſcendiſſe, ſignificari, quòd prius
deſcenderit in inferiores partes terræ, cum Chriſti
anima ad inferos deſcenderit, vt ſit idem, qui pri-
mum deſcendit ad inferos, poſt mortem ſuam; &
poſtea aſcendit ſuper omnes cęlos. Ex quibus qui-
dem Apoſtoli verbis, nulla datur anſa hæreſi Ne-
ſtorianæ, quòd Chriſtus corpus e cęlo duxerit, vt
cenſuit Neſtorius; hic enim eſt ſermo de Chriſti de-
ſcenſu ad inferos, & de eiuſdem aſcenſu ſuper om-
nes cęlos. Deſcendit autem ſine corpore ad inferos,
Theodor. ac mox (vt dicit Theodoretus,) aſcendit ad cęlos cũ
corpore. Illud vero, quod dixit Dominus in euan-
Ioan. 13. gelio: *nemo aſcendit in cęlum, niſi qui deſcendit de cęlo,*
filius hominis, qui eſt in cęlo, pertinet ad Verbum, ſe-
cundum perſonam in diuinis, quæ exiſtens Deus,
vbique ſemper eſt, & fuit, & numquã deſcendit, tan-
quam de cęlo ad locum progrediens; niſi ad hunc
ſenſum, quatenus aſſumpſit carnem humanam, &
Ioan. 1. in propria venit, vt dixit B. Ioannes Euangeliſta. Vn-
de Chriſtus in terris eſt conuerſatus, obtinens cor-
poraliter diuinitatem.

Gr. ſcho. F *Vt impleret omnia.* Gręcanica ſcholia inquiunt.
Nuda quoque diuinitate olim implebat, & incarnatus
eſt, vt omnia carne impleret, deſcendit, & aſcendit
Chriſtus. Siquidem in terris, exiſtens Deus & ho-
mo, conuerſatus eſt: idem ad inferas terræ partes
peruenit, & ſuper omnes cęlos aſcendit, tranſiens
per omnia, vt ita ſua præſentia corporali impleret
omnia, & quo ad cognitionem, & quo ad potentiã,
Chryſoſto. hom. 11. atque dominium. Quod (vt notat Chryſoſtomus)
exercebatur a Chriſto, exiſtente etiam Deo.

G *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos.* Enu-
merat hoc loco Paulus, primos, atq; pręcipuos gra-
tiarum gradus, quos Chriſtus contulit hominibus
poſt ſuum aſcenſum in cęlis. Anteſignani igitur ſunt
Apoſtoli, a Chriſto electi, qui ad ædificium fidei
Chriſtianæ pertinent, tanquam fundamenta, atque
columnæ. His conſequuntur prophetæ; qui poſt
Chriſti aſcenſum adfuerunt: veluti Agabus, & filiæ
Philippi, de quibus in Actibus. Deinde Euangeliſtę, Act. 15. & 21.
tum qui conſcripſerunt Euangelia, tum qui & cir-
cuierunt prædicando, ſed non ita per vniuerſum, vt
Apoſtoli; qualis fuit Priſcilla, & Aquila; vt exponit
Chryſoſtomus. Poſt hos, numerantur Paſtores, & Chryſoſto. hom. 11.
Doctores; qui (vt exponit Auguſtinus in lib. ad Pau- Auguſt. ad
linum Epiſc.) ſunt Epiſcopi, quibus incumbit, vt etiã Pauli. epiſc.
ſint doctores; vnde animaduertitur, non dictum eſſe 69. quæſt. 4.
ab Apoſtolo ſeorſum, alios epiſcopos, & alios do-
ctores, ſed alios epiſcopos, & doctores, coniungẽdo
vtroſque, tanquam eędem deſignẽtur perſonæ, quæ
epiſcopi, & doctoris ſimul fungãtur officio. Quod
etiam ſentit Chryſoſtomus. At Theophylactus ad- Chryſoſto. hom. 11.
iungit, per, *paſtores*, poſſe intelligi ſacerdotes, & per Theoph.
doctores, miniſtros, ſeu Diaconos, qui ſermone mul-
torum labes, & ſordes abſtergant.

H *Ad conſummationem ſanctorum.* Gradus; &
functiones prædictæ collatæ ſunt per Chriſtum
hominibus, pro conſummatione ſanctorum. Quod
explicatur, dum dicitur, *in opus miniſterij*; quod &
per hęc alia exponitur, *in ædificationem corporis Chri-*
ſti, vt hinc pateat, quòd conſummatio ſanctorum
pendet ex opere miniſterij præſtiti ab hominibus,
qui ſunt dono donati a Deo, & deſtinati ad hoc mi-
niſterium, quod tendit in ædificationem, & con-
ſummationem corporis myſtici Chriſti, qui eſt ca-
put Eccleſiæ. Hæc autem peragenda eſſe munia,
docet Apoſtolus, *donec occurramus omnes*; nempe
omnes qui pertinent ad corpus Chriſti, *in vnitatem*
fidei, & cognitionis filij Dei. Quæ verba ita explicant
Theophylactus, & Græca ſcholia: vt obtineamus, Theoph. Gr. ſcho.
inquiunt, eãdem fidem, & de dogmatibus circa co-
gnitionem filij Dei non diſſideamus. *In virum per-*
fectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Id-
eſt, donec in perfectam, & abſolutam eius noti-
tiam, & fidem perueniamus. Ita enim Theophyla- Theoph.
ctus, & Photius exponunt. Oecumenius autem in- Phot.
terpretatur perfectam erga Chriſtum dilectionem, Oecum.
& de ipſo notitiam. Et cum alibi, in priori epiſtola
ad Corin. dixerit Apoſtolus, quòd nunc ex parte, & 1. Cor. 13.
in ęnigmate, & ſic imperfecte Deum cognoſcimus;
ideo Theophylactus, hanc veluti contrarietatẽ ex Theoph.
verbis Apoſtoli emanentem diſſoluens, inquit: ibi
dictum eſſe, quo ad futuræ ſcientiæ in patria diffe-
rentiam: hic autem ad facilem in crimen lapſum,
dictum eſſe ſcientiam perfectam. *Cum enim* (inquit
Theophylactus) *in prǽterita noſtra delicta nequaquam*
recidimus, tunc ſane ſumus perfectiores; & perfectio-
rem adepti ſcientiam. Theodoretus autem diuerſam Theodor.
ſecutus interpretationem, inquit, *perfectionem au-*
tem in vita futura conſequemur; in præſenti ergo Apo-
ſtolorum, & prophetarum, & doctorum auxilio opus
habemus. Vt iam non ſimus paruuli. Multi, pręſertim
ex recentioribus, intellexerũt hęc dicta eſſe de cor-
porum reſurrectione, quæ reſurgeent in ętate perfe-
cta Chriſti, tribus, & triginta annis terminata. Au- Aug. li. 22.
guſtinus autem in lib. 22. de Ciuit. Dei, ponderans de ciui. Dei
hęc Apoſtoli verba; duas affert expoſitiones. Altera cap. 15.
eſt, vt illi capiti Chriſti, accedente omnium perfe-
ctione membrorũ, ętatis eius mẽſura impleatur. Aut
ſi hoc dictum eſt de reſurrectione corporum, ita ac-
cipiendum

cipiendum eſſe inquit; vt nec ſupra, nec infra iuuenilem formam reſurgant corpora mortuorum; ſed in eius ætate, ac robore, vſque ad quam, Chriſtum huc perueniſſe cognouimus. Poſſet etiam hæc afferri interpretatio, quòd prædicta diſpenſatio, & functio Apoſtolorum, & Prophetarum, Paſtorum, & aliorum ſit futura, donec omnes, qui pertinent ad corpus Chriſti myſticum, perueniant cum vnitate fidei, & agnitionis filij Dei (in quo impletur cognitio Dei, quæ haberi poteſt in hac vita ſecundū dogmata fidei) in virū perfectum. Id autem quidnam ſit, explicatur, dum ſubiungitur: *in menſuram ætatis Chriſti*. Id eſt, ad perfectam cognitionem, & ſtabilem, quæ reſpondeat plenitudini Chriſti, vt quæ de ipſo credenda ſunt ſecundum humanitatem, & diuinitatem, iuxta eius plenitudinem, in ijs ſimul, in ipſo corpore myſtico, electi perueniant; vt non amplius, (tanquam paruuli) fluctuent, & circumferantur omni vento doctrinæ, a nequitia, & verſutia hęreticorum, & diaboli ſuggeſtione.

I *Veritatem autem facientes in charitate*. Id eſt, ſeruantes fidem integram ſine fallacia, in charitate creſcant per omnia in Chriſto, iuxta eius regulam, & per eius auxilium; quod ab ipſo, vti capite noſtro, in totum eius corpus myſticum emanat.

K *Qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum*, &c. Hic docet Apoſtolus, quo nam modo (ſtante in membris charitate, dum ſimul compacta, & connexa manent membra) auxilium, & virtus proueniat a Chriſto, qui eſt caput, in omnem contactum, & vnionem miniſtrationis; quam confert ſecundum efficaciam in quodque membrum; iuxta cuiuſque membri menſuram, atque proportionem, ita vt totum corpus augmentum ſumat in ædificationem ſui ipſius in charitate. Et hæc quidē ita explicata fuiſſe ab Apoſtolo, (animaduertit Theophylactus) vt humilitas cum charitate coniuncta ſeruetur: Et reſpondent ijs, quę habentur in epiſto. ad Rom. de vnitate charitatis ſeruanda inter membra ad cuiuſque vtilitatem: & illis pariter, quæ in hanc eādem ſententiam ſcripta ſunt Corinthijs.

Theoph.
Rom. 12.
1. Cor. 12.

L *Semetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam*. Communis eſt horum verborum interpretatio, coargui infideles de vita impudica, & de auaritia, quibus, ſe tradiderunt. Hieronymus autem, & Theodoretus, & Gręca ſcholia cum Theophylacto referunt voculā hanc *ἐν πλεονεξίᾳ*, ad immoderationem, vt accipitur in genere, cum quiſpiam ſibi vſurpat pluſquàm par eſt; vt ſit ſenſus, ſecundum horum ſentētiam, quòd tradiderūt ſe infideles impudicitiæ, in operationem immunditiæ, in auaritiam. Id eſt in immoderationem. Verum in capit. ſequenti non eſt dubium, quin hæc eadem vox πλεονεξία, accipiatur pro auaritia.

Hieron.
Theodor.
Theoph.
Græ. ſcho.

M *Si tamen illum audiſtis*. Non quòd Chriſtus Epheſijs prædicauerit, niſi quòd per præcones ſuos ad cor eorum locutus erat.

N *Veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris*. Aut homo ſimul cum prauis deſiderijs corrumpitur, vel ab ipſis prauis deſiderijs ipſe corrumpitur, vt exponit Theophylactus.

O *Renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ*. Theodoretus inquit, appellari mētis ſpiritum, ipſam ſpiritualem mentis excitationem, & motionem. Renouari autem ſpiritu, intelligunt Gręca ſcholia, ſpiritum ſanctum, qui eſt in mente noſtra. Alij ſic, *renouamini ſpiritu*, qui eſt veſtra mens. Auguſtinus autem in lib. gene: ad litt. hunc locum explanans, ait. *Non duas res voluit intelligi, quaſi aliud ſit mens, aliud ſpiritus mentis, ſed quia omnis mens, ſpiritus eſt, non omnis autem ſpiritus eſt mens; eſt enim & ſpiritus Deus, qui renouari non poteſt, ſicut nec veteraſcere; dicitur item ſpiritus in homine, qui mens non ſit, ad quem pertinent imagines ſimiles corporum*, iuxta illud ad Corinth. *orabo ſpiritu, orabo et mente*. Itē dicitur, *ſpiritus peccatorum, item, hominis vita*: vnde illud Euangelicum: *tradidit ſpiritum*: ſicut etiam in lib. Gene. dicitur, omnem carnem mortuam, quæ habebat in ſe ſpiritum vitæ. Item ſpiritus, dicitur ventus. Et notādum, ſecundum Auguſtinum, ſpiritum deſeruire animæ intellectiuę, vnde & ſecundum Theodoretum, accipitur ſpiritus pro excitatione, & motione. Verū in hoc propoſito, ſat eſt interpretari ſpiritum mentis, ad differentiam, ſpiritus vitalis, quo dicitur animal ſpirare, & reſpirare.

Theoph.
Theodor.
Græ. ſchol.
Aug. lib. 9. Gen. ad Tit. cap. 20.
1. Cor. 14.
Ioan. 19.
Gen. 7.
Theodor.

P *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*. Auguſtinus in ſermo: pſal. 25. aut (inquit) *intelligendum eſt, quòd breuiſſimo tempore permanere debet ira, quæ eſt infirmitas mortalitatis, quam portamus*; Aut ſic interpretandum ſecundum ipſum, quòd *non occidat Sol iuſtitiæ, & veritatis Chriſtus, qui per fidem in anima hominis habitat, illam illuſtrans; qui, ſi tantam videat iracundiam, occidere poteſt ab anima, vt illam deſerat*. Poſſet etiam accipi ſol, pro lumine rationis; ac ſi diceret Apoſtolus, inſurgens in vobis iracundia, non ita menti inhęreat, vt deperdatur recta ratio in vobis.

Auguſt. in pſal. 25.

Q *Et nolite contriſtare ſpiritum ſanctum Dei*. Id eſt ſpiritum, qui in medio congregationis ſanctorum aſſiſtit: in qua, ſi quis turpiter, ac perperam ſe gerat, agit id quod diſplicet ſpiritui ſancto, non quòd in ipſo affectus triſtitię cadere poſſit: ſed ita dictum eſt ad ſignificandum, quid ei diſplicere poſſet, ac ſi (vt nobis contingit) mœrore conficeretur; vnde cito, quaſi contriſtatus, recedat a nobis. Aut dicendum eſt, quòd in probis, & ſanctis viris ſpiritus ſanctus eis communicatus contriſtatur; quatenus perturbantur ob facta turpia, quæ ipſorum ſanctitas abhorret. Et hanc interpretationem attulit Auguſtinus in lib. 4. Gen. ad lit. dum dixit: quòd contriſtari dicitur Spiritus ſanctus, quoniam in ſanctis habitat; qui de lapſibus, & peccatis hominum contriſtantur, ſicut gaudent de bonis operibus: & hoc, quoniam habent Spiritum ſanctum, & hanc triſtitiam dicit eſſe laudandam, qua, diſplicere peccata, animus Dei ſpiritu ſancto donatus, manifeſtat.

Aug. lib 4. Gen. ad litt. cap. 4.

PARAPHRASIS. CAP. V.

ESTOTE ergo imitatores Dei, vt filij chariſſimi,& ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis (pro expiatione noſtrorum peccatorum) oblationẽ, atque hoſtiam Deo, in odorem ſuauitatis. Fornicatio autem, & omnis immunditia, & auaritia procul abſit a vobis, vt ne nominentur quidem inter vos, vt decet ſanctos: neque turpitudo, aut ſtultiloquiũ, aut ſcurrilitas, quæ non conueniunt, ſed magis vigeat apud vos gratiarum actio. Hoc enim pro certo habetote, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (qui idolorum eſt cultor, quatenus in dominium ſe tradidit diuitiarum) non habet hæreditatem in regno Chriſti, quod idem eſt Dei. Nemo vos ſeducat ab hac veritate inanibus verbis: propter huiuſmodi enim malefacta, ira iuſta Dei exercita eſt aduerſus filios diffidentiæ, qui Dei monitis, & eius prouidentiæ ſubijcere ſe noluerunt. Quare, nolite fieri participes eorum, tum in flagitijs, tum in pęnis. Tenebræ enim olim extitiſtis & vos, cęcitate perculſi, ſicut & iſti. At nunc lux exiſtentes in Domino, per quẽ veritatis lumen accepiſtis, vt filij lucis ambulate (fructus enim ſpiritus niſi in omni bonitate conſiſtit, in iuſtitia, & veritate) re ipſa approbãtes, quid ſit beneplacitum Deo: & nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum. Quin cõtra potius ea redarguite, & vt neſanda deteſtamini, ad aberrãtium hominum conuerſionem. Ea enim quæ latenter, vti in cubilibus, noctuque ab ijs, iuxta eorum cęcitatem, ſpurca flagitia perpetrantur, ſunt euiuſmodi, vt vel illa nominate turpe ſit. Omnia autem, quæ (vt mala) redarguuntur, & conuincuntur a lumine, manifeſtantur. Siquidẽ, quod manifeſtum redditur, id ipſum lux eſt, cum per lucem omnis fiat manifeſtatio eorum, quę prius non apparebant, neque dignoſcebantur. Atque ita, propalato peccato, & eius turpitudine atq; improbitate cognita; hinc deinde peccator reſipiſcere poteſt. Propterea, per prophetam in pſalmis dicit Spiritus ſanctus. Expergiſcere qui dormis, nempe in peccato; ſurge a mortuis, qui ſcilicet propter peccatum mortuus, atque ſeiunctus a Dei vita iacebas, & illuminabit te Chriſtus: ſi tamẽ, redargutionẽ accipiẽs, commoueberis de peccatis, atque excitaberis, tanquam a ſomno, ad Chriſti lumen. Videte itaque fratres, quomodo caute ad Chriſti normam ambuletis, non vt inſipientes, ſed vt ſapientes; redimentes, in veſtrãque vtilitatẽ veſtris bonis operibus vendicãtes tempus: quandoquidem dies mali ſunt ex hominũ perperam viuẽtium vſu. Propterea nolite fieri imprudẽtes, ſed intelligentes, quę ſit voluntas Domini: & nolite inebriari vino, in quo viget luxuria; ſed implemini ſpiritu ſancto, loquentes vobis metipſis in pſalmis, & hymnis, & cantibus ſpiritualibus, canentes, & pſalentes in cordibus veſtris Domino; gratias agẽtes ſemper pro omnibus, Deo, & patri, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti; & ſubiecti inuicem in timore Domini exiſtentes. Mulieres viris ſuis ſubditę ſint, tanquam Domino, quoniam vir eſt caput mulieris, ſicut & Chriſtus caput eccleſię. Et ipſe vir ſaluator eſt corporis. vti ille, cui incumbit onus proſpiciendi vxori; cũ eius ſit caput, & capitis munus ſit, corpori proſpicere. Verum ad eum modum ſubijciãtur mulieres viris ſuis in omnibus; pro vt eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, cui paret in omnibus; & a Chriſto dirigitur ad ſalutem. Viri vos quoq; proprias diligite vxores; ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſe ipſum morti tradidit, vt eam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitę, quo, forma baptiſmi perficitur; vt eã ſibi exhiberet glorioſam, eccleſiam ſcilicet non habentẽ maculam & rugam, aut aliquid huiuſmodi: ſed quæ eſſet ſancta, & immaculata. Ita autem viri diligere debent vxores ſuas, vti ipſorum corpora, cũ mulier ſit vna caro cum viro ſuo. Qui diligit vxorem ſuam, ſemetipſum diligit. Nam nemo propriã carnem odio habet; ſed illam cõnutrit, ac fouet; quemadmodũ & Chriſtus hoc idem præſtat erga eccleſiam: quoniam ipſius corporis mẽbra ſumus, ex carne ipſius, & oſſibus conſtituta. Propterea (ſicut ſcriptum eſt in libro Geneſeos) relinquet homo patrẽ & matrem, & adhęrebit vxori ſuæ, erũtque duo in carne vna. Sacramentum hoc matrimonij, magnum eſt, & excelſum, cuius celſitudinem (ex allegoria) dico ego conſiſtere in Chriſto, & in eccleſia; quã ſibi ſuo ſanguine ſponſam Chriſtus fecit. Verumtamen & vos ſinguli hoc præſtate: vnuſquiſque vxorẽ propriã diligat, vt ſeipſum: vxor autem virũ ſuum, vt eius caput, vereatur.

Editio vulgata.

ESTOTE ergo imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi: & ambulate in dilectione ſicut, & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos: aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet: ſed magis gratiarum actio. Hoc enim ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, (quod eſt idolorum ſeruitus) non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei. Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate, (fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate,) probantes quid ſit beneplacitum Deo: & nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite. Quæ enim in occulto fiunt, ab ipſis, turpe eſt, & dicere. Omnia autem quæ arguuntur, a lumine manifeſtantur, omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt. Propter quod dicit: Surge, qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Videte itaq; fratres, quomodo caute ambuletis non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes: redimentes tẽpus, quoniã dies mali ſunt. Propterea nolite fieri imprudẽtes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, ſed implemini Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantãtes, & pſallẽtes in cordibus veſtris Domino: gratias agẽtes ſemper pro omnibus in no-

mine

mine Domini noſtri Ieſu Chriſti Deo, & Patri. Subiecti inuicē, in timore Chriſti. Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino. Quoniam vir caput eſt mulieris: ſicut Chriſtus caput eſt eccleſiæ. Ipſe ſaluator corporis eius. Sed ſicut eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita, & mulieres viris ſuis in omnibus. Viri diligite vxores veſtras, ſicut, & Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea: vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta, & immaculata. Ita, & viri debent diligere vxores ſuas, vt corpora ſua. Qui ſuam vxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit: ſed nutrit, & fouet eam, ſicut, et Chriſtus eccleſiam, quia membra ſumus corporis eius, de carne eius, & oſſibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & in eccleſia. Verumtamen, & vos ſinguli, vnuſquiſque vxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat, vxor autem timeat virum ſuum.

ADNOTATIONES.

A Hieron. AVT *Auaritia*, græce πλεονεξία, quā vocem Hieronymus cenſet accipi pro immenſa cupiditate voluptatum, qua aliquis feratur, vt non ſit ſatis cum vxore, ſed velit etiam explere cum alijs libidinem. Verū vox πλεονέκτης (quam paulopoſt ſubiungit Apoſtolus, & indubitáter auarum ſignificat, quem etiam nuncupat idolorū cultorem) manifeſtat, & hanc aliam vocem, πλεονεξία, ab ipſo ſumi pro auaritia: quemadmodum etiā in Coloſſ. 3. epiſt. ad Coloſſen. auaritiam hac voce, πλεονεξία, nominauit, dicens; *Et auaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſeruitus.* Quod & ex hoc confirmatur, quòd Apoſtolus in præſenti cap. opponit iuſtitiam auaritiæ; ſicuti bonitatem omni immunditiæ; & veritatē, turpibus, & indecoris ſermonibus: Quam intelligen- Græ. expoſ. Theodor. tiam ſicuti ſunt etiam Græci expoſitores. Inter quos, Theodoretus animaduertit, dictum hoc de auaritia, quòd ſit idolorum ſeruitus, reſpondere illi ſententiæ euangelicæ: quòd nemo poteſt duobus Dominis ſeruire.

Math. 6. B *Aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Græce εὐτραπελία, quam in libro 4. Eth. Ariſtoteles recenſet inter virtutes morales, & vrbanitas a noſtris nominatur, virtus poſita in medio ſcurrilitatis, & Chryſoſto. hom. 17. ruſticitatis. Verum Chryſoſtomus, & ſi accipiat vrbanitatem eo modo vti eam accipit Ariſt. ipſam tamen improbat hoc fundamento: quòd non liceat Chriſtiano verba otioſa proferre. Vnde dictum illud Apoſtoli, *quæ ad rem non pertinet.* Ipſe interpretatur de vrbanitate, vt quæ ad negocium ſalutis non attineat. Verum aduertendum eſt, græce legi τὰ οὐκ ἀνήκοντα, quæ manifeſte plurium numerum ſignificant. Ac ſi diceretur, ne ſectemini, quæ ad rem non pertinent. Vnde poſſumus interpretari, referendo hoc dictum ad ea omnia, quæ tanquam turpia cōmemorata ſunt; qualis eſt turpitudo, ſtultiloquium, & ſcurrilitas, quę certe non conueniunt. Cum autem Apoſtolus ſubiungat. *Sed magis gratiarum actio*, hæc fauere videntur Chryſoſtomi interpretationi; quòd etiam vrbana dicta, ſint euitanda, cum hortetur Apoſtolus, vt potius in gratiarum actione verſetur Chriſtianus, quaſi prohibens ipſum vrbanis facetijs delectari. Siquidem, haud dubium eſt, quòd turpitudo, & ſtultiloquium (vt manifeſte mala) ſunt fugienda. Sed poſſumus etiam dicere, quòd Apoſtolus hanc vocem εὐτραπελία, acceperit, quatenus, & vrbanitati, & ſcurrilitati aptari poteſt; illamque prohibuerit ex ea parte, quæ ad rem non pertinet, & indecens eſt: nempe, quatenus declinet ad ſcurrilitatem; Nam quòd vrbanitas, ſit tolerabilis in Chriſtiano, probari poſſet ex illa ſententia, quæ vulgo B. Ioanni Apoſtolo adſcribitur; cum diceret, non ſemper arcum intenſum eſſe debere, ſed requietem quandam concedendam humanæ naturæ imbecillitati. Quamuis deinde, ſi ſpectetur finis conſequendæ ſalutis, omnia huiuſmodi externa alacritas, tanquam ad regnū Dei non pertinens, videretur a ſanctitate fidelium longe abeſſe debere.

C *In regno Chriſti, & Dei.* Hinc Chriſtus Deus eſſe arguitur, & non ſolum homo.

D *In filios diffidentiæ.* Qui Deo credere noluerunt; neque moti ſunt, cum eſſent vocati ad ſubijciendos ſe Dei prouidentiæ, Hieronymus, filios im- Hieron. perſuaſibilitatis interpretatur.

E *In omni bonitate:* Quæ opponitur immunditiæ: *& iuſtitia*, quæ oppoſita eſt ipſi πλεονεξίᾳ, qua circumuenitur proximus; *& veritati*; quæ opponitur turpitudini, & omni indecenti ſermoni.

F *Omnia autem quæ arguuntur, a lumine manifeſtantur.* Hæc reſpondent illi priori dicto: *magis autem redarguite*: & ita interpretatur Thomas, quòd Tho. Aqu. omnia, quæ redarguuntur, manifeſtantur a lumine, id eſt a ſanctis manifeſtantur; nempe, per ipſorum confeſſionem. Vnde videtur ſupponendum, quòd in redargutione id habeatur, vt peccator interne commueatur, correptus cum ſit, & ſentit ſe pungi a redargutione. Theophylactus autem, & Græca ſcholia, volunt etiam ex vita bona ſanctorum, ex Theoph. Gr. ſcho. ipſorum fulgore redargui, & ita manifeſtari oppoſitā mala opera. Poſſent autem verba hunc in modum etiam conſtrui, atque coniungi; quòd omnia, quæ redarguuntur; (& hic ſubpungendum) manifeſtantur a lumine, id eſt, a lumine veritatis; quod videtur Apoſtolus ſignificaſſe, dum ſubiunxit: *omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt.* Etenim, peccata tenebræ ſunt; ideoque per oppoſitum, quæ manifeſtātur, ſunt in lumine; vnde quæ redarguuntur, manifeſtari a lumine dici poſſunt: hinc enim illuminantur peccatores ad reſipiſcendum. Græca Græ. ſchol. ſcholia habent: quod manifeſtatur ex bono opere, id lumen eſt; id eſt, fit luminoſum, ac ſenſus tenebras abijcit, vt poſſint deſinere a peccatis pecatores.

G *Propter quod dicit, ſurge, qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Hęc inquit Hieronymus, nullibi inueniri ſcripta; ac Hieron. propterea cenſet, vt oraculum; quod etiam ſenſit Theodoretus: qui, ex aliorum quoque interpretum Theodor. ſententia, refert, eos, qui ſpiritalē gratiā acceperant, aliquos pſalmos compoſuiſſe: vnde illud ad Corin.

vnuſquiſq; *pſalmũ habet*. Thomas autẽ exiſtimauit, 1. Cor. 14. Tho Aqu. Pſal. 40. hæc ab Apoſtolo fuiſſe deſumpta ex pſal. 40. *Nunquid qui dormit, nõ abijciet, vt reſurgat?* Et paulopoſt; *Tu autem Domine miſerere mei, & reſuſcita me.* Vnde potuit Apoſtolus, contextum horum verborum, ad ſuum propoſitum accommodare; ſeriem orationis (vt in more poſitum habet) aliquantulũ commutans. Et ita poſſent adducta verba exponi. *Surge, qui dormis*; ideſt, qui in tenebris verſaris; *& exurge a mortuis*: ab illorum ſcilicet numero, qui mortui ſunt in peccatis; eruntque increpantia verba, per quæ correptus peccator, atque commotus, illuminetur. Sed quiſnam illuminabit eum? Chriſtus. Nõ enim peccator poteſt exurgere per ſeipſum; ſed gratia Dei præueniente ſemper opus habet. Et dum a ſanctis redarguitur, & excitatur ad reſipiſcẽdum, a Chriſto dicitur illuminari.

H *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt*. Id eſt, vendicantes in ueſtrum vtilitatem, curſum huius ſeculi. Et ſubiungit cauſam. *Quoniam dies mali ſunt.* Non quòd ſimpliciter dies ſint mali, ſed quòd mala, in ipſis diebus, ab hominibus ſeculi huius amatoribus peragantur. Quemadmodum etiam (vt adnotauit Theophylactus) Theoph. conſueuimus dicere, tranſegi malum diem, quia in eo aduerſa contigerint plura. Auguſtinus autem in libro homil. Aug. 1. lib. homil. 10. inquit; *poſt expulſionem Adę ex paradiſo, ſemper dies mali fuerũt; & propter miſeriam, quæ ſequitur omnes, & propter malitiam, in quam ruunt plurimi.*

I *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino.* Vel quoniam vir eſt Dominus mulieris, ideò dixit Apoſtolus, *ſicut Domino*, atque ideo ſubiungit, *quoniam vir caput eſt mulieris*; Aut voluit ſignificare, quòd mulier debet eſſe ſubiecta viro ſuo, ſicut Domino; ideſt, ſicuti Chriſto; iuxta illud, quod habetur infra cap. ſequẽti: q; ſerui debẽt obedire Dominis carnalibus, ſicut Chriſto, ideſt tanquam Chriſto ſeruiẽtes.

K *Ipſe ſaluator corporis eius.* Græci, addita coniunctione, *Et*, ita legunt: & ipſe ſaluator corporis eius, quod Græca ſcholia referũt ad virum, qualem Gr. ſcho. ſe gerat erga mulierem. Hieronymus Hieron. autem refert ad Chriſtum ergá Eccleſiam. Et ſane illud cõſtat; quòd caput prouidet alijs membris, cum in ſe habeat omnes ferme ſenſus, quibus proſpicitur alijs corporis membris.

L *Mundans eam lauacro aquæ in verbis vitæ.* Hæc vox, *vitæ*, deeſt in gręcis exemplaribus, licet habeatur apud Theophylactum: Theoph. & ijs inſinuatur, quòd verbum Dei vitam affert, & ſanctificat. Verbum autẽ vitæ, eſt forma, quæ adhibetur in baptiſmo, dum dicitur, in nomine Patris, & filij, & ſpiritus ſancti, Græ. expoſ. vt Græci interpretantur. Quod notandum eſt contra hæreſim illorum, qui nolunt quidpiam effici in mente baptizati, ſed tantùm per baptiſmum adſcribi hominem æternæ ſocietati ſanctorum. De hoc Tit 3. autem lauacro eſt etiam ſermo in epiſt. ad Tit, vbi dicitur, quòd *ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis ſpiritus ſancti, quem effudit in nos abunde per Ieſum Chriſtum.*

M *Non habentem maculam aut rugam.* Nonnulli per, *maculam*, intelligunt peccata recentia, per *rugam* autem inueterata. Forte poſſet etiam referri *macula*, ad propria cuiuſque delicta, *ruga* vero ad peccatum originale. Vnde etiam ſubſequentia verba, *vt ſit ſancta, & immaculata*, referri poſſunt, nempe dictio, *ſancta*, ad reparationem rugæ originalis; *immaculata* vero, ad emundationem propriorum delictorum.

N *Ita & viri debent diligere vxores ſuas, vt corpora ſua.* Abeſt a Græcis Cod. particula, *Et*, quam habet vulgata editio; & conuenienter videtur abeſſe debere, quando per voculam illam, *Ita*, non fit comparatio cum ſuperioribus, ſed ad ſequentia refertur, nempe ad hoc; quod debet vir vxorem ſuam diligere, vt corpus ſuum; pro eo, quod eſt dicere, quoniam mulier eſt educta de corpore viri, & ita ipſam vir diligere debet, quaſi exiſtentem corpus ſuum. Non autem in eo ſenſu accipiendum, vt in comparatione dictum ſit, *Vt corpus ſuum*. Sicuti dicitur in præcepto Decalogi: quòd debet homo diligere proximum ſuum, ſicut ſeipſum; id eſt, vti & ſeipſum diligit. Ideo ſubiũgitur ab Apoſtolo, *Qui ſuam vxorẽ diligit, ſeipſum diligit*: corpus ſcilicet ſuũ; Et hoc admodum eſt rationabile, ob id; quod ſubinfert Apoſtolus. *Nemo vnquam carnem ſuam odio habuit*: Ideo neque vir vxorem odio habebit; *ſed nutrit, & fouet*. Sicuti quiſque nutrit, & fouet carnem ſuam; ita quoque hoc præſtabit erga vxorem, tanquam carnem ſuam exiſtentem, cum vir, & vxor ſint, vt vna caro. Hanc autem ſententiam Apoſtoli confirmans Auguſtinus in li. 1. de doct. Chriſt. animaduertit; August. de Doct. chr. li. 1. cap. 24. quòd qui perſequi videntur corpora ſua, tum continentia, tum laboribus; id faciunt, vt habeant corpus ſubiugatum, & paratum ad opera neceſſaria; non autem, quòd odio habeant proprie carnem ſuam.

O *Quia membra ſumus corporis eius de carne eius & oſſibus eius.* Theodoretus inquit, Theodor. ſicut Heua de Adamo facta eſt, ita nos ex Chriſto Domino; cum eo enim in baptiſmo conſepelimur, & vna cum eo reſurgimus. In eodem ſenſu explicat Oecumenius Oecum. dicens; quòd vere nos ex Chriſto ſumus, quatenus noſtri principium eſt, ſecunda formatione: quemadmodum ex Adamo ſumus propter primam: & ita (ſecundum metaphoram, & ſenſum ſpiritualem) affert ſuam interpretationem; quam etiam ſecutus eſt Ambroſius. Amb. c. 5. Alij vero intellexerunt de vera carne, & oſſibus veris, in quibus ſimiles ſumus Chriſto; adeo quòd, cum dicit Apoſtolus, *membra ſumus corporis eius*; Interpretantur, q; ſumus membra talis naturæ, qualem & ipſe aſſumpſit. Et cum ſubiungitur, *de carne, & oſſibus eius*; Id referunt ad explicationem prioris dicti. Quæ interpretatio cõſentiens eſt his, quę habẽtur in epiſtola ad Hebręos; Hebr. 2. *Quia ergo pueri communicarunt carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem.* Cùm autem dicat Apoſtolus, quòd quiſque carnem ſuam nutrit, & fouet, vti Chriſtus Eccleſiam (& affert rationem; quoniam ſumus membra corporis eius) cum Eccleſia ſit corpus myſticum Chriſti ideo Chriſtus eius membra (tanquam ex ipſo creata) nutrit, & fouet, tanquã ea, quæ ex carne cõſtant, & oſſibus eius: ſiquidẽ per carnis ſuę mortẽ, in baptiſmo creamur;

cuius

cuius etiam corpus,& ſanguinem ſumimus: vt hinc ſimul inſinnetur vera caro, quam Chriſtus accepit huic noſtrę ſimilem. Quod & Theophyl. innuiſſe

Theoph.

videtur in explicatione ſpiritualis creationis, quam affert: dum inquit, ab Apoſtolo dici, *quòd ſummam habemus cum Chriſto propinquitatem: quippe qui in ea forma, qua viſus, & cognitus eſt, carnis noſtræ, & ſanguinis particeps fuerit, & cauſam præbuerit, vt ſpiritu rurſum procrearemur; quemadmodum Heua ex Adam vt plaſmaretur.*

P *Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ. Et erunt duo in carne*

Aug. lib 9. Gen. ad lit. cap. 19.

vna. Auguſtinus in lib. Gen. ad lit. animaduertit, ab Adam in extaſi, iuxta prophetiam, hæc dicta fuiſſe, vt ſignificaret magnum ſacramentum Chriſti

Matth. 19.

cum Eccleſia,& in ſignum eius, ait, in Euang. Matt. dictum eſſe a Chriſto. *Non legiſtis, quia qui fecit hominem, ab initio maſculum, & fęminam fecit eos, & dixit, propter hoc dimittet homo patrem, & matrem,* &c. Tanquam idem dictum ab Adam ex prophetia. Et in hoc ſenſu conuenit illud, odio haberi debere vxorẽ,& patrem, vt adhæreamus Chriſto iuxta vnionem tam magni ſacramenti. Illud vero. *In*

Theoph.

carne vna. Accipitur a Theophylacto pro eo, quod eſt in carne ipſa: vel erũt vna caro, vt innuatur ſumma coniunctio.

Q *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico,*

Theodor.

in Chriſto, & in Eccleſia. Theodoretus hoc loco ait: quòd *Chriſtus, ſuperno Patre relicto, coniunctus eſt Eccleſiæ; relinquere autem viſus eſt ratione ſuſceptæ humanitatis, cum, vt Deus, a Deo ſeparari non poſſit; vt qui & ipſe haberet naturam, quæ non poſſet circum-*

Theoph.

ſcribi; vnde allegoriam matrimonij, in Chriſti cum Eccleſia coniunctione, explicauit. Theophylactus autem põderat ipſum ſacramentum (græce dictum myſterium) in ipſomet matrimonio, aſſerens vere debere dici, hoc ipſum matrimonium ſacramẽtum: nempe, *vt eos, qui ſe genuerint, quiſpiam deſerat, qui labores, & ærumnas ſunt in generando, & educando perpeſſi, & beneficia contulere innumera; & illi inhæreat, quam nec antea viderit; vti nec boni aliquid ipſa prior attulerit.* Rurſum vero Theophylactus, quicquid eſt huiuſce ſacramenti, vel prophetiæ, dictum de Chriſto intelligit, & interpretatur. *Ille namque* (inquit) *patrem reliquit, non loci receſſu, ſed condeſcenſu ad carnem, & venit ad ſponſam, quæ prius ſe ignoraſſet; & illi vno in ſpiritu vnicus eſt. Qui ſe adhæret Domino, ſpiritum vnum cum eo ſortitur; cur igitur* (inquit Theophylactus.) *Nuptię improbantur? cum has Paulus diuini ſacramenti in argumentum perducat? eiuſdemque ſacramenti nomine nuncupet?* Et hinc

Aduerſus Eraſmum.

redarguuntur illi (inter quos Eraſmus) qui, ex his Apoſtoli verbis, nolunt ſacramẽtum aptari ipſi matrimonio; ſed ſolũ accipi, quatenus ſignificat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia: quoniam non videtur ipſis aliquid magnum, quòd iũgatur vir cum muliere. Addunt præterea, quòd Paulus dicit. *Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Verum, pręter ſententiam patrum aliter præſentem locum interpretantium (inter quos Chryſoſtomus, Nazianzenus, Theophylactus, Oecumenius, & Hieronymus) ponderanda eſt etiã dictio illa poſita ab Apoſtolo. *Myſterium hoc*, quod ſane intelligẽdum eſt de eodem, de quo prius habuit ſermonem Apoſtolus, dum dixit: quòd homo adhærebit vxori ſuæ,& erunt duo in carne vna: & hoc, ſubiunxit, magnum eſſe myſterium, adeo quòd, id, quod dixit Apoſtolus eſſe myſterium; eſt matrimonium, viri ſcilicet cum ſœmina coniunctio. Quod ſane, vti præceptum, & ordinatum a Deo, non niſi res ſancta eſt. Dicitur autem, *myſterium*, quoniam ſignificat etiam vnionem Chriſti cum Eccleſia. Cum autem addit. *Quod ſit magnum in Chriſto & in Eccleſia.* hinc innuitur, quòd matrimonium eſt ſacramẽtum, quod deinde eſt magnum myſterium, ob ſignificationem quam continet vnitatis Chriſti cum Eccleſia per allegoriam; ita quidem, vt propterea non tollatur, quin matrimonium viri cum fęmina, ſit in ſuo proprio ordine ſacramentum. Vnde ſubiunxit Apoſt. *Veruntamen & vos ſinguli, vnuſquiſque ſuã vxorem, ſicut ſeipſum diligat.* Hoc enim eſt ex ordinatione diuina, ſicuti etiam matrimonium eſt myſterium.

Theoph. Oecum.

Hinc Oecumenius, & Theophylactus animaduertunt, hæc dicta anagogice, ſeu allegorice de Chriſto,& Eccleſia, etiam ſeruanda eſſe in matrimonio

Aug. li. 21. Cõt. Fauſt. cap. 7.

hominum. Auguſtinus autem cognationem ſacramenti intellexit in Chriſto, & eccleſia, & non in ſingulis quibuſcunque hominibus vxores habentibus: idque in Tractat. Euang. ſecundum Ioannem.

Idem in Euan. trac. 2.

Vbi inquit; *Quòd reliquit patrem; quia, cum in forma Dei eſſet, accepit formam ſerui: reliquit patrem, nõ quia deſeruit, & receſſit; ſed quia non in ea forma apparuit hominibus, in qua æqualis eſt Patri: reliquit matrem, nempe ſynagogam Iudæorum, de qua ſecundum carnem natus eſt, inhęrendo eccleſię, quam ex omnibus gentibus congregauit.*

R *Vnuſquiſque, vxorem ſuam, ſicut ſeipſum diligat.* Hieronymus ponderans hunc locum, inquit,

Hieron.

aduerbium hoc, *Sicut*, (quod etiam antea animaduertimus) non ita hoc loco accipi debere, prout accipitur de dilectione proximi. Nam, cum dicitur, diliges proximum tuum ſicut te ipſum, attenditur ſimilitudo, vt velis proximum ſaluum eſſe, pariter ac te ipſum. Hic autem accipitur particula, *Sicut*, pro approbatione, & confirmatione; prout dicitur de viro; quaſi vir fecit; ideſt vir, qui eſt, fecit; ita vxorem diligere debet vir, vt ſeipſum; quia eſt ipſe vir; nempe vna caro cum ipſo. Cum vero ſubiungit Apoſtolus. *Vxor autem timeat virum ſuum.*

Theoph.

Theophylactus animaduertit, quòd vxor amabit virum, vt membrum: vt autem caput, verebitur. Debet enim vir principatum obtinere, vt firma maneat vnio: nam honorum æqualitas parit incõſtantiam; ideo mulier reuerebitur virum, vt ſic cogatur non contradicere, non inſurgere viro, aut primatum appetere. Addi etiam poteſt, conuenire vt, ſicut eccleſia Chriſtum reueretur, ſic vxor, virum ſuum vereri debeat, cum in hoc matrimonio carnali contineatur myſterium matrimonij ſpiritualis.

PARAPHRASIS. CAP. VI.

FILII obedite parentibus veſtris in Domino, in omnibus, quę Deo ſunt accepta. Id enim iuſtum eſt, ſecundum illud, quod habemt in Decalogo: honora patrem tuum, & matrem tuam, (quod eſt mandatum primum ex ijs, quæ ſunt cum commiſſione) vt bene ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram. Et vos patres nolite ad iracũdiam prouocare filios veſtros, vt deſperent ob aſperitatem, qua illos tractetis. Sed eos educate in diſciplina, & correptione Domini. Serui obedite ijs, qui ſecundum carnem veſtri ſunt Domini, cum timore, & tremore, prout ipſa ſeruitus poſtulat; in ſimplicitate cordis, tanquam Chriſto; non ad oculum ſeruiẽtes, quaſi hominibus placentes: ſed (vt ſerui Chriſti) facientes voluntatem Dei ex animo, cum beneuolentia ſeruientes Domino, & non hominibus: ſcientes, quòd vnuſquiſque, quod fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, ſiue ſeruus fuerit, ſiue liber. Et vos Domini eadem facite erga ſeruos, remittentes minas, ne dum verbera: ſcientes, quòd & veſter, vti & illorum eſt Dominus in cœlis, Deus; apud quem non eſt acceptio perſonarum. Quod ſupereſt (fratres mei) vt ſcribam vobis, hoc ipſum eſt. Corroboramini in Domino, & in potentia roboris eius. Induite vniuerſam armaturam Dei, vt poſſitis ſtare reportantes victoriam, aduerſus inſidias Diaboli. Siquidem non eſt nobis lucta aduerſus carnem, & ſanguinem, aduerſus homines; ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus rectores, & dominatores mundi tenebrarum harum, quibus praui homines obuoluti detinentur: aduerſus ſpirituales illas creaturas, quæ ad prauitatem penitus ſunt conuerſæ: quibus cum, non de rebus hiſce terrenis, atque caducis; ſed de cœleſtibus, & æternis, de regno cœlorum, eſt noſtra dimicatio; a quo adipiſcendo arcere nos hi nequiſſimi ſpiritus, omnibus ſuis viribus, & inſidijs conantur. Propterea (vti dixi) aſſumite omnem Dei armaturam, vt poſſitis in die praua, in qua vos oppugnare tentet diabolus, reſiſtere eius oppugnationibus, & in omnibus perfecti ſtare non ſuccumbentes. State igitur vt dimicaturi, non torpentes; ſed euigiles, & parati, ſuccinti lumbos veſtros in veritate: induti toracem iuſtitiæ, virtutem habitibus ornati, & calceati pedes, ab affectu rerum terrenarum, alieni exiſtentes, in præparationem Euangelij pacem largientis. In omnibuſque actionibus veſtris arripientes ſcutum fidei; in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, quę malignus noſter is hoſtis ſuppeditat ad animas in prauis affectionibus accendendas, vt eas captiuas perducat ad ignem æternum. Et galeam ſalutis aſſumite, ſpem vitæ æternæ, quæ alacres, & conſtantes reddet vos ad hanc pugnam ſuſtinendam. Et gladium ſpiritus itidem aſſumite, quo feriatur hoſtis. Idipſum eſt verbum Dei, quo maxime percutitur, & transfigitur aduerſarius noſter Diabolus. Iuxta autem omnem modum deprecationis, atque obſecrationis, ſatagite, vt ſitis in omni tempore orantes, in ſpiritu, mentem ad Deum eleuantes. Et hoc in ipſo orandi ſtudio, vigilantes in omni inſtantia, atque deprecatione pro omnibus ſanctis; & pro me, vt detur mihi ſermo in apertione oris mei, vt cum libertate notum faciam myſterium euangelij, pro quo legatione fungor in catena iſta, vt in ipſo audeam ita, vt oportet me loqui. Vt autem, & vos ſciatis, quæ circa me ſunt, quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus cariſſimus frater, & fidelis miniſter in Domino: quem propterea ad uos dimiſi, vt cognoſcatis, quæ circa me ſunt, & conſoletur corda veſtra. Pax fratribus, & charitas, vna cum fide, adſit a Deo patre, & Domino Ieſu Chriſto. Gratia cum omnibus, qui diligunt dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit in incorruptione.

Editio vulgata.

FILII, obedite parentibus veſtris in Domino: hoc enim iuſtum eſt. Honora patrem tuum, & matrem tuam: (quod eſt mandatum primum in promiſſione, vt bene ſit tibi, & ſis lõgæuus ſuper terram. Et vos patres, nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros: ſed educate illos in diſciplina, & correptione Domini. Serui, obedite Dominis carnalibus, cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto: non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes: ſed vt ſerui Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſeruientes, ſicut Domino, & non hominibus, ſcientes quoniam vnuſquiſque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, ſiue ſeruus, ſiue liber. Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas: ſcientes, quia & illorum, & veſter Dominus eſt in cælis, & perſonarum acceptio non eſt apud eum. De cætero fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei: vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem: ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, in cæleſtibus. Propterea accipite armaturam Dei: vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poßitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, & galeam ſalutis aſſumite: & gladium ſpiritus (quod eſt verbum Dei,) per omnem orationem, & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu: & in ipſo vigilantes in omni inſtantia, & obſecratione pro omnibus ſanctis, & pro me, vt detur mihi ſermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere myſterium Euangelij, pro quo legatione fungor in catena, ita vt in ipſo audeam, prout oportet me loqui. Vt autem & vos ſciatis quæ circa me ſunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus, cariſſimus frater, & fidelis miniſter in Domino: quẽ miſi ad vos in hoc ipſũ, vt cognoſcatis, quæ circa nos ſunt, & conſoletur corda veſtra. Pax fratribus, & charitas cũ fide a Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto. Gratia cũ omnibus qui diligũt Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtũ in corruptione. Amen.

ADNOTATIONES.

A FILII. *Obedite parentibus veſtris in Domino*, Hac dictione, *in Domino*, innuit Apoſtolus, a filijs uon eſſe præſtandam obedieutiam parentibus, niſi in ijs, quæ non ſint aduerſus præcepta Dei. Ad honorem auté pręſtādum parētibus, in omni pietatis officio, hortatur filios, ipſos allectans per ea, quæ promittuntur in decalogo. Nempe, quoniam hinc ſint vitam diuturnam ducturi, qua quidem promiſſione, pueri quàm maxime allici poſſunt: vnde ſancita hęc fuerunt Iudęis (vt animaduertit Theophylactus) tanquam infantibus, vt qui perfecta audire non valerent. Cum autem dicat Apoſtolus, hoc pręceptum eſſe primum mandatum in lege; aduertendũ sn eo ſenſu accipi debere, quòd ſit primum ex pręceptis ſecundę tabulę: quando in prima tabula cõtinentur ea pręcepta, quę ad Dei cultum attineut, nou quę ad proximi dilectionem. Aut erit primum mandatum decalogi (vt inquit etiam Apoſtolus) quo ad promiſſionem.

Theoph.

B *Et vos Patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros*. De hoc etiam agens in Epiſt. ad Coloſſ. dicit. *Patres nolite ad indignationem prouocare filios veſtros, vt puſillo animo fiant*: qui autem puſillo ſunt animo, facile in deſperationem caduut. Et cum ſubiungitur: *educate illos in diſciplina, & correptione Domini*; hinc innuitur, filios debere educari ſecundum legem, & pręcepta Domini, quibus inſtituantur, & iuxta ea quoque corripiautur.

Coloſſ. 3.

C *Serui obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore*. Quid grauius pręſefert *tremor*, quàm *timor*, & in vtroque debent ſerui obedire Dominis ſuis: hoc enim poſtulat ipſorum ſtatus ſeruilis: quod non eſt dicendum de vxore, quę virum ſuum tantummodo timere, & veteri debet ad hunc ſenſum, quatenus vir eſt caput ſuum: non autem tremore duci, vt decet ſeruos. Nonnulli referunt, quòd ſerui debēt obedire dominis in timore, & tremore Chriſti: ſicuti etiam in epiſt. ad Coloſſ. dicitur, quòd ſeruiant timentes Deum. Seruitus autem (vt docet hoc loco Chryſoſtomus) euenit ex auaritia, & vulgari negligentia, & inſatiabilitate. Hinc enim aliqui, ob inopiam, aliorum facti ſunt ſerui. Item etiam, quoniam aliqui alios occuparunt, & ſeruos ſibi reddiderunt. Verumtamen, ob peccatum, primitus euenit ſeruitus. Vnde illud, *qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati*, adeo qnòd illi proprie cenſendi ſint ſerui, qui recedunt a recto vſu rationis, & prauis cupiditatibns inſeruiunt. Tres autem ordines ſubiectionis hoc loco adducti ſunt ab Apoſtolo. Vnus mulieris ad virum, tanquam ad caput ſuum. Alter filiorum ad vtrumque parentem; nam & vxor tanquam rex ſine diademate pręeſt in regimine domus. Poſtremus vero ordo ſubiectionis, eſt ſeruorum ad dominos ſuos.

Coloſſ. 3. Chryſoſto. hom. 2. Ioan. 8.

D *Vnuſquiſque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino*. Ex ijs aperte ſignificatur merces operibus obuentura; quod explicatius etiam ſignificatum eſt in epiſt. ad Coloſſ. vbi dicitur A. *Domino accipietis retributionem hæreditatis*.

Coloſſ. 3.

E *Et vos Domini eadem facite illis*. Vult quòd & Domini ſeruiant cum beneuolentia, nou velut hominibus placentes. Nam & ipſi Domini (vt aiunt Gręca Scholia) habent deſeruire ſeruis ſuis; dum ſumunt curam alendi ſeruos, illiſque proſpiciendi. Vnde Salomon dixit; *Dominos ſeruorum gratia circumferri*.

Gr. Scho. Eccl. 33.

F *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem*. ijs verbis cenſet Theophylactus deſcribi hominem, vti & Auſtuſtinus in tract. pſal. 10. Alij dictum Apoſtoli referunt ad illum ſenſum, vt innuatur pugna, qua caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. Eſt autem aduertendum, quòd, ſi ſola eſſet rebellio carnis, quæ ſucceſſit poſt peccatum primi parentis ex Diaboli ſuggeſtione, vt aduerſus ſpiritum ipſa ſola calcitraret; vtique multo minus ab hac lucta opprimeremur: ſed accedente Diaboli ſuggeſtione, eiuſque verſutia, vt qui varijs technys trahere in peccata nos ſempertentat, abutens hoc fomite carnali nobis inſerto tãquam inſtrumento quodam; vtique longe grauior, & acrior noſtra euadit pugna; quæ aduerſus ita verſutum, atque potentem hoſtem nobis eſt ſuſtinenda.

Theoph. Auguſt. in Pſal. 10.

G *Sed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum*. Theodoretus ait, Dęmones, qui ceciderunt, fuiſſe ex bonis, & primarijs ordinibus; & ideo hæc nomina dignitatis, atque poteſtatis illis adſcribi. Aduertunt autem Græci expoſitores, quòd non ſunt principes, & poteſtates, niſi quatenus homines ex ſocordia illis ſe ſubijciũt. Quòd autē dicit Apoſtolus, *rectores tenebrarum harum*, dicunt hoc importare, quòd dominentur prauis hominibus iu hoc ſeculo degentibus; qui ob prauas actiones quas promunt, tenebræ dicuntur: quemadmodum filij lucis, illi, qui ad Chriſti fidem ſunt conuerſi: ſiquidem tenebræ ignorantiæ inſunt hominibus prauis: de quibus dictum eſt cap. præcedenti, quòd obcæcata eſt mens illorum.

Theodor. Græc. Expoſit.

H *Contra ſpiritualia nequitiæ*. Siquidem (vt ait Theophylactus) dæmones ſunt ſpiritus neqnitiæ. quod notat dictum ab Apoſtolo: quoniam & lucis ſuut ſpiritus, & bonitatis Augeli.

Theoph.

I *In cæleſtibus*, Hoc aliqui interpretantur, quòd dæmones habitent in aere medio inter cœlũ, & terram: quam interpretationem ſecutus eſt Hyeronymus. At Theophylactus, & Græca Scholia intelligũt, quòd de re magna ſit lucta noſtra cum dæmonibus; nempe, de cœleſti hæreditate. Cui expoſitione adhæret quoq; Anguſtinus in tract. pſal. 30. dũ dixit, quod Dæmones nolunt vt nos aſcendamus, vnde ipſi deiecti ſunt.

Hieron. Theoph. Gr. Scho. Auguſt. in Ps. 30. cō. 3. Hieron.

K *In die malo*. Id eſt, in die iudicij, vt interpretatus eſt Hyeronymus. Vel in die malo tentationis; qui in his qui viuunt, durat vſque ad diem Iudicij cum periculo: quando teutationes ſuggeruntur cõtinenter nobis a Diabolo, ad mala facienda: & multi mala faciunt: & multę adſunt occaſiones mala perpetrandi.

Gr. Scho.

L *Et in omnibus perfecti ſtare*, Gręce κατεργασάμενοι. quam vocem Gręca Scholia dicunt ſumi ab Apoſtolo, pro eo quod eſt, κατατπλαςώσαντες. Et ita explicaut; confecto bello, & deuictis hoſtibus, ſtare,

tanquam

tanquam hi, qui victoriam reportarint, affectionibus, & concupiſcentijs deuictis; ac ita ſtare, vt nõ amplius cadãt. Alij vero hunc in modum interpretantur. *In omnibus perfecti*: id eſt, ſic comparati, & instructi probe (τὴν πανοπλίαν, vniuerſitatem ſcilicet armorum induti, ſic ſtare poſſitis) vt non dimoueameni toto impetu hoſtium. Forte hoc dictum Apoſtoli, reſpicit diem iudicij; in quo ſtare poſſimus nõ ſuccumbentes oppugnationibus, quas inferre poſſit Diabolus, nullaque ipſius calumnia opprimi: quod continget illis, qui perfecte in omnibus ſe geſſerint.

M *State ergo ſuccinti lumbos veſtros*. Nempe cũ armatura Dei, quã Deus præparauit nobis ex Chriſti meritis, vt, ipſa induti fideles, valeant reſiſtere Diabolo. Cuius rei exordium proponit Apoſtolus a fundamento roboris; quod in homine (Theophylactus & Græca Scholia) aiunt eſſe lumbos, ſicuti carina in naui. Ideo vult, lumbos ipſos conſtringi. Theodoretus autem explicat, in ijs caſtigari inſatiabilem cupiditatem. Nam in lumbis ſiti ſunt renes: in illis autem eſt cupiditatis operatio. Vult igitur Apoſtolus, ſecundum Theodoretum, vt ſimus cum fortitudine, quæ in lumbis reſidet, tanquam in fundamento; vt ſimus ſine luxuria, quæ facit eſſlare vires; adſit autem continentia, tum in animo, tum in corpore, *in veritate*, vt non ſit ficta. Nonnulli autem referunt hæc ad præparationem rerum agendarum; ſicuti, qui accingunt ſe operi, vel itineri. Vel ſicuti milites, qui eam partem ligant balteo lumbis cõſecto. Et poſſet etiam, vna cum ſeiunctione luxuxuriæ, denotari habitus virtutũ, qui ſit amictus fide.

Theoph. Gr. Scho. — Theodor.

N *Calceati pedes in præparationem Euangelij pacis*. Theophylactus, & Græca Scholia interpretantur; vel quòd oportet eſſe paratos ad munus prædicandi Euangelium, vel ad opera præſtanda, quæ præcipit Euangelium. Poſſet etiam intelligi, vt ſint procul ab affectibus rerum terrenarum, vt illis non tangantur; ſed præſto ſint ad opera Euangelij, per quod pax aduenit.

Theoph. Gr. Scho.

O *Scutum fidei*. Non fides dogmatũ accipienda; ſed quæ ſit ſincera & firma; qua ita confidat homo in Domino, vt omnia ſuſtineat; neque vinci ſe permittat ab inſidijs diaboli. In omnibus ſiquidem accipiendum eſt ſcutum fidei, quæ eſt fundamentum totius Chriſtianiſmi pro defenſione aduerſariorũ. Quod ſcutum fidei deſeruit (vt inſinuat Apoſtolus) ad extinguenda tela ignea, quæ nequiſſimus Diabolus aduerſus nos iaculatur: & ſunt huiuſmodi, vt, ab ipſis vulneratum, ducãt in ignem æternum. Aut in concupiſcentiam inducunt, quæ comburit animam. Auguſtinus autem in tract. Pſal. 34. animaduertit, hic accipi, *ſcutum fidei*, quia tela inimici excipit, & repellit: alibi vero dici loricam fidei, quæ interiora tranſigi non ſinit.

Auguſt. in Pſal. 34. Conc. 1.

P *Galeam ſalutis aſſumite*. Id eſt, ſpem vitæ æternæ.

Q *Et gladiũ ſpiritus, quod eſt verbum Dei*. Theodoretus, ait, gladium ſpiritus vocari operationem ſpiritus; operationem autem ſpiritus appellari verbum Dei; vt hoc dicat Apoſtolus, quòd, tanquam verbo, diuinus ſpiritus noſtram ſalutem procurat. Poteſt etiam intelligi, *verbum* Dei, ſermo Dei; de quo dictum eſt in Epiſt. ad Hebr. quòd *eſt penetrabilior omni gladio ancipiti*: quo verbo etiam Dominus, in illa magna tentatione ſatanam deuicit.

Theodor. — Hebr. 4.

R *Orantes omni tempore in ſpiritu*. Quod ſtatutis horis fieri debet, vel ex priuata, vel ex publica conſuetudine, vt diſcurrit Auguſtinus in tract. de Hæres. Et de Daniele legitur, quòd tribus ſtatutis temporibus orabat. Sic pueri illi agebant, qui poſiti fuerunt in camino ignis. De Petro quoque & Ioanne ſcriptum eſt, quòd aſcenderunt orare hora nona. Dicit autem Apoſtolus, vt ſint orantes in omni tẽpore, ad inſinuandum, quod id fiat in omni occaſione, cum aſſultus tentationis aduenit. Aut ita intelligendum, quòd nũquam debet intermitti oratio ad Deum: cum in omni ſpatio vitæ homo egeat Dei auxilio; ad quod debet confugere in omni anno, & menſe, & hebdomada, & die, & hora quo magis poteſt; debetque oratio eſſe in ſpiritu, & non in ſummis labijs. Poſſet etiam referri illud, *in omni tempore*, vt cum ſpiritu in omni tempore, & ſemper oratio fiat, cum oramus. Ambro. in *ſpiritu*, interpretatur, in conſcientia munda, & fide integra precem ad Deum dirigere.

Auguſt. in tract. de Hære. 57. hæreſ. — Dani. 6. — Act. 3.

S *Legatione fungor in catena iſta*. Hinc colligitur ab Vrbe Roma, vbi in carcere tenebatur Apoſtolus, hanc datam fuiſſe epiſtolam.

ARGV-

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM S. Pauli ad Philippenſes.

BEATVS *Apoſtolus Paulus, eximia charitate proſequebatur omnes in Chriſto fideles; ſed, quos præcipue dilexerit, fuere Philippenſes e Macedonia, quos probatæ fidei cognitos habebat; vt qui pro Chriſti fide multas pugnas conſtanti animo ſuſtinuiſſet. Hinc illos in hac epiſtola honorificentiſſimis tractat nominibus, eos ſocios appellans in paſſionibus, & collaborantes, & ſibi coadiutores in euangelio. Huius autem ſcribendæ ad eos epiſtolæ, ea potiſſimum fuit cauſa, vt eos admodum ſolicitos de vita Pauli, qui Romæ vinculis erat obſtrictus, recrearet; incitaretque ad omnia aduerſa pro nomine Chriſti toleranda; ac ſimul illis notum faceret, quàm grata ſibi ea accidiſſent munera, quæ per Epaphroditum miſerant, ad eius neceſſitates ſubleuandas. Proinde, quod attinet ad ſtatum rerum ſuarum, illos facit certiores, ex vinculis ſuis non imminutam, quinimmo potius auctam eſſe euangelij prædicationem, quam nunquam ſe deſerturum obteſtatur, vel ſi vitam cum morte commutare ſibi ſit neceſſe ob Chriſti nomen. Veruntamen ita agit de morte, & ſua de diſſolutione; vt illis denunciet, ſe in vitam remanſurum, ſi ad eorum ſalutem ita fuerit neceſſarium; interim ita illos de eius morte, atque vita dubios relinquens. Hincque, a vinculis ſuis arrepta occaſione, eoſdem hortatur, vt pro ſuo ſolatio ſint vnanimes, idemque ſentientes, & vitam agant cum omni humilitate; inuicem ſoliciti quiſque de fratrũ ſalute, Chriſti exemplo, qui, propter nos, mortem ſubire turpiſſimam nõ eſt dedignatus. Verum & illis pro eorum maiori ſolamine denunciat, ſperare breui ſe miſſurum ad illos Timotheum, nonnullamque etiam ſpem inijcit de ſuo ad ipſos reditu. Interim autem ad illos Epaphroditum miſiſſe ipſorum Apoſtolum; vt eius præſentia, & recrearentur, & in fide Chriſti conſtantius perſeuerarent. Mox illos commonefacit de pluribus, & de hoc præſertim, vt caute ſe gerant circa malos operarios, qui dogmata noua in Chriſti religione inducere moliebantur. Et quorum formam, & exemplum ſequantur, illis denunciat; ſimul etiam inſinuans (licet tecte) martyrij tolerantiam; ad quam, pro brauio conſequendæ cæleſtis vocationis, ſuam detegit promptitudinem. Denique, de eleemoſina ſibi delata eorum nomine, illos valde commendans, finem imponit epiſtolæ.*

Chryſoſt. *Vtrum autem poſtea Paulus viderit Philippenſes, non conſtat, quamuis Chryſoſtomus in Prologo huius epi-*
ſtolæ id ſentire videatur inquiens, quòd Apoſtolus bis Romæ in vinculis fuerit detentus: ſemel, cum non eſſet apud
2. Timot. 4. *ipſum Timotheus, vnde ad ipſum ſcribens ait.* In prima mea defenſione oemo mihi affuit, ſed omnes me de-
ſeruerunt. *Cum autem ſcriberet hanc epiſtolam, Timotheus penes ipſum erat, vt patet, dum inquit.* Spero autem
Philipp. 2. in domino Ieſu, me Timotheum breui miſſurum ad vos. *Supponitque Chryſoſtomus, quòd ſolutus fuerit a*
vinculis, & denuo retractus ad vincula, poſtquam ad illos venerat. Quæ vero Apoſtolus habet in hac epiſtola,
Philipp. 2. *dum dicit.* Sed & ſi immolor ſuper ſacrificium, & obſequium fidei veſtræ, *Chryſoſtomus perpendens ait, hoc*
dictum, non accipiendum eſſe de re iam confecta, ſed ſi contingeret aliquando. Ac, quòd id temporis non eſſet mori-
Philipp. 2. *turus Apoſtolus, colligit Chryſoſtomus ex eo quod dicat in hoc loco.* Confido autem in domino, quoniam & ip-
ſe veniam ad vos. *Et prius.* Et hoc confidens ſcio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis. *Hæc ex*
Chryſoſtomo. Veruntamen, in his duobus locis, aduertendum, Apoſtolum vſum eſſe his vocibus, Spero *&* Confi-
Philipp. 1. do; *& ita ſub dubio locutum eſſe cenſeri poteſt; dum dixit,* & hoc confidens ſcio quia manebo, & permanebo
omnibus vobis. *Sed id quidem, ſi erit neceſſarium pro ipſorum ſalute. Quòd autem plures vna defenſiones ab ipſo*
habitæ innuantur: id forte non debet eſſe multi ponderis ad inferendum, quòd, poſt primam defenſionem, fuerit ſo-
latus e vinculis: potuit enim contingere, vt, vinculis detentus, nõ ſemel tantum, ſed ſæpius ſuam cauſam egerit. Vn-
de multo ſit veriſimilius, Apoſtolum ſub dubio alloquutum eſſe Philippenſes de morte, & de vita ſua; idque egiſ-
ſe; vel, quoniam de hac re non eſſet certus; vel quòd eos perturbare, atque terrere noluerit, mortem ſuam ma-
nifeſte illis denunciando. Ac propterea in dubio relinqui videtur, num Paulus, poſt hanc epiſtolam, fuerit nec ne
reuerſus ad Philippenſes.

IN EPISTOLAM SANCTI PAVLI ad Philippenſes.

PARAPHRASIS. CAP. I.

PAVLVS, Et Timotheus, ſerui Ieſu Chriſti, omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis, Coepiſcopis, & Diaconis: gratia vobis, & pax a Deo patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto. Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri, ſemper ĩ omni deprecatione mea pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens ſuper communicatione veſtra in Euangelio Chriſti, a primo vſque illo die, in quo Chriſti fidem ſuſcepiſtis, vſque modo, confidens hoc ipſum, quòd qui cœpit in vobis opus bonum, etiam perficiet, vt integrum ſeruetur vſque in diem Chriſti: ſicut eſt mihi iuſtum id ipſum ſentire de omnibus vobis, eo quòd in corde vos habeam in vinculis meis, in defenſione mea, & in confirmatione Euangelij, vti ſocios, atque conſortes gaudij, & gratiæ; quæ data eſt mihi, vt pro Chriſti Euangelio patiar, pro vt & vos ſimilia paſſi eſtis. Teſtis eſt enim mihi Deus, quo modo cupiam omnes vos in viſceribus Ieſu Chriſti. Et hoc oro, & hic ſcopus eſt meæ deprecationis; vt charitas veſtra magis, ac magis abundet in omni ſcientia, & in omni ſenſu; vt probetis potiora, vt ſcitis ſinceri, & ſine offenſa in die Chriſti, repleti fructu iuſtitiæ per Ieſum Chriſtum, in gloriam & laudem Dei. Scire autẽ vos volo fratres, quòd, quę circa me ſunt (quòd in vinculis ſim coniectus) magis in profectum Euangelij ceſſere: quando hinc effectum eſt, vt vincula mea in Chiſto ſint manifeſta vniuerſo prætorio, & cæteris omnibus: adeo vt plures ex fratribus in Domino, freti in vinculis meis, & exemplo commoti conſtantiæ meæ, abundantius audeant ſine timore loqui, & propalare verbum Dei. Nonnulli quidem, ob inuidiam, atque contentionem, quam habent aduerſus nos: alij vero ex bona voluntate Chriſtum prædicant. Et hi quidem ex charitate, ſcientes quòd in defenſione Euangelij poſitus ſum, ad hoc munus deſtinatus a Deo. Qui autem ex contentione id agunt, Chriſtum annunciant non ſincere, vt veritatem propalent, quæ fructum faciat, ſed exiſtimantes, ex ipſorum prædicatione, preſſurã ſuſcitare ſe vinculis meis; quaſi hinc magis ſit irritandus Cæſar aduerſus me, vti præcipuum huius prædicationis auctorem. Quid enim propterea? niſi quòd omni modo, ſiue Chriſtus annuncietur a nonnullis, ex prætextu, per ſimulationem, vt mihi grauiora impingantur; ſiue ex charitate, eo ſcopo, vt propaletur Euangelium, in hoc ego & gaudeo, & gaudebo. Scio enim, quia id mihi proueniet ad ſalutem per veſtram orationem, & ſubminiſtrationem ſpiritus, qui mihi aderit ſecundum certam expectationem, atque ſpem meam; quam in ipſo poſitam habeo, quòd in nulla re cõfundar, aut pudefiam; ſed in omni fiducia atque libertate, vti ſemper antea, ita & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo; ſiue per vitam; ſiue per mortem. Mihi enim viuere, Chriſtus eſt, dũ ad ad eius gloriam vitam agam; & mori etiam, lucrum eſt, vt ſim cum ipſo, atque ita beatius viuam. Quòd ſi viuere in carne, hoc mihi fructus eſt operis (id enim mihi ſuppono ſi ita Deus diſpoſuerit, vt adhuc ſim ſuperſtes) etiam quid eligam, ignoro: coarctor enim a duobus; & vt remaneam in vita propter vos; & vt exeam ab hac vita, deſiderium habens (quod attinet ad me ipſum) vt diſſoluar. Et ſane eſſe cum Chriſto, quod ad me attinet, multo magis præſtat, ac ſatius eſt. Permanere autem in carne, ſi ita contingeret, magis neceſſarium propter vos. Et hoc confidens, atque ita perſuaſus, quòd ſit magis neceſſarium, adhuc me hac vita fungi ob veſtram ſalutem; Scio (quando Deus in neceſſarijs ad ſalutem non deeſt ſuis fidelibus) quòd maneo, ac permanebo ſuperſtes vobis omnibus ad veſtrum profectum, & gaudium fidei veſtræ: vt gloriatio veſtra abũdet in Chriſto Ieſu in me, propter meum ad vos iteratum aduentum. Tantum digne euangelio Chriſti conuerſamini; vt ſiue venero, & videro vos; ſiue abſens audiam de vobis, quòd ſtatis in vno ſpiritu, vnanimes, collaborantes, atque certantes pro fide Euangelij, in nulla re extimeſcentes aduerſariorum oppugnationem: quæ eſt illis oſtẽſio perditionis, ad quam vltronei trahuntur; vobis autem manifeſta ſignificatio ſalutis. Et hoc quidem a Deo: quoniam vobis dono datum eſt, ob Chriſti merita, vt nõ ſolum in ipſum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale etiam vidiſtis in me, & nunc auditis a me ſuſtineri.

Editio vulgata.

PAVLVS, Et Timotheus, ſerui Ieſu Chriſti, omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu qui ſunt Philippis cũ epiſcopis, & diaconis. Gratia vobis & pax a Deo, Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Gratias ago Deo in omni memoria veſtri, ſemper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis,

cum gaudio deprecationem faciens,) ſuper communicatione veſtra in Euangelio Chriſti a prima die vſque nunc. confidens hoc ipſum quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu, ſicut eſt mihi iuſtum, hoc ſentire pro omnibus vobis, eo quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defenſione, & confirmatione Euangelij, ſocios gaudij mei omnes vos eſſe. Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Ieſu Chriſti. Et hoc oro, vt charitas veſtra magis ac magis abundet in ſciētia, & in omni ſenſu: vt probetis potiora, vt ſitis ſinceri ſine offenſa in diem Chriſti, repleti fructu iuſtitiæ per Ieſum Chriſtum, in gloriam, & laudem Dei. Scire autem vos volo fratres, quia quæ circa me ſunt magis ad profectum venerunt Euangelij: ita vt vincula mea manifeſta fierent in Chriſto in omni prætorio, & in cæteris omnibus, vt plures e fratribus in Domino confidentes in vinculis meis, abundantius auderent ſine timore verbum Dei loqui. Quidam quidem, & propter inuidiam, & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Chriſtum prædicant. Quidam ex charitate, ſcientes quoniam in defenſionem Euangelij poſitus ſum. Quidam autem ex contentione Chriſtum annunciant non ſincere: exiſtimantes preßuram ſe ſuſcitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni modo, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur: & in hoc gaudeo, ſed, & gaudebo. Scio enim quia hoc mihi proueniet ad ſalutem, per veſtram orationē, & ſubminiſtrationem Spiritus Ieſu Chriſti, ſecundum expectationem, & ſpem meam, quia in nullo confundar, ſed in omni fiducia ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem. Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Quòd ſi viuere in carne hic mihi fructus operis eſt, & quid eligam ignoro. Coarctor autem e duobus: deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto; multo magis melius: permanere autem in carne, neceſſarium propter vos. Et hoc confidens, ſcio quia manebo, & permanebo omnibus vobis, ad profectum veſtrum, & gaudium fidei: vt gratulatio veſtra abundet in Chriſto Ieſu in me, per meum aduentum iterum ad vos. Tantum digne Euangelio Chriſti conuerſamini, vt ſiue cum venero, & videro vos, ſiue abſens, audiam de vobis quia ſtatis in vno ſpiritu, vnanimes, collaborantes fidei Euangelij. Et in nullo terreamini ab aduerſarijs, quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc a Deo: quia vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt in eum credatis, ſed etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale, & vidiſtis in me, & nunc audiſtis de me.

ADNOTATIONES.

A SERVE *Ieſu Chriſti*. Occurrit hoc loco dubium, cur Paulus ſcribens Corinthijs, Apoſtolum ſe nominauit, adiungens ſibi Soſthenem fratrem in priori epiſtola, & in poſteriori, Timotheum; ad quem etiam ſcribens, in vtraque ad ipſum Epiſtola, Apoſtolatus commemorationem nō omiſit. In hac autem ad Philippenſes, Apoſtolicæ dignitatis nullam habet mentionem. Cui dubitationi occurrens Chryſoſtomus inquit; Apoſtolum ſcribere hanc epiſtolam ſuis conſortibus, & æqualibus; nempe clero Philippenſi: ad quod ſubdit Theophylactus quòd in epiſtolis, quas ſcribit Corinthijs, & Timotheo, cum multa illis ad caſtigationem eſſet iniuncturus, idcirco Apoſtolatus ad ſe dignitatem recipiſſe. Verum, cum initium epiſtolæ dicatum appareat omnibus ſanctis, qui eſſent Philippis; neque ſit exiſtimandum, quin in vniuerſa Philippenſiū eccleſia, præter clerū, aliqui etiā eſſent de numero laicorum, qui ſancti exiſterent (Vnde Theodoretus inquit; *mittit ſimul ad omnes, tam ad illos, qui ſacerdotium receperant, quàm ad eos, qui ab ipſis paſcebantur; ſanctos enim vocat, qui baptiſmo inſigniti fuerant*.) Ideo ab hac propoſita difficultate facilius euadere licet, dicendo, totam ſimul Eccleſiam Philippenſium comprehendi hac appellatione Epiſcoporum, & Diaconorum, Non quòd omnes caractere horum ſacrorum ordinum inſigniti eſſent; ſed quoniam eam vitā agerent, vt circa Euangelium inuigilarent, & ita munia quędā exercerent pro defenſione Euangelij, quæ ad Epiſcopos & Diaconos potiſſimum pertinerent; vt ita coepiſcopi hac ratione, & coodiaconi a Paulo cenſeantur: ſicuti eoſdem in hac eadem Epiſtola compartícipes, & conſocios appellat, vt qui communicarēt, & collaborarent in Euangelio ſimul cum ipſo. Atque ideo ſcribens his, quos ſibi pares eſſet facturus, nil mirum, ſi interim dignitatem reticuit Apoſtolatus; tantummodo ſe ſeruum Ieſu Chriſti nuncupans vna cum Timotheo; ad humilitatem inſinuandam, ad quam etiam cohortaturus eſſet Philippenſes.

Chryſoſto. hom. 1.
Theoph.
Theodor.

B *Cum Epiſcopis & Diaconibus*. Hic etiam addubitatur, quamobrem in hac epiſtola, populus priori loco, & poſtea Epiſcopi & Diaconi nominētur. Cui dubitationi reſpondet Thomas, id ita factum, quoniam prius eſt populus; deinde paſtores eliguntur. Ab hac autē difficultate liberāt ſe Chryſoſtomus, & alij Expoſitores Græci, dum legunt compoſito nomine, *coepiſcopis*, & non, vt habet noſtra editio, *cum epiſcopis*: qui ſimiliter ſupponunt, a Paulo ſcribi clero Philippenſi; atque ideo eos, qui de clero erant, appellari coepiſcopos. Ambroſius autem ita coniungit verba cōtextus: *Paulus & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti, cum Epiſcopis & Diaconibus* (nempe qui erant apud Paulum) ſalutem dicunt, vel ſcribunt omnibus ſanctis qui ſunt Philippis. Verum & alia excitatur hoc loco quęſtio a Gręcis expoſitoribus; cur Epiſcopi plures apud Philippenſes nominentur, cum vnus tantum Epiſcopus pro ſingula ciuitate conſtitueretur. Item, cur nulla fit mentio de Præsbyteris. Quibus difficultatibus occurrens Theophylactus, inquit. Initio naſcentis Eccleſię, nomina dignitatum atqoe graduum fuiſſe indiſtincta, vt Epiſcopi appellarentur etiam Diaconi & Pręsbyteri. Vnde inquit Theophylactus, quòd ſcribens Paulus ad Timoth. ait, *miniſterium tuum & Diaconatum perficito*, cum tamen eſſet Epiſcopus. Iuxta quam intelligentiam, dicitur etiam in alia ad eundē epiſtola, *Manus cito nemini impoſueris*; quod quidem munus non niſi Epiſcopi eſſe poterat. Item in epiſt. ad Coloſſ. loquens de Epaphra ipſorū Epiſcopo

Tho. Aqui.
Chryſoſt.
Ambr. c. 1.
Theoph.
2. Timot. 4.
1. Timo. 5.
Coloſſ. 1.

ſcopo inquit; *qui eſt fidelis pro vobis miniſter*, græce
hac voce, *διάκονος* explicatus. Et in eadē paulo poſt;
cuius factus ſum ego Paulus miniſter. Sed quòd &
Presbyteri appellarentur Epiſcopi, colligitur ex
1. Timo. 5. epiſt. ad Timotheum, dum dicitur; *quod traditum eſt
tibi cum impoſitione manuum Præsbyterij*; neque
Chryſoſt. hom. 1. enim, inquit Chryſoſtomus, ſeniores elegiſſent Epi-
Tit. 1. ſcopum. Et in epiſt. ad Titum: *reliqui te Cretæ, vt ea,
quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates Pre-
sbyteros*: qui ſane pro Epiſcopis ſunt cenſendi; cum
in quaque ciuitate tantum Epiſcopus vnus eſſet
conſtituendus. Quod etiam colligitur ex verbis ibi
ſubiunctis; in quibus eſt ſermo de Epiſcopis, cum
Tit. 1. dicitur: *oportet enim epiſcopum ſine crimine eſſe* &c.
Ex his igitur colligunt Græci expoſitores, Epiſcopos
interdum etiam fuiſſe nominatos Præsbyteros, &
Diaconos: vti etiam Præsbyteri appellati ſunt Epi-
Theoph. ſcopi, vt refert Theophylactus: idque, quoniam &
ipſi inuigilarent curæ populi, & illuminarent, quos
Act. 20. opus eſſet. Quod præſertim colligitur ex Actis
Apoſt. vbi dicitur: quòd Paulus vocauit ad ſe Præ-
sbyteros Epheſiorum; quos deinde appellat Epi-
ſcopos, dum inquit, *attendite vobis, & vniuerſo gre-
gi, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere
Eccleſiam Dei*. Vnde, & in hac epiſtola capite ſe-
Philipp. 2. quenti, Epaphroditum vocat miniſtrum Philippē-
ſium, & Apoſtolum, vnde idem & epiſcopus ſup-
Theodor. ponitur, vt animaduertit Theodoretus. Illud certe
non diſſimulandum eſt, ab Apoſtolo ſæpenumero
diaconiam vſurpari pro ipſa operatione, quæ po-
teſt aptari omnibus gradibus, & muneribus eccle-
ſiaſticis. Vnde accipiendo voces, quæ gradibus præ-
dictis accommodātur, pro functionibus, & opera-
tionibus ipſis, omnes ſuperius motæ difficultates,
quoad præſentis loci interpretationem, facile vi-
derentur tolli. Siquidem dici poteſt, quòd Philip-
penſes, vt qui conſocij & collaborantes, & conui-
gilantes eſſent in Euangelio, in Chriſti fide defen-
denda; idcirco coepiſcopi, & diaconi a Paulo no-
Philipp. 3. minantur. Vnde infra inquit, *videte canes, videte
malos operarios*; hinc eos hortans, vt tanquam epi-
ſcopi vigilarent, ne quid ſiniſtrorſum circa Chriſti
fidem innouaretur. Poſſunt etiam appellari diaco-
ni, ex eo quòd ſubminiſtrarent Apoſtolo neceſſa-
ria. Sciendum etiam gradus in Eccleſia ita diſtin-
gui, vt officium, & munus Diaconatus vnum gra-
dum teneat. Sacerdotis autem, ſeu presbyteri mu-
nus, alium gradum. Epiſcopus vero alium: in qui-
bus omnibus eſt ſacramentum, licet maior ſit vna
dignitas, quàm alia, ſaltem ob iuriſdictionem, per
quam Epiſcopus ſimplici Presbytero præſtat; Præ-
sbyter autem Diacono dignitate. In primo autem
tēpore naſcentis Eccleſiæ, non ita diſtincti hi gra-
dus reperiebantur, diſtributi in diuerſis hominibus:
idque, ob penuriam & paucitatem idoneorum mi-
niſtrorum; ſed plures gradus, & ipſorum functiones
vni committebantur; quamuis in eodem homine
munera diuerſorum graduum diſtinguerentur in
eorumdem functionibus. Illud etiam eſt adnotan-
dum, Epiſcopum, & epiſcopiam dictam eſſe, ad ſi-
gnificandam curam illam, & vigilantiam, quam
paſtor, gregi præpoſitus, præſtare debet in regendo
populo. Nomen autem, *præsbyteri*, proprie ætatem
ſenilem ſignificat. At ſacerdotium, a faciendo ſacra,
dictum eſt, ad quod etiam ætate iuniores, qui ſint
grauitate morum ornati, eliguntur.

C *Super cōmunicatione veſtra in Euangelio Chri-
ſti*. Theodoretus, *communicarunt*, inquit, *in euange-* Theodor.
lio, dum ſuſceperunt fidem. Alij interpretantur, quòd
communicauerint in meritis Apoſtoli, ſubmini-
ſtrando illi neceſſaria. Verum poſſemus etiam in-
terpretari, quòd Apoſtolus gratias agat Deo pro
communicatione Euangelij, quam Philippēſes ha-
berent cum ipſo, & cum alijs ſanctis: dum crede-
rent in Chriſtum, & pro Chriſto paterentur: quem-
admodum teſtatur de ipſis in fine capitis, dum in-
quit. *quia vobis datum eſt pro Chriſto non ſolum vt in
eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini, idem
certamen habentes, quale & vidiſtis in me, & nunc au-
ditis de me*.

D *Cōfidēs hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus
bonum, perficiet vſque in diem Chriſti*. Græce, *πεποιθὼς*
habetur: qua voce vſus eſt quoque in epiſt. ad Rom. Rom. 8.
& ibi interpres conuertit, *certus ſum*. Sed non
ſemper pro certitudine, verum etiam in eo ſignifi-
catu accipitur, quod eſt confidere, ſicuti hoc in lo-
co. Ex hoc autem quòd dicat Apoſtolus, ſe confide-
re, quòd Deus perficiet in illis opus bonum, quod in
eiſdem cœpit: adnotat Chryſoſtomus hinc innui, Chryſoſt.
non ſolum perfectionem, verum etiam initium bo- hom. 1.
ni eſſe a Deo. Et hac quidem auctoritate Apoſtoli
vſus eſt Auguſtinus in lib. 1. cap. 18. contra Pela- Aug. lib. 1.
gium. Theophylactus autem explicat illud, *in vobis*, Cont. Pe-
ideſt, vobis volentibus. Nam inquit, niſi adſit in ho- lag. cap. 18. Theoph.
mine recte agendi voluntas, nec Deus in ipſo boni
aliquid operabitur. Alioquin & Gentiles, & omnes
mortales diuinam operationem exciperent, ſi Deus
ſimpliciter, torpentibus nobis, noſtris in animis
operaretur. Illud vero, *vſque in diem Chriſti*. Theo- Theoph.
phylactus, & Græca Scholia interpretantur, vſque Gr. Scho.
ad aduentum Chriſti. Sed intelligunt, non ſolum in
illis Philippenſibus, ad quos tunc ſcribebat Apo-
ſtolus; ſed etiam in ipſorum poſteris confirmatam
iri hanc bonam operationem, vſque ad illum po-
ſtremum diem: Quod falſum manifeſte deprehen-
ditur, inquit Theophylactus, cum iam deſierint
Philippis eſſe Chriſtiani. Ideo de illis ipſis tantum-
modo tunc viuentibus, voluit Apoſtolus aſſerere,
quòd Deus perficiet in illis bona opera, quæ vſque
in diem iudicij cōſeruentur approbanda; ita vt ſin-
ceri; & ſine culpa inueniantur. Siquidem in illa
die omnia ex certo iudicio Dei erunt determināda.

E *Socios gaudij mei omnes vos eſſe*. Ideo ſocios
ſuos Paulus appellat, Philippenſes (inquiunt Græ- Gr. Expoſi.
ci expoſitores) quoniam ſuarum paſſionum, quas
gaudium nuncupat, ob animi ſui erga illos propen-
ſionem, participes illos cenſeat. Sed poſſumus etiā
interpretari, quòd habeat illos in corde, vti ſocios
& comparticipes ſui gaudij, quatenus & Philippē-
ſes ſimilia paſſi eſſent, & parati forent pati pro de-
fenſione Euangelij. Gratiam autem, quæ Græce
χάρις, dicitur, & interpres, *gaudium*, conuertit, nun-
cupat perpeſſiones, vt explicat Theodoretus, ſicuti Theodor.
per illud, *in confirmatione euangelij*, pariter intelligit

perpeſſiones : quibus quidem verbis roborarentur animi Philippenſium, ue ob vincula Pauli deterretentur.

F *Cupiam omnes vos eſſe in viſceribus Ieſu Chriſti*. Deeſt in græco eod. verbum, *eſſe* : & hunc locum explicans Theodoretus ait : beneuolentiam hinc ſpiritualem ſignificari, qua illos proſequeretur Apoſtolus. Verum poteſt & is eſſe ſenſus, quòd cupiat illos eſſe iu viſceribus Chriſti : ideſt, vt diligautur a Chriſto, & ipſi quoque Chriſtum diligant.

Theodor.

G *Vt charitas veſtra magis ac magis abundet in omni ſcientia, & in omni ſenſu*. Quæ verba Græci ita interpretantur : vt cognoſcant veram doctrinam Euangelij, & ſinceram a falſa ; & ipſi iudicio valeant diſcernere, ne hæreticis adhæreant. Poſſumus etiam interpretari per, *ſcientiam*, rerum diuinarum & humanarum cognitionem, pro his præſertim, quæ ad ſalutem pertinent. Et per hanc dictionem, *ſenſum*, intelligere, iudicium circa regimen vitæ ; nec non tenorem affectionum, vt ſint moderatæ, & ſecundum rectam regulam Chriſti ; ita quidem vt guſtent, & probent, & eligant potiora ; atque ita ferantur ad perfectiouem ; ſicuti etiam dixit ſcribens Romanis.

Gr. Expoſi.

Rom. 12.

Chryſoſto. hom. 2.

H *Vt ſitis ſinceri, & ſine offenſa*. Inquit Chryſoſtomus, *ſinceri*, ne doctrinam adulteriuam reciperent ; *ſine offenſa* autem, ne offendiculum ſint vlli. Sed poſſent etiam hæc eſſe ſimul poſita ſimpliciter ad oſtendendum, ne impingant ; & ita ſinceros ſe præſtent erga Deum, & ſine offenſa erga proximum, nihil omittentes, quod ſit ageudum ; neque malum vllum committentes.

I *Repleti fructu iuſtitiæ, per Ieſum Chriſtum*. Græci habent articulum τὸν, ante *Ieſum Chriſtum* τὸν διὰ ἰησοῦ χριστοῦ ad denotandum, quòd optat Apoſtolus, vt ſint repleti Philippenſes fructu iuſtitiæ, qui eſt ſecundum Chriſtum : idque, ad differentiam fructus Iudaici prouenientis ex obſeruatione legalium. Vnde etiam Theophylactus, & Græcanica Scholia inquiunt, dari iuſtitiam, quæ non eſt ſecundum Chriſtum, qualis eſt illa Græcorum, qui ad vanam gloriam opera exercebant iuſtitiæ.

Theoph.

Gr. Scho.

K *Quidam autem ex contentione Chriſtum annunciant*. Diſtinguit præcones, qui ſui cauſa Chriſtum annunciabant. Nam aliqui, Pauli gloriæ inuidentes, & malum ipſi cupientes, Chriſtum prædicabant, vt hinc multiplicatis præconibus, apud Neronem grauior efficeretur Pauli cauſa ; vti illius, qui auctor, & anteſignanus eſſet præco Chriſti prædicationis, quam Nero abhorrebat. Ob hanc igitur prætextum, & ob hanc occaſionem, non ſtudio veritatis, ſed odij, & maleficij concitandi aduerſus Apoſtolum, hi euangelium prædicabant. Quidam autem ex charitate id faciebant, illi nimirum, qui ad prædicandum Euangelium, ſtudio manifeſtandæ veritatis, inde effecti erant feruentiores, quòd conſpicerent Paulum intrepide vincula pati ob Euangelium, cuius defenſionem (vti ſibi demandatam a Deo) nequaquam ob vincula intermitteret.

L *Magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem*. In vita quidem, tum quòd e tantis perſecutionibus, & periculis Chriſti beneficio eriperetur, tum quòd, adhuc ſuperſtes, ſuis laboribus Chriſtum eſſet magnificaturus in eius Euangelio propalando. In morte vero ; quoniam ex eius corpore, tanquam hoſtia oblata Deo, ob defenſionem nominis Chriſti, hinc quoque Chriſtus magnificaretur ; quando, ob eius gloriam, libentiſſimo animo Paulus mortem eſſet ſuſcepturus. Aduertendum autem, ex ijs verbis, Apoſtolum nequaquam præbuiſſe occaſionem, ſeu anſam hæreſes prædicandi, ex eo quod dixerit ſe lætari, ſiue ex prætextu, ſiue propter veritatem annuncietur Chriſtus, dummodo annuncietur ; quaſi nihil interſit, quomodo quis annunciet, quod quidem nonnulli ſtulte ſunt opinati. Aduerſus quos, inquit Theophylactus, non dixiſſe Paulum, vt annuncient (quaſi ita præcipiens) quouis modo Chriſtum. Sed ab ipſo recitatur factum ; nempe, quòd nonnulli prædicabant Euangelium ob contentionem, & inuidiam, vt Paulo maleficium inferrent. Non autem propterea ſequitur, quòd doctrinam adulterinam prædicarent : ſed bene quòd non ſincere prædicarent, non recta intentione, vt Chriſto fideles acquirerent, vel vt Chriſti nomen magnificaretur ; quod ſolum erat in animo Pauli. Vnde, ſecundum Auguſtinum in ſermonis de verbis Domini, cum Dominus nominauerit in Euangelio tres perſonas ; paſtorem, mercenarium, & furem ; dicendo *paſtorem*, eum intellexit, qui ponit animam ſuam pro ouibus, & intrat per ianuam : *furem* vero, & latronem aſcendere per aliam partem : *mercenarium* autem fugere, cum viderit furem venientem ; quoniam non eſt paſtor ; ſed mercenarius, cui non eſt cura de ouibus ; ſed ad ſuam vtilitatem conuertit munus ; vt recte quidem prædicet, non recto autem animo. Inter igitur mercenarios (ex ſententia Auguſti) erant illi, qui ex prætextu prædicabant non ſincere. De quibus idem dicit, quòd ſunt tolerandi mercenarij ; quorum dicta debent fideles exequi, ſed non imitari vitam : iuxta illud Euangelicum, *quæcunque dixerint vobis facite, ſecundum vera opera eorum nolite facere* : paſtores vero ſunt diligendi ; fur autem eſt cauendus.

Theoph.

Auguſt. de Ver. Dom. Ser. 49.

Tract. 23.

M *Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum*. Conſimilem ſententiam animaduertunt Theophylactus, & Græca Scholia, haberi in epiſtola ad Galat. dum dicitur : *in fide viuo filij Dei*. Et enim id voluit innuere Apoſtolus, quòd Chriſtus eſt ſua ſpes, & obiectum, cui ſoli adhæret in hac vita ; ſibi autem erit lucrum, quando, ob hanc ſeparationem corporis ab anima cum fruitione beatitudinis, erit vna cum Chriſto ; quod, in carne exiſtens, habere non poterat : vnde, lucrum ſibi eſſet mori. Eſt autem adnotandum, dici a Theophylacto, quòd idcirco dicit Paulus, ſibi lucrum eſſe mori ; quoniam cum Chriſto aperte ſit futurus, Scholia itidem Græca

Theoph. Gr. Scho. Gal. 2.

Theoph.

Gr. Scho.

aiunt, *lucrum vero dicit, mori, vt ſit cum Chriſto, & coronas aſſequatur*. Chryſoſtomus autem in commentario huius loci in parte morali dicit; animas iuſtorum, niſi aliquid purgandum ſecum ferant, ſtatim admitti in cœlum, & præſentes reddi Chriſto. Et multa præterea affert preclara de purgatorio, & orationibus pro defunctis. Inter quæ, illud valde dignum animaduerſione commemorat, ab Apoſtolis inſtitutum fuiſſe, vt, in celebratione myſteriorũ, memoria fieret defunctorum.

Chryſoſto. hom. 3.

N *Quòd ſi viuere in carne, hic mihi fructus eſt operis, & quid eligam ignoro*. Quoniam dixerat, quòd viuere ſibi, Chriſtus eſt, & mori lucrum; nunc ſubiungit: quòd ſi viuere in carne (ad differentiam vitæ immortalis) eſt mihi fructus operis, vt hinc in Chriſti fide fructificare habeam, atque ita lucrum mihi comparare, quod ſuppono, ſi in vita permaneo, adhuc etiam, hac ſtante ſuppoſitione, ignotum eſt mihi, quid eligam; num mori cum lucro vitæ immortalis atque beatæ; an viuere cum acquiſitione lucri, atque meriti apud Deum ex fructu operis, qui proueniset ex mea prædicatione cum prouentu fidelium. Sed adnotandum, quod habet editio vulgata, *hic fructus*, græce legi τοῦτό, id eſt, *Hoc*: nempe in carne viuere. Sed vtrinque idem ſenſus elicitur. Particula autem hæc, *Et*, dum dicitur, *& quid eligam ignoro*, videtur eandem vim habere, quam habet particula, *etiam*: prout ad hunc ſenſum paraphraſis eſt explicata.

O *Coarctor autem e duobus*. Græci pro hac voce, *autem*, legunt *enim*, quam lectionem magis approbat Auguſtinus in libro tertio de doctr. Chriſti. capitulo ſecundo, vt ita magis diſtinguatur hæc ſententia a ſubſequenti dum, dicitur: *deſiderium habens diſſolui*, adeo quòd tantummodo ad vitæ diſſolutionem tendat hoc deſiderium Pauli; non ad remanendum in hac vita. Et conueniens admodum videtur, quòd deſiderium præcipuum ineſſet Paulo diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Verumtamen, licet Apoſtolus hoc deſiderio mirifice affectus eſſet, nihilominus tamen ignorabat, num eligeret mori, an viuere cum fructu operis; ab ijs enim duabus partibus coarctabatur. Et notandum, illud, *& eße cum Chriſto*, aptius coniungi cum ſequentibus, vt ita legatur, *& eſſe cum Chriſto multo magis melius*. Vnde, & ſi dubius, & ignorans foret Paulus, quod nam eligeret ex ijs duobus; attamen de hoc certus erat, quòd eſſe cum Chriſto, multo ſibi melius. Et de hoc non dubitandum; quando nil melius contingere poteſt homini, quàm eſſe cum Chriſto, & eripi a moleſtijs, & afflictionibus huiuſce turbatiſſimæ vitæ, & ad beatitudinem perduci.

Augu. lib. 3. de doctr. Chriſt. c. 2.

P *Permanere autem in carne neceſſarium propter vos*, Græci adiungunt; *multo magis neceſſarium eſt*. Quibus verbis id vult innuere Apoſtolus, ſe etiam noſſe (ſi pertineat ad fructum operis, quod præſtari poſſit ad eorum ſalutem, ſi permaneat in vita) ſic magis eſſe neceſſarium, vt permaneat ad ipſorum profectum. Ac ſi ita diceret; ſi mihi decedendum ſit e vita, id multo mihi melius eſt, quàm in carne permanere, vt Chriſto fruar. Si autem permanendum eſt in vita, id magis eſſe neceſſarium ad veſtram ſalutem.

Q *Et hoc confidens*. Græce, πεποιθὼς, quod etiam verti poteſt, *perſuaſus*: ac ſi diceret: ſi de hoc ſim perſuaſus, quòd ſit magis neceſſarium permanere in vita propter vos: in hoc caſu (quoniam Deus non deeſt in neceſſarijs ad ſalutem) affirmat Paulus, ſe ſcire, quòd manebit, & permanebit cum illis ad ipſorum profectum. Ita autem ſub dubio loquutus eſt Apoſtolus, vel, quòd neſciret, quid nam euenturum illi eſſet in cauſa, quam agebat, in carcere conſtitutus, num liberandus, an morti tradendus foret. Aut, quòd dubios ſui ſtatus, & ſui exitus relinquere vellet Philippenſes, quaſi medios, & nutantes inter ſpem, & metum; & ita ipſorum animos diſponeret ad vtrumque euentum æquo animo ſuſcipiendum. Simulque ſuam propenſam animi erga ipſos charitatem illis patefeceret: vt qui, ſi neceſſarium eſſet ſibi ob illorum ſalutem adhuc permanere in vita, id non eſſe recuſaturus, anteponens eorum ſalutem, deſiderio diſſolui, quo teneretur, & eſſe cum Chriſto. Hanc conſimilem voluntatem imitatus eſt Beatus Martinus; qui, cum a diſcipulis ſuis rogaretur, ne eos deſerere vellet, hæc aurea protulit verba. *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem*. Quòd autem certus non eſſet Apoſtolus, num moriendum ſibi tunc eſſet, an in vita permanendum; colligitur ex ijs, quæ habentur capit. ſequenti, dum dicit: *hunc igitur ſpero me mittere ad vos, mox, vt videro, quæ circa me ſunt*. Et ibidem tanquam illos conſolans, inquit: *confido autem in Domino, quoniam & ipſe veniam ad vos cito*. Paulo autem ſuperius, mortem quoque ſuam illis quodammodo inſinuans, ait. *Sed & ſi immolor ſupra ſacrificium, & obſequium fidei veſtrę, &c.* Ex quibus locis conijci poteſt, quòd tunc temporis ambiguus, ſeu dubius fuerit Apoſtolus, quid nam illi, quo ad vitam, vel mortem, eſſet euenturum.

Philipp. 2.

R *Quia vobis datum eſt pro Chriſto*. Nempe ob Chriſti merita, donatum erat, a Deo, Philippenſibus, tum quòd crediderint (ſi quidem fides eſt donum Dei, vt esplicatum eſt in epiſt. ad Epheſios) tum quod pro Chriſto, pro eius ſcilicet teſtimonio, atque gloria paterentur.

Eph. 2.

S *Idem certamen habentes, quale & vidiſtis in me, & nunc auditis de me*. Ex his palam ſignificatur, quomodo Philippenſes eſſent socij, & comparticipes Pauli in communicatione Euangelij, vt dictum eſt ſupra. Nempe, quoniam perſecutiones pro defenſione fidei & ipſi paſſi erant, ſicuti & Apoſtolus, vt dicit in hoc loco: vt propterea non immerito, illos conſocios, & collaborantes appellarit, & coepiſcopos nominarit.

PARAPHRASIS.

CAPIT. II.

SI qua ergo eſt conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium emanans a charitate, ſi qua ſocietas ſpiritus animos inuicem coniungens, ſi qua viſcera miſerationi obnoxia; implete gaudium meum, cuius hæc eſt conſummatio: vt in eodem prudentiæ ſenſu conueniatis, eandem habentes charitatem, vnanimes, vnum ſentientes, nihil agentes per contentionem, & inanem gloriam; Sed in humilitate ſinguli alios ſibi ſuperiores arbitrantes; & non tantum quæ ſua ſunt conſiderantes, ſed etiam quæ aliorum. Eo enim prudentiæ ſenſu ſitis affecti, quo & Chriſtus Ieſus: qui exiſtẽs in forma Dei (vt qui humanam naturam haberet coniunctam cum diuina, a qua in eadẽ perſona humanitas eſt aſſumpta) non rapinam a ſe committi arbitratus eſt; eſſe (quod proprium eſt Dei, qui dixit ego ſum qui ſum) & degere in hoc mundo cum potentia, & maieſtate æquali Deo patri, vti nunc degit in cœlis. Id enim exiſtens & ipſe Deus, iure ſuo præſtare poterat in terris; quod tamen non fecit, aliorum intentus ſaluti. Sed quid ab ipſo factum eſt? Poterat Chriſtus, ſimul exiſtens Deus & homo, ſecundum ſuam humanitatem non mori, non pati quidpiam, non noſtris communicare miſerijs; ſed degere cum gloria diuinæ maieſtatis. Attamen, ob ſtudium vehementiſſimum noſtræ ſalutis, quo tenebatur; exinaniuit ſemetipſum, diuinitatis ſplendorem, atque potentiam a ſua humanitate quodam modo ſubtrahens, ac longe a ſe faciens: formam ſerui accipiens, in miniſterium humanæ redemptionis: in ſimilitudinem hominum factus, dum ſuam humanitatem proprijs ſubiecit aliorum hominum miſerijs, citra tamen peccatum; & habitu, atque figura inuentus vt homo, vt cenſeretur, quaſi eſſet ſolum homo, & non etiam Deus; quoniam diuinitas eius lateret. Humiliauit ſemetipſum, factus patri obediens vſque ad mortem, mortem autem turpiſſimam crucis. Propter quod tam pium, & eximium eius factum, & Deus exaltauit illum, quo ad eius humanitatem; & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen; vt in nomine eius (quod eſt Ieſus) omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernarum creaturarum; & omnis lingua vno ore confiteatur, quòd Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. Itaque cariſſimi mei, ſicuti ſemper obediſtis; non vt in præſentia mea tantum, ſed nunc multo magis in abſentia mea, cum timore atque tremore veſtram ſalutem operamini. Deus enim eſt, qui operatur in vobis & velle, & perficere, iuxta beneplacitum ſuæ voluntatis. Vnde humiles coram ipſo eſſe debetis. Omnia facite ſine murmurationibus, & hæſitationibus; vt ſitis ſine querela, & ſimplices filij Dei, irreprehenſibiles in medio nationis prauę, atque peruerſę; inter quam luceatis vt luminaria in mundo, verbum, ipſam euangelicam veritatem, apud vos continentes, ad gloriam meam in die Chriſti, vt appareat, quòd non in vanum cucurrerim, neque in vanum laborauerim. Sed & ſi mihi ſit moriendum, vt Deo immoler ſupra ſacrificium & obſequium fidei veſtrę, gaudeo, & congratulor omnibus vobis. Vos etiam de hoc gaudete; & congratulamini mihi. Spero autem in Domino Ieſo, Timotheum me cito mittere ad vos; vt & ego bono ſim animo, cognitis per eum quę circa vos ſunt. Neminem enim habeo tam vnanimem, qui ſincera affectione pro vobis ſolicitus ſit vt ipſe. Omnes enim quęrunt, quę ſua ſunt, non quę Ieſu Chriſti. Probationem autem, & experimentum eius hinc cognoſcite, quòd, tanquam patri filius, mecum ſeruiuit in Euangelio. Hunc igitur ſpero me miſſurum ad vos, mox vt videro, quo modo ſe habeant, quę circa me ſunt: confido autem in Domino, quoniam & ipſe veniam ad vos cito. Neceſſarium autem exiſtimaui mittere ad vos Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, atque commilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum, & miniſtrum meę neceſſitatis: quoniam deſiderabat videre omnes vos; & męſtus erat, propterea quòd audieratis, illum infirmatum eſſe. Et enim infirmus fuit prope ad mortem; ſed Deus miſertus eſt eius; & non eius ſolum, verum etiam mei, ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberem. Feſtinantius ergo miſi illum, vt, viſo illo, iterum gaudeatis, & ego ſine triſtitia ſim ob eius pręſentiam apud vos. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & eiuſmodi ſpectatæ virtutis homines cum honore habetote; quoniam, ob opus Chriſti, vſque ad mortem acceſſit, nulla habita vitę proprię ratione, vt impleret quod ex vobis defuit, & vices veſtras erga obſequium meum pręſtaret.

Editio vulgata.

SI QVA ergo conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſiqua viſcera miſerationis: implete gaudium meum, vt idem ſapiatis eandem charitatem habentes, vnanimes, idipſum ſentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: ſed in humilitate, ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes: non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum. Hoc enim ſentite in vobis, quod, & in Chriſto Ieſu: qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo. Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem: mortem autem crucis. Propter quod, & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœle-

ſtium,terreſtrium,& infernorum:& omnis lingua cõfiteatur quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Itaque cariſſimi mei, (ſicut ſemper obediſtis:) non vt in præſentia mei tantum, ſed multo magis nunc in abſentia mea,cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim,qui operatur in vobis,& velle, & perficere, pro bona voluntate. Omnia autem facite ſine murmurationibus,& hæſitationibus,vt ſitis ſine querela,& ſimplices filij Dei,ſine reprehenſione in medio nationis prauæ, & peruerſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo: verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Chriſti, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui. Sed, & ſi immolor, ſupra ſacrificium, & obſequium fidei veſtræ,gaudeo, & congratulor omnibus vobis. Idipſum autem,& vos gaudete, & congratulamini mihi. Spero autem in Domino Ieſu,Timotheum me cito mittere ad vos, vt, & ego bono animo ſim,cognitis quæ circa vos ſunt. Neminem enim habeo tam vnanimem: qui ſincera affectione pro vobis ſolicitus ſit. Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt,non quæ ſunt Ieſu Chriſti. Experimentum autem eius cognoſcite, quia ſicut matri filius,mecum ſeruiuit in Euangelio. Hunc igitur ſpero me mittere ad vos, mox vt videro quæ circa me ſunt. Confido autem in Domino quoniam, & ipſe veniam ad vos cito. Neceſſarium autem exiſtimaui, Epaphroditum fratrem, & cooperantem,& commilitonem meum,veſtrum autem apoſtolum,& miniſtrum neceſſitatis meæ, mittere ad vos, quoniam quidem omnes vos deſiderabat:& mæſtus erat: propterea quod audieratis illum infirmatum. Nam, & infirmatus eſt vſque ad mortem, ſed Deus miſertus eſt eius: non ſolum autem eius,verumetiam,& mei,ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberẽ. Feſtinantius ergo miſi illum, vt viſo eo, iterum gaudeatis,& ego ſine triſtitia ſim. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & eiuſmodi cum honore habetote,quoniam propter opus Chriſti,vſque ad mortem acceſſit, tradens animam ſuam, vt impleret id quod ex vobis deerat erga meum obſequium.

ADNOTATIONES.

A VT *idem ſapiatis*. Græce φρονῆτε, vocula, quam Ariſtoteles in lib.3. de anima applicauit animæ intellectiuæ,dum dixit; De parte autem animæ, qua anima intelligit,& ſapit; græce enim pro hoc verbo,*ſapit*,ibi habetur φρονεῖ, vnde & φρόνησις, ipſa prudentia,deriuauit. Ad quam (vt colligitur ex ijs quæ idem auctor tradidit de prudentia in lib.6. Ethi. hæc duo præcipua attinent; tum rerum quædam cognitio; tum animi affectio, & inclinatio, ex quibus prodeunt omnes humanæ actiones: dum ſcilicet, ex rerum præteritarum animaduerſione,quibus futura conferantur, maturo deinde examine, atque iudicio prouidentur quæ agenda ſunt:&, iuxta animi diſpoſitionem,ducitur homo ad ea eligenda, atque ſequenda, quæ potiora ſibi ſint viſa. Hinc itaque Apoſtolus obteſtatur Philippenſes,vt idem ſapiant; id eſt. & vt in eadem animorum affectione conueniant,dum inquit, *eandem charitatem habentes,vnanimes,&c.*& vt in eadẽ cognitione concordent; vnde ſubiungit: *idem ſentientes*; græce φρονοῦντες: quod interpres admodum apte conuertit, *ſentientes*, ad denotandum,vt circa dogmata fidei; & circa agenda in vnam eandemque ſententiam conſpirent ad mutuam omnium vtilitatem, ab omni contentione longe remoti,& a vana gloria;vt ne quis,alteri ſe præſtare,ſibi aſſumat. Sed humilitatem amplexantes, ſinguli alios ſibi ſuperiores exiſtiment, etiam quòd in pluribus donis excellerent; cum præſertim a Deo cuncta proficiſcantur. Qui etiam (vt dicitur paulo poſt in hoc eodem cap.)operatur in nobis,& velle,& perficere. Et hæc quidem pertinent ad inſtitutionem perfectæ vitæ Chriſtianæ, quam Apoſtolus in Epiſt. quoque ad Rom. & alibi ſæpe fidelibus commendauit, ad eam miris in modis ipſos adhortans;nempe,vt humilitati ſe ſe dedicarent, & in ſalutem proximi,cogitationem, & ſtudium omne collocarẽt,nihili ſe ipſos facientes,quamuis plurimis affluerent Dei muneribus.

B *Non quæ ſua ſunt ſinguli, conſiderantes, ſed ea quæ aliorum*. Hoc maximopere ſpectat ad fructum ſinceræ charitatis, vt,quæ aliorum ſunt, quiſque conſideret, aliorum ſaluti conſulens, atque proſpiciens; & non ſibi ſoli. Quod quidem præſtabit, qui tum proximi infirmitates æquo animo tulerit, tum ei ſua ope ſubuenerit: quæ quidem præſtanſtanda eſſe, docet Apoſtolus Chriſti exemplo, hunc in modum mirifice cohortans Philippenſes, dum inquit.

C *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu*. Quod eſt,ac ſi diceret, eſtote ea prudentia atque animi affectione diſpoſiti, qua fuit Chriſtus erga nos,propter noſtram ſalutem; *Qui,cum in forma Dei eſſet*. Variæ hic afferuntur interpretationes. Nã Chryſoſtomos ita interpretatur. Cum eſſet in natu- Chryſoſt.
ra Dei,verus,& perfectus Deus. Ambroſius autem hom.6.
(ſi tamen Ambroſij ſunt commẽtaria) videtur acci- Ambr.
pere,quòd in figura, vel externo habitu præſeferret multa diuinitatis indicia; dum opera Dei faceret, mortuos ſuſcitando, & alia huiuſmodi, & hoc ſit ſpecimen præbere diuinitatis. Quod aliquibus ſatis dure videtur dictum: ſiquidem de Petro Principe Apoſtolorum, qui ſimilia opera, quæ & Chriſtus præſtitit, nunquam diceretur, quòd in forma Dei fuerit. Cui tamen expoſitioni adhæſit Eraſmus addubitans, ex aduerſo, quòd ſi diceretur Chriſtus in forma Dei ſecundum eſſentiam,a ſimili, etiam dicendum eſſet, quòd erat in forma ſerui ſecundum eſſentiam;cum dicat Apoſtolus,quòd Chriſtus ſerui formam accepit; & tamen falſum eſt, inquit, quòd Chriſtus eſſet ſeruus, cum eſſet filius Dei. Cui obiectioni ita dicimus ſatisfieri poſſe, dicendo; quòd Chriſtus ſerui formam accepit, quatenus naturam humanam paſſibilem habuit, & per hanc miniſtrauit ſalutem electis, delens in carne ſua, tanquam ſi eam peccatricem habuiſſet; mundi delicta,idẽ Deus,& homo exiſtens ſecundũ eſſentiam vtriuſque naturæ. *Non rapinam arbitra-
tus eſt eſſe ſe æqualẽ Deo*. Rapina,inquit, Chryſoſto- Chryſoſt.
mus eſt,cũ ſumimus nobis, quod in nos non cõpe- hom.6.

tit, &

tit; & qui poſſidet aliquid rapina, veretur illud de-
ponere, & amittere. Ideo Chriſtus non timuit ſuam
diuinitatem deponere, ſeu diſſimulare; vnde illam
Aug. tract. 1. in Ioan. non habuit in raptu. Auguſtinus autem in Ioann.
quid eſt, inquit, *non rapinam arbitratus eſt? non vſur-
pauit æqualitatem* Dei; ſed erat in ea, in qua natus
erat. *Sed ſemetipſum exinaniuit*. Inquit Auguſtinus
loco citato; *non exinaniuit, amittens quod erat, ſed
accipiendo quod non erat; cum eſſet talis, attamen
exinaniuit ſe*. Chryſoſtomus, quia Chriſtus, inquit,
Chryſoſt. ibidẽ hom. 6. in Dei forma erat, non dubitauit diuinitatem ſuam
amittere, adeo non veritus eſt a dignitate ſua de-
ſcendere, vt plane exinaniuerit ſe. *In ſimilitudinem
Oecum. hominum factus*. Ita dictũ eſſe interpretatur Oecu-
menius: quoniam aliqua habuit ſupra hominem,
quòd eſſet etiam Deus, & non ex commiſtione ge-
Theoph. nitus: &(vt inquit Theophylactus) non id ſolũ, quod
extrinſecè ex facie apparebat, inerat illi diuinitas
ipſa; erat namque hic Deus, non homo ſimplex. *Et
habitu inuentus vt homo*. Ex ijs Apoſtoli verbis per-
perã intellectis, Eutichij hæreſis inſurrexit, q̃ Chri-
ſtus non fuerit verus homo; quando hic dicitur,
Oecum. quòd *habitu eſt inuentus vt homo*. Oecumenius
autem animaduertit, ita dictum eſſe, ne exiſtimare-
tur diuinitas commutata in humanitatem: *habitu*
autẽ, *& figura*; ideſt, in carne. Siquidem proprium
carnis eſt, eſſe figuratum; eſſe vt homo; nam etiam
alia habebat. Aut *vt homo*, inquit dictum eſſe; *quo-
niam re vera eſſet homo*, ſicuti illud, *quaſi vnigenitus*,
Ambr. c. 1. ideſt, re vera vnigenitus. Ambroſius autem illud
habitu, interpretatur, pro eo quod eſt, in figura, &
Chryſoſto. hom. 7. ſpecie, in ſua conuerſatione. Chryſoſtomus dicit in
carne eſſe figuram; quoniam tale habebat ſchema
Aug. quæſt. 83. q. 73. caro eius, vt noſtra. Auguſt. autem in lib. quæſt. 83.
diſtinguit habitum, in eum qui mutat, & non mu-
tatur, veluti eſt ſcientia mutans intellectum: in eum
qui mutat, & mutatur, vt cibus: in eum, cum quæ
accidunt ad faciendum habitum, nec ea mutant,
quibus accidunt, neque ab eis ipſa mutantur, vt
anulus in digito: & in eum, cum ipſa quæ accidunt
mutantur, vt habitum faciant, & quodam modo
formantur ab eis, vt veſtis; quę repoſita, & proiecta,
non habet eam formam, quam ſumit cum indui-
tur, atque inducitur membris. Sic inquit, *Chriſtus
inuentus, vt homo; id eſt veſtitus humanitate: & ſic
adueniens Verbo, & vnita diuina natura, neque Ver-
bum mutauit, neque diuinam naturam; ſed in melius
fuit mutata*.

Hęc autem, quę de Chriſto, iuxta perſonam Ver-
bi ſeiunctam ab humanitate, antequam carnem aſ-
ſumpſiſſet, fere omnia ſunt explicata; exponi etiam
omnia poſſunt de Verbo humanato, nempe de
Chriſto, Deo & homine ſimul exiſtente. Qui exi-
ſtens in forma Dei, non rapinam arbitratus eſt eſſe
ſe æqualem Deo; ſed ſe exinaniuit, formam ſerui ac-
cipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habi-
tu inuentus vt homo. Et quidem de Chriſto ſermo-
nem eſſe, Apoſtoli verba præſeferre videntur, dum
inquit. *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto
Ieſu, qui, cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitra-
tus eſt* &c. hunc in modum de Chriſto ſuam ora-
tionem inſtituens, proponenſque nobis in exem-
plum, eius humilitatem imitandam in communem
proximorum noſtrorum ſalutem. In primis igitur
dictio illa. *Qui cum in forma Dei eſſet* (græce autem
habetur loco verbi, *cum eſſet*, ὑπάρχων, hoc eſt, exi-
ſtens) optime quadrat Chriſto, vt de ipſo, humanam
naturam habente cum diuina coniunctam in ea-
dem vnitate perſonę, dicatur, quòd, qui erat homo,
eſſet etiam Deus, exiſtens in Dei forma; cum præ-
ſertim, quando Verbum caro factum eſt, humani-
tas aſſumpta fuerit a diuinitate, vt ita ſit humanitas
in Chriſto, non quidem conuerſione diuinitatis in
carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum. Cũ
vero ſubiungitur; *non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe
æqualem Deo*: adnotãdum, loco horum verborum,
eſſe ſe æqualem, græce haberi τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, quæ
interpres apte admodum, ad faciliorem ſenſum,
tranſtulit, *eſſe ſe æqualem Deo*, & verti etiam poſſunt
hunc in modum: *eſſe æqualiter Deo*: cum vocula, ἴσα,
aduerbialiter ſtet, pro *æqualiter*. Vnde verborum
hæc eſſet interpretatio. Quòd Chriſtus, exiſtens nõ
ſolum homo, verum etiam Deus, non arbitratus eſt
a ſe committi rapinam, & vſurpari id, quod non eſ-
ſet, ſi æqualem Deo ſe fecit; cum, exiſtens in forma
Dei, Deus eſſet, & ita Deo ęqualis, filius Deus, ęqua-
lis Deo patri. Aut (accipiendo verbum, *eſſe*, abſolu-
te, quemadmodum articulus verbo græco appoſi-
tus, τὸ εἶναι, importare videtur) dicemus, quòd Chri-
ſtus non arbitratus eſt rapinam. Et quid non arbi-
tratus eſt rapinã? τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, eſſe æqualiter Deo:
hoc eſt degere cum æquali gloria, & maieſtate, quæ
decet Deum. Quod, ſi noluit agere, & ſe abſtinuit
ab hoc diuino, & glorioſo vitæ ſpecimine, id qui-
dem non tribuendũ, quaſi vereretur, ne hinc rapi-
nam committeret, ſibi aſſumendo quod non eſſet,
aut quod ei non conueniret: quando ipſi, qui erat
Deus, & non ſolum homo, licuiſſet, pro ſuo iure, de-
gere cum gloria diuinæ maieſtatis. Vnde etiam ali-
quando de ſe dixit. *Ego, & Pater vnum ſumus*: mul- Ioan. 10.
taque opera fecit ſecundum potentiam diuinitatis,
quæ erat in eo; quæ tamen (quoniam ipſe extrinſe-
cus apparebat ſolum homo, & non Deus) ideo hæc
ipſa opera, a Patre Deo pendere inſinuabat (licet
etiam, vt Verbum genitum a Patre, Deus de Deo, a
quo eſſet filius, aſſereret opera ſua eſſe a Deo Pa-
tre) humilitatem, ad noſtrum exemplum, præſefe-
rens, & non degens in hoc mundo ſecundum for-
mam diuinæ maieſtatis, vti facere potuiſſet, & vti
nunc degit, & eſt in cœlis. Verumtamen non hæc
voluit Chriſtus: ſed exinaniuit ſemetipſum: dum
ſcilicet in omni fere vita (niſi cum noſtra intere-
rat) abſtinebat a manifeſtatione diuinæ maieſta-
tis; quatenus Chriſtus, non palam, continuato-
que curſu, glorioſe iuxta diuinæ maieſtatis ſpeci-
men ſe geſſit, dum eſſet in terris. At, quomodo
exinaniuit ſemetipſum? & non glorioſe ſe geſſit
ad æqualitatem Dei? In hoc nempe: *formam ſer-
ui accipiens*. Si Chriſtus voluiſſet, humanitatem aſ-
ſumptam a Verbo ita glorioſam obtinere, vt
nunc habet in cœlis, cui dubium (cum eſſet eius
humanitas cum diuinitate coniuncta in vnita-
te perſonæ) quòd id facere in eius erat ſitum po-
teſtate? quemadmodum huius ſuæ potentiæ argu-

mentum præclariſſimum præbuit, quando in monte Tabot eſt transfiguratus. Verumtamen hanc ipſam humanitatem, ob noſtram ſalutem, vt fieret propitiatio pro peccatis noſtris apud Deum Patrem, humanis noſtris miſerijs (citra tamen omnem reprehenſionem) ſubditam habere voluit, & per eam nobis famulari. Atque ita formam ſerui accipiens, & quodammodo cœlans ipſe plerumque diuinitatis gloriam, exinaniuit ſe, nempe cœlans formam Dei, ac conſequenter *in ſimilitudinem hominum factus*. Naturam quidem veram humanam habebat Chriſtus, exiſtens verus Deus, & verus homo: ſed ille tamen homo, qui, quoniam non genitus ex concubitu carnali, ſed de ſpiritu ſancto conceptus erat, immunis exiſtens a peccato, a morte quoque, quæ ſubſecuta eſt ad peccatum, liber eſſe poterat. Veruntamen, ſuam ipſius humanitatem, doloribus mortis vltronee ſubiecit,
Eſai. 53. vt qui *vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit*; & ita in ſimilitudinem hominum miſerorum ſit factus, nec non in ſimilitudi-
Rom. 8. nem carnis peccati, vt dicitur in Epiſt. ad Rom. vt qui in ſua carne luerit peccatum, tanquam eſſet peccator; cum tamen, in ſua humanitate, vti factus in ſpiritum viuificantem (vt habetur in epiſt.
1. Cor. 15. ad Corinth.)glorioſe degere potuiſſet ad æqualitatem diuinæ maieſtatis, exiſtens in forma Dei, & conſequenter mortem non obire. Hæc quidem palam inſinuauit Apoſtolus. Nam in epiſt. poſte-
2. Cor. 8. riori ad Corinth. inquit: *quoniam propter nos egenus*
Coloſſ. 2. *factus eſt, cum eſſet diues*. Et in epiſt. ad Coloſſ. *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*. Et ad Hebr. *quoniam, propoſito ſibi gaudio,*
Oecum. *ſuſtinuit crucem*. Vbi Oecumenius, & Theophy-
Chryſoſt. lactus adhærẽs explicationi Chryſoſtomi, inquiũt, *Licebat Chriſto, gaudio frui, non pati mortem, quoniam*
Ioan. 14. *immunis a peccato erat; vnde apud Ioan. dicebat. Venit princeps mundi huius, & in me non habet quid-*
Ioan. 10. *quam*. Item apud eumdem. *poteſtatem habeo ponendi animam meam*. Vnde infert loco citato Theophylactus, quòd Chriſtus, *morti non erat obnoxius*. Verumtamen voluit mortem ſubire, & mortem turpiſſimam crucis ob noſtram ſalutem. Factus eſt autem in prædictam miſerorum hominum ſimilitudinem ab initio ſuæ conceptionis, cum ſubditus (ita ipſo volente) natus ſit humanis miſerijs, citra omnem tamen impuritatem; cum tamen, & ab initio conceptionis, & poſt, potuiſſet degere in Dei maieſtate, & glorioſam obtinere humanitatem, vti nunc habet in cœlis.

D *Et habitu inuentus vt homo*: Vocula hæc, *habitu* græce, σχήματι, verti etiam poteſt, *figura*, per quam habitus inſinuatur: de qua voce vna cum hac alia, *forma*, græce dicta μορφὴ, egit Ariſt. in Prædicamẽtis, ex vtraque conſtituens vnum genus Qualitatis. Hac autem voce, *habitu*, ſeu *figura*, videtur Apoſtolus inſinuare voluiſſe, quòd Chriſtus, qui erat Deus & homo, in figura, in qua apparebat, & oſtendebatur vt homo, inuentus eſt ſecundum miſeram conditionem humani generis, tanquam eſſet ſolum miſer homo. Siquidem lacrymatus eſt Ieſus, admiratus eſt, laſſus ſedit, frigus, æſtum, ſitim, famẽ, ac denique mortem vere paſſus eſt, ſicuti & nos his miſerijs ſubditi ſumus. Erat itaque Chriſtus hanc habens naturam, formam ſerui (vt explicatum eſt) obtinens, verus homo, humani generis redemptioni inſeruiens, & vere patiens, quæ paſſus eſt. Et quia Deus non apparebat, latente in ipſo forma diuinitatis; idcirco dixit Apoſtolus, quòd in figura, & habitu, ideſt, in apparẽtia inuentus eſt vt homo, quaſi ſolum homo, & non etiam Deus eſſet; cum tamen in forma diuinitatis cum humanitate coniuncta Verbi perſona ſubſiſteret. Hæc autem fecit, & paſſus eſt Chriſtus ob noſtram ſalutem. Nam (vt inquit
S. Petrus Chryſogonus in homil. Euang. in Matt. Pet. Chryſ.
cap. 9.) *Si Chriſtus manſiſſet in ſuis virtutibus, cum hominibus nihil haberet commune; & ſi non impleſſet carnis ordinem, carnis in ipſo eſſet score ocioſa ſuſceptio*. Theodoretus item explicans hæc verba, & *habitu inuẽtus, vt homo*: ait, hęc aſſeri de Deo Verbo: quòd, cum Deus eſſet, non videbatur, vt qui humanam
naturam induiſſet. Auguſtinus quoque explicans Auguſt. in
illud pſalmi: *accedet homo ad cor altum*, inquit, *ideſt,* Pſal. 63.
cor ſecretum, obijciens aſpectibus humanis hominem; ſeruans intus Deum, cœlans formam Dei, in qua æqualis eſt Patri, & offerens formam ſerui, qua minor eſt Patre. Quæ Auguſtini verba manifeſte inſinuant Chriſtum habentem humanam, atque diuinam naturam in vnitate eiuſdem ſuppoſiti; vt de ipſo (ex ſententia Auguſtini) optime intelligi poſſe appareat, quæ ſuperius explicata ſunt: quæ etiam ex aliorum patrum interpretatione, ac præſertim ex Ambroſio non erit difficile colligere, ſi omnia eorum dicta diligenter quis ſcrutari voluerit. Quemadmodum, & Apoſtolus de Chriſto ſuam orationem inſtituiſſe præclare inſinuauit inquiens. *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu* &c. ita tamen, vt de hoc ſuppoſito habente ſimul humanam, atqoe diuinam naturam, præcipua ſit explicatio penes naturam humanam: idque, ob intellectus noſtri imbecillitatem, cui Chriſtus offertur vt homo in prima noſtri intellectus apprehenſione; quemadmodum etiam exiſtens in hac carne, oculis hominum obijciebatur vt homo, latebat autem in ipſo forma diuinitatis.

E *Humiliauit ſemetipſum*. Id quoque de Chriſto, obtinente humanam, & diuinam naturam in vno & eodem ſuppoſito, conuenienter dicitur: quòd ſe humiliauit, nempe ſecundum humanitatẽ, vt mortem ſubiret; quod ſane non coacte, ſed volens præſtitit, factus obediens Patri. Erat ſiquidem eadem voluntas in verbo, Dei filio, quæ & in Deo Patre; cui diuinæ voluntati, humanitatis quoque voluntas acceſſit, quæ libenter ſuſcepit mandatum a Deo Patre, vt mortem obiret pro mundi redemptione.

F *Donauit illi nomen*. Theodoretus recitat quo- Theodor.
rumdam opinionem, qui pro nomine, de quo hic eſt mentio, collatam Chriſto gloriam intellexerunt. Ipſe autem mauult interpretari hoc nomen
fuiſſe, quòd filius Dei vocaretur, vt in epiſ. ad Hebr. Hebr. 1.
Vbi dicitur: *tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit*. Quam interpretationẽ alij quoq; Gręci expoſitores ſunt ſecuti. Quòd ſi quis obijciat, quòd etiã ab initio cõceptionis,

nis,ob cõiũctionẽ humanitatis cũ diuinitate, Chriſto,Dei nomen conueniebat: Ad hoc dicendum,ꝙ poſt conſummatam paſſionem id aſſequutus eſt, vt Deus vocaretur, quod antea latebat, aut paucis
Matth. 27. prius notum erat. Vnde & Centurio dixit. *Vere filius Dei erat iſte.* Verum ad humanitatem Chriſti (ſeorſum a diuinitate) aptando nomen, quod ei donatum aſſerit hoc loco Apoſtolus, dicere poſſumus, hoc nomen eſſe, quod hic commemoratur; *vt in nomine Ieſu omne genu flectatur*, &c. Vnde nomen hoc
Matth. 1. erit *Ieſus*, quod etiam enunciauit Angelus ipſi Ioſeph inquiens. *Et vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum a peccatis eorum*; vnde, & *Ieſus* idem qui ſaluator interpretatur. Hoc igitur nomen *Ieſus*, ei, per quem ſalus mundi eſt reparata, tributum eſt; non nomen Cherubin, aut Se-
Eph. 1. raphin. Vnde, vt dicitur in epiſt. ad Ephe. conſtitutus eſt etiam ſuper omnes Angelos, & exaltatus ſuper omnes poteſtates, quoniam morti ſe tradidit pro redemptione mundi. Hinc etiam, Spiritu ſancto ita dictante, factum eſt (poſtquam notum factum eſt mundo hoc nomen *Ieſus*, a quo humano generi ſalus aduenit) vt omnibus temporibus pij quique homines, ad Ieſu nomen (quem vti Deum, & Saluatorem adorant) caput aperiant, & ſe inclinent, & genua flectant: quemadmodum & B. Paulus faciendũ hic aſſerit inquiens: *vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, et infernorum.* Vnde etiã
Rom. 14. in epiſt. ad Rom. ita ſcribit. *Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti, ſcriptum eſt enim: viuo ego dicit dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Quod præſertim apparebit, cum iudex adueniet viuorum, & mortuorum.

G *Et omnis lingua confiteatur.* Hæc eſt Chriſti exaltatio, quòd omnis lingua confiteatur, magnificetque Chriſtum, confitendo, quòd ſit in gloria Dei, aſſumptus ſuper omnia in cœlis; & ita in gloria
Chryſoſto. hom 7. Dei patris. Chryſoſtomus autem interpretatur, ꝙ Ieſus Chriſtus, eſt Dominus in gloria Dei patris. In
Hebr. 1. epiſt. autem ad Hebr. dicitur: *vidimus Ieſum propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum*: quæ dictis hoc loco mirifice conſentiunt.

Græ. expoſ. Ex his autẽ, quę Apoſtolus retulit de Chriſto, colligũt Græci expoſitores, & noſtrates, ſimul iugulari plures hæreſes hæreticorũ. Illam Marcelli, & Photini (dicentium; Chriſtũ fuiſſe ſolum energiam, & operationem Dei) ex hoc, quod dictum eſt, ꝙ erat in forma Dei. Vnde ſecundum ſubſtantiã erat Deus, & non ſolum ſecundum energiam. Illam Marcionis (aſſerentis, quòd ex Maria Chriſtus ſumpſiſſet totum ſuum eſſe) ex hoc eodem dicto, quòd erat in forma Dei. Illam Sabellij (aſſerentis, quòd non eſſet niſi vna perſona in diuinis) ex hoc ipſo, quòd non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; ſiquidem æqualitas, arguit pluralitatem perſonarũ. Item illam Arij (dicentis filium minorem eſſe Patre) per idem dictum, quòd erat æqualis Deo. Ad hęc & hæreſim, quoque eorum (qui aſſeruerunt, Chriſtum non veram accepiſſe carnem, ſed phantaſticam) iugulari aduerterũt, ex eo, quod dictum eſt, quòd formam ſerui accepit, & in ſimilitudinem hominũ eſt factus; ita quidem, quòd in omnibus aſſimulatus eſt nobis, pręter quàm quòd non in peccato, ſine peccato enim conceptus eſt.

H *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.* Hortatur Philippenſes, vt ſalutem operentur cum timore, adijciẽs etiam tremorem, vt magis eos cautos atque circumſpectos reddat: iuxta illud ad Corint. *Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* 1. Cor. 8.
Et quare oportet, vt ita nos regamus? quoniam (vt perpendunt Græca ſcholia) cõſiderare debemus, ꝙ Græ. ſchol.
vbique eſt Deus, qui omnia audit, & intuetur, & quæ geſta ſunt, & quę latent in animo; graueſque exiguntur rationes, & pœnæ. Accedit, quòd multę ſunt tentationes, & inſidiatores multi, vt etiam in exercendo virtutem, contrarius ſequatur effectus; cum hinc traditur homo in arrogantiam, & ſuperbiam: & multa etiam malefacta, quę committimus, poſſunt nos latere, ob quę excidere poſſumus a Dei gratia. Ex hoc autem quod dicat Apoſtolus, *operamini veſtram ſalutem*: colligitur libertas arbitrij humani, qua homo bene ſe gerere poſſit, non tamen abſque Dei auxilio, vnde ſubinnxit.

I *Deus enim eſt, qui operatur in vobis, & velle, & perficere.* Quæ verba Theophylactus, & Græca Theoph.
ſcholia ita interpretantur; vt dicta ſint, ne terreantur Gr. ſcho.
Philippenſes ob prędicta. Nam, ſi Deus eſt, qui operatur & velle, & perficere, opus eſt, nos tantum bonam afferre mentem, & bona velle cum timore, & tremore. Verum poſſet etiam dici, hæc ſubinducta fuiſſe ab Apoſtolo, ad confirmandam propoſitam cohortationem, vt cum timore, & tremore ſalutem operemur. Siquidẽ ex nobis non ſumus ſufficiẽtes cogitare, ne dũ operari bonũ, niſi adſit auxilium Dei qui operatur, vt velimus, nos illuminãdo, atque ſtimulis excitando, & etiã vt perficiamus volita; dum, ſua gratuita gratia præſto adeſt nobis, in omnibus noſtris operationibus. Ex quibus colligitur, inualidum eſſe noſtrum liberum arbitrium, niſi nos adiuuans concurrat Dei auxilium, qui operatur in nobis & velle, & facere. Verum aduertendum, quòd ſi in nobis operatur Deus; iam nõ ſine nobis, neque ſine concurſu noſtri conſenſus hæc agit in nobis. Vnde edocemur, non ſuperbire, tanquam aliquid valeamus ex nobis, tanquam ex nobis: & ad Deum debere nos noſtras preces cum gratiarum actionibus ſemper conuertere, vt nos foueat ſua gratia, quam nobis largiri ſemper eſt paratus ex ſua immenſa bonitate, niſi nos obicẽ nobis ponamus. Illud autem, *pro bona voluntate* (græce, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, legitur, & pro beneplacito accipitur) ex communi Latinorum interpretatione, ita intelligitur; quòd Deus operatur in nobis, & velle, & perficere, iuxta ſuum beneplacitum, non tamen cogens nos inuitos; ſed adiuuat, vt ait Theodoretus, huic interpretationi, & Theodor.
ipſe conſentiens, dum inquit, εὐδοκίας, *appellat bonam Dei voluntatem*: *vult autem omnes homines ſal-* 1. Timot. 2.
uos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Chryſo- Chryſoſto. hom. 8.
ſtomus vero, & Theophylactus, & Græca ſcholia, Theoph.
ob illam particulam, ὑπὲρ, quæ proprie pro fine, & Gr. ſcho.
ſcopo accipitur, ſicuti illud: tradidit ſe pro peccatis noſtris, ita exponunt; quòd Deus operatur in nobis & velle, & perficere, vt eius bona voluntas in nobis impleatur. Poſſemus etiam interpretari iſtud, *pro bona*

bona Dei voluntate. Id eſt, quòd Deus operatur in nobis, quæ ſibi ſunt placita.

K. *Deus miſertus eſt eius*. Vtique ſuperſtitem eſſe in vita ab infirmitatibus, eſt donum Dei, cum vel hac vita ſit bonum; tum, quòd poſſit homo magis in dies, diuinæ gratiæ auxilio mereri, tum etiam, quoniam in natura hoc bonum eſt, nempe ſanam vitam degere.

L. *Ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberem*. Inerat triſtitia Paulo, quòd Epaphroditus infirmitate oppreſſus eſſet, cum ſibi inſeruiret, & in plurimis adiumento ei eſſe poſſet. Et hæc quidem Apoſtolus effatus eſt, ſecundum hominum conſuetudinem; qui doloribus ſunt ſubiecti, & quæ moleſta ſunt, perſentiunt cum afflictione. Chriſtus etiam in mor-
Ioan. 11. te Lazari, lachrymatus eſt: & cum prope iam eſſet
Math. 25. hora, vt traderetur ad crucifigendum, aſſumpſit ſecum tres ex diſcipulis ſuis ſibi cariores, quaſi in ſolamen triſtitiæ, quam patiebatur, vt homo. Ideo nil mirum, ſi etiam Apoſtolus, dum eſſet afflictus ob carceris moleſtiam, afflictionem quoque ſuper afflictionẽ accepiſſet, ſi mortem obijſſet Epaphroditus, ex quo ſolatium, & iuuamentum maximum acciperet.

PARAPHRASIS.

CAPIT. III.

QVOD ſupereſt, fratres mei, gaudete in Domino. Eadem ſcribere, quæ & alias vos monui, mihi quidem non eſt graue, vobis autem tutum eſt, & neceſſarium. Videte canes; videte malos operarios; videte conciſionem illam carnis. Nos enim ſumus vera circunciſio, qui ſpiritu ſeruimus Deo, & gloriamur in Chriſto Ieſu, & non in carne fiduciam habemus. Quamquam & ego habeam, vnde confidam in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis poſſum: circunciſus octauo die; ortum trahens ex genere Iſrael, de tribu Beniamin; Hebræus ex antiqua, & ingenua ſtirpe Hebrçorum; ſecundum legem, addictus probatiſſimæ ſectæ Phariſçorum; ſecundum zelum, perſecutor eccleſiæ Chriſti; ſecundum iuſtitiam, quæ eſt in lege, cõuerſatus ſine querela. Sed quæ mihi fuerunt lucra apud hominum exiſtimationem, hęc arbitratus ſum, propter Chriſtum, detrimenta. Quinimmo exiſtimo omnia detrimentum propter eminentem ſciẽtiam Ieſu Chriſti Domini mei; propter quem omnia in iacturam feci, & arbitror, vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam; & inueniar in illo, non habens meam iuſtitiam, quæ eſt ex lege; ſed eam, quæ eſt ex fide Chriſti, iuſtitiam ex Dei gratia emanãtem, innixam fidei cognoſcendi ipſum auctorem iuſtificationis: Nec nõ inueniar, habens virtutem in me eius reſurrectionis, qua & ipſe reſurgere poſſim; nec non etiã ſocietatem atque communicationem paſſionũ eius; configuratus exiſtens, atq; conformis effectus morti eius; ſi quo modo occurram ad reſurrectionem mortuorum, qui obuiam ibunt in aera Chriſto. Nõ quòd iam acceperim, quæ dixi; aut quòd iam perfectus ſim, & conſummationem perfecerim curſus mei. Sequor autem, ſi & comprehendam hæc omnia, in quo & cõprehenſus ſum a Chriſto Ieſu, mortem ſuſtinens pro eo, qui me inter ſuos comprehẽdit, ad ſe vocans, & ſua morte redemit. Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe; ſed vlterius mihi progrediendum. Illud vnum apud me firmum manet: quę quidem retro ſunt, quęque tranſegi, obliuiſcens; ad ea vero, quæ a fronte ſunt, extendens me ipſum, recta (ſecundum ſcopum mihi propoſitum) ſequor ad brauiũ ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Quicunque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus; & ſi quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. Verumtamen omnino, ad quod peruenimus, iuxta Dei vocationem, in eadem regula perſiſtamus; idem ipſum ſapiamus, vt nõ egrediamur ex via; non noua ſectemur dogmata. In hoc imitatores mei eſtote, fratres; & obſeruate illos, qui ambulant ſecundum formam ac typum, in quo nos habetis. Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis (nunc autem, & flens dico) inimicos eſſe Crucis Chriſti: quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. Noſtra autem negociatio in cęlis eſt, ad cęleſtiaque dirigitur. Inde etiam ſaluatorem expectamus Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum; qui reformabit, transfigurabitque humilitatem, & abiectionem corporis noſtri, configuratam, & conformem factam corpori ſuo glorioſo, ſecundum efficaciam illius operationis, qua etiam poſſit ſubijcere ſibi omnia.

Editio vulgata.

De cætero fratres mei gaudete in Domino: Eadem vobis ſcribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium. Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem. Nos enim ſumus circunciſio, qui ſpiritu ſeruimus Deo, & gloriamur in Chriſto Ieſu, & non in carne fiduciam habentes: quanquam, & ego habeam confidentiam in carne. Si quis alius videtur confidere in carne: ego magis, circunciſus octauo die, ex genere Iſrael, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundum legem Phariſæus, ſecundum æmulationem perſequens Eccleſiam Dei, ſecundum iuſtitiam quæ in lege eſt, conuerſatus ſine querela. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta. Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum, eſſe propter eminentem ſciẽtiam Ieſu Chriſti, domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iuſtitiam quę ex lege eſt, ſed illam quę ex fide eſt Chriſti Ieſu, quę ex Deo eſt iuſtitia in fide: ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis eius, & ſocietatem paſſionum illius: configuratus morti eius, ſi quo modo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis. Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus ſim: ſequor autem ſi comprehendam in quo, & comprehenſus ſum a Chriſto Ieſu. Fratres, ego me non arbitror comprehẽdiſſe. Vnum autem, quæ

quidem

quidem retro ſunt, obliuiſcens: ad ea vero quæ ſunt priora, extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernę vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Quicunque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus, & ſi quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. Verumtamen ad quod peruenimus, vt idem ſapiamus, in eadem permaneamus regula. Imitatores mei eſtote fratres, & obſeruate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram. Multi enim ambulant, quos ſępe dicebam vobis (nunc autem, & flens dico) inimicos crucis Chriſti, quorum finis, interitus; quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. Noſtra autem cõuerſatio in cęlis eſt: vnde etiam Saluatorem expectamus, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtrę configuratum corpori claritatis ſuę, ſecundum operationem qua etiam poſſit ſubijcere ſibi omnia.

ADNOTATIONES.

A DE *cætero, fratres mei, gaudete in Domino.* Theophylactus vult ijs verbis Apoſtolũ hortari Philippenſes, vt læto ſint animo vt qui liberi iam facti eſſent a moleſtia, quam perceperant, tum ob infirmitatem Epaphroditi, quem ad illos deſideratiſſimum ab ipſis dimiſerat, tum etiam ex vinculis præceptoris, quæ ad profectum Euangelij deueniſſe illis commemorauit. Forte dici poſſet, quòd (vt conſueuit pater iam moriturus, filijs ſuis cariſſimis præcepta dare) ita ab Apoſtolo, qui in carcere vitam agebat cum periculo capitis, per totam epiſtolam documẽta tradi Philippenſibus, quæ memoriæ commendarent, ad ipſorum ſalutem attinentia. Inter quæ erat & hoc ipſum, vt, in Domino, fruantur gaudio, ad ęternamque vitam animum ſpe plenum conuertant.

B *Eadem vobis ſcribere.* Vel, quoniam olim eadem ipſis ſcripſiſſet: vel, quòd eos coram de eiſdem admonuerat.

C *Videte canes.* Ideſt, Iudæos Chriſtianos iudaizantes, qui latrarent contra veritatem Euangelij, volentes fidei admiſcere legalia. Vel, quoniam ad vomitum rediјſſent. *Videte malos operarios*: vt qui eſſent corruptores Euangelij, & diditi vẽtri, de quibus etiam eſt ſermo in calce epiſtolæ. *Videte conciſionem.* Hinc apparet, quòd illi mali operarij conabantur inducere circuncißionem, tanquam neceſſariam ad ſalutem; quam Apoſtolus nuncupat, *conciſionem*, in eius dedecus, atque deteſtationem; eo quòd caro concideretur; nec non ad denotandum, quòd illi mali operarij hinc conciderent, & euerterẽt doctrinam Euangelij. Ideo admonet Philippenſes, vt caueant ab ijs omnibus, & inuigilent ſuper hos malos operarios, ob fidei, & veritatis defenſionem.

D *Nos enim ſumus circunciſio, qui ſpiritu ſeruimus*
Rom. 2. *Deo.* Huic propoſitioni, conſentiens eſt illud ad Ro. *neque, quæ in manifeſto, in carne eſt circunciſio, & circunciſio cordis in ſpiritu, non littera.* Dum autem ait, *nos ſumus circunciſio*: innuit, ex corde pẽdere veram circuncisionem, dum homo circuncitus, & mortificatus eſt circa paſſiones concupiſcentię.

E *Si quis alius videtur confidere in carne.* Perſequitur Apoſtolus ea, quibus maxime confidere poterat iuxta carnis gloriam: quod agit ad demoliendum arrogantiam, & technas eorum, qui ob progeniem, quam ducerent ex genere Iudaico, plurimum ſibi aſſumebant, & criſtas erigebant. Et cum inquit, *circunciſus octauo die*: hinc innuit, quod nõ erat Proſelytus, neque ex aduenis oriundus, vt qui deſcenderet a nobiliſſima ſtirpe Beniamin. *Hebræus ex Hebræis.* Nempe ex antiqua illa proſapia ingenua proueniẽs, non adulterina. Nam (vt dicunt Græca ſcho- Græ. ſcho.
lia) multi ob conſuetudinem, quam haberent cum Gentibus, iã deſierant eſſe Hebræi, vt non ſatis ipſas ſcripturas callerent. *Secundum legem Phariſæus.* Erãt Phariſæi, inter Iudæos, ſectæ probatiſſimæ; non ita Saducæi, aut Aeſſæi. Aliter enim hi omnes, & differenter legem tractabant. Quot autem ſectæ apud Hebręos fuerint, & quid vnaquæque proprij habuerit, tradit Epiphanius lib. 1. contra hæreſes. Sed & ex Epiph. li. 1. contr. hære.
Act. Apoſtol. conſtat Saducæos, in ea fuiſſe hæreſi, vt dicerent, non eſſe reſurrectionem mortuo- Act. Apoſt. 14. & 23. 26
rum, neque Angelum, neque ſpiritum: nec non ſectam Phariſæorum commendari, vti optimam inter omnes ſectas Iudæorum, dum ibi Paulus ad Agrippam orationem habens, dixit, ſe ſecundum certiſſimam, & exquiſitiſſimam ſectam ſuæ religionis vixiſſe phariſæum. *Secundum ęmulationem perſequens Eccleſiam Dei*: vt qui, propter legem zelum habens Dei (licet nõ ſecundum ſcientiam) perſecutor fuiſſet eccleſiæ Chriſti, vehementiſſimus ęmulator paternarum traditionum; non auaritię tamen, aut ambitionis ſtudio (prout plurimi ex Iudæis) ad hoc inductus.

F *Secundum iuſtitiam, quæ in lege eſt, conuerſatus ſine querela.* Iuſtitiam ex lege (ad differentiam iuſtitiæ, quæ eſt ex fide Ieſu Chriſti) Apoſtolus eam appellat, quæ ex operibus legis homini contingere poterat; nempe ex circunciſione, muneribus, hoſtijs, baptiſmatibus, diſcretione dierum, atque ciborum: quæ omnia iuſtitiam quandam carnis conferre poterant, at non ſecundum conſcientiam perfectum reddere ſeruientem, vt dicitur in epiſt. ad Hebræos; Hebr. 9.
neque hominem a contagio peccati liberare. Vnde, ſi, ſecundum hanc iuſtitiam, intelligamus dictum Apoſtoli, quòd conuerſatus eſſet ſine querela in lege, quoniam adamuſſim hæc omnia pręcepta legis, ceremonialia obſeruaſſet; vtique non dicendum, quòd ſecundum hanc iuſtitiam ſimpliciter iuſtus fuerit apud Deum. At dicet aliquis, in lege ea tradi pręcepta, quę ſi quiſpiam obſeruauerit, non niſi iuſtus apud Deum quoque cenſendus eſſet: veluti, ſi abſtineat ab omnibus, quę prohibita ſunt in lege, & Deum (vt lex pręcipit) & proximum diligat, nec nõ immunem ſe pręſtet a conſenſu carnalium concupiſcentiarum. Vnde, ſi in ijs omnibus conuerſatus eſſet Apoſtolus ſine querela, vtique etiã apud Deũ iuſtus extitiſſet. Quorſum igitur ad iuſtitiam legis, id ſibi adſcribit, & non ad Dei iuſtitiam? Cui dubitationi occurrentes dicimus, quòd lex ipſa proponit, atque iubet, quę iuſta ſunt; ipſaque (vt quę ſpiritu Dei ſancto ſit conſtituta) perfectam intendit iuſtitiam, quę eſt ſecundum Deum; & ad eam (ſi poſſet) ho-

ſei)ho-

ſet) hominem deduceret. Vnde dicitur in epiſt: ad
Rom. 8. Rom. *Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum, vt iuſtificatio legis impeleretur in nobis.* Veruntamen, vt homo hanc iuſtificationem cõſequatur, & impleat; neque ipſe ex ſe, ſuiſque viribus id valet præſtare; neque lex homini virtutem largiri poteſt, vt hæc in homine perficiantur, quemadmodum loco citato epiſt. ad Rom. habet Apoſtolus, dum inquit. *Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnẽ, etc.* Quod etiam inſinuauit in epiſt. ad Galat. inquiens:
Gal. 3. *Si enim data eſſet lex, quæ poſſet viuificare, vere ex lege eſſet iuſtitia;* hunc denotans, quod dictum eſt antea; legem quidem inſtitutam eſſe a Deo, quæ hominem dirigeret ad iuſtitiam; ipſum autem iuſtum efficere nequaquam ex ſe ſe poſſet. Quare, cum iuſtus apud Deum cenſeti ille debeat, qui Deum diligat ac proximum, vti lex mandat, & a conſenſu carnalis, illicitæque concupiſcentię ſe ſe præſtet immunem: idcirco aſſerendum eſt, vt hęc quiſpiam efficiat, atque præſtet, non a lege expectandum, ſed a ſola Dei gratia; quam, abſque fide cõſequi, homini eſt impoſſibile. Verum (ſicuti explicatum eſt in Adnotationibus capit. 3. epiſt. ad Rom. in Adnot. C.) poſſent etiam hęc cẽſeri inter opera legis. Nempe, abſtinere ſe ab homicidio, a furto, adulterio, & ab alijs huiuſmodi criminibus; quæ, quatenus ab homine euitantur, ob timorem mortis a lege comminatæ ea perpetrantibus, eatenus & legis opera quodammodo dici poſſe videntur. A concupiſcentijs autem carnis ſe immunem præſtare, vt illis conſenſum homo non præbeat, id minime opus legis eſſe poteſt: tum, quoniam timor legis in ijs quæ latent in corde hominis, vim ſuam non exercet, vt ſolet in operibus, quæ apparent, in quibus qui deliquerit, pœnas a lege propoſitas ſibi dandas vereri poteſt; tum vel maxime, propterea quòd, ob noſtram ex peccato originis prauam propẽſionem ad cõcupiſcendum, fit, vt ſine ſpeciali Dei auxilio, impoſſibile ſit homini immunem omnino ſe præſtare ab huiuſmodi carnalium cupiditatum aſſenſu. Cum autem Apoſtolus, & ſe quoque olim hoc con-
Eph. 2. cupiſcẽdi morbo laboraſſe aſſeruerit ſcribẽs Epheſijs: *In quibus & nos omnes aliquando conuerſati ſumus, in deſiderijs carnis noſtræ, facientes voluntatem*
Tit. 3. *carnis, & cogitationum:* Item in epiſto. ad Titum, *Eramus enim aliquando, & nos inſipientes, increduli, errantes, ſeruientes deſiderijs, & voluptatibus varijs in malitia, & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem:* cẽſendũ eſt, hęc, ex immenſa eius humilitate ab ipſo prolata, vt cõmuni hominũ imbecillitati ſe conformaret: qui tamẽ (vt ait hoc loco) ſecũdũ iuſtitiã, quæ eſt in lege, conuerſatus erat ſine querela. In eo autẽ,
Rom. 10. quòd Apoſtolus perſecutus eſt eccleſiam Chriſti, cum tamẽ Chriſtus eſſet finis legis; vtique pro peccato iniuſtitiæ computandum fuit. De quo tamen
1. Timo. 1. inquit, ſcribens Timotheo, ſe miſericordiam conſecutum eſſe apud Deum; quoniam hoc facinus ignorans fecit ob zelum legis, quo mirifice affectus erat, licet non ſecundum ſcientiam: non autem ex ambitione; ſicuti alij quamplurimi ex Iudæis fecerunt: qui propter ambitioſam principatus affectationem, Chriſti eccleſiam perſequebantur, vt exponunt Græcanica ſcholia. Græ. ſchol.

G *Quæ mihi fuerunt lucra.* Quæ prædixit, lucrum, ſeu acquiſitio bonorum, ſibi videbantur, vti & erant. Veluti, quòd in lege a Deo propoſita educatus eſſet; qua in re præſtabat Gentilibus, qui hoſpites erant ab hac politia. Et quòd in ipſa lege profeciſſet ſupra multos ſuos coætaneos, vt dicit in
epiſt. ad Galat. vnde in magno lucro ſe verſari tunc Gal. 1.
poterat ſibi videri; ſicuti etiam in magna erat apud homines exiſtimatione, & gloria: quæ tamen omnia, pro damno, & vt ſtercora exiſtimauit, propter excellentiam eminentis cognitionis, quam accepit de Chriſto. Et cum ſubiungit. *Propter quem om-*
nia detrimentum feci. Adnotant Gręca ſcholia, quòd Græ. ſchol.
hoc erat, ac ſi dixiſſet, ſe abieciſſe res vtiles; ſicuti poſt argentum, ſi inueniatur aurum, & vtrumque nequit retineri, abijcitur argentum. Et quoniam hæc phraſis orationis, qua vſus eſt hoc loco Apoſtolus; nempe, facere detrimentum, pro eo, quod
eſt damnum accipere, improprie ſe habet, hinc in- A
quit Oecumenius, non fuiſſe curæ Apoſtolo de ele- Oecum.
gantia, & proprietate gręcorum nominum: ſed ſo-
lum intẽdere, vt ſignificet, quod proponitur. Chry- Chryſoſto. hom. 11.
ſoſtomus autem vocem illam σκύβαλα, quam interpres vertit, *Stercora*: exponit pro reiectamento; id eſt, *paleas*: animaduertens, legem eſſe reiectamẽtum illud, per quod (vt quoddam medium) peruenitur ad acquiſitionem Chriſti: ſicuti per paleam perue-
nitur ad triticum. Gręca autem ſcholia adnotant, Gr. ſcho.
legem fuiſſe medium inter idololatriam, & fidem Chriſti, & quòd plus ſapientię lex Moſaica habuit, quàm Gręcorum dogmata: craſſior autem extitit, quàm philoſophia, quę in Chriſto.

H *Vt inueniar in illo, non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt.* Appellat ſuam iuſtitiam, illam, quę ex lege, vel quoniam ſuis laboribus acquiſierat; vel, quoniam ſuam ex proprijs viribus ſibi aſſumeret. Poſſet etiam intelligi, dictam eſſe ſuam iuſtitiam a Paolo: ſuam quidem, quoniam & ſua eſſet illa, quę eſt ex fide Ieſu Chriſti, quoniam non ſine eius aſſenſo eſſet; quam dicit, non ex lege, ſed ex Deo eſſe: ſubiungens, *iuſtitiam in fide*, vt quę in fide formata conſiſtat, qua impius iuſtificatur.

I *Ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis eius, & ſocietatem paſſionis illius, configuratus morti eius, &c.* Quę communiter hunc in modum interpretantur, Apoſtolum optare, vt inueniatur habens iuſtitiam, quę ex fide, vt cognoſcat qualis ſit Meſſias, & quę virtus reſurrectionis, qua nos poſsit excitare; & quę ſocietas paſsionum; id eſt, quantum valeat, & quanti interſit, ſi quis ſuſcipiat aſflictiones pro Chriſto, & hęc omnia cognoſcantur. Illud vero, *configuratus morti eius*: Aliqui inter-
pretantur, vt agatur ſimilis vita vitę Chriſti. Augu- Auguſt. ex
ſtinus autem; vt ſit conſepultus peccato in Chriſti ſer. de verb.
morte. Verum & aliter exponi poſſe hęc videren- Apoſt. 15.
tur hũc in modum, vt ita ſermo Apoſtoli ſe habeat. Omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & vt inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quę ex lege eſt: ſed illam, quę eſt ex fide Ieſu Chriſti; illam inquam iuſtitiam, quę

ex

ex Deo eſt, innixa fidei cognoſceodi Deum, ſine qua cognitione per fidem habita, nō haberetur iuſtitia: nēpe, niſi crederemus Deum eſſe rerum omnium largitorem. Et cum ſubiungit, *& virtutem reſurrectionis.* Ijs quoque id adnectendum; vt inueniar habens virtutem io me reſurrectionis eius; vt per ſpiritum Chriſti viuificantem, per quem ipſe reſurrexit, & qnem ſuis fidelibus eſt communicaturus, inueniatur in me virtus glorioſe reſurgendi, vt fecit Chriſtus. Pariter hæc alia verba, *Et ſocietatem paßionis eius*, ita ſunt adnectenda. Et inueniar habēs communicationem cum paſſionibus eius, quas & ego ſim paſſus, vel paſſurus ſim; bunc in modum configuratus effectus morti eius; adeo quòd, ijs omnibus conditionibus præditus Paulus, optat inueniri in Chriſto, vt cū ipſo, & reſurrectionis, & gloriæ particeps fiat.

K *Si quo modo occurram ad reſurrectionem; quæ eſt ex mortuis:* Id eſt, id ſtudens, atque contendens, ex eorum eſſe oumero, qui obuiam ibuot in aera domino, cum erit reſurrectio a mortuis.

Chryſoſt. hom. 11. L *Non quod iam acceperim.* Chryſoſtomus, & Ambroſius, dicunt hæc proferri a Paulo propter Philippenſes, qui ſibi placebant. Hac vero voce, *acceperim*, ſignificari, interpretatur Ambroſius, quid ſummum in vita, & in cognitione: quod nondū, dicit Apoſtolus, ſe accepiſſe. Auguſt. ſer. 15. de verb. Apoſt. Auguſtinus autem in ſerm. 15. de verb. Apoſt. intelligit ipſam beatitudinem. Quæ vero ſubiuoguntur: *Aut iam perfe-* Theoph. *ctus ſim:* cenſet Theophylactus, dicta eſſe ob præcedentia; vt quoniam dixerat: *ſi quo modo occurram;* idcirco ſubiūxerit: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim:* vt qui ſubdubitaret, num eſſet occurſurus, quia nondum accepiſſet brauium, nec finem optatum adhuc eſſet adeptus. Forte per illud; *Non quod acceperim:* voluit intelligere de virtute reſurrectionis, de qua dixerat antea, quòd non dum eam accepiſſet, adhuc exiſtens in vita. Per illud vero, *aut iam perfectus ſim*, voluit innuere, quòd nondum ad eam ſimilitudinem mortis Chriſti factus eſſet, licet multa paſſus; nondum enim cōſummationem huius aſsimilationis aſſecutus erat; vt tunc fecit; cum ob Chriſti nomen, caput ei abſciſſum eſt.

M *Sequor autem, ſi quo modo comprehendam, in* Chryſoſt. hom. 11. *quo & comprehenſus ſum a Chriſto Ieſu.* Quæ Chryſoſtomus ita interpretatur. Chriſtus inſectans me fugientem, magno ſtudio comprehendit; debeo & ego illi vicem reddere, præſtare diligentiam, vt ap- Græ. ſcho. prehendam currendo, & laborādo, & reſpondeam tanto erga me Chriſti ſtudio. Græca autem ſcholia ſic, vt comprehendam, inquiunt, brauium; in quo & ipſe comprehenſus ſum, ob prædicationem ſcilicet Euangelij; ad quod ſum electus, vt prædicando, talis efficiar, qualis, vt fierem electus ſum. Et cū ſubiungit: *Fratres ego me non arbitror comprehendiſſe.* Ambr. c. 3. Ambroſius ait, hæc dici de perfectione iuſtitiæ, in qua multa ſibi deeſſent, quaſi hinc ad modeſtiam reuocaret Philippenſes, qui ſibi placebant. Dubitat Theoph. 2. Timot. 4. autem Theophylactus, quomodo alibi dixit: *curſum conſummaui.* Et reſpondet, hoc dictum eſſe de fine, atque morte eius. Poſſent etiam hæc intelligi de martyrio, ad quod paratus erat; vt dicat, ſequi ſe, atque cōtendere ſe io munere euāgelico, ſi quo modo comprehendat configurationem mortis Chriſti, & cōſequenter prædictam virtutē reſurrectionis, obeundo mortem; in qua & ipſe comprehenſus eſt a Chriſto, ob eius mortem; ob quam redempti, & ita comprehenſi ſunt electi. Hanc igitur configurationem mortis Chriſti, nondum putabat Paulus ſe comprehendiſſe; licet multa iam paſſus eſſet pro Chriſti nomine.

N *Vnum autem quæ quidem retro ſunt obliuiſcens.* Hæc refert Chryſoſtomus ad benefacta, vt eorum Chryſoſt. hom. 12. obliuiſcatur; nam horum memoria, & ſegniores nos reddit, & in arrogantiam extollit. Aliqui referunt ad peccata ante acta; ad quæ Paulus non reſpiceret: ſed ſolum cootenderet curſu pro cōſequendo brauio cęleſtis vocationis. Poſſent etiam hæc applicari ad hanc intelligentiam, quòd obliuiſcatur omnia, quæ hactenus paſſus eſſet pro Chriſto, contendens vlterius ad alia, paratus ad mortem ſubeundam, vt conſequatur brauium cęleſtis vocationis; vt martyrio vitam conſummaret, tanquam ad hoc vocatus a Deo.

O *Quicunque ergo perfecti ſumus.* Auguſtioos Aug. ſer. 15. de ver. Apo. hæc iotelligit de perfectione vitæ, cum ſuperiora illa; *aut iam perfectus ſim*, de perfectiooe patrię intellexerit. Alij cenſent, dicta eſſe ab Apoſtolo in comparatione eorum, qui in rebus Dei remiſſius ſe gerunt; & ita Ambroſius interpretatur. Quod ve- Ambr. c. 3. ro ſubiungitur, *hoc ſentiamus:* Chryſoſtomus ita ex- Chryſoſt. plicat: quòd oportet præterita obliuiſci, & tendere hom. 12. ad vlteriora. Alij exponunt de ceremonijs legis iam abrogatis: ſicut & illud: *Et ſi quid aliter ſapitis:* referunt ad ceremonias iuſtitiæ, quæ eſt ex lege. Verba autē illa; *Et hoc vobis Deus reuelabit*, quòd ſcilicet nō recte ſētiatis. Alij dicūt, perſuadebit Deus uobis, vt ſitis humiles. Sed & hæc omnia ad martyrium quoque referri poſſe videntur, vt dicat Apoſtolus; quòd, qui perfecti ſunt, hoc habent ſapere, in hoc intendere. Id autem non palam, ſed tanquam in ænigmate protulit; quod a perfectis tamen percipi poterat; & ſi aliter ſaperent, vt non haberent animum ſuſtinendi martyrium, Deus illis reuelabit, ad quod nam vocationis brauium pertineant. Et hanc quidem interpretationem innuiſſe videtur Theo- Theodor. doretus, dū inquit. *Hæc de propoſitis præmijs nos ſentire oportet; quòd ſi perfecte non ſcimus, cuiuſmodi ea ſint, ſcire tamen conuenit, Deum Agonothetam ea vobis oſtenſurum.*

P *Verumtamen ad quod peruenimus.* Id ad vitæ Chriſtianæ inſtitutionem attinet, vt eadem regula, qua cępimus, inſiſtamus in ea; non dimoueamur, ex falſa aliquorum doctrina, a ſuſcepta fide: ſed idem ſapiamus, vt vnanimes, & concordes ſimus, & in dogmatibus, & in omnibus alijs.

Q *Gloria in confuſione ipſorum.* Auguſtinus in Aug. ſerm. 15. de verb. Apoſt. ſerm. 15. de verb. Apoſt. interpretatur *impudentiā*, vt pertineant hæc ad circuncilionem, quam maxime iactabant Iudæi; cum tamen celebretur in ea parte corporis, in qua eſt libidinis ſeminarium, cuius nos maxime pudet. Chryſoſtomus refert ad Chryſoſt. hom. 12. peccata, vt quorum ipſos pudere oportebat, io illis etiam glorientur. Forte hæc ad vtrumque trahi poſſunt;

ſuot;

ſūnt; & ad dogmata; & ad vitam.

R *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ.* Ex ijs apparet, quòd, idem corpus vniuſcuiuſque noſtrum reſurget, tranſmutatum tamen in electis cum dotibus beatitudinis, & gloriæ.

PARAPHRASIS.

CAPIT. IIII.

ITAQVE fratres mei cariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea: ſic ſtate in Domino cariſſimi, ſicut præcepi vobis. Enodiam autem, & Synthichem obſecro, idē ſapere in Domino. Etiam rogo, & te germane compar, adiuua illas, quę mecum laborauerūt in Euangelio cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitæ. Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete: modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, Dominus prope eſt, qui eſt iudicaturus omnes. Nulla in re ſoliciti ſitis; ſed in omnibus rebus, *in* oratione, & deprecatione veſtra cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum, ad quem veſtra omnia referatis: & pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligētias veſtras in Chriſto Ieſu. De cætero, quæcunque pudica, ad corporis honeſtatem ſpectantia; quæcūque iuſta, proximum reſpicientia; quæcunque ſancta, ad Dei cultum attinentia; quæcunque amabilia, quæ Deo, & hominibus placeant; quæcunque honeſtæ ſunt famę; ſi qua virtus exercenda; *ſi* qua laus obtinenda; hæc cogitate. Et quæ didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & in me vidiſtis, & obſeruaſtis, hæc peragite, & Deus pacis largitor erit vobiſcum. Gauiſus ſum autem in Domino vehementer, quòd iam tandem redeuntes ad fructus eleemoſinæ, refloruiſtis, pro me ſoliciti eſſe, in quo, & ſoliciti eratis, ſed veſtras ob occupationes deerat opportunitas. Non quòd id dicam propter penuriam, qua laborem: ego enim didici in ijs, quę habeo, ſufficiens eſſe; ſcio & humiliari in indigentia mea; ſcio & abundare. Vbique, & in omnibus inſtitutus ſum, & ſaturari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati, hęc omnia poſſum innixus Chriſto, qu*i* me confortat, & corroborat. Verumtamen bene feciſtis, cōmunicantes tribulationi meæ. Scitis autem, & vos Philippenſes, quòd in principio Euangelij, quando profectus ſum a Macedonia, nulla mihi eccleſia in ratione dati, & accepti (temporalia tribuendo pro ſpiritualibus) cōmunicauit, *niſi* vos ſoli: quoniam, & in Theſſalonica ſemel, & bis in vſum mihi miſiſtis, quę mihi opus erant. Nō quòd quęro datum; ſed requiro fructum exuperantem in rationem veſtrorum meritorum. Habeo autem omnia, & abundo. Repletus ſum, acceptis ab Epaphrodito, quę ad me miſiſtis, in odorem ſuauitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo. Deus autem meus viciſſim impleat omne deſiderium veſtrum, ſecundum diuitias ſuas in gloria in Chriſto Ieſu. Deo autem, & eidem patri noſtro gloria in ſecula ſeculorum Amen. Salutate omnem ſanctum in Chriſto Ieſu, ſalutant vos, qui mecum ſunt fratres, ſalutant vos omnes ſancti; maxime autem, qui de Cæſaris domo ſunt. Gratia D. N. Ieſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen.

Editio vulgata.

ITAQVE *fratres mei cariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea: ſic ſtate in Domino, cariſſimi. Euodiam rogo, & Syntichen deprecor idipſum ſapere in Domino. Etiam rogo, & te germane compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitæ. Gaudete in Domino ſemper: iterum dico gaudete. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus: Dominus prope eſt. Nihil ſoliciti ſitis: ſed in omni oratione & obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Et pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu. De cætero fratres, quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quęcunque iuſta, quęcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonę famę, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinę, hęc cogitate. Quę didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me: hęc agite, & Deus pacis erit vobiſcum. Gauiſus ſum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruiſtis pro me ſentire, ſicut & ſentiebatis: occupati autem eratis. Non quaſi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe. Scio, & humiliari, ſcio, & abundare: (vbique, & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati: omnia poſſum in eo qui me confortat. Verumtamen benefeciſtis communicantes tribulationi meę. Scitis autem & vos Philippenſes; quòd in principio Euangelii quando profectus ſum a Macedonia, nulla mihi eccleſia communicauit in ratione dati, & accepti, niſi vos ſoli: quia & Theſſalonicam, ſemel, & bis in vſum mihi miſiſtis. Non quia quęro datum: ſed requiro fructum abundantem in ratione veſtra. Habeo autem omnia, & abundo: repletus ſum acceptis ab Epaphrodito, quę miſiſtis odorem ſuauitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo. Deus autem meus impleat omne deſiderium veſtrum ſecundum diuitias ſuas, in gloria in Chriſto Ieſu. Deo autem & Patri noſtro gloria in ſecula ſeculorum Amen. Salutate omnem ſanctum in Chriſto Ieſu. Salutant vos qui mecum ſunt fratres. Salutant vos omnes ſancti: maxime autem qui de Cęſaris domo ſunt. Gratia Domini Noſtri Ieſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen.*

ADNOTATIONES.

A SIc *ſtate in Domino.* Ideſt, iuxta Typum & formam deſcriptam a Paulo de ſe ipſo.

Græ. ſchol. B *etiam rogo & te germane compar* grçce, σύζυγε, quam vocem interpres *compar* conuertit. Et quoniam prædictæ voces poſſunt etiam eſſe fœmininæ, ut aiunt Græca ſcholia; hinc aliqui opinati ſunt, Paulum ijs verbis vxorem Cl. Allex. ſuam nuncupare: idque præſertim ex ſententia Cle- Ignat. mentis Alexandrini, & ſancti Ignatij, qui, in epiſto. ſua ad Philadelphos, collocat Apoſtolum inter con- Græ. ſchol. iugatos: cui tamen ſententiæ reclamant Gręca ſcholia; dum dicunt, non eſſe veriſimile, quòd vxorem Theodor. apud alienigenas reliquiſſet. Theodoretus ait, *comparem autem, ſeu coniugem, nonnulli ſtulte explicarunt eſſe vxorem Pauli, non attendentes, quòd ſe retulerit in* 1. Cor. 7. *numerum cœlibum in epiſt. priori ad Corint. dum dixit: His, qui matrimonio iuncti non ſunt, & viduis, bonũ eſt eis, ſi maneant ſicut ego: ex quibus manifeſtum eſt, quòd aut Cœlebs (qui numquam vxorem duxerit) aut, vt viduus, vxorem tunc nõ habebat. Vxorem autem numquam duxiſſe verius eſt: adoloſcens enim vocatus eſt.* Gr. ſcho. hæc Theodoretus. Græca autem ſcholia aiunt, vocem illam σύζυγε, potuiſſe eſſe nomen alicuius approbati viri. Et, cum adiungitur, *germane*, hinc ſignificari, quem mihi in fide germanum fecit Deus. Aliqui dixerunt, quòd, ſicut commilitõ, collaborãs, coathleta, ſic quoq; hæc vox, σύζυγε, ſignificat aliquẽ iunctum ſibi in eodem iugo Euãgelij. Vox vero illa 1 Timo. 1. *germane*, græce habetur γνήσιε, id eſt, *legitime*, ſicuti, & in epiſt. ad Timor. in hoc eodem ſenſu, accepta eſt.

C *Quorum nomina ſunt in libro vitæ.* Si liber vitæ eſt prædeſtinatio (præſcriptio ſcilicet in mente Dei, vt ita ſit infallibilis ſcientia) non apparet, quo modo ſciri pòtuerit a Paulo, quòd illi, quos nominat, eſſent in libro vitæ, niſi ex reuelatione id accepiſſet. Aut ſecũdum aliquos, id intelligendũ eſt, quo ad gratiam, qua poſſent peruenire ad vitam æternam: a qua gratia etiam deficere poterant in hoc curſu vitæ mortalis, & conſequenter deleri de libro vitæ æternæ. Penſandum autem, quòd Apoſtolus, de illis hæc loqueretur, quoniam bene ſe gererent in illo præſenti ſtatu; vt ita magis eos accenderet ad perſeuerantiam: quemadmodum etiam ſanctos, & electos appellat eos, ad quos ſcribit, tum ob bonam de illis ſpem conceptam; tum vt ſic magis inuitet eos ad vitæ ſanctitatem.

D *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.* Græce τὸ ἐπιεικές, quod accipitur apud Ariſt. in 5. lib. Eth. pro bona diſcretione, ſeu æquitate circa iuſtitiam. Et in 7. libro pro moderatione circa omnia; quo in ſignificatu hic accipit Paulus, cohortans Philippenſes ad modeſtiam penes omnia.

E *Dominus enim prope eſt.* Hæc, ſi ad præcedentia referantur, deſeruiunt admonitioni, vt bene ſe gerant, quaſi in breui reddituri rationem de ſe ipſis, in dio iam propinquo vniuerſali iudicio. Alij autem iungunt hæc, ad hæc ſequentia: *nihil ſoliciti ſitis*, ad hoc cohortans, quoniam Dominus prope eſt, qui ſubleuabit eos ab anguſtijs. Sed & ſimpliciter intelligi poſſet id dictum eſſe, ad cohortandum Philippenſes, ne vllam de rebus hiſce terrenis ſolicitudinem caperent.

F *In omni oratione, & obſecratione, cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.* Ac ſi diceret, dimittite vos Deo, qui vobis in omnibus proſpiciet. Illud vero *in omni*, græce ἐν παντί, quod neutri eſt generis, iungi non poteſt cum ſequenti voce τῇ προσευχῇ, quæ fœminei eſt generis. Vnde ita interpretandum, quòd in omni re vtãtur, *oratione*, quæ comprehendit humilem animi eleuationem; *obſecratione*, qua Dei gratia imploratur, ſuppoſita gratiarum actione, quæ præcedat; vt hac forma ſeruata, petitiones noſtræ innoteſcant apud Deum; id eſt, ſint approbatæ. Vel (ſecũdum noſtrum vſum loquendi) interpretandum eſt, quòd nos de articulatis iſtis modis orãdi, patefacimus petitiones noſtras Deo: qui tamen omnia nouit, quæ ſunt in corde hominum. Auguſtinus autem ſupponit, nos Augu. epiſt egere temporalibus creaturis; Angelis ſcilicet, qui 119. ad Honor. & epi. referant noſtras preces, vt conſulant de rebus vtili- 121. ad bus propter nos, & adiuuent; cum tamen omnia Prob. ſint nota Deo, ante quàm fiant.

G *Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras.* Aperit, quid nam ſequatur ex huiuſmodi orandi forma: id nempe, quòd pax Dei cuſtodiet corda, græce φρουρήσει, quæ vox eſt temporis futuri; & ſic interpretantur Græca ſcholia, & Theophylactus. Non Græ ſchol. autem Chryſoſtomus, qui legit ſecundum tempus Theoph. præſens) *cuſtodiat.* Corda autem cuſtodiuntur, ne Chryſoſt. frangãtur aduerſis, vel ſeducantur a prauis affectionibus: *& intelligentias veſtras*: ne ſeducantur a falſa doctrina. Illud autem, *pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum*, vbi græce habetur, πάντα νοῦν, ideſt omnem mentem, ſic exponitur a nonnullis, quòd ſuperauit omnem intellectum, quòd Deus reconciliaretur nobis, tradendo filium ſuum. Forte poſſemus ita interpretari, quòd pax Dei, in qua ſumma eſt quies, nullumque obſtaculum cadit, nullaque alteratio neque in corpore, neque in ſenſu, neque in mente, ita ſuperat omnem intellectum, & omnem ſenſum; vt non ſolum non percipiatur, aut guſtetur re ipſa; ſed neque cogitatione comprehendi poſſit in hac vita, Auguſtinus autem lib. 22. de ciui- Aug lib. 22. de ciuit. Dei tate Dei, intellexit pacem, qua Deus in ſe eſt paca- c. 39. tus, ad quam homo non poteſt pertingere, ſed neque Angeli. Verum homines in hac vita ſunt etiam minus capaces huius cognitionis. Chryſoſtomus, & Chryſoſt. Ambroſius intelligunt, pacem, ipſam bonam con- hom. 14. ſcientiam, de qua dicunt, quòd ſuperat omnem Amb. c. 4. mentem aduerſam, omnes machinationes aduerſariorum.

H *Quæcunque ſunt vera*: hæc referuntur, vel ad fidem orthodoxam, vel ad veritatem ſincere, & ſine hypocreſi proferendam: *quęcunque pudica*; hæc pertinent ad munditiam vitæ corporalis: *quæcunque iuſta*: hæc reſpiciunt commercium cum proximo;

quæcunque ſancta, hæc vero atinent ad cultum Dei ſancte celebrandum.

Ambr. I *Vbique & in omnibus inſtitutus ſum*. Ambroſius legit, *in omni, & in omnibus imbutus ſum*; græce ἐν παντὶ, quod interpretans Theophylactus, inquit, in omni tempore, & loco, & in omnibus rebus ſum longa experientia inſtuctus eſurire, & ſatiari. Theoph.

Græ. ſchol. K *Deſiderium veſtrum*. Græca ſcholia habent neceſſitatem; quaſi dicat Apoſtolus, ego repletus ſum beneficijs veſtris; viciſsim precor, vt Deus impleat vos; nam ſcio tenues vos eſſe. Et ita explicat etiam Chryſoſtomus, qui hoc loco animaduertit, variare græca exemplaria, vt quędam legant, χρείαν, alia χαράν, alia vero χάριν. Illa vero verba, *ſecundum diuitias ſuas in gloria*, inſinuare videntur impletionem circa dona cœleſtia. Chryſoſt. homil. 15.

ARGV-

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM SANCTI PAVLI ad Coloſſenſes.

HVIVS *epiſt. ad Coloſſ. argumentum, idem ferme eſt cum eo, quod enarratum eſt in epiſt. ad Epheſios, vt hinc facile quiſque dignoſcere poſſit, vtramque epiſtolam vno eodemq; ſpiritus impulſu conſcriptam fuiſſe ab Apoſtolo; quemadmodum & per eundem nuncium Tychicum ambæ miſſæ ſunt, & datæ ab vrbe Roma, vbi vinculis obſtrictus Paulus tenebatur. Qui, cum mire anxius, & ſolicitus eſſet de ſalute Coloſſenſium, neque facie ad faciem eos alloqui poſſet, ſaltem per epiſtolam eos inuiſere voluit, vt eos confirmaret in fide, ſimulq; illis chriſtianiſmi perfectam traderet formam, quam ſectarentur. Verum inter vtramque epiſtolam hoc eſt diſcrimen, quòd in ea ad Epheſios, nulla eſt ſuſcepta diſceptatio pro refellendis erroneis dogmatibus, quibus addicti eſſent Epheſij, ſicuti in hac alia ad Coloſſ. quos aperte Apoſtolus innuebat circũferri doctrina aliena ab Euangelio; mollius tamẽ ipſos incuſans, quàm Galatas: qui, cum ita fluctuarent in fide, vt parum abeſſet, quin ab ea diſceſſiſent, ideo vehementius, & acrius increpandi erant. Falſa autem dogmata, quæ apud Coloſſ. erant diſſeminata (ex communi interpretum ſententia) hæc cenſentur, quòd inſtituta Iudaica eſſent ſeruanda penes dierum, & temporum obſeruationes, & vſus eſcarum, atque potus. Quod ex verbis illis epiſtolæ colligitur, vbi dicit Apoſtolus.* Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in (Coloſſ. 2.) potu, aut in parte die feſti, aut neumenię, aut ſabbatorum, quę ſunt vmbra futurorum. *Et paulo poſt in eodem capite.* Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis huius mundi, quid adhuc (tanquam vinentes in mundo) decernitis? Ne tetigeritis, neque guſtaueritis, neque contrectaueritis. *Verum Græci expoſitores, vt Oecumenius, & Theophylactus, hoc alio etiam prauo dogmate aſſerunt agitatos fuiſſe Coloſſenſes; quòd ad Patrem via pateret, non per filium (quoniam indignum eſſet filij maieſtate, vt nos perduceret ad Patrem) ſed per Angelos, quorum miniſterio cuncta quoque agerentur in veteri teſtamento: idque elici videtur ex illis epiſtolæ verbis.* Nemo vos ſeducat volens in humilitate, & religione Angelorum &c. *Quibus verbis inſinuari videtur quædam circa Angelos religio; quam nonnulli dogmatizantes apud Coloſſ. diſſeminaſſent; cuius opinio-* (Coloſſ. 2.) *nis, atque hæreſis auctor Simon magus exiſtimatur. Verum (quod attinet ad hoc dogma de Angelis, quod Græci inſinuant, & impugnari ab Apoſtolo in hac epiſtola ſupponunt) non videtur conuenire ijs, quę ab Apoſtolo afferuntur pro euertenda falſa doctrina, qua Coloſſenſes agitarentur. Siquidem hæc ſunt eiuſmodi, vt per ea doceat, Chriſtum in omnibus primatum tenere, vti filium Dei, per quem omnia condita ſunt & conſeruantur; humanumque genus Deo reconciliari per ipſum ſolum, in quo omnis plenitudo reperitur; adeo vt præter Chriſtum, nulla alia re ſit opus credenti pro ſalute conſequenda. Et hæc quidem perſpicua ſunt ex Apoſtoli verbis, dum in-* (Coloſſ. 1.) *quit.* Vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipſo. *Et rurſus.* In ipſo inhabitat omnis plenitudo diui- (Coloſſ. 2.) nitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis. *Ex quibus clare colligitur, Apoſtolum illud moliri, & inculcare, quòd Chriſtus cumulatiſſime pro nobis ſatisfecit, ita vt nulla alia obſeruatione legali pro iuſtificatione egeamus. Quæ quidem manifeſte deſeruiunt ad demolitionem doctrinę erroneę Iudizantium, qui legalia vna cum Euangelio obſeruanda ſtatuerent. de quo dogmate mirifice anxius, & ſolicitus ſemper fuit Apoſtolus, adeo vt in omnibus fere ſuis epiſtolis id ipſum demoliri conetur, ne ab hac falſa doctrina ſeducerentur fideles. Quod & in hac epiſtola præſtari cenſendum eſt. Non autem illud, quòd impugnet eorum dogma, qui dicerent, per Angelos acceſſum eſſe ad Patrem, & non per filium, tanquam indignum id ſit filij maieſtate. Etenim Chriſti excellentiam patefacere, & comprobare, vt facit Apoſtolus in hac epiſtola, ex propoſito ſibi præcipuo ſcopo, id quidem deſeruit ad patefaciendum, quòd Chriſtus ſit ſufficientiſſimus mediator iuſtificationis, contra eorum dogma, qui & legalia huc accedere oportere diſſeminabant. Quod quidem nihil habet commune cum dogmate de religione Angelorum, per quos, ducendos nos ad patrem aliqui dicerent. Sed & verba adducta ex aduerſo, aliam commodiorem interpretationem recipere poſſe, quàm ſit ea, quę Græcorum ſententiæ fauere videtur, patebit in propria verborum explicatione. Num autem hę obſeruationes dierum, & temporum, & vſus eſcarum, & potus, de quibus in hac epiſtola eſt mentio, ex ſolis legalibus inſtitutis inducerentur a pſeudo Apoſtolis, an etiam ex philoſophiæ placitis aſtruerentur; credi poteſt, quod ex vtriſque id agerent, vti colligitur ex his, quę habet Apoſtolus, dum inquit.* Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem (Coloſſ. 2.) fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi: *Quibus quidem verbis placita philoſophorum inſinuantur: inter quos, philoſophi pythagorici, vti anteſignani, connumerari poſſunt: qui abſtinendum ab omnibus animalibus cenſuerunt: vt habetur in 1. lib. Philoſtrati de vita & moribus Apollonij Tyanei, in*

libello Porphyrij de abſtinentia animalium, in Annaeo Seneca, qui in lib. 2. epiſ. ad Lucilium epiſt. 108. de ſententia Pythagoræ hæc refert. At Pythagoras omnium inter omnia cognationem eſſe dicebat, & aliorũ commercium in alias atque alias formas tranſeuntium. Nulla (ſi illi credas) anima interit, nec ceſſat quidem niſi tempore exiguo, dum in aliud corpus transfunditur. *Et hinc, ex hoc ſuo placito, Pythagoras deducebat ab animalibus abſtinendũ. ſceleris ac parricidij hominibus (vt ait idem Seneca) metum faciens, quòd poſſint in parentis anima inſcij incurrere, & ferro morſuve violare, in quo cognatus aliquis ſpiritus hoſpitaretur. Dum vero paulo poſt in eodem capite dicitur;* Ne tetigeris, neque guſtaueris, neque contrectaueris, quę ſunt omnia in interitum in ipſo vſu ſecundum pręcepta, & doctrinas hominum: *Ex his legalia inſtituta ſignificantur. Itaque huius epiſtolæ is erit ſtatus, vt partim manifeſtetur Chriſti plenitudo, vti ea, quę ſola ſufficiens ſit pro mundi redemptione, partim Chriſtianiſmi perfecta forma tradatur, ad quam excitantur Coloßenſes. Sunt autem legenda, quę habentur li. 4. apud Euſebium hiſt. ecclesiaſticę capite ſeptimo, vbi de Baſilide Simonis magi ſectatore hęc inter cętera habentur.* Non modo nouos prophetas ad terrorem ſuum nobilitandum excogitaſſe: verum etiam Angelos, qui numquam extitiſſent, ſibi confixiſſe, barbaraque illis impoſuiſſe nomina. *Legendus & Epiphanius lib. 1. contra hęreſes; hęres. 28. circa Cherinthum, qui fuit tempore Pauli; diſcipuluſque Simonis Item Hyreneus lib. 1. cap. 22.*

IN EPI-

IN EPISTOLAM SANCTI PAVLI ad Coloſſenſes.

PARAPHRASIS. CAP. I.

PAVLVS Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater, ijs, qui ſunt Coloſſis, ſanctis, & fidelibus fratribus in Chriſto Ieſu; gratia vobis, & pax a Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Gratias agimus Deo, & patri Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ſemper pro vobis orantes, cum audierimus fidem veſtram in Chriſto Ieſu, & dilectionem, qua affecti eſtis erga omnes ſanctos, ob ſpem illam, quæ repoſita eſt vobis in cęlis; de qua audiſtis, & inſtructi eſtis per ſermonem veracē Euangelij; quod peruenit ad vos, ſicuti, & in vniuerſo mundo, & fructificat, & creſcit, ſicut apud vos, ex eo die, quo audiſtis, & cognouiſtis gratiam Dei in veritate; ſicuti didiciſtis ab Epaphra cariſſimo conſeruo noſtro, qui eſt fidelis pro vobis miniſter Ieſu Chriſti, qui etiam manifeſtauit nobis veſtram ergà nos in ſpiritu dilectionem. Ideo & nos, ex eo die, quo ad aures noſtras hæc peruenere, non ceſſamus pro vobis orare, & expoſcere a Deo, vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni ſapientia, & intellectu ſpirituali; vt ambuletis, prout dignitas Dei poſtulat, per omnia ei placētes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in Dei cognitione, in omni virtute roborati ſecundum glorioſam eius potentiam, in omni patientia, atque longanimitate cum gaudio ſuſtinenda: gratias ſimul agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum, ſuo lumine colluſtrans; qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & trāſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ: in quo per eius ſanguinem habemus redemptionē, ipſam remiſſionem peccatorum, quæ nos ſub diaboli tyrannide detinebant. Qui quidem filius, eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus a Patre ante omnem creaturam: vt pote is, in quo (cum ſit ſapientia Patris) ex nihilo condita ſunt vniuerſa, quę in cęlis, & quæ in terra, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates, omnia per ipſum filium, Dei ſapiētiam, & in ipſo creata ſunt. Et ipſe eſt ante omnia, vt qui ab æterno eſt filius Dei, Deus de Deo: & omnia in ipſo, vti condita ſunt, ita quoque ſubſiſtunt, & conſeruantur. Idem ipſe (vt qui humanam naturam in eadem perſona diuinitatis aſſumptam habeat) eſt etiam (quatenus homo) caput corporis Eccleſiæ ex fidelium congregatione conſtituendæ: principium exiſtens, nempe primogenitus ex mortuis, qui primus ſurrexit ad vitam immortalem, vt omnino ſit omnia in omnibus; primatū tenens, tam in rerum omnium creatione, quàm in humanæ naturæ reparatione. Siquidem complacuit ſibi Pater, in ipſo filio, Deo, & homine exiſtente, omnem inhabitare plenitudinem diuinitatis, & per ipſum reconciliare ſibi omnia, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terra, ſiue quæ in cœlis ſunt. Et vos, cum olim eſſetis alienati, & inimici Dei ſenſu mentis veſtræ ad praua opera propenſæ; nunc, in corpore carnis ſuæ, per mortem reconciliauit Patri; exhibens vos ſanctos, & immaculatos, atq; irreprehenſibiles coram ipſo. Si tamen in fide ſuſcepta permanetis, fundati, ac ſtabiles, & immobiles a ſpe Euangelij, quod audiſtis; quodque prædicatū eſt in vniuerſa creatura, quę ſub cęlo eſt. Cuius factus ſum ego Paulus miniſter: qui nunc gaudeo in paſſionibus, quas pro vobis ſuſtineo; & adimpleo, quæ deſunt paſſionibus Chriſti (quas ſancti paſſuri ſunt pro nomine eius) in carne mea pro corpore eius, quod eſt eccleſia; ſecundum diſpenſationem Dei quę data eſt mihi, vt impleam in vobis verbum Dei: Illud altiſsimum myſterium, quod abſconditū fuit a ſeculis, & generationibus pręteritis, nunc autem manifeſtum eſt ſanctis eius; quibus Deus voluit notum facere, quę ſint diuitiæ gloriæ ex hoc myſterio in Gentibus diffundendæ. Quod, non niſi Chriſtus eſt, in vobis ſpes huius glorię conſequendę: quē nos annunciamus, corripientes, ac retrahentes omnem hominem a peccatis; nec non omnem hominē (vt nullus excludatur a Dei vocatione, & ab hoc noſtro miniſterio) docētes, & inſtruentes in omni ſapientia, quę vel ad cognitionem, vel ad vitę inſtitutionem ſecundum Deum attinet: eo nempe ſcopo, vt (quod ſpectat ad munus noſtrū) exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu: qua in re & laboro, certando ſecundum Chriſti efficacem operationem, quę in me potenter operatur.

Editio vulgata.

PAVLVS *Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater: ijs qui ſunt Coloſſis ſanctis, & fidelibus fratribus in Chriſto Ieſu. Gratia vobis, & pax a Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Gratias agimus Deo & Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti ſemper pro vobis orantes: audientes fidem veſtram in Chriſto Ieſu, & dilectionem quam habetis in ſanctos omnes, propter ſpem, quæ repo-*

ſita eſt vobis in cælis, quam audiſtis in verbo veritatis Euāgelij, quod peruenit ad vos, ſicut & in vniuerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit, ſicut in vobis, ex ea die qua audiſtis & cognouiſtis gratiam Dei in veritate, ſicut didiciſtis ab Epaphra chariſſimo conſeruo noſtro, qui eſt fidelis pro vobis miniſter Chriſti Ieſu, qui etiam manifeſtauit nobis dilectionem veſtram in ſpiritu, ideo & nos ex qua die audiuimus, non ceſſamus pro vobis orantes & poſtulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni ſapientia & intellectu ſpirituali: vt ambuletis digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei: in omni virtute confortati ſecundum potentiam claritatis eius, in omni patientia & longanimitate cum gaudio, gratias agentes Deo & Patri qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum, in lumine: qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem, remiſſionem peccatorum, qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia. ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt: & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant. Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis: vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens: quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinē crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt. Et vos cū eſſetis aliquādo alienati & inimici ſenſu, in operibus malis: nunc autē reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos ſanctos, & immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo, ſi tamen permanetis in fide fundati & ſtabiles, & immobiles a ſpe Euāgelij quod audiſtis, quod prędicatum eſt in vniuerſa creatura quæ ſub cælo eſt, cuius factus ſum ego Paulus miniſter. Qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia: cuius factus ſum ego miniſter ſecundum diſpenſationem Dei, quæ data eſt mihi in vobis, vt impleam verbum Dei, myſterium quod abſconditum fuit a ſeculis, & generationibus. nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ ſacramenti huius in gentibus, quod eſt Chriſtus, in vobis ſpes gloriæ: quem nos annunciamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni ſapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu. In quo & laboro, certando ſecundum operationem eius, quam operatur in me in virtute.

ADNOTATIONES.

A AVDIENTES *fidem veſtram in Chriſto Ieſu, & dilectionem, quam habetis in ſanctos*. Præcedit fides, vt fundamentum, cui debet eſſe coniuncta charitas, præcipue debita erga ſanctos. Et cum ſubiungitur: *propter ſpem, quæ repoſita eſt vobis in cælis*: hinc innuitur, tribus theologicis virtutibus, fide, ſpe, & charitate, ornatos fuiſſe Coloſſenſes, qui repoſitam ſpem haberent in cęlis, vt non terrena, ſed cęleſtia bona peterent.

B *In verbo veritatis Euangelij*. Id eſt, in certa, & infallibili veritate, quam continet Chriſti Euangelium.

C *Quod peruenit ad vos, ſicut, & in vniuerſo mundo*. Quomodo ſit intelligendum, quòd Euangelium promulgatum fuerit in vniuerſo mundo tempore Apoſtolorum, explicatum eſt in Adnot. N. cap. 10. epiſt. ad Rom. Quod autem attinet ad præſentem locum, ſupponendum videtur ex dictis Apoſtoli, quòd tempore, quo ſcribebat hāc epiſtolam, fama Euangelij ad vniuerſum mundum peruenerat. Vnde colligit Chryſoſtomus, hanc epiſtolam ſub fine vitæ Pauli ſcriptam fuiſſe. Chryſoſto. hom. 1.

D *Qui etiā manifeſtauit nobis dilectionem veſtram in ſpiritu*. Hac dictione, *in ſpiritu*, denotatur amicitia, ſpiritualiſque beneuolentia, quæ ſuperat omne genus amicitiæ; vt pluribus verbis docet Chryſoſtomus. Eſt enim beneuolentia, quæ eſt ſecūdum Deum, immutabilis, & ſemper eadem. Forte poſſet etiam intelligi illud, *in ſpiritu*, quòd in ſpiritu ipſum diligerent, quem de facie numquam vidiſſent, vt habetur infra, dum dicitur: *qualem ſolicitudinem habeam pro vobis, & pro iis, qui ſunt Laodiceæ, quicunque non viderunt faciem meam in carne*. Chryſoſt. hom. 1. Coloſſ. 2.

E *Vt impleamini agnitione voluntatis eius*. Voluntatis diuinæ cognitio, partim reſpicit quæ Deus, præter creationem mundi, ſua ſapientia fecit pro redemptione generis humani (vnde ſubiunxit Apoſtolus, *in omni ſapientia*) partim ea, quæ ab homine fieri Deus velit, & propterea adiectum eſt: *Et intellectu ſpirituali*; id eſt, cum prudentia, quæ ſit ſecundum ſpiritum cum detur etiam prudentia carnalis, vt habetur in epiſto. ad Rom. Et hæc eadem attulit Apoſtolus in epiſtola ad Eph. Sed ibi græce φρονήσει; hic autem συνέσει. habetur, quę eſt virtus pertinens ad capacitatem intellectus, ſine qua prudentia conſiſtere nequit. Quòd autem per intellectum ſpiritualem intelligi debeat prudentia, quę pertinet ad rationem, & inſtitutionem vitæ; clare innuunt ſubſequentia verba: *vt ambuletis digne Deo per omnia*: ijs enim actiones, & regimen vitę deſignatur. Rom. 8. Eph. 1.

F *In omni virtute confortati*: Gręce pro hac dictione, *virtute*, habetur δυνάμει, id eſt potentia, & viribus ſpiritualibus roborati.

G *In omni patientia, & longanimitate*. Adeo, vt prædicta potentia, viriumque ſpiritualium corroboratio, ipſis conferat ad patientiam, quę adhibenda eſt in aduerſis ęquo animo ferendis, & ad longanimitatem; id eſt, ad tolerantiam, & expectationem bonorum futurorum. Chryſoſtomus autem ait, patientiam eſſe, quando quis offenditur a potentiori, vt non poſſit aduerſus illum vlciſci: lōganimitatem autem, vbi poſſit quis vlciſci ſe, attamen tolerat. Et hinc animaduertit, Deo patientiam non tribui; ſed bene tolerantiam. Verum vtraque, tum patientia, tum longanimitas, impromiſcue attribuitur Deo; vt patet ex epi. ad Rom. vbi dicitur. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contēnis?* Nō autē pēſandum eſt, Deo ſic adſcribi patientiā, quaſi toleret, tanquā impotens vlciſci offenſas ſibi illatas; ſed ad hūc ſenſū, vt ſuſtineat vlciſci ſecūdū propoſitū ſuę volūtatis: vel ad hoc, vt peccatores cōuertantur, Chryſoſt. hom. 2. Rom. 2.

tur, vt dicit Apoſtolus loco citato : *ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* vel ad hoc, vt manifeſtet potentiam ſuam; quod præſtitit Deus in Pharaonem : de quo dicitur in eadem Epiſto. ad
Rom. 9. Rom. quòd Deus ſuſtinuit eum in multa patientia, vt notam faceret potentiam ſuam. Apud nos vero, patientia proprie pertinet ad ſuſtinentiam rerum moleſtarum; longanimitas autem ad longam tolerantiam rerum expectatatum.

H *Cum gaudio*. Sunt qui hæc coniungunt cum præcedentibus, ita legentes : *in omni patientia, & longanimitate cum gaudio;* vt ita denotetur, quòd Coloſſenſes cum gaudio patientiam, & longanimitatem obtinerent. Alij coniungunt cũ ſequentibus hunc in modum : *cum gaudio gratias Deo agentes* : Alij referunt ad Apoſtolum, qui cum gaudio gratias Deo agat de hoc, quòd dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum. Sed aptius videntur hæc accommodari ipſis Coloſſenſibus; quibus precatur corroborationem, vt vigeant confortati in omni patientia, & longanimitate cum gaudio : ijs enim
Theſſ. 1. cõſimilia habentur in epi. ad Theſſ. vbi dicitur : *excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio ſpiritus ſancti.*

I *In partem ſortis ſanctorum*. Sortem appellat Apoſtolus, quòd aliquis ad cœleſtem hæreditatem perducatur, Id enim non poterat homo cogitare,
Theoph. neque ſuis aſſequi viribus, niſi Deus ipſum dignum effeciſſet. Idcirco (quod attinet ad hominem) ſibi ad ſortem reputare debet, quòd ad tantam fœlicitatem euehatur; quod quidem in Dei prouidentia ſubſiſtit. Nam (vt inquit Theophylactus) *Ideo Apoſtolus appellat ſortem, vt oſtendat, quòd, quemadmodum ſors, nulla obuenit humana ſapientia, ſed caſu quodam, & fortuna potius terminatur; ita & nos, nullo noſtro officio, vel virtute, cæleſti dignamur imperio* : Sed Dei
Auguſt. in munere, quodcunque eſt boni, nobis confertur. Auguſt.
Pſ. 30. cõ. 2. etiam in tract. pſal. 30. *voluntas Dei*, inquit, *in humano genere ſors eſt; ſors veniens de occulta Dei voluntate; apud quem non eſt iniquitas, vt, occulta illius iuſtitia, ſors ſit.*

K *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum*. His denotatur potentia Diaboli, de qua eſt etiam ſer-
Eph. 1. mo in epiſt. ad Epheſios. Potentiam autem tenebrarum, nuncupat Apoſtolus, tyrannidem Diaboli; cui opponitur regnũ filij Dei : in quo ſumma charitas, & pax. Aliqui interpretãtur tenebras ad eũ ſenſum;
Eph. 5. *eratis aliquando tenebræ*. Alij intelligunt de loco
Chryſoſt. tenebroſo, vbi habitat Diabolus. Chryſoſtomus,
hom. 2. refert ad vtrumq;, ita interpretans; *qui eripuit nos de poteſtate errorum, & tyrannide Diaboli.* Cum autem ſubiungitur; & *tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ*. haud dubitandum, quin filius, Verbum ipſum ſit Dei dilectio, obiectum nempe diuinæ dilectionis; ex qua dilectione mutua exiſtente inter patrem & filium, procedit tertia perſona in diuinis, Spiritus ipſe ſanctus.

L *Qui eſt imago Dei inuiſibilis*; Huic ſententiæ
1. Timot. 6. concordat id, quod ſcriptum eſt in epiſt. ad Timot. quòd *Deus lucem inhabitat inacceſſibilem*, vt a nulla creatura (quantum ad naturam creaturæ pertinet) ſit perceptibilis, niſi Dei gratia illuminàns accedat.

Quod euenit (vt explicat Dionyſius) quoniam Deus Dionyſ.
eſt ipſum eſſe non participans, ſed abſolutum, ab alijs autem participatum, quum omnis creatura ad eſſe quoddam participatum limitetur. Imago autem (vt aduertit Thomas) tria debet habere. Nam Tho. Aqui.
in primis oportet, vt adſit ſimilitudo; & vt inter ſimilia vnum ſit deductum ex alio; ac denique vt ſit dedoctio ſecundum ſpeciem, vel ſignum ſpeciei. Nam ſi ſecundum accidentia ſit ſimilitudo, vt in colore, non aderit imago, quæ conſiſtit in ſpecie, vel in ſigno ſpeciei; quod ſignum, eſt ipſa figura. Vnde filius imago patris dicitur, non autem pater imago filij, quoniam non procedit a filio, ſicuti filius a patre prouenit. Verbum igitur eſt imago Dei inuiſibilis; ſed imago, qualis non ineſt in humanis, quæ deficiunt in pluribus, vt aduotauit Chryſoſtomus, & Chryſoſto.
Theophylactus. Hinc perperam Ariani voluerunt hom. 3.
filium eſſe viſibilem imaginem, Deum autem eſſe Theoph.
inuiſibilem. Verum, cum dicat Apoſtolus, quòd filius eſt imago Dei inuiſibilis, clare innuit, quod ſit imago repræſentans Deum inuiſibilem, vt ſic tota eius natura, & æqualitas, & omnimoda ſimilitudo ſupponatur in filio repræſentante Deum Patrem. Ex eo autem quòd dicitur, quòd filius eſt imago; hinc filij perſona, quæ eſt imago, diſtinguitur a perſona patris, cuius eſt imago. In Epiſt. autem priori
ad Corint. dicitur, quòd vir eſt imago, & gloria Dei 1. Cor. 11.
adhunc ſenſum, quoniam repręſentat Deum in terra, exiſtens vir caput, & princeps harum rerum terrenarum, in eaſque dominium habens, & exercens; quemadmodum Deus omnibus dominatur.

M *Primogenitus omnis creaturæ*. Hinc Ariani poſuerunt, filium eſſe creaturam. Verum attendendum, nõ dici ab Apoſtolo quòd ſit prima creatura creaturarum; ſed quòd ſit primogenitus, ita dictus, non quòd ſint & alij e Deo, & ex eius vtero geniti, quia ſolus eſt filius : quemadmodum etiam dicitur, primogenitus beatæ Virginis, ex qua tamen non ſunt procreati alij filij. Alioquin, ſi primogenitus intelligeretur, ad differentiam aliarum creaturarum poſt genitarum, filius quoque eſſet germanus ranarum, & huiuſmodi; ſicuti hoc in loco de-
ducit Theophylactus. Verum, quo modo ſit primo- Theoph.
genitus omnis creaturæ declarat Apoſtolus, dum ſubiungit.

N *Quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa*. Dum dicit, *in ipſo*, intelligit filium, qui eſt ſapientia patris, in qua Deus omnia creauit, & omnia intelligendo operatur; vt ita denotetur modus operandi Dei, qui eſt in ſapientia, & ita in filio creauit omnia : inter quæ tamen omnia, non accipitur Spiritus ſanctus;
quoniam (vt dicit Theophylactus) non eſt vnus ex Theoph.
omnibus, ſed vnus tantum eſt Spiritus ſanctus, vti & vnus eſt Deus.

O *Omnia per ipſum*. Explicat prius dictũ; quòd in filio condita ſunt vniuerſa; quoniam ſcilicet omnia per ipſum facta ſunt : nempe per ſapientiam, vt cauſam efficientem : quemadmodum etiam in Euã-
gelio Ioannis dicitur, quòd omnia per ipſum facta Ioan. 1.
ſunt. Et cum ſubiungitur, *& in ipſo creata ſunt*, aduertendum, græce legi *εἰς αὐτόν*, idest in ipſum, in gloriam ſcilicet filij. Et ita in filio condita ſunt vni-

uerſa;tum,quoniam in ſapientia,& per ſapientiam,
quæ eſt ipſum Verbum, creata ſunt, tum etiã,quo-
niam in filij gloriam condita ſunt vniuerſa; nempe
in gloriam diuinæ ſapientiæ.

P *Et ipſe eſt ante omnia*. His verbis magis etiam
explicatur natura filij. *Et omnia in ipſo conſtat*.nem-
pe conſeruantur,& ſubſiſtunt; in ipſa ſcilicet ſapiẽ-
tia Dei,quæ eſt filius.

Q *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ*. Hic Apo-
ſtolus deſcribit filium Dei, humana carne veſtitum;
& ita connectit, quæ ſunt humanitatis cum ijs,quæ
pertinent ad diuinitatem; ſicuti facit etiam in epiſt.
Hebr. 1. ad Hebræos.
Matt. 19. R *Primogenitus ex mortuis*, Apud Matt.illud *in*
reſurrectione,græce habetur ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ.ideſt,
quaſi regeneratione, vt non ſit proprie generatio,
ſed ex mortuis excitatio. Hanc itaque reſurrectio-
nem, Chriſtus,exiſtens primitiæ dormientium (vt
1. Cor. 15. dicitur in priori epiſt. ad Corint.)primus obtinuit,
vitam nempe, & reſurrectionem non amplius de-
futuram; vnde hic dicitur primogenitus ex mor-
tuis.

S *Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem di*
uinitatis inhabitare.Hoc verbum,*diuinitatis*, abeſt a
Chryſoſt. hom 3. græcis exemplaribus;quod tamen affert Chryſoſto-
mus, & interpretatur dicens, ex aliorum ſententia
intelligi, quòd in Chriſto eſt plenitudo diuinitatis,
eo modo, vt dicitur in cap. ſequenti, quòd in ipſo
Coloſſ. 2. ineſt diuinitas corporaliter. Idem etiam (quatenus
homo) perfectionis eſt plenitudo, ad explendum
corpus Eccleſiæ, de qua plenitudine eſt ſermo in
1. Eph. epiſt. ad Epheſios.

T *Siue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt*. Erat
diſſonantia inter Gentiles & Iudæos, vt dictum eſt
1. Eph. in epiſt. ad Epheſ. Angeli quoque pro inimicis nos
omnes ducebant; Chriſtus autem omnia vniuit, &
reconciliauit.

V *Inimici ſenſu, in operibus malis*. Ijs verbis,&
electio, ſeu propoſitum male operandi, & opera-
tio ſimul malorum comprehenditur: vnde meri-
to, propria culpa,odibiles erant Deo, qui erant hu-
iuſmodi.

X *Exhibere vos ſanctos*.Nempe purgatos a pec-
cato originali: *& immaculatos, & irreprehenſibiles*,
nempe a proprijs delictis. Hæc autem illis præſta-
bit Chriſtus (vt ſubiungit Apoſtolus) *ſi tamen per-*
manetis in fide, adeo quòd ex parte hominis requiri-
tur,vt fundatus per baptiſmum,in fide permaneat,
& immobilis a ſpe Euangelij:ad quæ præſtanda,au-
xilium Dei præſto erit omnibus poſtulantibus il-
lud cum humilitate.

Y *Quod prædicatum eſt in vniuerſa creatura, quæ*
Greg. Papa. *ſub cælo eſt*. Gregorius Papa in Euangelio Matth.
ca. 16. interpretatur per omnẽ creaturã, non ſolum
populum Hæbreum; verum etiam Gentilem, cui
prædicatum eſt Euãgelium per Apoſtolos, quibus
prius prohibitum fuerat,ne abirent in viã Gentiũ.
Idem apud Matt. 16. intellexit,hominem eſſe omnẽ
creaturam, cui prædicandum eſſet Euangelium; vt
qui cum omnibus rebus habeat conuenientiam.
Appellatione autẽ *creaturæ*, hoc loco intelligi poſ-
ſent tum homines, tum Angeli cœleſtes,tum infe-
ri; cum omnes generatim prædicationem intelle-
xerint; & per omnes partes Chriſtus peragrauerit,
omnia adimplens, vt dicitur in epiſt. ad Epheſios. Eph. 4.

Z *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti*.
Aut ita intelligendum, quòd patiatur pro Chriſto,
reddens vicem paſſionibus eius. Aut quoniam,quę
paſſori erant ſancti pro Eccleſia Dei, hæc reſtabant
adimplenda de paſſionibus Chriſti, vt qui, pro ſuis
computet eas paſſiones, quæ a ſanctis pro nomine
eius, & in ædificationem Eccleſiæ ſuſtinentur. Et
propterea iure hinc theſaurum Eccleſiæ conſtitutũ
eſt ex aggregatione paſſionum, quas ſuſtinent ſan-
cti: per quas (vti in Chriſto inſitas) ad meritum ſuc-
cedunt, in ſuffragium peccatorum. Et locus iſte, vt
valde inſignis, obſeruandus eſt,ad confirmandum
contra hæreticos noſtri temporis vſum indulgen- Aduerſus
tiarum, quem pia mater eccleſia inſtituit pro exol- hæreticos.
uenda pœna temporali,quam dependere pro pec-
catis teneremur, innixa Chriſti meritis, & ob eius
gratiã,etiam meritis ſanctorum, quorum cruciatus
ab ipſis in Chriſti teſtimonium ſuſceptos, vti pro-
prios ſibi vendicat Chriſtus Dominus. Auguſtinus Auguſt. in
autem in tract. Pſalm. 86. dubitat, quomodo deſunt Pſal. 86.
paſſionibus Chriſti, ſi dixit, *conſummatum eſt*. Et re- Ioan. 19.
ſpondet; in capite impletæ ſunt Chriſti paſſiones;
reſtabant adhuc in corpore Chriſti paſſiones: iuxta 1. Cor. 12.
illud: *vos eſtis corpus Chriſti & membra*. Theodore- Theodor.
tus vero inquit, reſtare vt prædicetur Gentibus, &
in hoc paſſiones ſibi tolerandæ. Ambroſius vertit Ambr.
reliquias, loco *defectus*. Photius intelligit, *implentur*; Phot.
quoniam, ſicut Chriſtus paſſus eſt pro nobis,& nos
patiamur pro illo, pro eius eccleſia: in quo tamen
non erit æquale, aut ſimile: ſed longe diſtabunt
inter ſe.

A A *Myſterium, quod abſconditum fuit a ſeculis,*
& generationibus. Hæc conueniunt cum his, quæ
habentur in epiſt. ad Epheſios. Eph. 4.

B B *Diuitias gloriæ ſacramenti huius in Gentibus*.
Vel Gentes,in genere accipiuntur, non ſolum Gen-
tiles,verum etiam Iudæi. Aut ſi Gentiles tantum in-
telligantur, erit ſermo Apoſtoli valde efficax,& nõ
ſine ſtupore, quòd diuitiæ myſterij exerceantur
etiam in Gentibus. Hinc enim in Gentibus benefi-
cium maxime eluceſcit, vt inquit Chryſoſtomus. Chryſoſt.
Illud autem; *qui eſt Chriſtus*. Nonnulli referunt ad hom. 5.
illud, quòd Chriſtus ſit myſterium; vel in ipſo my-
ſterium exiſtat. Sed cum gręce legatur ὅς ἐστι χριστός,
& præcedat vox illa, ὁ πλοῦτος. optime reſpondet ar-
ticulus ὅς huic voci πλοῦτος, cum ſint inuicem ge-
neris maſculini: & ideo ad myſterium, quod eſt
neutri generis etiam apud Græcos, referri non po-
teſt. Vnde interpretandum videtur, quòd Chriſtus
eſt plutos, id eſt diuitiæ,quibus Gentes ditarentur.

C C *Exhibeamus omnem hominem perfectum*.
His etiam reſpondent ea, quæ habentur in Epiſt. ad
Epheſ. vbi dicitur; *donec occurramus omnes in virum*
perfectum ætatis plenitudinis Chriſti. Adnotat autem Eph. 4.
in hac Epiſt. Thomas, quòd Platonici ponebant Tho. Aqui.
ideas, quarum participatione dicebant fieri res has
ſenſibiles: quod etiam opponit Ariſt. Platoni in ſua
philoſophia: licet aliqui alij aliter mentem Platonis
interpretentur, cuius rei conſideratio non eſt præ-

ſentiš

ſentis loci. At, inquit B. Thomas, iuxta ſententiam Apoſtoli, Verbum, ipſe filius Dei, eſt vnum, velut forma ea, ſecundum quam, Deus operatur omnia per ſapientiam ſuam. Aduertendum etiam, non apparere nobis, quomodo per filium, tanquam cauſam efficientem, pater operetur: ſed illud tantum conſtat, quòd, modus operandi per filium, eſt per ſapientiam. Et ſupponendum eſt omnino, quòd nō ſit idem modus operandi in rerum creatione, ſicut in ijs quæ ſecundum generationem fiunt ex materia: vbi, quomodo concurrat cauſa efficiens, eſt perſpicuum: & ſupponitur ſemper materia præexiſtens, ex qua noua fiat generatio; & hinc naturales philoſophi falſum eorū dogma de mundi æternitate conſtruxerunt. At in creatione, in qua ex nihilo id (qđ abſolute non erat) factum eſt, huiuſmodi ratio operandi apud Deum omnino tollitur: &, de hoc, fide certi ſumus: quamuis aſſequi nō poſſimus, quomodo Deus mundum crearit: niſi quòd ſecundum ſapientiam Verbi, per quod omnia facta ſunt, in ſpacio ſex dierum creationem abſolutam eſſe a Deo, nobis innotuit ex lib. Geneſeos.

PARAPHRASIS. Cap. II.

VOLO enim vos ſcire, quam ſolicitudinem habeam pro vobis, & pro ijs qui ſunt Laodiceę, & alijs, qui non viderunt faciem meam in carne; vt conſolationem accipiant corda ipſorum, inſtructi dum fuerint in charitate, & in omnibus diuitijs pleniſſimæ illius intelligētiæ, quæ attinet ad agnitionem myſterij, quod eſt Dei patris, & Chriſti, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. Hoc autem dicò, optoque de vobis, ne quis vos decipiat probabilitate ſermonis. Nam & ſi corpore abſens ſum: at ſpiritu vobiſcum ſum, gaudens, & cōſpiciens ordinem veſtrum circa religionem, & firmamentum veſtræ in Chriſtum fidei. Sicut ergo accepiſtis Ieſum Chriſtum Dominū noſtrum, in ipſo ambulate, radicati, & ſuperædificati in ipſo, & confirmati in fide, ſicut edocti eſtis, abundantes in ea per gratiarum actionem. Videte, ne quis vos decipiat, seducēs ab hac ſtabili ſede fidei, per philoſophiam, & inanem fallaciam, incedēs ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum. Quoniam in ipſo (quod vobis certiſſimum eſſe debet ex fide) inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, vt ſit idem & Deus, & homo, in quo nulla plenitudo perfectionis deſiderari poſſit. Et vos in ipſo, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis, repleti eſtis in omnibus, quæ ad ſalutē veſtram requiruntur: in quo etiam, circuncifione non manufacta, ſed per expoliationem corporis carnis, in quo peccata per contractam ex origine maculam continentur, circuncisi eſtis, in ipſa Chriſti circūciſione, conſepulti ei exiſtentes in baptiſmo, in quo etiam reſurrexiſtis per fidem, quam habetis de operatione illa Dei, qui Chriſtum ſuſcitauit a mortuis. Et vos, cum mortui eſſetis ex delictis proprijs, & præputio carnis veſtræ, originalem maculam concernentis, conuiuificauit vna cum ipſo; delens, quod aduerſus nos erat, chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, quod ſuſtulit de medio affigens cruci: expolianſque Principatus, ac poteſtates Dæmonum ditione, & dominio illo, quod in nos habebant, traduxit nos in libertate, faciens de illis nos in ipſo triumphare. Ne quis igitur vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei feſti non ſeruati, aut nouilunij, aut ſabbatorum, quæ futurorum ſunt vmbra, corpus autem, & borum veritas eſt Chriſtus, ad quē ſignificandum ſunt inſtituta. Ne vobis palmam, ad quam in Chriſto vocati eſtis, ſtudio ſuo quis interuertat in humilitate, & religione Angelorum, (quam imitari ſibi aſſumat, cum hæc minime viderit) cum faſtu ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ; & non tenens caput, ipſum Chriſtum. Ex quo, totum corpus eccleſiæ, per nexus, & coniunctiones partium ſubminiſtratum, & compactum creſcit in augumētum Dei. Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quæ prius colebatis; quid adhuc, tanquam viuentes in mūdo ſecundum priſtinam falſam veſtram religionem, eiuſcemodi decretis, ne tetigeris, nec guſtaueris, ne contractaueris (quæ omnia ſunt in interitum in ipſo vſu) grauamini? ad hæc inducti ſecundum mandata, & doctrinas hominum? Quæ quidem ſpecimen quoddam habent ſapientiæ, quę ſita eſt in ſuperſtitione, & humiliatione, & imparcentia corporis, nullo in honore habiti, dum, ijs inſtitutis, a tribuendo ſaturitatem carni, homines auertuntur.

Editio vulgata.

VOLO enim vos ſcire qualem ſolicitudinem habeamus pro vobis, & pro ijs qui ſunt Laodiceæ, & quicunque non viderunt faciem meam in carne, vt conſolentur corda ipſorum, inſtructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem myſterij Dei Patris Chriſti Ieſu. in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. Hoc autem dico, vt nemo vos decipiat in ſublimitate ſermonum. Nam & ſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum: gaudens, & videns ordinem veſtrum, & firmamentum eius, quæ in Chriſto eſt, fidei veſtræ. Sicut ergo accepiſtis Ieſum Chriſtum Dominum, in ipſo ambulate, radicati & ſuperædificati in ipſo, & confirmati fide, ſicut & didiciſtis, abundantes in illo in gratiarum actione. Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis: in quo & circuncisi eſtis circunciſione non manufacta in expoliatione corporis carnis, in circunciſione Chriſti, conſepulti ei in baptiſmo: in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit illum a mortuis. Et vos cum mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cum illo: donans vobis omnia delicta, delens quod aduerſus nos erat, chyrographum decreti,

creti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci: & expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in ſemetipſo. Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt vmbra futurorum, corpus autem Chriſti. Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & religione angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones ſubminiſtratum & conſtructum, creſcit in augmentum Dei. Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis huius mundi: quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernitis? Ne tetigeritis, neque guſtaueritis, neque contrectaueritis: quæ ſunt omnia in interitum ipſo vſu ſecundum præcepta, & doctrinas hominum, quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione, & humilitare, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis.

ADNOTATIONES.

A IN *quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*. Communis eſt interpretatio, hæc dici de Chriſto, in quo
Theodor. (ſecūdum Theodoretum) dicit Apoſtolus, abſconſos eſſe omnes ſapientiæ, & ſcientiæ theſauros: quoniam per ipſum reuelatur in futura vita
Gr. Scho. omnibus hominibus diſpenſationis ſcopus. Græca
Theoph. autem ſcholia, quibus conſentit etiam Theophylactus, hæc dicta eſſe explicant; ad ſignificandum, ꝙ Chriſtus nihil ignorat eorum, quæ nouit pater. Et cum dicitur, quòd in ipſo ſunt abſconditi theſauri; hinc innui aſſerunt, quòd ipſe ſolus nouit. Per theſauros autem (inquit Theophylactus) exponitur ſapientiæ magnitudo; & per dictionem hanc, *omnes*, aſſeritur, nil ipſi eſſe incognitum. Poſſemus etiam interpretari, hæc dici de Verbi incarnati myſterio, (quod pertinet ad Deum, & ad Chriſtum, cū Deus per Chriſtum impleuerit myſterium redemptionis humanæ) quòd in hoc myſterio inſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ; ſed abſcōditi, quoniam non pateant, niſi, quibus Deus voluit reuelare. Quod vero attinet ad diſtinctionem inter ſapien-
Augu. li. 13. de Trinit. cap. 18. 1. Cor. 12. tiam, & ſcientiam, Auguſtinus in lib. 13. de Trinit. colligit ex dictis Apoſtoli in priori epiſt. ad Corin. vbi dicitur, *alij datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum:* quòd ſapientia eſt quid aliud a ſcientia. Vnde ſupponit, ſcientiam humanis rebus attribui; ſapientiam vero diuinis. Neque ita tamen diſtingui aduertit, quin & ſcientia de diuinis, & ſapiētia de humanis rebus poſſit dici. In ipſo autem myſterio, dicemus ineſſe ſapientiam Dei, quòd Verbum carnem aſſumpſerit; ineſſe & ſcientiam in opere, & modo homines redimendi.

Gr. Scho. B *Hoc autem dico*. Græcanica ſcholia interpretantur, ideo dictum eſſe, quòd in Chriſto ſunt abſconditi omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ, vt cauti redderentur Coloſſenſes, ne quis eos deciperet per ſermonis probabilitatem, tanquam aliquid ſciret: nullus (inquit Apoſtolus) hominum quicquā nouit; ſolius enim Dei eſt omnia ſcire. Theodore- Theodor.
tus autem ſic explicat: *his verbis vſus ſum, adhortans, ne fallacibus verbis ſeduceremini*. Idcirco exiſtimari poteſt, hęc verba, *hoc autem dico*, non referri ad illud immediate dictum, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ, &c.* Sed ad adhortationem eo ſcopo ab Apoſtolo propoſitam, vt in officio continerentur Coloſſenſes, & non deciperentur a fallaci probabilitate ſermonis.

C *Ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam*. Illud, *decipiat*, græce habetur, *ὁ συλαγωγῶν*, quod proprie ſignificat, ad prædam duci. Ac ſi diceretur; cauete, ne quis in prædam vos ducat, & captiuet per rationes ex philoſophia ſumptas, quas, ſupponit Apoſtolus, inanem eſſe fallaciam; propterea quòd friuolæ ſint, & haud firmę probationes, ſumptæ ex placitis Philoſophorum nō pertingentium ad Chriſti ſtatum, atque excellentiam; neque ad rationes, quę ſunt ſecundum diuinam ſapientiam. Et, quoniā (vt ait Chryſoſtomus) Chryſoſt. hom. 6.
honeſta videbatur eſſe philoſophiæ opinio, adiecit, & inanem deceptionem; idq; (vt inquit idem Chryſoſtomus) quoniam *eſt & bona quædam deceptio, qua decepti ſunt multi, quæ neque deceptio vocanda eſt: de qua* apud Ieremiam. *Decepiſti me Do-* Ierem. 30.
mine, & deceptus ſum; vti etiam bona fuit illa deceptio, quæ contigit Iſaac a filio ſuo Iacob. Fallaciam autem hanc inanem, exiſtere inſinuat Apoſtolus, ſecundum traditionem hominum; ideſt, iuxta placita, & ſententias hominum; verbi gratia, vt qui aliquid immūdum aſſerant eſſe in creaturis, idque ex certis proprijs ſuppoſitionibus probare enituntur: aut abſtinēdum ab eſu animalium, quoniam ſit mutua animarum tranſmigratio, vt cenſuerunt Pythagorici, de quorum ſententia in argumēto epiſtolæ dictum eſt latius. Explicat autem magis Apoſtolus, quales ſint hę traditiones hominum, & quibus innitantur adminiculis, ſubiungens: *ſecundum elementa mundi*. Quibus verbis Theophy- Theoph.
lactus ait, explicari hanc figuram vniuerſi: vt hinc velit Apoſtolus, refellere obſeruationes dierum, & temporum, quæ pendent ex giratione vniuerſi. Poſſumus etiam intelligere, per *elementa mundi*, partes, ex quibus mundus conſtituitur, circa quas nōnulli philoſophantes ex proprio capite conſtruunt rationes circa obſeruationes temporū, & diſcretiones ciborum, de quibus eſt ſermo in hoc capite. Quidam per, *elementa mundi*, intellexerunt rudimenta philoſophorum. Auguſtinus autem in ſerm. Auguſt. in ſer. de Calen. Ian.
de Calen. Ianu. perpendens pręſentem locum Apoſtoli, *cauete ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditiones hominum, ſecundum elementa mundi huius;* (ita enim ipſe legit) animaduertit, his verbis tangi eos, qui, *quaſi prudentiores idola exponunt. Ideo, cum diceret philoſophiam, in eodem loco ait, ſecundum elementa mundi huius, non quaſi qualeſcunque adoratores ſimulacrorum, ſed quaſi doctiores interpretatores ſignorum, cauendos eſſe admonens: veluti, quòd coleretur aer in Iunone, mare in Neptuno, terra in ſimulacro Telluris: hæc autem omnia ſunt mundi elementa.*

Nec vero ex his, quæ hoc loco afferre videtur

Apoſt.

Apoſt. aduerſus philoſophiam, deducendum, quòd excludenda omnino ſit, philoſophia a ſtudijs ſacræ Theologiæ: vt perperam contendunt nonnulli huius temporis hæretici. Nam dicimus, quòd Paulus illam philoſophiam damnat, quæ inanibus fallacijs Chryſoſto. eſt intenta. Vnde Chryſoſtomus eius loci hunc attulit commentarium; *quoniam honeſta videbatur eſſe philoſophiæ opinio, adiecit, & inanem deceptionem*: vt hinc appareat, ab Apoſtolo damnari illos philoſophos, qui dogmata contra veritatem inculcant: veluti erant illi, de quibus eſt mentio in 1. cap. epiſt. Rom. 1. Theoph. ad Rom. Theophylactus ait, quòd, *opinationibus quibuſdam omnia permiſcuerũt, volentes in figura, qui caret figura, & in corpore, qui ſit incorporeus, mente concipere*. Aut, Dei omnipotentiam infinitam, ad proprium libitum, vti finitam, certis terminis connotare volebant, & alia huiuſmodi dogmatizare. Hi enim, in proprijs cogitationibus euaneſcentes, ſtulti facti ſunt pro ſapientibus, qui ſe prædicabant. Nõ tollit autem Apoſt. aut damnat rerũ creatarũ contẽplationem recto ordine inſtitutam: cum in epiſt. Rom. 1. ad Rom. ſtatuerit, per ea quæ facta ſunt, hominem manuduci ad quandam inuiſibilium rerum, nẽpe Act. 17. ad Dei cognitionem. Et diſſerens apud Athenienſes in Areopago, dogma philoſophicum, ad ſuam aſtruendam ſententiam de Deo immortali, in medium afferre non abhorruit. Et in epiſto. priori ad 1. Cor. 15. Corin. ex ordine generationis, quæ in rebus cernitur, præclare philoſophatus eſt circa reſurrectionẽ mortuorum, quomodo reſurgant mortui, & quali corpore. Non tollit Deus ordinem naturæ, quam creauit: neque lumen, quod mentibus humanis cõceſſit, prohibet, quin ſuo fungatur officio in rebus cõtẽplandis. Sed & patres Orthodoxi, & qui præcipui ſunt nominis, in ſacra ſcriptura enodãda, a philoſophicis contemplationibus non abhorruerunt, quibus eorum ſcripta referta apparẽt, vt facile poterit intelligere, quiſquis Baſilij, Cyrilli, Chryſoſtomi, Augu. & aliorum multorum patrum commentaria attente perlegerit. Sed qui præcipue, veræ philoſophiæ dogmata, ad ſacræ Theologiæ dilucidationem induxerint, extitere theologi, ſcholaſtici nuncupati, ad hoc maxime inducti, quòd multę hęreſes a prauis philoſophiæ dogmatibus initiũ ſumpſerint: vnde & argumentis, ex veris dogmatibus philoſophiæ petitis, confutandæ, & redarguendæ fuerunt, aduerſas peruicacium hęreticorum ſententias: cum tamen omnium diſputationum theologicarum fundamenta, vti potiſſima, ex ſacræ ſcripturæ fontibus hauriantur a catholicis, & orthodoxis Theologis.

Theoph. Græ. ſchol. D *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Theophylactus, & græca ſcholia hunc locum ita interpretantur, quòd in Chriſto, in carne ipſius (denotet Apoſtolus) inhabitare ſubſtantialiter Deum Verbum, & ſecundum perſonam ipſi vniri, & vbique eſſe, non ipſa carne concluſum: idq; (licet diuina per ſenſibilia nequeant explicari) docent exemplo lucis: quæ, initio, ante cętera producta, cum incorporea, & immaterialis eſſet, in corpore tamen ſolari continetur, & corporea quodammodo facta eſt. Sed cum in ipſo ſole exiſtat, nõ impeditur, quin omnia illuſtret: ita Deus Verbũ, cum carnem nõ habebat, incarnatũ, non prohibet etiam carni vniri ſecundum perſonam, ſic tamen vt in ipſa non concludatur, ſed omnia impleat. Per dictionem autem, *corporaliter*, inquiunt eadem ſcholia, Græ. ſchol. intelligi, *quòd inſit ſecundum ſubſtantiam non ſolo in habitu, & figura; ſed vt habitat anima in corpore inconfuſe, indiſtincte, ſic in aſſumpto homine diuinitas: ſed anima*, inquiunt, *ſeparatur a corpore poſt mortem*: non autem *poſtbat Deus Verbum ab aſſumpta ac familiari, & propria ſibi affecta carne animata per animam rationalem*. Theoph. Nam, vt inquit Theophylactus, & in ſepulcro aderat corpori diuinitas. Sed & diuinitatẽ in Chriſto inhabitare corporaliter animaduertunt dictum eſſe, ad differentiã modi, quo Deus habitat in ſanctis per gratiam. Aliqui etiam ita interpretantur, inhabitare in Chriſto plenitudinẽ diuinitatis corporaliter, quia, non in vmbra, ſicut in Angelis gerentibus perſonam Dei, ſed re uera. Perpendenda autem eſt vox iſta, *plenitudo*, per quam dicere poſſumus innui, quòd totus Deus ſit in humanitate aſſumpta, ita tamen ibi totus, vt etiam & vbique ſit Deus; licet aliter, quàm in Chriſto, vt dictum eſt antea. Quomodo autem id eſſe poſſit, non eſt penſandum, quòd huius tanti myſterij, vti ſe habet, ſit capax intellectus humanus in hac vita: ſicuti Chryſoſto. hom. 5. animaduertit Chryſoſtomus tractans de fide. Origines autem, explicans verba illa apud Ioan. *plenum gratia*: animaduertit, ſermonem Apoſtoli habitum hic de plenitudine diuinitatis, applicari ad myſticos legalium vmbrarum intellectus, quas Chriſtus ſecundum carnem veniens, in ſe ipſo, *corporaliter*, hoc eſt veraciter habuiſſe, & docuit, & manifeſtauit, *exiſtens fons, & plenitudo gratiarum, veritas ſymbolorum legalium, & finis prophetarum viſionum*. Aug epiſto. ad Dard. 57. Auguſtinus vero ad Dardanum de præſentia Dei, ſupponit, Deum vbique eſſe totum, non vbique autem habitare, niſi in templo ſuo, cui per gratiam eſt benignus, & copioſus. Perpendenſque hunc locum Apoſtoli, duas affert expoſitiones. Quarum altera omnino prope eſt conformis ante adductæ Origi- Orig. nis expoſitioni; dum dicit, vocem hanc, *corporaliter*, ſumptã eſſe metaphorice, quòd corporaliter Deus in Chriſto inhabitat, ad differentiam vocis, vmbratilis; ſicut in templo manufacto inhabitabat; adeo q̃ illæ omnes obſeruationes erant vmbræ futurorum; non in Chriſto, qui erat continens veritatũ horum omnium. Altera expoſitio Auguſtini eſt hæc; quòd in Chriſti corpore, quod ſumpſit de Maria Virgine, tanquam in templo, habitat Deus. Et cum etiam habitet in alijs ſanctis, attamen magnum eſt diſcrimen; quoniam in capite longe excellentius ac plenius, quàm in membris; ſicuti etiam ſenſus in capite noſtro magis ineſt, quàm in ſingulis membris. Aliud etiam eſt diſcrimen ſecundum Auguſtinum; quoniam, ſingulari quadam ſuſceptione hominis, vna facta eſt perſona cum Verbo; vt Verbum caro factũ ſit: quod de nullo ſanctorũ dici poteſt; cum, ex pręſentia gratiæ diuinę, nullus nomen vnigeniti acceperit; at Chriſtus filius Dei eſt in vnitate Verbi.

E Et

E *Et eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis*. Deus implet Chriſtum ſua diuinitate; fideles autem replentur in Chriſto etiam ſecundum humanitatem; per quam eſt ſupra omnes creaturas, exiſtens caput ſuper omnia, & ſuper omnes principatus, & poteſtates; cum ſit exaltatus ſuper omnes choros Angelorum. Vnde eius plenitudo eſt ſufficientiſſima. Et propterea, nulla alia re aliena opus habemus, vt impleamur, & perficiamur, ſi in Chriſto inſiti, & incorporati ſumus. Theoph. Hæc autem, *& eſtis in illo repleti* &c. cenſet Theophylactus, dicta eſſe per increparionem. Ac ſi diceret; quare ergo vultis duci per Angelos ad Patrem, cum ſit ipſe caput Angelorum? Verum poſſunt etiam hæc eſſe dicta propter obſeruationem dierum, & temporum, ob diſcretionem ciborum, & alia huiuſmodi, quibus opus eſſe ad ſalutem aliqui aſſerebant; quaſi Chriſtus ex ſe ipſo non eſſet ſufficientiſſimus. Quæ autem in Chriſtianiſmo aſſumuntur, & obſeruantur; velnti ieiunia pro corporis caſtigatione, & certis temporibus a nonnullorum ciborum vſu abſtinentia, inſtituta a ſacroſancta Romana Eccleſia ad noſtrarum animarum medelam, & vſus pariter ſacramentorum per res ſenſibiles exercitatorum; hæc omnia eatenus habent valorem, quatenus ad Chriſti plenitudinem referuntur. Quemadmodum & dies feſtos in Chriſti Redemptoris noſtri memoriam; & in honorem ſanctorum celebramus, ad prouocandam magis in animis noſtris charitatem erga Deum; & ad excitandum nos met ipſos ad imitationem eorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti, in quibus Deus etiã glorificari voluit in terris: qnemadmodum de ijs luculentius egimus in capitu. 4. epiſto. ad Gala. in Adnot. F.

F *In quo & circuncisi eſtis*. Iudæi magnificabant circuncisionem, quam neceſſariam eſſe ad ſalutem prædicabant: de qua re Apoſtolus non diſputat hoc loco, vt facit in epiſt. ad Galatas; quoniam in hoc dogmate Coloſſenſes non hæſitabant, vti Galatæ. Verum, pro amplificanda oratione, & magis roboranda hac ſuppoſitione, quòd, repletio proueniens a Chriſto, ſit cumulatiſſima (euacuando circuncisionem carnis) inquit Coloſſenſibus; quòd ſint circunciſi non manufacta circuncisione, in expoliatione corporis carnis, quod affertebat circuncisio Iudaica in extremitate pelliculæ pudendi virilis. Quæ vero ſequuntur, ita ſe habent in vulgata editione; *ſed in circuncisione Chriſti conſepulti, & in baptiſmo*; cum tamen Græca exemplaria careant hac particula aduerſatiua, SED; quæ etiã abeſt a quibuſdam codicibus latinis: ſicuti etiam græca exemplaria variant a lectione vulgata, quæ habet, *in expoliatione corporis carnis*; cum Græci adiungãt dictionẽ hanc, *peccatorum*, vt ita legant, *in expoliatione corporis peccatorũ carnis*. Vnde, ſecundum lectionem vulgatam eſſet interpretatio: quòd Coloſſenſes eſſent circunciſi non manufacta circuncisione Iudaica, quæ fiebat per expoliationem corporis carnis; ſed in circuncisione Chriſti; quatenus eſſent conſepulti & in baptiſmo. Theoph. Theophylactus autem retinens lectionem illam, *corporis peccatorum carnis*, ita explicat: *pudendum virile*, inquit, *circuncisione retegitur, carnis illo velamine dempto: at per Chriſtum circunciditur vniuerſus homo; cum corpus hoc noſtrum omne expoliatur, atque nudatur; quia peccata demuntur, quæ per carnem committimus*: & ita intelligit Theophylactus, veterem hominem exui, & indui nouum. Theodoretus autem, inquit; *circuncisio Chriſti non eſt carnalis*; ſed *ſpiritualis; non manufacta, ſed diuina; nec exigua corporis particulæ ablatio; ſed ab omni interitu, & corruptione liberatio*. Theodor. Verum aduertendum eſt, num illud, *in circuncisione Chriſti* poſſemus ita interpretari: quòd in circuncisione, quam Chriſtus ſuſcepit, nos quoque ſumus circunciſi, obtinentes expoliationem corporis peccatorum carnis, dum conſepelimur in baptiſmo morientes peccatis. Vnde illud, *corporis peccatorum carnis*, poſſemus interpretari, corpus peccatorum, eſſe peccatum originale. Quod (ſicuti explicatum eſt in epiſto. ad Rom. capit. 6.) Adnotat. C. eſt fundamentum peccatorum in carne commiſſorum; ad differentiam peccati angelorum, quod non fuit in carne. Rom. 6. Vel potuit dictum eſſe, *peccatum carnis*, ad ſignificandum, quòd, ob hanc carnem corruptam ex propagine parentum, reliqua omnia peccata pullularunt.

G *In quo, & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit illum*. Qui in Chriſto ſunt inſiti, conſurrexerunt in ipſo; ſicuti explicatum eſt in Epiſt. ad Epheſios: quos etiam conſedere fecit Chriſtus in cœleſtibus; vt dicitur in eadem epiſt. Eph. 1. Quod vero hic additum eſt, *per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit illum*. Aliqui ita interpretantur, quòd ſint circunciſi vera circuncisione per fidem operationis, ideſt, per fidem agentem, & actuoſam, non ocioſam; quæ eſt de Deo, vel a Deo. Alij (vt Theophylactus) hunc in modum explicãt: *quia credidiſtis Dei potentiam: hanc enim oportet habere fidem, vt conſequamur reſurrectionem*. Theoph. Alij intelligunt fidem, quam in nobis operatur Deus. Poſſet etiam fieri interpretatio, quòd ſurreximus per fidem, ad inſinuandum quòd immortalitatem corporis iam non tenemus; ſed per fidem tantum: qnoniam firmiter credamus nos illam conſecuturos: per eam autem fidem, qua credimus operationem Dei, qua excitauit Chriſtum; hoc enim credimus indubitanter.

H *Et vos, cum mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ*. Hoc idem dixit in epiſto. ad Eph. Cum autem ait; *mortui in delictis*; peccata proopria inſinuauit; Eph 2. per illud vero, *præputio carnis veſtræ*: peccatum ex origine contractum. Illa autem dictione, *conuiuificauit*, non ſolum intellexit quòd ad gratiam Dei eſſent reuocati, & ita ſpiritu viuificati; verum etiam, quoniam in ipſo Chriſto, (qui reſurrexit ad vitam non amplius deſituram) conuiuificati intelliguntur ad corporis immortalitatem. Siquidem de Chriſto non conuenit dicere, quòd ſit viuificatus, tanquam prius in peccatis (qui peccatum non fecerat) extitiſſet. Id autem

ſequeretur,

ſequeretur, ſi interpretemur, quòd conuiuificauit electos ſuos a peccatis ad gratiam: ſi enim conuiuificauit eos a peccatis, & ſe ipſum viuificauit ab eiſdem.

I *Delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium vobis*. Loco huius dictionis *decreti*, quam interpres attulit, ex Græcis
Theoph. plures legunt, τοῖς δόγμασι, excepto Theophylacto: qui in ſuo commentario huius loci inquit, *decreto abraſit, ideſt, fide; neque enim id omne operibus vllis, ſed fidei dogmate ſublatum eſt*. Chirographum au-
Gr. Scho. tem Græca Scholia intelligunt, vel legem, quam complexi ſunt Iudæi ſe obſeruaturos, vel ipſum pactum, quod Deus fecerat cum Adam, cum dixit
Gen. 2. ei: *in quocunque enim die comederis, morte morieris*. Hoc igitur chirographum Chriſtus deleuit, indu-
Theodor. cens dogmata euangelica, vel fidem. Theodoretus autem animaduertit, non debere accipi chirographum proueniens ex lege data, quando hoc Iudæorum tantum eſſet, & non ad Gentes attineret; ſed debere intelligi de illo apud Adam. Dicendo autem, quòd *tulit de medio*, innuit Apoſtolus, ſublatum fuiſſe impedimentum, quo diſiungebamur a Deo. Quo quidem in opere Chriſtus expolians principatus, & poteſtates diabolicas de imperio, quod obtinebant ſuper genus humanum, hoc fecit, quod ſubiungit Apoſtolus, inquiens: *traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemet-*
Theoph. *ipſo*. Quæ verba explicans Theophylactus, inquit; Chriſtus confudit Dæmones, & duxit captiuos, triumphans de illis deuictis ab ipſo in cruce: verbum enim, ἐδειγμάτισεν: triumphatoribus conue-
Aug. lib. de Ag. Chriſt. cap. 2. nit. Auguſtinus autem in lib. de Ago. Chriſt. ita legit. *principatus exemplauit*, quod interpretatur, ideſt, dedit exemplum de illis: vt, quemadmodum ſe exuit carne, ſic ſuos oſtenderet exuendos carnalibus vitijs, per quæ, illi ipſis dominantur. Aduertendum autem verbum illud, quod habet Apoſtolus, ἐδειγμάτισεν, poſſe etiam accipi pro *traducere*. Vnde poſſet etiam afferri hæc interpretatio; quòd Chriſtus expolians Dæmones a præda, quam de genere humano obtinebant; traduxit nos in libertatem, triumphans nos in ipſo: ideſt, faciens nos triumphare in ſemetipſo. Quæ interpretatio ex hoc comprobari videtur; quoniam vocula illa αὐτοὺς, eſt maſculini generis: illa vero alia, τὰς ἀρχὰς, eſt fœminini; vnde illa, τὰς ἀρχὰς, huic alteri αὐτοὺς, aptari non poteſt. Atque ideo per hanc vocem, αὐτοὺς, præſtat interpretari nos ipſos: de quibus dictum eſt antea, quòd deleuit decreti chirographũ, quod aduerſus nos erat. Huic autem explicationi, quòd triumphare nos fecerit in ſe ipſo, reſpondet id, quod dictum eſt ab Apoſtolo in poſter.
2. Cor. 2. epiſt. ad Corinth. θριαμβεύοντι ἡμᾶς ἐν τῷ χριστῷ: ideſt,
Theodor. qui *triumphat nos in Chriſto Ieſu*. Theodoretus quoque in ſuo loci huius commentario, quaſi huic noſtræ interpretationi adhærens, inquit: *per ſuum corpus, nobis omnibus aduerſus eos victoriam eſt largitus*.

K *Quæ ſunt vmbra futurorum, Corpus autem Chriſti*. In lege veteri mandata ſabbatorum, neomeniæ, & huiuſmodi erant vmbra futurorum, nempe ſignificantia, & adumbrantia quæ futura erant. Vnde vmbram complectebantur veritatis: corpus autem verum, quod ſupponitur vmbræ, pertinet ad Chriſtum, qui in illis ſignificabatur. Quidam autem ita interpretantur, vt poſtrema dicta verba coniungant cum ſequentibus hũc in modum. *Corpus Chriſti nemo vos ſeducat*, ideſt, ne ſeducamini vos, qui eſtis Corpus Chriſti.

L *Nemo vos ſeducat* græce καταβραβευέτω, quod ſignificat interuertere brauium; ac ſi Apoſtolus diceret; nemo vos impediat a brauio obtinendo a triumpho antedicto. Et cum ſubiungitur, *volens in humilitate, & religione Angelorum*, hæc aliqui interpretantur, coniungentes dictionem hanc, *volens*, cum præcedentibus ſic: *ne vos ſeducat volens*: ideſt dedita opera, Chryſoſtomus autem, & Chryſoſt. hom. 7.
Auguſtinus referunt ad ſequentia huncin modum: Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & cul- Auguſt.
tu Angelorum videri. Quibus verbis (inquiunt Græca Scholia) inſinuari eos, qui præſeferentes Gr. Scho.
humilitatem, dicebant, non eſſe accedendum ad Deum per Chriſtum, quoniam non tanti digni ſumus, ſed per Angelos; & ita introducebant religionem Angelorum. Theodoretus inquit, *hu-* Theodor.
militate vtentes, dicendo, vniuerſorum Deum, non cerni, neque comprehendi, neque ad eum perueniri poſſe; oportere per Angelos, per quos data eſt lex, ſibi diuinam beneuolentiam conciliare: quod vitium (inquit) *diu manſit in Phrygia, & Piſidia*. Poſſemus etiam ita interpretari, quòd aliquis in humilitate, & cultu Angelorum, nempe vitam veluti angelicam profitens, atque ſimulans, hac ſpecie ſanctitatis inducere volebat Coloſſenſes ad abſtinendum a quibuſdam cibis, & ad alia obſeruanda præcepta vana, & erronea: de quibus in hoc cap. Apoſtolus meminit. Vnde verba, quæ ita ſe habent: *nemo vos ſeducat volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ*: hunc in modum ordinari poſſunt. *Nemo vos ſeducat volens*; ideſt, intendens vt vobis arripiat brauium; nemo, qui in humilitate, & religione Angelorum incedat, ea ſupponens, atque decernens, quæ non vidit, neque nouit quòd ita ſint ex veritate; hoc agens, vt qui ſit inflatus a ſenſu prudentiæ propriæ carna-
lis. Etenim & Theodoretus verba illa; *quæ non* Theodor.
vidit ambulans, explicat ſic; ideſt, *proprijs rationibus, & cogitatis incedens*. Illud vero, *& non tenens caput*, explicandum, quòd vir ita inflatus non adhæret Chriſto, qui eſt caput Angelorum: vnde ab Angelis non eſt expectanda ſalus. Aut innuitur, Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ: Ex quo (vt ſubiungitur) totum corpus Eccleſiæ per nexus, atque coniunctiones partium compactum, atque ſubminiſtratum ex gratia influente a Chriſto, tanquam capite, creſcat in augmentum Dei. Et ſi ita ſe res habet: quorſum igitur ad quædam extranea, & aliena recurrere, & ſomniari ea, qui-
bus a Chriſto capite diſcedatur? Dionyſius Car- Dio. Carth.
thuſianus explicans verba illa: *nemo vos ſeducat volens*:

lens:ait, ideſt, ſuadere contendens in humilitate, & religione Angelorum; ideſt, perfectam humiliationem, & apparentem religionem, quibus Angelis ſimilis videtur, tanquam verus nuncius Dei, & Angelus: *quæ non vidit*: ideſt, obſeruatiooes legalium, quas non intellexit ſecundum ſpititualem & myſticam rationem. Sed & humilitas hæc (vt paulo poſt explicabitur) referri poteſt non ad virtutem humilitatis, ſed ad humiliationem, & caſtigationem corporis, cui debitus ſubtrahantur cibus, quaſi hoc ſit vitam angelicam imitari.

M *Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis huius mundi.* His innuit Apoſtolus, quæ dicit etiam in epiſtol. ad Galatas; quòd prius erant ſeruientes, Gal. 4. non vero Deo, ſed elementis mundi: dum ſolem, vel lunam, & alia huiuſmodi colerent: quare igitur cognoſcentes nũc verum Deum, ad modum mundi regi vos permittitis? Vbi aduertendum, hoc loco, græcã dictionem, *δογματίζεσθε*, tũ ſecundum actiuum ſignificatum accipi poſſe, prout habet editio vulgata, *decernimini*, & hoc in ſenſu alloqueretur pſeudo Apoſtolos, qui talia decernerent obſeruanda: tum etiam ſecundum paſſiuum Gr. ſcho. ſignificatum, vt accipiunt Græca ſcholia; nempe, *decernimini*; & in hoc ſenſu redarguerentur Coloſſenſes; qui huiuſmodi decreta, ne tangerent, ne guſtarent, ne contrectarent, tanquam illicita, ſibi imponi permitterent.

N *Quæ ſunt omnia in interitum in ipſo vſu.* Aut ita intelligendum, quòd prædicta dogmata, ſi obſeruentur, ducunt obſeruantes in damnationem. Aut ita, quòd quæ prohibentur in illis dogmatibus, ſunt huiuſmodi, quòd tendunt ad interitum in ipſo vſu; ſicuti eſus ciborum per ſeceſſum it, & tendunt hæc in fimum; vnde nihili fieri, ſed ſperni debent, vt quæ pendeant a præceptis, & doctrina Theodor. hominum. Vnde Theodoretus ait, intelligi ab Apoſtolo, non legem, ſed eorum doctrinam intempeſtiuam. Aut, ſecundum Theophylactum, de-Theoph. notantur ſeniores, qui lege abutebantur, in ea addentes multa ad ipſorum placitum; ſicuti dixit illis Dominus in Euangelio: *irritum feciſtis manda-*Matt. 15. *tum Dei propter traditionem veſtram*. Vel, inquit Theoph. Theophylactus, intelligit Apoſtolus doctrinam, & diſciplinam Gentium. Poſſent etiam illa verba, *quæ ſunt omnia in interitum in ipſo vſu*: intelligi, vti pronunciata ab illis, qui decernerent dogmata illa, & dicerent; abſtinendum ab ijs, vel illis rebus, quæ interitum afferunt hominibus, qui illis vtantur, vti rebus prohibitis ſecundum ipſos.

O *Quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ.* Inquit Theophylactus, *quoniam pietatem præſefe-*Theoph. *runt ob abſtinentiam, quam præcipiunt*. Verum hęc agunt in ſuperſtitione: ideſt, voluntaria affectata religione, expreſſa per hoc verbũ, *ἐθελοθρησκείᾳ*, quę in humiliatione quadam eſt poſita. Et cum ſubiungitur: *& non ad parcendũ corpori*, gręce *ἀφειδίᾳ*, explicat Apoſtolus, qualis ſit, aut in quo ſita ſit huiuſmodi humiliatio; nẽpe in non parcendo corpori, quod dure tractetur, neque habeatur in honore, vt paſcatur cibis ad ſaturitatẽ. Vbi aperte colligitur, accipi hoc loco *humilitatem*, non pro ea, quæ eſt virtus, ſed pro humiliatione corporis. Quod autem attinet ad honorem corporis, de quo hic eſt mentio, inquit Theophylactus, quòd *Deus honorem corpo-*Theoph. *ri detulit, & cibos, & alimenta conceſſit, vt his caro exatiata, perſtaret, & volens vitijs imperaret*. Ex his fit admodum veriſimile, quòd ſupra, cum fuit ſermo de humilitate, & religione Angelorum, Apoſtolus intellexerit de ea humilitate, & religione, qua Angeli Deum colerent; quam ſimulare aliquis tentabat, ſtatuens abſtinendum eſſe a cibis nonnullis, tanquam immundis, & prohibitis; quaſi, qui hæc obſeruaret, religionem ab Angelis obſeruatam imitaretur; nec non humilitatem: cum tamen non eſſet in eius animo vera humilitas; vt qui, inflatus in ſenſu carnis ſuæ, incederet cum faſtu. Sed & illud etiam veriſimile eſt, quòd ab huiuſmodi ſeductore appellaretur religio, & humilitas Angelorum, ea vitæ ratio, quam ipſe commendaret, quòd ſimilis eſſet vitæ angelicæ. Sed & illud aduerti poteſt, vocem illam, *in humilitate*, accipi poſſe, vt dictum eſt, pro humiliatione, qua corpus prohibetur paſci cibis: adeo vt humilitas hoc loco ad abiectionem corporis referatur. Dictio vero illa, *in religione*, ad Angelos eſt referenda, dum diceretur ab illis nouatoribus, quòd abſtinere a cibis, eſſet Deum colere ſecundum religionem Angelorum; ideſt, iuxta eum modum *religionis, quem Angeli obſeruarent, qui cibis non veſcuntur*, cum & hi a certis cibis abſtinendum eſſe docerent.

P A R A P H R A S I S.

Capit. III.

IGITVR, ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt ſapite, & curate, non quæ ſunt ſuper terram. Mortui enim eſtis huic vitæ præſenti, conſepulti in baptiſmo exiſtentes cum Chriſto; & vita veſtra, ad quam ſpe conſurrexiſtis, abſcondita eſt cum Chriſto apud Deum. Cum autem Chriſtus apparuerit, vita veſtra, in gloria maieſtatis ſuæ; tunc & vos vna cum ipſo apparebitis in gloria. Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, & ad terrena vergunt; vt in illis occidatis fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt idolorum ſeruitus; propter quæ venit ira Dei ſuper filios incredulitatis: quibus in malis, & vos olim ambulaſtis, & conuerſati eſtis, cum viueretis in illis. Nunc autem & vos deponite, & abijcite a vobis omnia mala; non ſolum prædicta; verum etiam iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, & turpem ſermonem de ore veſtro. Nolite mentiri inuicem, deponentes, & exuentes a

vobis

vobis veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes illum nouum, qui in agnitione Dei renouatur ſecundum imaginem illius, qui creauit ipſum. Qua in re nullum habet diſcrimen maſculus, & fœmina: Iudæus & Gentilis, circuncíſio & præputium; barbarus & ſcyta; ſeruus & liber; ſed Chriſtus omnia in ipſis, & idem eſt in omnibus. Induite vos ergo (vt electi Dei ſancti & dilecti) viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, manſuetudinem, patientiam; ſupportantes inuicem, & condonantes vobis, ſiquis aduerſus alium habet querelam: vti & Chriſtus donauit vobis; ita & vos inuicem agite. Super omnia autem hæc, charitatem induentes, quæ eſt vinculum perfectionis chriſtianæ: & pax Chriſti exultet in cordibus veſtris; ad quam etiam vocati eſtis in vno corpore; & grati eſtote. Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter; in omni ſapientia, docentes, & commonentes voſmetipſos pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus; in gratia Dei canentes, in cordibus veſtris Deo. Et omne, quod facitis, verbo, aut opere, facite in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti: gratias agentes Deo, & Patri per ipſum. Mulieres ſubditæ eſtote proprijs viris, vt decet in Domino. Viri diligite vxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas. Filij obedite parentibus veſtris in omnibus; hoc enim placitum eſt Domino. Patres ne prouocetis filios veſtros ad indignationem, ne animo puſillo fiant, ad deſperationemque flectantur. Serui obedite per omnia dominis veſtris carnalibus, non ad oculum illis ſeruientes, tanquam hominibus placentes, verum in ſimplicitate cordis, Deum timentes. Et quodcunque facitis, ex animo operamini, tanquam ſeruientes domino, & non hominibus; ſcientes quòd a domino recipietis retributionem hæreditatis. Domino Chriſto ſeruite; qui enim iniuriam facit, recipiet id, quod inique geſſit, & in hoc nulla eſt acceptio perſonarum apud Deum.

Editio vulgata.

IGITVR *ſi conſurrexiſtis cum Chriſto: quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite: non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. Cum Chriſtus apparuerit, vita veſtra: tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Mortificate ergo membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam quæ eſt ſimulacrorum ſeruitus, propter quæ venit ira Dei ſuper filios incredulitatis, in quibus & vos ambulaſtis aliquando, cum viueretis in illis. Nunc autem deponite, & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro. Nolite mentiri inuicem: expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem, ſecundum imaginem eius, qui creauit illum, vbi non eſt, gentilis & Iudæus, circumciſio & præputium, Barbarus & Scytha, ſeruus & liber: ſed omnia, & in omnibus Chriſtus. Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes inuicem: & donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam, ſicut & Dominus donauit vobis: ita & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete quod eſt vinculum perfectionis. Et pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in vno corpore: & grati eſtote. Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, in omni ſapientia: docentes & commonentes voſmetipſos, pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo. Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti, gratias agentes Deo, & Patri per ipſum. Mulieres, ſubditæ eſtote viris ſicut oportet in Domino. Viri, diligite vxores, & nolite amari eſſe ad illas. Filij obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum eſt in Domino. Patres, nolite ad indignationem prouocare filios veſtros: vt non puſillo animo fiant. Serui, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placẽtes, ſed in ſimplicitate cordis, timentes Deum. Quodcunque facitis, ex animo operamini ſicut Domino, & non hominibus: Scientes quòd a Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Chriſto ſeruite, qui enim iniuriam facit, recipiet id quod inique geſſit, & non eſt perſonarum acceptio apud Deum.*

ADNOTATIONES.

SI *conſurrexiſtis cum Chriſto.* Qui Chriſti baptiſmate inſigniuntur, tanquam illi, qui moriuntur peccatis, dum in aqua immerguntur, reſurgere etiam ad nouam vitam ſignificantur per emerſionem ab aqua. Non id tamen eſt, quod potiſſimum hoc loco intendat Apoſtolus. Sed propriè loquitur de reſurrectione corporum, ſupponens, quòd fideles tam in Chriſto reſurrexerint ad vitam immortalem, quam tamen ſuo tempore re ipſa (ſicuti interim in ſpe) ſunt habituri. Et huic quidem explicationi valde eſt conſentaneum id, quod ſubiungit Apoſtolus dicens: *& vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto, in Deo*; vita ſcilicet immortalis vna cum corpore incorruptibili. Vbi adnotandum, hæc verba, *mortui enim eſtis*, coniungi cum his alijs, *cum Chriſto*, ita vt dicantur mortui eſſe cum Chriſto; & quòd eorum vita ſit abſcondita cum Chriſto, in Deo. Qui (vt dicitur in epiſtô. ad Timot.) *ſolus habet immortalitatem*: quam ſcilicet habet per eſſentiam, & ab ipſo pendet rerum omnium aliarum immortalitas per quandam communicationem. Vnde ſi ita ſe res habet, debent igitur Coloſſenſes conuertere animum ad Cęlum, vbi non eſt obſeruatio dierum, vel temporum; &

Margin notes: A (beside the first line of the annotation); 1. Timo.6. (beside "ad Timot.) ſolus habet immortalitatem")

curate cœleſtia, & non terrena, qualia ſunt præcepta circa eſcas, more legali, vel gentilitio.

B *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.* (Theodor.) Theodoretus animaduertit, fornicationem, immunditiam, & alia, quæ hoc loco nominat Apoſtolus, dici membra corporis; quoniam hæc peccata fiunt per corpus. Vnde ſubiungit Apoſtolus; *quæ ſunt ſuper terram.* Ac ſi dixiſſet, corpus non amplius exerceat peccatum. Dictio autem illa, *libido*, quam habet editio vulgata, græce πάθος dicitur, & libido pathica denotatur.

C *Nunc autem deponite, & vos omnia.* Non ſolum poſtulat, vt adnihilentur carnalia, & craſſiora peccata; verum etiam (vt aduertit Ambroſius) (Ambr. c. 3.) ſpiritualia: inter quæ adnumeratur ira, & indignatio; quas græci nuncupat ὀργὴν, & θυμὸν. Quæ (ſecundum Græca Scholia) (Gr. Scho.) ita diſtinguuntur, vt indignatio ſit accenſio quædam, & euaporatio acuta affectionis, ira autem immanens dolor, ac durans impetus ad repenſionem ijs faciendam, qui intulerunt iniuriam, veluti animæ appetentis vindictam. (Theoph.) Theophylactus autem accipit, *indignationem*, pro odio, & animi amaritudine; dum quis apud ſe, & ſi iram aſſeruat, frenatque, ſecum tamen fuerit indignabundus, vt hanc in poſterum euomat. Cæterum & indignatio, nil prohibet, quin poſſit eſſe leuis quædam accenſio ſine actu vindictæ. Cum autem dicat Apoſtolus: *mortificate membra veſtra.* item, *deponite & vos omnia;* hinc clare innuit libertatem arbitrij noſtri, & ſtudium, quod a nobis exigit Deus. Nam etſi per baptiſmum exutio ſit facta omnium peccatorum; attamen non propterea tollitur, quin inclinatio prona ad malum nobis inſit; quæ cum Dei auxilio ſuperatur ab ijs, qui ſunt inſiti in Chriſto; non tamen ſine noſtro particulari ſtudio. Idcirco præcipit Apoſtolus Coloſſenſibus, vt deponant omnia vitia, ne illis iterum irretiantur. Nam poſt baptiſmum (vt (Chryſoſto. hom. 7. Theoph.) docet Theophylactus cum Chryſoſtomo) noſtra concurrente voluntate, mortificantur peccata; dum non permittuntur pullulare. Veluti, ſi ſtatua rubiginoſa tergatur, & curetur, ne in poſterum corrodatur, & inficiatur. Deponere autem veterem hominem, eſt, non ſinere vt fiant carnis deſideria, quibus adhæreatur; ne dum vt vigeant prauæ operationes ex illis pullulantes. Vnde qui ita ſe gerit, nouum dicitur induere hominem. Non autem tollitur (niſi ex ſingulari Dei priuilegio, quod paucis dono datum eſt) vt paſſiones non excitentur in corpore: ab hoc enim exui homo non poteſt in hoc mortali corpore; prout latius explicatum eſt in expoſitione cap. 7. epiſt. ad Rom.

D *Qui renouatur in agnitionem Dei.* Vetus homo Deum non agnoſcebat: qui autem renouatur in nouum hominem, ante omnia ducitur per fidem in cognitionem Dei: renouamur autem (inquit Apoſtolus) *ſecundum imaginem eius qui creauit illum:* quod eſt dicere: quòd homo accipit imaginem reformatam creatoris, vt rectus ſecundum ſpiritum euadat, obediens Deo, deuinciens-que ſibi ſub imperio vim concupiſcibilem membris inexiſtentem: qua quidem in rectitudine (Eccleſ. 7.) ab initio primus homo creatus eſt. At per Chriſti baptiſmum, & regenerationem, in meliorem quoque formam homo renouatur; vt ita optima ratione repræſentet imaginem ſui Creatoris.

E *Sed omnia, & in omnibus Chriſtus.* Dicit; non eſſe in dicta renouatione diſcrimen inter nationes: non inter præputiatos, & circuncisos: non inter marem, & fœminam: ſed eadem eſt in omnibus renouatio, & regeneratio, cum idem fit Chriſtus in omnibus. Illud vero, quòd Chriſtus *ſit omnia in omnibus*, inquit Theophylactus, quòd Chriſtus eſt & genus, & dignitas illis. Vel, inquit, omnes vnus Chriſtus efficiuntur, cuius ſumus & corpus. Forte poſſemus interpretari, quòd Chriſtus in omnibus eſt omnia; nempe ea, quæ ad dictam renouationem imaginis requiruntur; quum per ipſum hæc omnia præſtentur.

F *Charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Secundum Chryſoſtomum, charitas eſt (Chryſoſt. hom. 7. In parte Morali.) vinculum integritatis, vt aliæ diſſoluantur virtutes ſine ipſa. Aut charitas eſt vinculum perfectionis, vt alij interpretantur: ideſt, perfectum vinculum. Et ſane, ſicut prudentia (iuxta traditata ab Ariſto. in lib. 6. Eth.) eſt ligamentum omnium virtutum moralium; ita charitas multò magis eſt ea virtus, a qua reſultat vnio, & perfectio omnium virtutum, & operationum, quæ in chriſtiano homine requiruntur; adeo quòd ſine charitate (vt dicitur in priori epiſto. ad Corint.) nulla alia vir- (1. Cor. 13.) tus, vel operatio eſt alicuius veri valoris; quæ etiam poſtulat, vt omnia fiant cum perfectione. Et cum poſſit humilitas, aut modeſtia, aut alia virtus ineſſe homini ſine charitate, charitas quidem non inerit, ſi aliarum virtutum aliqua defuerit.

G *Et pax Chriſti exultet in cordibus veſtris.* Suppoſita charitate, ſequitur vt pax Chriſti vigeat, & dominetur ſuper omnes affectiones cordium; ita vt pax ipſa præmineat, & non prauus affectus.

H *In omni ſapientia.* Hæc coniunguntur ad ſequentia, nempe ad hæc, *docentes, & commonentes voſmetipſos.* Vbi adnotandum, quòd ſi adſit omnis ſapientia, nil deerit, quod pro cognitione fidei, & rectæ vitæ functione deſiderari poſſit. Illud vero; in *gratia cantantes.* Aduertunt Græca Scholia dictum eſſe, quoniam non ſine (Græ. ſchol.) gratia Spiritus ſancti id facere poterant. Vel (vt inquit Theophylactus) quòd cum gratia, & ſpirituali quadam iucunditate id agerent. Vel, *cum gratia*, ad denotandum quòd in gratia Dei exiſterent, non in peccatis.

I *Vt non puſillo animo fiant.* Ideſt, ne in deſperationem ducantur filij ob nimiam aſperitatem, qua tractentur a patribus: ita enim deficient animo ad bene agendum, effecti tanquam viles ſerui. Et hinc animaduertit Thomas, ex cuiuſdam (Tho. Aqui.) ſententia, Iſraelitas ideo non perductos ad terram promiſſionis, quoniam fuerint in ſeruitute enutriti,

triti, adeo vt non auſi fuiſſent pugnam capere aduerſus hoſtes.

K *Accipietis retributionem hæreditatis*. Manifeſte docet hoc loco Apoſtolus bonorum operum expectandam recompenſationem in regno Dei.

L *Et non eſt perſonarum acceptio apud Deum*. Si ſeruus chriſtianus hæro gentili inſeruiat, non penſandum, quòd Deus ſit acceptor perſonæ, vt faueat ſeruo chriſtiano, ſi recte ſe non gerat cum hæro gentili.

PARAPHRASIS.

CAPIT. IIII.

DOMINI, quod iuſtum eſt, & æquum, ſeruis præſtate; vt quod cuique debetis, illud tribuatis, & non ſit apud vos acceptio perſonarum, vt alterum altero ſine cauſa præferatis: ſcientes quòd & vos dominum habetis in cœlo. Orationi iuſtate, vigilantes in ea cum gratiarum actione; orantes ſimul etiam pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti (propter quod & vinctus ſum) vt manifeſtem illud, ſicut oportet me loqui, In ſapientia ambulate ad eos, qui foris ſunt extra cœtum fidelium, redimentes tempus in veſtram vtilitatem, vt recte eo vtamini. Sermo veſter ſit ſemper cum gratia, abſque offeoſione audientium, ſale conditus, vt ſciatis (id prouidentes) quo modo oportet vos vnicuique reſpondere. Quæ ad me attinent, nota vobis faciet Thychicus cariſſimus frater, ac fidelis miniſter, atque conſeruus noſter in domino: quem ad vos miſi ad hoc, vt cognoſcat quæ circa vos ſunt, & conſoletur corda veſtra cum Oneſimo cariſſimo, & fideli fratre, qui ex vobis eſt. Hi omnia, quæ hic aguntur, nota facient vobis. Salutat vos Ariſtarchus concaptiuus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ (de quo accepiſtis mandata, & ſi venerit ad vos excipite illum vt decet) & Ieſus, qui dicitur iuſtus; hi omnes ex circuncisione, ſolique adiutores mei in ijs quæ attinent ad regnum Dei; qui quidem mihi fuerunt ſolatio. Salutat vos Epaphras, qui ex veſtris eſt, ſeruus Ieſu Chriſti; ſemper ſolicitus pro vobis in ſuis orationibus, vt ſtetis perfecti, & pleni in omnibus, quæ ſunt ex voluntate Dei, teſtimonium enim illi perhibeo, quòd multam ſolicitudinem habet pro vobis, ac pro ijs qui ſunt Laodiceæ, atque Hierapoli. Salutat vos Lucas medicus cariſſimus, & Demas. Salutate fratres, qui ſunt Laodiceæ, & Nimpham, & quæ in domo eius eſt, Eccleſiam. Et cum lecta fuerit apud vos epiſtola hęc, facite, vt & in Laodicenſium Eccleſia legatur; ac viciſſim, vt vos illam legatis, quæ ſcripta eſt ex Laodicea. Et dicite Archippo. Vide miniſterium, quod accepiſti in domino, vt illud impleas. Salutatio mea manu Pauli: memores eſtote vinculorum meorum. Gratia vobiſcum. Amen.

Editio vulgata.

DOMINI, *quod iuſtum eſt & æquum, ſeruis præſtate: ſcientes quòd & vos* Dominum *habetis in cœlo. Orationi inſtate: vigilantes in ea in gratiarum actione. Orantes ſimul, & pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti (propter quod etiam vinctus ſum) vt manifeſtem illud ita vt oportet me loqui. In ſapientia ambulate ad eos qui foris ſunt, tempus redimentes. Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus: vt ſciatis quomodo oporteat vos vnicuique reſpondere. Quæ circa me ſunt, omnia vobis nota faciet Tychicus cariſſimus frater, & fidelis miniſter, & conſeruus in Domino: quem miſi ad vos ad hoc ipſum, vt cognoſcat quæ circa vos ſunt, & conſoletur corda veſtra, cum Oneſimo cariſſimo, & fideli fratre qui ex vobis eſt. Omnia quæ hic aguntur, nota facient vobis. Salutat vos Ariſtarchus concaptiuus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ (de quo accepiſtis mandata. ſi venerit ad vos, excipite illum) & Ieſus qui dicitur iuſtus, qui ſunt ex circunciſione, hi ſoli ſunt adiutores mei in regno Dei: qui mihi fuerunt ſolatio. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis eſt ſeruus Chriſti Ieſu, ſemper ſolicitus pro vobis in orationibus, vt ſtetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei. Teſtimonium enim illi perhibeo quòd habet multum laborem pro vobis, & pro ijs qui ſunt Laodiceæ, & qui Hierapoli. Salutat vos Lucas medicus cariſſimus, & Demas. Salutate fratres qui ſunt Laodiceæ, & Nympham, & quæ in domo eius eſt, Eccleſiam. Et cum lecta fuerit apud vos epiſtola, facite vt & in Laodicenſium Eccleſia legatur, & eam quæ Laodicenſium eſt, vos legatis. Et dicite Archippo. Vide miniſterium quod accepiſti in Domino, vt illud impleas. Salutatio mea manu Pauli, Memores eſtote vinculorum meorum. Gratia vobiſcum, Amen.*

ADNOTATIONES.

A ORATIONI *inſtate vigilantes in ea in gratiarum actione*. Ac ſi diceret Apoſtolus, ſi vobis eſt curæ æterna vita, in oratione ſitis ſoliciti, vt id ſit vobis præ omnibus ante oculos; & huic adiuncta ſit gratiarum actio, vt de omnibus etiam aduerſis, & pro omnibus Deo gratiæ agantur. Precioſæ enim ſunt illæ orationes, vt inquit Chryſoſtomus, quæ habent initium a gratiarum actione. Chryſoſto. hom. 10.

B *Orantes ſimul & pro nobis*. Hoc loco precatur populum, vt oret pro ſe. At paulo poſt loquens

Auguſt. in epiſ B.Ioã. tract. 1.

de Epaphra, qui erat ipſorum epiſcopus, & doctor, ait: quòd ſolicitus erat pro ipſis in orationibus ſuis; & ita quidem fieri conuenit. Vnde Auguſtinus in expoſitione prioris epiſt. B. Ioannis circa illud, *aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum*, qui, vt caput, interpellat pro omnibus, inquit; quòd paſtor pro plebe; & plebs quoque pro paſtore orare debet; vt ita, pro ſe, & pro omnibus, orent membra.

Theoph.

C *In ſapientia ambulate ad eos qui foris ſunt.* Aut illos intelligit, quibus cum familiaritate non ſumus coniuncti. Aut illos, qui ſunt extra cœtum fidelium. Accipitur autem hoc loco ſapientia ſecundum Theophylactum pro prudentia, quamquam (ex doctrina Ariſtotelis in 6. lib. Eth.) ſapientia quoque tribuatur omni excellentiæ, quam aliquis obtineat in quauis arte. Atque ideo Apoſtolus vult, quòd Coloſſenſes circumſpectiſſime ſe gerant cum omnibus.

D *Tempus redimentes*, græce ἐξαγοραζόμενοι, vt admoneat ipſos, ne perperam quid agant in conuerſatione, quam habeant cum alijs, qui foris ſunt; adeo, vt curſum temporis vendicent ad propriam vtilitatem, ipſoque recte vtantur.

Theodor.

E *Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus.* Vult vt curent ſe gratos præbere, id agentes cum ſale atque prudentia. Quæ autem ſubiunguntur: *vt ſciatis, quo modo oporteat vos vnicuique reſpondere*, ponderans Theodoretus ait. Aliter infideli, & fideli; aliter perfecto, aliter imperfecto; aliter infirmo, aliter ſano, atque valenti, doctrina eſt tradenda. Addamus, non ſimiliter tractandum cum diuite, & cum paupere; cum inferiori, atque cum conſtituto in dignitate: ſicuti Paulus aliter contra Elimam, & aliter cum Athenienſibus ſe geſſit. De hac autem diſcretione perſonarum cumulate agit Chryſoſtomus homilia 11. ſuper hac epiſt.

Chryſoſt. hom. 11.

Theodor.

F *Et Demas.* hinc colligit Theodoretus, ſecundam ad Timotheum epiſtolam, fuiſſe vltimam ex ſcriptis ab Apoſtolo. In hac enim ſupponit, quòd Demas eſſet apud ipſum. In illa vero ait, quòd Demas eum reliquerat, diligens hunc mundum.

Gr. Scho.

G *Et eam quæ Laodicenſium, vt vobis legatur.* Græce ita habetur, *& eam, quæ e Laodicea* &c. vbi Græca Scholia ſuſpicantur quandam a Laodicenſibus epiſtolam ſcriptam fuiſſe Paulo; idque, quoniam non dicit, quæ ad Laodicenſes; ſed quæ ex Laodicea ſcripta ſit, quam ſententiam ſecutus eſt etiam Theodoretus. Verum Theophylacto non probatur, quòd potuerint Laodicenſes proprijs litteris prodeſſe Coloſſenſibus. Atque ideo cenſet, hanc epiſtolam eſſe illam priorem ad Timotheum, quam Apoſtolus ſcripſit e Laodicea; ibi autem exemplar eius remanſiſſe: quæ quidem eiuſmodi doctrinam, atque inſtitutionem chriſtianiſmi contineret, quæ ab omni Epiſcopo in vnaquaque Eccleſia eſſet obſeruanda. Perperam autem Iacobus faber quandam epiſtolam; tanquam Pauli, Laodicenſibus ſcriptam admiſcet; quæ tamen nil habet Pauli, neque pectus Paulinum, præter voculas nonnullas ex alijs epiſtolis mendicatas.

Theodor.
Theoph.

ARGV-

ARGVMENTVM IN PRIOREM EPISTOLAM SANCTI PAVLI

ad Theſſalonicenſes.

CVM Philippis, Vrbi Macedoniæ, Paulus, & Silas (vt habetur in Act. Apoſtolorum) plagas, & carcerem eſsent perpeſſi ob Chriſti Euangelium, inde Theſſalonicam eiuſdem Macedoniæ metropolim profecti, & ibidem Euangelium annūciantes, multos ad Chriſti fidem conuerterunt, licet obſiſtentibus, & magnam turbam aduerſus Paulum excitantibus Iudæis aduerſarijs, qui ipſum etiam Beræam ad prædicandum profectum ſunt perſequuti, vbique ipſum infeſtantes, vt qui crucis Chriſti hoſtes eſſent acerrimi. Quapropter, cum Apoſtolus diſceſſum facere coactus eſſet a Theſſalonicenſibus, qui & ipſi, huiuſmodi tempeſtatis fluctibus agitati a ſuis contribulibus, Euangeliam ſuſceperant, veritus, ne circa fidem naufragarent, vel ob nimias tribulationes, quas paterentur, vel quòd Paulum eorum magiſtrum vndequaque perturbatum intelligerent; vel quòd aliqui pſeudo Apoſtoli ſalſis dogmatibus a veritate ipſos ſeducere conarentur: cum perſecutionibus ipſe impeditus, ad eos non poſſet accedere, vt ſummopere optaſſet, quo abundantius præſens eorum proſpiceret ſaluti, ad illos Timotheum dimiſit, qui, pro ipſo, hoc fungeretur officio, ac binas ipſis litteras cohortatorias, atque conſolatorias dedit. Siquidem in harum prima ad memoriam ipſis reuocat; Euangelium ſe illis prædicaſſe cum multa & ſui, & ipſorum tribulatione; ſimulque illis denunciaſſe, in hoc poſitos eſſe Chriſti fideles, vt perſecutiones patiantur: & idcirco ob eas, nequaquam fidem deſerendam; ſed viriliter conſeruādam, quam ſignis, & prodigijs, ac Spiritus ſancti donis colluſtratam ſuſcepiſſent. Cum vero circa dogma reſurrectionis, aliquorum pſeudo Apoſtolum opera, titubarent, hæſitantes, quo nam modo, & dormientium, & eorum qui viui inuenirentur in die iudicij, futura eſſet reſurrectio, mireque perturbarentur de die iudicij, quod inſtare a quibuſdam diſſeminabatur; Idcirco, ad eorum ſolamen, primo docet, ex certa Chriſti reſurrectione, quæ iam præceſſit, noſtram quoque certo futuram reſurrectionem: ac ſimul aperit ordinem, qui ſit futurus reſurrectionis, tam in viuis, quàm in dormientibus in Chriſto: qui primo ſunt excitandi a mortuis; ac mox cum illis, qui reſidui erunt, rapiendi in aera ſimul obuiam Chriſto; apud quē beati erunt in ſempiternum. Eoſdem etiam admonet, ne de momentis circa futurum iudicium ſint ſoliciti: ſed illud quidem omni ſtudio curent, vt ſe vigiles, & ſobrios præſtent, & conſeruent; ne dies Domini, & mortis eos imparatos, aut peccatis obnoxios apprehendat. Hortatur etiam, vt ſuos præpoſitos omni colant obſeruantia; inquietos vero corripiant, & vt, orationibus numquam intermiſſis, ſe ſe Deo commendent.

Act. 16. & 17.

IN PRIO-

IN PRIOREM EPISTOLAM S. Pauli ad Theſſalonicenſes.

PARAPHRASIS. CAP. I.

PAVLVS, & Syluanus, & Timotheus eccleſię Theſſalonicenſium in Deo patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto cõſtitutæ: gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Gratias agimus Deo ſemper pro vobis omnibus, memoriá veſtri facientes in orationibus noſtris, ſine intermiſſione memores ante Deum, & Patrem noſtrum operis fidei veſtræ, &, laboris ex charitate ſuſcepti, & tolerantiæ in ſpe vobis collata a Chriſto Ieſu domino noſtro. Scientes (fratres dilecti) a Deo veſtram eſſe electionem, quia Euangelium noſtrum ooo fuit ad vos in ſermone ſolum, verum etiam in porentia ſignorũ, & in Spiritu ſancto, coius dona ſuſcepiſtis; & in plenitudine multa, ſicut ſitis, quales fuerimus apud vos. Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini io perſecutionibos ſuſtinendis, ſuſcipieotes verbum Euangelij, cum gaudio ſpiritus ſancti, quáuis multa oppreſſi afflictione; ita vt forma, & exemplar ſitis omnibus, qui fidem ſuſceperunt in Macedooia, & in Achaia. A vobis enim diffammatus eſt ſermo Domini, noo ſolũ in Macedonia, & Achaia; ſed & in omni loco diuulgata eſt fides veſtra, quam habetis ad Deum: ita ut non ſit nobis neceſſe quicquam de ijs loqui. Ipſi enim de vobis annonciant, qualem apud vos ingreſſum habuerimus; & quomodo vos, quibusue difficultatibus laceſſiti, ad Deũ conuerſi fueritis (recedentes ab Idolorum cultu) ſeruire Deo viuenti, & vero, & expectare aduẽtum filij ſui de cœlis; quem ſuſcitauit ex mortuis, Ieſum, qui eripuit nos ab ira, quę ventura eſt ſuper omnes rebelles, & incredulos.

Editio vulgata.

PAVLVS, *& Syluanus, & Timotheus, Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto, Gratia vobis, & pax. Gratias agimus Deo ſemper pro omnibus vobis: memoriam veſtri facientes in orationibus noſtris ſine intermiſſione, memores operis fidei veſtræ, & laboris, & charitatis, & ſuſtinentiæ ſpei Domini noſtri Ieſu Chriſti, ante Deum & Patrem noſtrum: ſcientes fratres dilecti a Deo, electionem veſtram: Quia Euangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantum, ſed & in virtute, & in Spiritu ſancto, & in plenitudine multa, ſicut ſcitis quales fuerimus in vobis propter vos. Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini: excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritusſancti: ita vt facti ſitis forma omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia. A vobis enim diffamatus eſt ſermo Domini: non ſolum in Macedonia & in Achaia, ſed in omni loco, fides veſtra quæ eſt ad Deũ, profecta eſt, ita vt non ſit nobis neceſſe quicquam loqui. Ipſi enim de uobis annunciant qualem introitum habuerimus ad vos, & quomodo conuerſi eſtis ad Deũ a ſimulacris, ſeruire Deo viuo & vero, & expectare Filium eius, de cœlis (quem ſuſcitauit ex mortuis) Ieſum, qui eripuit nos ab ira ventura.*

ADNOTATIONES.

ET *Syluanus*. Hic cenſetur eſſe Silas, A
de quo io Actis cap. 17. quod legeo- Act. 17.
dum eſt ad notitiam maiorem eorũ, quæ hic ſuppoountur ab Apoſtolo.

B *Eccleſiæ Theſſalonicenſiũ in Deo Patre, & domino Ieſu Chriſto.* Hæc adiecta ſunt ad differentiam Synagogæ Iudæorum, & conuentus Gentilium.

C *Operis fidei veſtræ.* Opus fidei intelligit Apoſtolus, quæ paſſi fuerant Theſſalonicenſes pro fide. Aut, operoſa, nõ ocioſa fides ſignificatur. Aut conſtantia, quam exhibuerunt in fide ſeruanda, vt exponit Theodoretus. Theodor.

D *Et laboris, & charitatis*; id eſt, ſuſcepti laboris ex charitate, poſt fidem receptam.

E *Et ſuſtinentiæ ſpei*. Ideſt conſtantię, io ſpe retinenda de futura per Chriſtum beatitudine: vnde Theſſalonicenſes commẽdantur, qui tribus ijs virtutibus theologicis excellerent.

F *Deum & Patrem noſtrum*. Memores (inquit Apoſtolus) ſumus de ijs omnibus veſtris virtutibus coram Deo, & Patre noſtro, a quo expectanda noſtra eſt ſalus; non coram homioibus, ad quos tamen poſſent etiam hæc eadem commemorati.

G *Scientes fratres dilecti a Deo electionem veſtrã.* Quòd eſſet a Deo electio Theſſalonicenſium, affert Apoſtolus in teſtimoninm hæc ſigna. Quòd apud eos Euangelium fuit, nõ ſolum verbo, verum etiam cum potentia, & miraculis, & cum ſancti Spiritus communicatione, & in pleoitudine multa, quod græce dicitur, πληροφορία: id eſt, cum certiſſima perſuaſione, quæ vndequaque ſit habita in ſuſcipienda ab ipſis fide. Ad hæc, ſignum electionis eorum, quòd ſit a Deo, iſtud quoque eſſe, quòd exceperint verbum Dei cũ multa contradictione eis facta, ad exemplũ Apoſtolorum, & Ieſu Chriſti; omniaq; aduerſantia ſuſtinuerint cum gaudio Spiritus ſancti; id eſt, cũ ſancto gaudio, nam pati tribulationes pro
Chriſti nomine, non datur niſi electis; cum hoc ſit Philip. 1.
donum Dei, ut dictum eſt in epiſt. ad Philippenſes.

N *Deo viuo, & vero*. Hinc ait Theodoretus exponi, quomodo ſit intelligẽdum illud Euãgelicum; *vt cognoſcant te ſolum verum Deum*, non excludendo filium, ſed ad differentiam falſorum Deorum. (Ioan. 17.)

PARAPHRASIS. Cap. II.

NAM & ipſi ſcitis fratres, introitum noſtrum ad vos, quòd non inanis, & ſine fructu fuit. Sed, quamuis antea multa mala perpeſſi, ac contumelijs affecti eſſemus in Philippis, vt ſcitis; nihilominus tamen fiduciam habuimus in Deo noſtro, loqui vobis cum libertate Euangelium Dei, vel in multa ſolicitudine conſtituti. Ita nimirum; quoniam exhortatio, & doctrina noſtra, non ex ſtudio fallendi, aut ex immunditia proceſſit, neque in dolo fuit; ſed, ſicut probati ſumus a Deo, vt crederetur nobis Euangelium; ita illud loquimur; non tanquam hominibus placentes; ſed Deo, qui probat corda noſtra. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, vt ſcitis; neque in occaſione auaritiæ, Deus eſt teſtis: neque quærentes gloriam ab hominibus, neque a vobis, neque ab alijs; cum poſſemus iure noſtro, vt Apoſtoli Chriſti, degere apud vos cum auctoritate, & onere impenſarum. Sed facti ſumus paruuli inter vos, vt nutrix fouet filios ſuos; ita propenſi animo erga vos, cupide volebamus tradere vobis non ſolum Euangelium Dei, verum etiam animas noſtras, quia cariſſimi nobis facti eſtis. Memores enim eſtis, fratres, laboris noſtri in prædicando, atque fatigationis; qualiter die ac nocte operantes proprijs manibus, nobis victum quæritantes, ne vlli veſtrum oneri eſſemus, prædicauimus apud vos Dei euangelium; vos teſtes eſtis, & Deus, quàm ſancte, quàm iuſte, & quàm ſine querela, vobis, qui credidiſtis, affuimus; qualiter vnumquemque veſtrum vt ſcitis (tanquam frater filios ſuos) obſecrãtes fuerimus vos, & conſolantes, atque obteſtantes, vt ambularetis digne Deo, qui vocauit vos in ſuum regnum, & gloriam. Ideo, & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione: quoniam, cum accepiſſetis a nobis verbum auditus Dei, quod eſt verbum fidei; illud quidem excipiſtis, non vt verbum ab hominibus emanans; ſed vti vere eſt, verbum Dei: quod etiam in vobis credentibus operatur, ſuam oſtendens virtutem. Vos enim imitatores facti eſtis fratres, eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa in Chriſto Ieſu, quia eadem paſsi eſtis & vos a contribulibus veſtris, qualia & illi a Iudæis: qui & Dominum occiderunt Ieſum, & prophetas, & nos perſecuti ſunt; viri Deo minime placentes, omnibuſque hominibus aduerſantes, ac prohibentes nos Gentibus loqui Euangelium, vt ſalui fiant: vt impleant hac ratione peccata ſemper, neque deficiant, donec impleantur menſuræ patrum ſuorum. Peruenit enim ſuper illos ira Dei vſque in finem, vt ſit aduerſus ipſos conſummanda. Nos autem, fratres, vobis orbati ad tempus horæ aſpectu, non autem corde, abundantius feſtinauimus faciem veſtram videre cum multo deſiderio, Propterea voluimus ad vos venire, ego quidem Paulus, & ſemel, & iterum, ſed nos impediuit Satanas. Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriationis noſtræ? nonne vos ante Dominum noſtrum in aduentu eius, cum mundum iudicabit? vos enim eſtis gloria noſtra, & gaudium.

Editio vulgata.

NAM ipſi ſcitis fratres, introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit: ſed ante paſſi, & contumelijs affecti (ſicut ſcitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo noſtro, loqui ad vos Euangelium Dei in multa ſolicitudine. Exhortatio enim noſtra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo; ſed ſicut probati ſumus a Deo, vt crederetur nobis Euãgelium, ita loquimur: non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis, neque in occaſione auaritiæ: Deus teſtis eſt: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab alijs. Cum poſſemus vobis oneri eſſe, vt Chriſti Apoſtoli: ſed facti ſumus paruuli in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos. Ita deſiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non ſolum Euangelium Dei, ſed etiam animas noſtras, quoniam cariſſimi nobis facti eſtis. Memores enim eſtis fratres laboris noſtri, & fatigationis, & nocte, & die operantes, ne quem veſtrũ grauaremus, prædicauimus in vobis Euangelium Dei. Vos teſtes eſtis, & Deus, quàm ſancte, & iuſte, & ſine querela, vobis, qui credidiſtis, affuimus: ſicut ſcitis, qualiter vnumquenque veſtrum (ſicut pater filios ſuos) deprecantes vos, & conſolantes, teſtificati ſumus, vt ambularetis digne Deo, qui vocauit vos in ſuum regnũ & gloriam. Ideo & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione: quoniam cum accepiſſetis a nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non vt verbum hominum, ſed ſicut eſt vere verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis. vos enim imitatores facti eſtis fratres eccleſiarum Dei quæ ſunt in Iudæa, in Chriſto Ieſu: quia eadem paſſi eſtis, & vos a contribulibus veſtris, ſicut, & ipſi a Iudæis, qui & Dominum occiderunt Ieſum, & prophetas, & nos perſecuti ſunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduerſantur, prohibentes nos Gentibus loqui vt ſalue fiant, vt impleant peccata ſua ſemper, peruenit enim ira Dei ſuper illos vſque in finem. Nos autem fratres deſolati a vobis ad tempus horæ, aſpectu, non corde: abundantius feſtinauimus faciem veſtram videre cum multo deſiderio, quoniam voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus, & ſemel & iterum: ſed impediuit nos Satanas. Quæ eſt enim noſtra ſpes aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſtis in aduentu eius? vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.

ADNOTATIONES.

A EXHORTATIO *enim noſtra nõ de errore*. Aperit Apoſtolus, quare ita libere prædicaret, non timens perſecutiones, ſed in Deo fiduciã habens; nempe, quoniam prædicationem ſuam faceret ſemotam ab omni errore, & immũditia (qualis cernitur in fabulis poetarum) & alienam ab omni dolo, & ab auaritia.

B *Sed ſicut probati ſumus a Deo, vt crederetur nobis Euangelium*. Chryſoſt. hom. 2. Chryſoſtomus hunc locum interpretans, inquit. *Deus illum nouit fore liberum ab omni re temporali*: vnde apparet, Apoſtolum approbatum fuiſſe a Deo, miniſtrum aptum. Quod etiam 1. Timot. 1. habetur in priori epiſto. ad Timoth. dum dicitur, *Gratias ago ei, qui me confortauit in Chriſto Ieſu domino noſtro: quia fidelem me exiſtimauit ponens in miniſterio*; quod quidem probationis opus pendet a Deo gratiam ſubminiſtrante, & ab homine illam acceptante; ita quidem vt Deus conferat ſuum mi- Theodo. niſterium digne illud adminiſtraturis. Theodoretus autem inquit, *ſicut probati ſumus, pro eo, quod eſt, quoniam ei viſum eſt; & probauit, vt nobis crederetur*.

C *Cum poſſemus vobis oneri eſſe*. Pro hac voce, *oneri*, græce habetur, ἐν βάρει, qua dictione tũ grauitas ſignificatur, quam homo præſeferat in dignitate conſtitutus; tum grauare; quo in ſignificatu vtitur Apoſtolus in ſequenti epiſtola, dum dicit: *neque gratis panem manducauimus ab aliquo, ſed in labore, & in fatigatione nocte, & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus*. Hoc autem loco aggrauatio, ad duo dicta pertinere videtur; tũ ad hoc, quòd Apo- 2. Theſſ. 3. ſtolus non grauaret Theſſalonicenſes, quidpiam ab ipſis ſumendo pro ſuis ſumptibus; tũ etiam, quòd non ſeuere, ſed mãſuete gradum auctoritatis Apoſtolicæ ſibi collatæ exercens, apud eos eſſet conuerſatus: quæ dicta reſpondent ijs, quæ antea dixerat, quòd non fuit apud eos cum occaſione auaritię, neque quærens gloriam.

D *Sed facti ſumus ſicut paruuli, in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos*. Notandum loco huius dictionis, *paruuli*, legi in quibuſdam græcis exemplaribus ἤπιοι, id eſt, manſueti, in alijs vero νήπιοι, id eſt, paruuli. Quam lectionem ſequuntur Oecumenius, & Theophylactus, & Chryſoſtomus: qui ita explicat: *fuimus benigni, & ſine faſtu, & ſine grauitate auctoritatis*. quod paret, cum dicat Apoſtolus, quòd ſe accommodauit illis, vt ſolet nutrix ad filios, quos adlactat; quæ eadem agit, quæ illi agunt, ac ſi ipſa eſſet paruula, & infans; idque, vt eos Chryſoſt. hom. 2. Theoph. Occum. ſibi conciliet, & obſequentes reddat. Vnde tãquam paruulus, & ipſe conuerſatus eſt inter Theſſalonicenſes abſq; grauitate, ac ſi ſine gradu Apoſtolatus extitiſſet: dum operaretur eandem artem ſcenofactoriam vna cum illis, tanquam vnus de eorum numero.

E *Quàm ſancte, & iuſte, & ſine querela*. Horum Primum erga Deum, Secundum ad proximũ: Tertium vero ad propriæ vitæ inſtitutionem pertinet; Quæ ſententia propemodum eadẽ habetur in epiſtola ad Titum, vbi dicitur: *vt ſobrie, & iuſte, & pie viuamus*. Tit. 2.

F *Verbum auditus Dei*. Id eſt, a Deo emanans per reuelationem; vt hinc excludantur humanæ ſcientiæ. Appellat autem, *verbum auditus*, tũ, quia auditum eſt a Deo in ijs, quibus eſt reuelatum: tum, quoniam prædicatur, vt audiatur, & auditum, credatur.

G *Qui operatur in vobis, qui credidiſtis*. Nam ad eos, qui non credunt, non fiunt miracula. Vnde in Euangelio legitur, quòd Chriſtus non poterat face- Marc. 6. re miracula apud quoſdam propter illorum incredulitatem. Super eos autem, qui fidem ſuſcipiebãt, initio naſcentis eccleſiæ, mira ſigna contingebant; in primiſque communicatio ſpiritus ſancti ſub ſignis viſibilibus; quod Deus præſtabat, ad confirmandos illos in ſuſcepta fide.

H *Qui & Dominum occiderunt Ieſum, & Prophetas*. Græci legunt, *& proprios prophetas*; vt hinc denotetur, quòd occiderunt prophetas, qui ad Iudæos tantum miſſi fuerant. Chriſtus autem pro omnibus venit. Et hinc (inquiunt) cognoſci malum animum Iudæorum: quoniam, quos norant prophetas (& ſi non norant Chriſtum) illos tamen occiderunt.

I *Vt impleant peccata ſua ſemper*. Vti peruerſi, inhiantes ſemper ad peccandum; ac ſi in hoc conſpiraſſent eorum animi, tanquam debitores eſſent ad peccandum, vt dicunt Græca ſcholia. Iuxta illud apud Matth. *implete menſuram patrum veſtrorum*, vt Græ. ſchol. ſuper ipſos cadat omnis ſanguis iuſtus ab Abel, Matth. 23. &cætera.

Peruenit enim ira Dei ſuper illos vſque in finem. Adeo quòd non eſt reuerſio ab hac ira Dei, vt erat ex captiuitate, vt adnotauit Chryſoſtomus. Aut di- Chryſoſt. cendum per hoc, *vſque in finem*, innui illud, quod hom. 3. habetur in epiſt. ad Rom. quod in conſummatione Rom. 11. ſeculi, poſtquam Gentes introierint, tũc deinde reliquiæ Iſrael ſaluæ fient. Dici etiam poteſt, quòd ira Dei cõſecuta eſt finem aduerſus Iudęos, quum fuit deſtructa Ieruſalem.

L *Sed impediuit Satanas*. In epiſt. ad Roma. dicit, Rom. 1. *prohibitus ſum vſque adhuc*. In poſteriori autem ad Corint. *ſpiritus iuſſio fuit ne venirem*. Hic vero dicit, 2. Cor. 12. quòd Satanas impediuit, nempe moliens tentationes, & perſecutiones, excitando Iudæos ad oppugnandam fidem; quod opus totum eſt Satanæ. Hæc tamen non ſine Dei permiſſione eueniunt, qui libere agi permittit mala, ſecundum eius iuſtitiam, & prouidentiam.

M *Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Non ne vos?* In gręcis exemplaribus legitur, *non ne & vos?* ita vt non excludantur alij, vt puta Corinthij, aut Philippenſes, quos, ſuam etiam gloriationem, Apoſtolus conſueuit nuncupare.

PARAPHRASIS. Cap. III.

PROPTER quod, non ſuſtinentes amplius hoc noſtrum deſiderium viſendi vos, elegimus, vel ſoli Athenis remanere, & miſimus Timotheum fratrem noſtrum, & miniſtrum Dei in Euangelio Chriſti, ad confirmandos, atque confortandos vos pro fide veſtra, vt nemo ab ipſa moueatur ob tribulationes iſtas, quę circa nos ſunt. Vos enim ipſi ſcitis, quòd in hoc poſiti ſumus: & cum apud vos eſſemus, prædicebamus vobis, paſſuros nos tribulationes, ſicut & factum eſt, & ſcitis. Propterea, & ego non amplius ſuſtinens, miſi illum ad cognoſcendam veſtram fidem, ne forte tentauerit vos, qui tentat, diabolus; & inanis reddatur labor noſter pro vobis ſuſceptus. Nunc autem, veniente Timotheo ad nos a vobis, & annunciante nobis fidem, & charitatem veſtram, & quòd memoriam noſtri bonam habetis, ſemper deſiderantes nos videre, ſicut, & nos quoqoe vos: ideo conſolati ſumus fratres in vobis, ſuper omni tribulatione, & neceſſitate noſtra, ob fidem veſtram; quoniam nunc viuimus, ſi vos ſtatis in Domino. Quam enim gratiarũ actionem poſſumus Deo retribuere pro vobis, de illo omni gaudio, quo gaudemus propter vos corã Domino noſtro? die, ac nocte ſemper ſupra modũ orantes, vt videamus faciem veſtram, & compleamus ea, quę deſunt fidei veſtrę. Ipſe autem Deus, & pater noſter, & dominus noſter Ieſus Chriſtus dirigat viam noſtram ad vos. Dominus autem multiplicet vos, & abundare faciat charitatem veſtram in inuicem, & in omnes; vt ſit eadem in vobis, qua & nos erga vos propenſi ſumus, ad confirmanda corda ueſtra, ſine querela, in ſanctitate, ante Deum, & Patrem noſtrum, in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti, vna cum omnibus ſanctis eius Amen.

Editio vulgata.

PROPTER *quod non ſuſtinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, ſoli, & miſimus Timotheum fratrem noſtrum, & miniſtrum Dei in Euangelio Chriſti, ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide veſtra: vt nemo moueatur in tribulationibus iſtis, ipſi enim ſcitis, quòd in hoc poſiti ſumus. Nam & cum apud vos eſſemus, predicabamus vobis paſſuros nos tribulationes, ſicut & factum eſt, & ſcitis. Propterea & ego amplius non ſuſtinens, miſi ad cognoſcendam fidẽ veſtram: ne forte tentauerit vos is, qui tentat, & inanis fiat labor noſter. Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, & annunciante nobis fidem, & charitatem veſtrã, & quia memoriam noſtri habetis bonam, ſemper deſiderantes nos videre ſicut nos quoque vos: ideo conſolati ſumus fratres, in vobis, in omni neceſſitate, & tribulatione noſtra, per fidem veſtram: quoniam nunc viuimus ſi vos ſtatis in domino. Quam enim gratiarum actionem poſſumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio quo gaudemus propter vos ante Deum noſtrum, nocte ac die abundantius orantes vt videamus faciem veſtram, vt compleamus ea quæ deſunt fidei veſtræ? Ipſe autem Deus, & pater noſter, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus dirigat viam noſtram ad vos. Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem in inuicem, & in omnes, quemadmodum, & nos in vobis, & ad confirmanda corda veſtra ſine querela, in ſanctitate, ante Deum, & Patrem noſtrum in aduentu Domini Noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus ſanctis eius. Amen.*

ADNOTATIONES.

A Theoph. NISI *ad cognoſcendam fidem veſtrã.* Multa latebant ſanctos, vt adnotauit Theophylactus, tum vt faſtum illis Deus prohiberet; tum ne exiſtimarentur eſſe ſupra humanam naturam.

B *Ne forte tentauerit vos.* Tentare, eſt experimentum ſumere, ita tamen, vt ſæpe aliquid fiat in alió, vt promoueatur ad quidpiam ſaciendum. Ita tentat nos diabolus, vt ſeducat nos, ſuggerendo ea, quibus delinquamus. Tẽtat aliquis puellam muneribus, vt eam trahat ad ſua praua deſideria. Tentat etiam nos Deus circa aliqua, vt exerceamur in fide, prout notum eſt de Abraham. Geneſ. 22. Nos quoque dicimur tentare Deum; quando aliquid, aut volumus, aut molimur agere, ex quo deinde probemus offenſam Deo intuliſſe, ob ea, quæ conſequenter ab eius iuſtitia patimur.

C *Et compleamus ea, quæ deſunt fidei veſtræ.* Ita dictum eſt; vel, quoniã primo tradebatur fides ſimpliciter de Chriſto mediatore, confirmata tum alijs ſignis, tum miſſione ſpiritus ſancti. Deinde paulatim addebantur alia dogmata, a lactis ſubminiſtratione, ad ſolidum cibum progrediendo, qui conuenit perfectis, & ſapientiam continet magnorũ myſteriorũ, vt dicitur in priori epiſtola ad Corinthios. 1. Cor. 2. Aut ita dictum; propterea quòd in dies inſtitutiones exactiores de vita chriſtiana tradebantur, quibus fideles ad perfectionem ducerentur; exiſtente tamen ſemper fide totius ædificij fundamento, quã quiſpiam habere poteſt penes dogmata, abſque vitę chriſtianæ perfectione; cum, qui iuſtus eſt, in dies magis iuſtificari poſſit. Theoph. Theophylactus autem primo inquit, defectum fuiſſe apud Theſſalonicenſes circa reſurrectionem. Deinde aliter explicans, ait; quòd potius deerant illis, quæ ad doctrinam, quàm quæ ad fidem attinerent; *per doctrinam*, intelligens vitæ perfectæ inſtitutionem.

PARAPHRASIS. Cap. IIII.

DE cętero ergo fratres, rogamus vos, & obſecramus in Domino Ieſu, vt, quemadmodum accepiſtis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, ita ambuletis, & in dies magis in hoc abundetis; ſcitis enim quæ præcepta dederim vobis per dominum Ieſum. Hæc eſt enim Dei voluntas, ſanctificatio veſtra: vt abſtineatis, a fornicatione;

tione;& ſciat vnuſquiſque veſtrum, vas ſuum, proprium corpus, poſſidere in ſanctificatione, & honore, & non in paſſione cõcupiſcentiæ; vt ſolent Gentes, quę ignorant Deum. Et ne quis ſupergrediatur, neque circumueniat in negocio fratrem ſuum; quoniam vindex eſt Dominus de ijs omnibus, ſicuti prędiximus vobis, & teſtati ſumus. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem. Itaque, qui hæc ſpernit, nõ hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit ſpiritum ſuum ſanctum in nobis, vt eſſemus ſancti. De charitate autem fraternitatis non indigetis, vt ſcribamus vobis, ipſi enim edocti eſtis a Deo, vt diligatis vos inuicẽ: etenim & id facitis erga omnes fratres, qui ſunt in Macedonia. Verumtamen rogamus vos, fratres, vt in hoc munere charitatis magis etiam abundetis; operamque detis, vt quieti ſitis, nõ has, vel illas domos peragrantes, & vt res veſtras proprias agatis, ac proprijs manibus operemini, ſicuti vobis præcepimus; vt ita, proſpicientes veſtris neceſſitatibus, honeſte, & abſque dedecore ambuletis ad eos, qui foris ſunt extra cœtum fidelium, & nullius rei opus habeatis. Nolo autem vos, fratres, ignorare de dormiẽtibus, quonam modo ad vitã immortalem ſint deducendi, ne contriſtemini ex ipſorum orbatione, vt ſolent illi, qui ſpem non habent futurę reſurrectionis. Si enim credimus, quòd Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit; ita & Deus, haud dubitandum eſt, quòd eos, qui dormierunt per Ieſum, adducet cum eo. Hoc enim dicimus vobis in verbo Domini: ꝙ nos viuentes, qui ſuperſtites erimus in vita in aduentu domini (in aſcenſu ad gloriam) facti iam immortales, non præueniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipſe Dominus, in iuſſu, in voce Archãgeli, & in tuba Dei deſcendet de cęlo. Et primo, qui mortui erunt in Chriſto, reſurgent: deinde nos viuentes, qui relinquimur viui tunc temporis, ſimul cum mortuis iam ad uitam reuocatis, rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aera, atque ita ſemper cum domino erimus. Itaque conſolamini inuicem in verbis iſtis.

Editio vulgata.

De cætero ergo fratres, rogamus vos, & obſecramus in Domino Ieſu, vt quemadmodũ accepiſtis a nobis quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, ſicut & ambulatis, vt abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Ieſum. Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: vt abſtineatis vos a fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore: non in paſſione deſiderij, ſicut, & Gentes quę ignorant Deum, & ne quis ſupergrediatur, neque circumueniat in negocio fratrem ſuum: quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus vobis, & teſtificati ſumus. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam: ſed in ſanctificationem. Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis. De charitate autem fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere vobis: ipſi enim vos a Deo didiciſtis, vt diligatis inuicem. Etenim illud facitis in omnes fratres in vniuerſa Macedonia. Rogamus autem vos fratres, vt abundetis magis: & operam detis, vt quieti ſitis, & vt veſtrum negocium agatis, & operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis: & vt honeſte ambuletis ad eos, qui foris ſunt: & nullius aliquid deſideretis. Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut, & cæteri, qui ſpem non habent. Si enim credimus quòd Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita, & Deus eos, qui dormierunt per Ieſum, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentu Domini, non præueniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce archangeli, & in tuba Dei, deſcendet de cęlo: et mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aera; & ſic ſemper cum Domino erimus. Itaque conſolamini inuicem in verbis iſtis.

ADNOTATIONES.

QVAE *præcepta dederim vobis per Dominum Ieſum*. Id eſt, iuxta ordinationem atque voluntatem Chriſti: quæ quidem præcepta (vt inquit Theophylactus) ſunt eiuſmodi, vt ſi non obſeruentur, pœnas inferant: ſicuti nõ fornicari. Nõ erit autem præceptum, vt pecunia negligatur, vt quiſpiam permaneat in cęlibatu: hęc enim, & alia ſimilia ex conſilio, non ex præcepto ſunt proponenda. A Theoph.

B *Vas ſuum poſſidere*. Nonnulli (vt aiunt Græca ſcholia) ad vxorem id referebant. Sed aptior expoſitio eſt intelligere de proprio corpore: iuxta illud ad Rom. *ita nunc exhibete corpora veſtra ſeruire iuſtitiæ, in ſanctificationem, &c.* Græ. ſchol. Rom. 6.

C *ne quis ſupergrediatur, neque circumueniat in negocio fratrem*. Vt dicunt Græca ſcholia, Deus vnicuique diſtribuit vxorem, atque terminum poſuit, vt puta commiſtionem ad eam vnicam: miſtio igitur ad aliam, tranſgreſſio quædam eſt, & fraudolentia: & ita referunt hæc ad adulterium, Chryſoſtomus, & Theodoretus, & Theophylactus: qui alium etiam induxit commentarium, inquiens: *vel ſimpliciter circumueniri fratrem, & falli hos prohibet*. Vtique verbum, πλεονεκτεῖν, proprie ad auaritiam refertur, & ad exceſſum æqualitatis. Vnde interpretari poſſumus; cauendum eſſe, tum ne ſuppeditetur proximus in aliquo; tum ne dolo fraudetur in negocio. Græ. ſchol. Chryſoſto. hom. 5. Theodor. Theoph.

D *Vt non contriſtemini, ſicuti & cæteri, qui ſpem non habent*. Auguſtinus in ſerm. de verbis Apoſtoli inquit, *quòd mortem horret non opinio, ſed natura*, & quòd non indecens eſt cõtriſtari, *quòd corpus, quod viuit ex anima, ipſa diſcedente, fit exanime; atque ideo, cum mors, quam natura fugit, occupat dilectum, contriſtat in nobis, ipſius dilectionis affectum*. Verumtamen non opprimendi ſumus ex hac mæſtitia, cum ſpes ſit futuræ reſurrectionis. Theſſalonicenſes autem habebant ſpẽ reſurrectionis: at modum ignorabant, quo viui, & mortui eſſent reſurrecturi; vt Auguſt. de ver. Apoſt. ſer. 34.

plane

plane nõ eſſent inſtructi de hoc myſterio, quomodo ſcilicet reducendi eſſent ad vitam dormientes, vna cum viuis, qui aderunt in aduentu Domini. Conſolatur igitur Apoſtolus eos, qui affligerentur ob deceſſum parentum, vel in ſe ipſis cogitantes, quomodo reſurgerent. Verum hoc loco non explicat Apoſtolus modum reſurgendi, eã ſublimem, & doctam ſpeculationem afferens, quam habuit in priori epiſtola ad Corinthios. De qua reſurrectio- [1. Cor. 15. 2. Timot. 2.] ne agitur quoque in poſteriori epiſtola ad Timot. vbi impugnatur hæreſis eorum, qui dicerent iam factam eſſe reſurrectionem. In hac autem epiſtola id molitur probare; quòd ſi credimus, quòd Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, credere etiam debemus, quòd Deus excitabit eos, qui dormierunt per Ieſum, adducens eos cum Ieſu. Vbi intelligendum hoc dictum, *qui dormierunt per Ieſum*, aut quòd adducet eos, qui in fide Ieſu dormierũt: aut quòd, qui dormierũt, per Ieſum ductorem ad reſurrectionem perducentur. Vtramque enim interpretationem, [Theoph. Græ. ſcho.] & verba Apoſtoli admittunt, & ſecutus eſt Theophylactus, & Græca ſcholia. Appellat autem dormientes, eos, qui obierunt in Chriſti fide, vt ita mortis tædium tolleret.

E *Nos qui viuimus*. Non ſupponit Apoſtolus, quòd ipſe, & alij, qui ſecum erant, vel quòd Theſſalonicenſes illi, ad quos ſcribebat, eſſent futuri viui in die Domini; ſed de ijs intelligit, qui omnino tũc viui erunt, ſint quicunque. Et cum ſubiungit; *qui reſidui ſumus*, manifeſtius denotat eos, qui in die illa viui reperientur: hi igitur (inquit) non præuenient dormientes in gloria reſurrectionis.

F *Mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi*. Quidam interpretantur illud, *primi*, id eſt, præcellentes in dignitate reſurgent. At græca exemplaria legunt, πρῶτον, id eſt primo; cui reſpondet hæc alia particula; *deinde nos, qui viuimus*, &c. vnde communis erit ad cęlum aſcenſus beatorum; tũ eorum, qui e mortuis, cum prius eſſent dormientes, excitabũtur; tum eorum, qui tunc in terra reſidui erunt viui. Num autem, qui viui erunt, prius moriantur, & quomodo immutentur, & qualia corpora reſurgentiũ ſint futura, quæ in epiſtola ad Corinthios docuit, hoc loco Apoſtolus reticet, quaſi ſat ſibi fuerit, reddere Theſſalonicenſes de hoc certos, quòd qui moriuntur, & ipſi reſurgent; licet corpora multorum in cineres diſperſas euanuerint; id enim magis poterat eſſe dubium; quàm quod viui habentes corpora integra, in quibus viuerent, ad reſurrectionem ducerentur immortalitatis. Omnes autem nos mortem ſubituros, multa teſtantur: tum illud: *ſtatutum eſt ho-* [Hebr. 9. Gen. 3.] *minibus ſemel mori*; tum illud, *puluis es, & in puluerem reuerteris*; tum illa, quę habentur in priori epiſt. [1. Cor. 15.] ad Corinthios, veluti, *quod ſeminas, non viuificatur, niſi prius moriatur*: item, *omnes quidem reſurgemus*. Ex quo videtur inferẽdum, ergo omnes morte opprimemur; ſiquidem proprie non dicuntur reſurgere, niſi qui moriuntur. Hinc agitans hanc quæſtionem Auguſtinus in li. 20. de Ciuit. Dei, tandem, [Aug. li. 20. de ciui. Dei cap. 10.] etiam quòd videretur difficile, ꝙ in uno actu ſimul moriantur, qui viui inuenientur, & reuiuiſcant; eam ita diſſoluit, inquiens, *quòd in viuis tunc agentes morientur; ſed non dormient; ſicuti, qui morte præceſſerint aduentum domini; quia illico excitabuntur tunc viui, cum morientur*. Forte autem exiſtimari poſſet (quando mundus is per ignis conflagrationem eſt deſiturus, vt dicitur in priori epiſto. ad Corinth. *quòd* [1 Cor. 3.] *dies Domini reuelabitur per ignem*) quòd in illo actu conflagrationis, qui viui erunt, morientur ſuffocati, ſed & illico viuificabuntur, vt hoc poſſit aſſignari diſcrimen inter dormientes, & vitam tunc agentes, quòd dormientium corpora diſſoluta vnientur; ac poſtea mutabuntur. Viuentium autem corpora ſolum immutabuntur, in quibus tamen etiam verum erit illud pronũciatum a Deo, terra es, & in terram reuerteris, id eſt (vt interpretatur Auguſtinus loco citato) quoniam terra erat, antequàm Deus inſufflaret, terra exanimata, poſtea facta fuit animata. Nã in ipſis quoque tunc viuentibus, cum mortem ſint aliquantiſper paſſuri, corpora exanimata fient, & ita in terram reuertentur. Et ſecundum hanc interpretationem, Chriſtus erit iudex mortuorum, iam dormientium, & viuorum, qui etiam mortem deguſtabunt. Nulla autem hic fit mentio de reſurrectione damnatorum tribus de cauſis, quas animaduertit Oecumenius. Primo: quoniam conſolaturus [Oecum.] cum eſſet Theſſalonicenſes, qui contriſtabantur ob dormientes, non erat ad rem, quòd introduceret ſermonem de damnatis; magis enim exhorruiſſent. Secundo, quoniam fideles alloquebatur, qui immunes erunt a ſupplicio: ſed in perpetua lætitia manebunt apud Deum. Poſtremo: quoniam Apoſtolus exponit myſterium reſurrectionis; & propter quid facta ſit; nempe, ad ſalutem, & immortalitatem omnium hominum, & fruitionem æternorum bonorum: nam ſupplicium Diabolo, & angelis eius præparatum eſt. Quòd ſi quiſpiam ſuis nequitijs, pro paratis ſibi bonis, ea quæ ſunt præparata Diabolo ſibi eligit, id non fit iuxta dominicam benignitatem.

PARAPHRASIS. CAP. V.

DE temporibus autem, & momentis, fratres, quibus aduentus domini ſit futurus, non indigetis, vt ſcribamus vobis; ipſi enim plane ſcitis, vti ſæpius inſtructi de hoc, quòd dies Domini (dies vltionis, in quo non amplius dabitur facultas operandi) vt fur in nocte alienas domos aggrediens, ita veniet, ad homines in tenebris conſtitutos. Cum enim dixerint carnales homines; pax, & ſecuritas, reputantes in ipſa ſe quieſcere (quod etiam tempore diluuij euenit) tunc repentinus illis adueniet interitus, ſicuti dolor pariendi prægnanti occurrit: & non effugient ab ira ventura. Vos autem fratres, non eſtis in tenebris ignorantiæ, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat: omnes enim vos filij lucis eſtis, & filij Dei; non ſumus noctis, & tenebrarum filij. Igitur non dormiamus, ſomno peccatorum oppreſſi, ſicut & cæteri: ſed vigilemus, & ſobrij ſimus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, & qui inebriantur, nocte ebrij ſunt. Nos autem filij diei exiſtentes, ſo-

brij ſimus, rei noſtræ attenti, ac vigiles; induti loricam fidei, & charitatis; & galeam, ſpem ſalutis: quoniam non poſuit nos Deus in iram experiendã pro noſtris reatibus; ſed in acquiſitionem ſalutis, quam procuremus per Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum; qui pro nobis mortuus eſt: vt, ſiue vigilemus, hac vita vtentes, ſiue dormiamus, exuti hoc mortali corpore, ſimul cum ipſo viuamus. Propter quod hortamini vos inuicem, & ædificate alterutrũ, ſicut & facitis. Rogamus autem vos fratres, vt noueritis veſtra beneficentia eos, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino; & ſuis vos admonitionibus adiuuant; vt habeatis illos abundantius in charitate propter opus, quod vobis impendunt; pacem habete cum eis. Hortamur autem vos fratres, corripite inquietos; conſolamini puſillanimes, ſuſcipite, ac ſubleuate infirmos, patientes eſtote ad omnes; Videte ne quis malum pro malo alicui reddat, ſed ſemper quod bonum eſt, ſectamini erga vos inuicem, & erga omnes. Semper gaudete in Domino: ſine intermiſſione orate; in omnibus gratias agite: Hæc eſt enim voluntas Dei, vt per Chriſtum Ieſum interceſſorẽ, de omnibus gratias Deo agatis in veſtrum omnium beneficium. Spiritum nolite extinguere: prophetias nolite ſpernere: omnia probate, & quod bonum eſt, tenete: ab omni ſpecie prauitatis abſtinete vos. Deus autẽ ipſe pacis largitor, ſanctificet vos totos in omnibus, vt integer ſpiritus veſter Deo adhærens, & anima, & corpus (ex quibus conſtamus) ſine querela in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur. fidelis Deus, qui vos ad hoc vocauit, qui et efficiet. Fratres orate pro nobis. Salutate fratres omnes in oſculo ſancto: Adiuro vos per Dominum, vt legatur epiſtola hæc omnibus ſanctis fratribus. Gratia Domini Noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum.

Editio vulgata.

De temporibus autem, & momentis fratres, non indigetis, vt ſcribamus vobis. Ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint. Pax, & ſecuritas: tũc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habentis, & non effugient. Vos autem fratres, non eſtis in tenebris: vt vos dies illa tanquam fur comprehendat. omnes enim vos filij lucis eſtis, & filij diei: non ſumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus, ſicut & cæteri: ſed vigilemus, & ſobrij ſimus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt. Nos autem, qui diei ſumus, ſobrij ſimus, induti loricam fidei, & charitatis, & galeam ſpem ſalutis, quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis: vt ſiue vigilemus, ſiue dormiamus, ſimul cum illo viuamus. Propter quod conſolamini inuicem, & ædificate alterutrum, ſicut, & facitis. Rogamus autem vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & monent vos: vt habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum, pacem habete cum eis. Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: ſed ſemper quod bonum eſt, ſectamini inuicem, & in omnes. Semper gaudete. Sine intermiſſione orate. In omnibus gratias agite: hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Ieſu in omnibus vobis. Spiritum nolite extinguere. Prophetias nolite ſpernere. Omnia autem probate: quod bonum eſt, tenete. Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia: vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela, in aduentu Domini Noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur. Fidelis eſt, qui vocauit vos, qui etiam faciet. Fratres orate pro nobis. Salutate fratres omnes in oſculo ſancto. Adiuro vos per Dominum, vt legatur epiſtola hæc omnibus ſanctis fratribus: Gratia Domini Noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum. Amen.

ADNOTATIONES.

De temporibus autem, & momentis. Tempora denotant rem magis vniuerſalem dierum currentium: momenta vero magis particularem, vt per hac magis diſtincte ex circunſtantijs explicetur occaſio, in qua ſuccedant euentus. Vnde & in Act. Apoſt. dixit dominus, *non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta:* & apud Matt. 24. *De die autem illa & hora nemo ſcit*, diſtinguens ita tempus, a momento. A Act. 2. Matt. 24.

B *Dies Domini*. Id eſt dies vniuerſalis iudicij, qui dicitur dies Domini; quoniam non erit vltra dies huius ſeculi, in quo poſſint homines operari: ſed tempus ad iudicium erit deſtinatum, iuxta Dei voluntatem. Non tollitur autem, quin etiam dies Domini dici poſſit quiuis dies, in quo aliquis mortem obeat: vnde, morti ſingulorum hominum, tempora, & momenta optime accommodantur. Vel tẽpora, & momenta dicta ſunt, ad ſignificanda ea, quę diuerſis temporibus, & articulis dierum præcedent diem vniuerſalis iudicij: ſicuti ſigna, quæ erunt in ſole, & luna, & quæ euentura ſunt ante Chriſti aduentum.

C *Sicut fur in nocte*; Dominus dixit in Euangelio: quòd vt fulgur apparebit, hinc denotans velocitatem ſui aduentus in hanc aeris regionem: & quãuis ſit futurus cum claritate aduẽtus eius, attamen, cum huius claritatis incertus aduentus, & repentinus ſit ſuperuenturus, vt ſolet fur (in nocte latitans) aggredi domos: ideo Domini aduentus deprehendet malos, tanquam in nocte a fure deprehenſos. Non autem bonos (licet & ipſis quoque incertus ſit futurus dies Domini) propterea quòd non vt in nocte, & tanquam non conſiderantes, & non vigilantes, neque tanquam a fure deprehendentur, vt patiantur iacturam a Domino; cuius aduentum cum gaudio ſint expectaturi. Math. 24.

D *Sicut dolor in vtero habentis*. Græci legunt, *vt dolor habenti in vtero*; ac ſi diceret Apoſtolus: ita malis ſuperueniet repentinus interitus, ſicut dolor repentinus ſuperuenit prægnanti.

E *Et qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt*. Id ait, vel quoniam nocte fiant compotationes; vel quoniam vſus

rationis

rationis, propter ebrietatem, in tenebris collocetur.

F *Induti loricam fidei, & charitatis.* In episto. ad
Eph. 6. Eph. accommodatur lorica ipſi iuſtitiæ; hic autem fidei, & charitati. Vnde animaduertendum, per fidei, & charitatis loricam, innui iuſtitiam: quandoquidem per fidem & charitatem fiat homo iuſtus. Et cum ſubiungit Apoſtolus, *& galeam, ſpem ſalutis.* patefacit expetere ſe, vt Theſſalonicenſes, his tribus virtutibus theologicis ſint ornati, fide, ſpe, & charitate.

1. Timot. 2. G *Non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis.* Deus (qui vult omnes homines ſaluos fieri) ponit omnes in hoc mundo, vt ſalui fiant; & qui ſalutem non conſequuntur, id eorum fit culpa, qui Dei poſitionem, vt decet, non ſuſcipiunt.

H *Pacem habete cũ eis.* Græce, *εἰρηνεύετε ἐν αὐτοῖς*,
Græ. ſchol. Et adnotant Græca ſcholia, quòd aduerſus præceptores inimicitię exercerentur. Forte Apoſtolus voluit hoc, quòd quieſcerent in pręceptoribus, vt omnino ſe ſubmitterent eorum regimini.

Aug. lib. de hæreſ. 57. hęr. I *Sine intermiſſione orate.* Id fiet (vt notat Auguſtinus) ſi nullo die intermittantur certa tempora orandi; vel ſi aderit deſiderium ad ſalutem ſine intermiſſione.

K *Spiritum nolite extingere.* Deus dedit nobis facem, ſpiritum ſanctum, cum noctis loco ſit habenda hæc vita; cauendum igitur, ne extinguatur
Theoph. in nobis, vt fatuis contigit virginibus; vt ait Theophylactus. Aut, quoniam Theſſalonicenſes, ob pſeudo prophetas impedirent etiam bonos: hinc non vult extingui Spiritum Domini, qui veris ineſt prophetis.

L *Vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus*
Theodor. Theoph. Græ. ſchol. *ſine querela.* Theodoretus, & Theophylactus, & Gręca ſcholia, per *ſpiritum*, intelligunt Spiritum ſanctum: vel gratiam, quæ eſt ab ipſo. Cui tamen interpretationi refragatur, quòd non videtur conuenienter poſſe dici, vt *Spiritus ſanctus ſit integer, ſine querela*: quaſi poſſit eſſe cum querela: ſicut anima noſtra, & corpus. Gregorius autem Nyſſenus (vt refert Grę expoſ.
Theophylactus) hũc locum ſic explicabat: *cum homo* (inquit) *ſit admiſtus ex omni animarum ſpecie, ea, quæ plantis ineſt, ſenſibili, & intellectiua; per ſpiritum, Apoſtolus intellectum expreſſit, per animam, ſenſibilem; per corpus, illam, quæ ineſt plantis.* Auguſtinus Aug. lib 4. de ani. & eius orig. c. 16 & 22.
vero in lib. ad Victorem Vincentium hunc locum examinans, intelligit, per *ſpiritum*, mentem diſtinctam ab alijs partibus animæ; qui tamen vult, pluribus etiam modis alijs ſpiritum dici, pro vt in epiſt. ad Corinth. *orabo Spiritu, orabo, & mente.* Chriſti
etiam anima, per ſpiritum explicata eſt, dum dicitur 1. Cor. 14.
tradidit *Spiritum.* Sed & aer ſpiritus, & ita anima Ioan. 19.
etiam vitalis, vti pecudis, etiam ſpiritus; vt dicatur anima, ſpiritus, ab eo, quòd ſpiritalis eſt: non autem quòd animæ brutorum ſint incorporeę vt noſtræ, & Angeli. Animę vero nomen ab eo, quòd corpus animet, dicta eſt, auctore eodem Auguſtinò loco citato. Sed de hac voce, *ſpiritus*, copioſe actum eſt in ca. 2. prioris epiſto. ad Corint. Quod vero attinet ad verba Apoſtoli, videtur ſumi poſſe, per *ſpiritum*, ipſa mẽs, per *animam* vero, & *corpus*, totum reliquum hominis, vt ita totius hominis fiat reſurrectio; cum & ſpiritus in melius reformetur, & reliqua ad per-
fectionem ducantur. Hoc loco animaduertit Theo- Theoph.
phylactus, non expedire, vt homini hora mortis ſit nota, omnibus ijs de cauſis. Primo, ne expectaret vltimum temporis bene operandi. Secũdo, quoniam mortis metu multa peccata amputantur. Tertio, quoniam in continua mœſtitia homo verſaretur. Quarto, & vltimo, quoniam ſancti nil reuererẽtur, & ſic exponerent ſe periculis, quoniam ſcirent, ſe non morituros, ſed ab illis euaſuros.

ARGVMENTVM
IN POSTERIOREM
EPISTOLAM SANCTI PAVLI
ad Theſſalonicenſes.

HAEC Poſterior ad Theſſalonicenſes epiſtola, eadem mente, qua & prior, dictata eſt ab Apoſtolo, vt eos confirmaret, atque conſolaretur, ne ob afflictiones, quas illis pararent inimici crucis, animo frangerentur; ſed oculos ad futuram æternam vitam conuertentes, quæ parata eſt ijs, qui pro Chriſto affliguntur, omnia aduerſa ferrent æquo animo. Simul etiam eos magno timore perterritos a nonnullis, quòd inſtaret dies Domini, commonefacit, ne verbis eiuſmodi fidem adhibeant. De Antichriſti reuelatione, quæ præceſſura eſt aduentum Domini, quædam attingit; licet tecte, & ſubobſcure. Et hortatur eos, vt orationibus aſſiduis, vacent, & ocium defugiant, ſicut, & in priori epiſtola; hac coronide, huic aliæ poſteriori finem imponens.

IN POSTERIOREM EPISTOLAM
S. Pauli ad Theſſalonicenſes.

PARAPHRASIS. CAP. I.

PAVLVS, & Syluanus, & Timotheus, eccleſiæ Theſſalonicẽſium io Deo patre noſtro, & Domioo Ieſu Chriſto cooſtitutæ: gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis fratres, ſicut dignum eſt; quoniam ſupercreſcit fides veſtra, & abundat vniuſcuiuſque veſtrum omniom mutua erga vos charitas; ita vt & nos ipſi in vobis gloriemur in eccleſijs Dei, in omnibus perſecutionibus veſtris, & tribulationibus, quas ſuſtinetis, io exemplum, & manifeſtationem futuram iuſti iudicij Dei; vt digni habeamini, & iudicemini regno Dei; pro quo & patimini. Siquidem iuſtum eſt apud Deum, rependere ijs, qui vos tribulant, tribulationem; vobis autem, qui tribulamini, requiem nobiſcum voa, in die illa reuelationis Domini Ieſu Chriſti, cum apparebit, adueniens de cęlo vna cum Angelis ſuam potentiam exercentibus; vindictam ſumpturus in flamma ignis (quæ præcedet eius aduentum) de ijs, qui Deum, vt decebat, non nouerunt; & de ijs, qui oon obediunt Euãgelio Domini Noſtri Ieſu Chriſti. Qui quidem pœnas dabunt, patientes interitum æternum, in qoem tradentur a facie Domini (illos æterno ſupplicio dignos ioſto iudicio publicante) & a gloria roboris ſui hanc pœnam illis infligente: tunc ſcilicet, cũ venerit glorificari in omnibus ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus credentibus in eom. Siquidem teſtimonium noſtrum, qood creditum eſt nobis ſuper vos, ad illum diem Domini dirigitur pro conſequenda gloria. In quo etiam ſemper oramus pro vobis; vt Deus noſter dignos vos præſtet exitu illo vocationis, ad quam vocati eſtis, & omnem veſtram bonã voluntatem impleat bonitate ſua; & opus veſtræ fidei in potentia roboret, vt tandem, ſuo tempore, nomen Domini Ieſu Chriſti, quod eſt glorioſum ſuper omne nomen, in vobis glorificetur; & vos in ipſo ſecũdum gratiam Dei ooſtri, & Domini Noſtri Ieſu Chriſti, per quem hæc tam magnifica gloria continget ſanctis ſuis.

Editio vulgata.

PAVLVS, *& Syluanus, & Timotheus: eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis fratres, ita vt dignum eſt, quoniam ſupercreſcit fides veſtra, & abundat charitas vniuſcuiuſque veſtrum in inuicem: ita vt, noſipſi in vobis gloriemur in eccleſijs Dei, pro patientia veſtra, & fide in omnibus perſecutionibus veſtris, & tribulationibus quas ſuſtinetis in exemplum iuſti iudicij Dei, vt digni habeamini regno Dei, pro quo, & patimini, ſi tamen iuſtum eſt apud Deũ retribuere tribulationem ijs, qui vos tribulant: & vobis, qui tribulamini requiem nobiſcum in reuelatione Domini Ieſu de cęlo cum angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam ijs, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui pęnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, et a gloria virtutis eius, cum venerit glorificari in ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt, quia creditum eſt teſtimonium noſtrum ſuper vos in die illo. In quo etiam oramus ſemper pro vobis: vt dignetur vos vocatione ſua Deus noſter, & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute, vt clarificetur nomen Domini Noſtri Ieſu Chriſti in vobis, & vos in illo, ſecundum gratiam Dei noſtri, & Domini Ieſu Chriſti.*

ADNOTATIONES.

IN *exemplum iuſti iudicij Dei*. Græci codices hac carent prępoſitione, *In*, & ſecundum hanc lectionem, expoſitiue viderentur hæc eſſe dicta; *exẽplum iuſti iudicij Dei*. Sed quomodocunque legatur, is erit verborum ſenſus; quòd ex perſecutionibus, quas iniuſte paterentur Theſſalonicenſes, ipſi exhiberentur in exemplum iuſti iudicij Dei; quod Deus eſt exercitaturus in aduentu ſuo; dum ijs, qoi afflictiones paſſi fuerint in hoc ſeculo pro nomine ſuo, pro retributione, concedet potiri regno ſuo: illos autem, qui alios afflixerint, pro retributione, digno afficiet ſupplicio: quemadmodum in Euangelio Abraham enunciauit de Lazaro, & de diuite illo Epulone. A Luc. 16.

B *Cum Angelis virtutis eius*: Ideſt, operantibus cum virtute atque potentia Dei.

C *In flamma ignis*. Qui præcedet eius aduentum, iuxta illud pſalmi. *Ignis ante ipſum præcedet.* Pſal. 96. Et ſubiungens Apoſtolus, *dantis vindictam*, ſignificat, quòd ſumetur vindicta per ignem. Et de quibus? De illis, *qui non nouerunt Deum*, & denotantur, qui infidelitate voluntarie ſe obcęcarunt: de quibus dictum eſt in Euangelio, *qui non credit, iam iudicatus eſt.* Ioan. 3. Et de illis etiam, *qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti*, & denotantur illi, qui, per Euangelium veritate agnita, Chriſti præceptis non obtemperant.

D *Qui pęnas dabũt in interitu æternas.* Gręci aliter legunt, *vt omittant particulam, In, hunc in modum:*

Dabunt

Dabunt pęnas, *ὄλεθρον αἰώνιον*, expoſitiue, *interitum* æternum; hæc enim erit ipſorum pœna: & idem eſt ſenſus cum editione vulgata. Et hinc impugnatur error dicentium, in æternum ſupplicia non duratura, Cuius falſi dogmatis, inſignis Auctor, & tanquam anteſignanus extitit Origenes: aduerſus quod dogma, omnes orthodoxi antiqui patres clamant, & pugnat vniuerſa Theologorum ſchola vna cum ipſo Euangelio.

E *Quia creditum eſt teſtimonium noſtrũ ſuper vos.* Hæc non ad immediate dicta ſunt referenda, ſed ad ſuperiora, ad illud ſcilicet, vbi dictum eſt, quòd dabitur requies ipſis, qui afflictiones paſſi fuerint pro Chriſto, in die aduentus ſui. Siquidem ait, quòd teſtimonium, quod creditum, & commiſſum eſt ſibi Euangelij ad ipſorum ſalutem, dirigitur in illum diem iudicij vniuerſalis, in quo cõſummabitur retributio danda bonis, & electis, pro malis, quæ paſsi fuerint in hoc ſeculo.

I *Impleat omnem voluntatem bonitatis ſuæ.* Hæc explicans Theophylactus inquit; *vt omnis Dei voluntas, hoc eſt, quodcumque illi placitum eſt, impleatur in vobis, & vos ipſi pro Dei voluntate præſtetis, ita vt nil quidpiam deſit.* Ex quo commentario, apparet, Theophylactum referre (ſicuti & Gręca ſcholia) vocem illam, *εὐδοκίαν*, quam interpres vertit, *voluntatem*, ad Dei beneplacitum. Cui expoſitioni illud refragrari videtur, quoniam hunc in modum Apoſtolus precaretur, vt impleatur propoſitum, ſeu beneplacitum Dei, bonitate; quod eſt abſurdum dicere, cum omne beneplacitum Dei ſit ſemper vndequaque perfectum, vt nulla adipſum poſsit acceſsio fieri bonitatis. Idcirco ſatius eſt (vt explicat Tho-
Tho. Aqu. mas) intelligere de voluntate Theſſalonicenſium, quorum voluntatem (quę bona ſupponitur) precatur Paulus, impleri bonitate diuina: vnde accommodatiſsime interpres adiunxit huic voci, *bonitatis*, dictionẽ, *ſuę*. Cõſequẽter optat Paulus, vt Deus impleat, *opus fidei in virtute*; hoc eſt, vt opera fidei (quę eſt fundamentum Chriſtianiſmi) ſint cum virtute, adeo vt ad perfectionem ferantur Theſſalonicenſes & in voluntate bona, & in fide non ocioſa, ſed bene actuoſa, tum in operibus erga proximum præſtandis, tum in ſuſtinendis cõſtanti, fortiq; animo omnibus tribulationibus, & perſecutionibus.

totus in peccato fiet, & alios ad peccandum trahet; filius perditionis, a perdito Diabolo excitatus, qui aliorum perditionem vna ſecum cauſabit; oppoſitus Chriſto, & extollẽs ſe ſe ſupra omnem vocatum Deum, & ſupra quamcunque maieſtatem in cultu habitam, ita quidem, vt in tẽplo Dei, tanquã Deus, ſedeat, miris modis, omnibuſque artibus oſtẽdens, quòd ipſe verus ſit Deus: Niſi hæc, inquam, præceſſerint, non inſtabit dies Domini, dies vltimi iudicij. Non retinetis, quòd, cum adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam uobis? & nunc quid detineat, ſcitis, vt ſuo in tempore reueletur. Nam myſterium iniquitatis, quod habet præcedere, iam diabolus operatur, tantum detinens ne adueniat Antichriſtus, donec ex medio fiat, & ad complementum perducatur dicta diſceſsio a fide; tuncque reuelabitur iniquus ille Antichriſtus: quẽ Dominus Ieſus Chriſtus interficiet ſpiritu oris ſui, nempe uerbo, atque mandato; magnificaque illuſtratione ſui aduentus illum deſtruet. Cuius quidem Antichriſti aduentus, futurus eſt ſecundum operationem Satanæ in omni potentia fundatam, in ſignis, & portentis, licet falſis, & in omni ſeductione, ad iniuſtitiam, & iniquitatem trahente eos, qui pereunt; propterea quòd charitatem Dei, illis ſua benignitate veritatem oſtendentis, ut ſalui fierent, non receperunt. Ideo mittet illis Deus efficaciam illuſionis, & erroris, illum permittens a diabolo proficiſci, ita ut inducantur ad credendum mendacio: ut ita, iuſto Dei iudicio iudicentur, uti inexcuſabiles, atque condemnentur omnes, qui non crediderunt ueritati, ſed conſenſerunt iniquitati. Nos autem gratias agere Deo debemus ſemper pro uobis fratres dilecti a Deo, quod longe a temporibus tam malis, atque a periculis illis elegerit uos Deus primitias ab initio naſcentis eccleſiæ in ſalutem, in ſanctificatione ſpiritus, & in fide ueritatis, ad quam uocauit uos per Euangelium noſtrum, in acquiſitione gloriæ domini noſtri Ieſu Chriſti. Itaque fratres, ſtate in ſuſcepta fide, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Ipſe autem dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Deus, & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem ęternã, & ſpẽ bonã in gratia ſua, conſoletur corda veſtra, & confirmet uos in omni ſermone, & opere bono.

PARAPHRASIS. CAP. II.

ROGAMVS autem vos fratres per aduẽtũ Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtram in ipſo futurã congregationem, vt non cito, ac leuiter dimoueamini a ſenſu, & a cognitione iam habita a vobis de finali iudicio: neq; terreamini, vel per ſpiritum, qui ficte hoc prædicet, vel per ſermonem alicuius, vel per epiſtolam, tanquam per nos miſſam, quam fingeret aliquis ſub noſtro nomine, quaſi inſtet dies Domini; ne quis ſeducat vos vllo modo. Quoniam, niſi venerit diſceſsio primũ a vera fide, vt pene deſeratur, & non exiſtant credentes; & niſi prius reuelatus fuerit manifeſte adueniens, homo peccati; qui

Editio vulgata.

ROGAMVS *autem vos fratres per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtrę congregationis in ipſum: vt non cito moueamini a veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritũ, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tanquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini. Ne quis vos ſeducat vllo modo: quoniam niſi venerit diſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquã ſit Deus. Non retinetis, quòd cum adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam? Et nunc quid detineat ſcitis: vt reueletur in ſuo tempore. Nam myſterium iam operatur*

iniquitatis:tantum vt, qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat.) Es tunc reuelabitur ille iniquus:quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui eum, cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis ijs,qui pereunt, eo quòd charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio: vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati,ſed conſenſerunt iniquitati. Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis fratres dilecti a Deo, quòd elegerit vos Deus primitias in ſalutem,in ſanctificatione ſpiritus, & fide veritatis: in quam & vocauit vos per Euangelium noſtrum, in acquiſitionem gloriæ Domini Noſtri Ieſu Chriſti. Itaque fratres ſtate, & tenete traditiones quas didiciſtis,ſiue per ſermonem,ſiue per epiſtolam noſtram. Ipſe autem Dominus noſter Ieſus Chriſtus,& Deus Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam,& ſpem bonam in gratia exhortetur corda veſtra,& confirmet in omni opere, et ſermone bono.

ADNOTATIONES.

A ET *noſtræ congregationis in ipſum*. Intelligenda eſt illa congregatio, de qua eſt ſermo in Euangelio apud Marcũ, (Marc. 13.) *& tunc mittet Angelos ſuos,& congregabit electos ſuos a quattuor ventis, a ſummis terræ vſque ad ſummum cæli*. Quam itidem congregationem innuit Apoſtolus in præcedenti epiſtola,loquens de reſurrectione quo ad viuos, & dormientes, dum dixit: *ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aera,& ſic ſemper cum domino erimus*. (1. Theſſ. 4.)

B *Neque terreamini*. Quidam(vt aduertit Chryſoſtomus,& Theodoretus) diſſeminauerãt, iam inſtare aduentum domini; quod ex ſpiritu prophetico,licet ſimulato,prædictum eſſe dicebant. (Chryſoſt. hom. 1. Theodor.) Quin & ex ſermone Apoſtoli, vel ex eius epiſtola, quam compoſuerant,tanquam ab ipſo ſcriptam, idipſum inſinuabant: nec non Theſſalonicẽſes ſuſpicari potuerant,hanc eſſe mentem Apoſtoli,inducti ex verbis prioris epiſtolæ,vbi dicitur: (1. Theſſ. 4.) *nos qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentu domini,non præueniemus eos, qui dormierũt*. His enim verbis propemodum ſignificari videtur,quòd tunc temporis, dum eſſet Apoſtolus in humanis, futurus eſſet aduentus domini. Theophylactus autem in prologo huius epiſtolæ, (Theoph.) ſupponit,quoſdam fidei vaſtatores diſſeminaſſe iam adeſſe iudicium,& quòd Chriſtus ſecundo iam aduenisſet, atque ideo nullum aliud futurum eſſe iudicium. Quod etiam conſentire videtur ijs, quæ habentur in poſteriori epiſto.ad Timot. (2. Timot. 2.) vbi ſupponitur a nonnullis diſſeminatum, quòd iam facta eſſet reſurrectio. Verum vtcunque ſit,terror inuaſerat animos Theſſalonicenſium, quòd iam inſtaret dies Domini. Vnde Apoſtolus eos ab hoc terrore per hanc epiſtolam voluit liberare,oſtendens,falſam eſſe huiuſmodi opinionem,Quod agit; non quod vellet illos non ita eſſe vigiles,atque paratos; ac ſi iam inſtaret dies domini;cum præſertim repentinus occaſus mortis,in quaque hora,atque momento cuique aduenire poſſit. Sed eo ſtudio(ſicuti caute animaduertit Auguſtinus in epiſ.ad Heſychium epiſcopũ) (Auguſt. ad Heſych. epiſto. 80.) ne forte cum trãſiſſet tempus, quo Dominum venturum eſſe credidiſſent, & veniſſe non cernerent; hinc alia etiam fallaciter ſibi promitti arbitrarẽtur: & ita paulatim a fide deficerent, quæ ſpem habet in vita futura. Illud quidem pro certo habere debemus,futurum eſſe diem iudicij;& quòd præuentura ſint ſigna deſcripta a Domino in Euangelio. (Luc. 21.) Quando autem,vel quo tempore, vel quibus momentis hæc ſint futura, incertum eſt:niſi ijs,quibus Deus voluerit reuelare. Quòd autem non aduenisſet, neque inſtaret, tanquam in foribus exiſtens aduentus domini, quãdo hæc cõſcripta eſt epiſtola ab Apoſtolo,certiſſimum ex hoc erat, quòd nondum ſigna præceſſiſſent a Chriſto prædicta: neque Antichriſtus aduenisſet, qui Chriſti aduentum habet præire.

C *Niſi venerit diſceſſio primum*. Græce dictio hæc,*diſceſſio*, habetur, ἡ ἀποστασία, qua Chryſoſtomus,Oecumenius, & Theophylactus dicunt intelligi,& deſcribi ipſum Antichriſtum, impoſito nomine ab ipſa re, & effectu,quem procurabit. (Chryſoſto. hom. 3. Oecum. Theoph.) Nam (vt animaduertit Theodoretus) illud tentabit omni conatu, vt homines deficiant a fide, & veritate. (Theodor.) Quem etiam Apoſtolus nũcupat, *hominem peccati*; eo quòd natura erit homo, non ipſe Satanas; ſed omnem quidem Satanæ operationem in ſe ſuſcipiens;& hinc ad peccandum, & ad deſerendam fidem,homines inducens. Vnde conuincitur ex verbis Apoſtoli (nominantis Antichriſtum, *hominem peccati*)error eorum, qui non verum hominem ſed Satanam futurum tradiderunt, qui per varios dogmatizantes eccleſiam Dei perturbaret. Neque vero pugnare cum veritate humanę naturę, quòd eius origo ex diabolo poſſit eſſe, addubitabit, qui perpenderit, quæ de incubis, & ſuccubis philoſophi Pythagorici,& Theologi docuerunt. Idem etiã appellatur filius perditionis, tum, quòd ipſe peribit, quem dominus deſtruet illuſtratione aduentus ſui; tum etiam quòd alios trahere in perditionem curabit. Hoſtis ſiquidem noſtræ ſalutis eſt Satanas, qui ad ruinam noſtram (æmulans ſua malignitate, & nequitia,Chriſtum, qui ſuſcepta noſtra humanitate venit in mundum pro redemptione generis humani) electurus eſt ſibi hominem, qui poſſit omnem eius ſuſcipere operationem;quo (veluti inſtrumento) Satanas vtetur ad homines decipiendos, atque perdendos. Nam ille ſe Chriſtum, & Deum dicet, qui tollet omnia Idola,vt moueat,& inducat homines ad ſe adorandum vti Deum; templa Dei occupans,& in illis ſedens:hæc ex Theodoreto. Alij autem apoſtaſiam prædictam, intelligunt ipſam defectionẽ ab imperio Romano, quod tolli, atq; euerti debere ſupponunt, priuſquàm adueniat Antichriſtus. Forte aptius interpretaremur, intelligendo per,*apoſtaſiam*,defectionem a fide,& ſeiunctionem a colendo vero Deo. Quod etiam innuunt Græcanica ſcholia; & ſignificauit dominus, dum dixit (Græ.ſcho.)

Luc. 18. Matt. 24. in Euangelio: *verumtamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* Et alibi. *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Et hæc quidem prouenient ex hæreſibus vbique diuulgatis, & coaceruatis. Et ſecundum hanc interpretationem, aliud erit diſceſſio, & aliud reuelatio Antichriſti: quem aliqui dicunt futurum de Tribu Dan in magia excellentiſſimum, & regem in Syria oriturum, ex malo ſpiritu genitum. Qui quidem ſi extollet ſe ſuper omne, quod dicitur Deus, & ſuper omne numen (vt dicit hic Apoſtolus) ſignum igitur, quòd non veniet genibus flexis, & humilis: prout inter vetulas diuulgabatur tempore Chryſoſtomi, vt ipſe refert. Chryſoſt. hom. 1.

D *Et nūc quid detineat ſcitis, vt reueletur in ſuo tēpore.* Græce pro his, *quid detineat*, legitur τὸ κατέχον, ideſt, quid ſit, vnde detineatur, vel quid ſit detinēs, vt nūc nō adſit, ſed differatur in aliud tēpus. Quibus verbis cēſuit Chryſoſtomus, innui imperiū profanū Romanorum; quòd, donec deficiat, & deſtruatur, non reuelabitur Antichriſtus: dicens, noluiſſe Apoſtolum palam id explicare, ne perſecutiones acerbiores accenderet aduerſus Chriſtianos, ſi id diuulgaſſet. Chryſoſt. hom. 4. Theodor. Quam expoſitionem non admittens Theodoretus, recurrit ad hoc; domini eſſe decretum, vt id fiat in conſummatione mundi, cum vbique prædicatum erit Euangelium: cum adhuc tempore ſuo vrgeret idololatria; quæ, inquit, oportet vt tollatur; & poſtea veniet filius perditionis. Verum dici poteſt, quòd Apoſtolus cauſam refert detinentem ipſum, ne veniat, & innuit diabolum; a quo pendet hæc vniuerſa operatio; vt ipſe ſit, qui detineat, ne modo adſit Antichriſtus; dum ſcilicet diabolus operatur myſterium iniquitatis, quæ eſt ipſa diſceſſio a fide; vnde, cum illud perfectum erit, tunc reuelabitur.

E *Nam myſterium iam operatur iniquitatis.* Chryſoſt. hom. 4. Chryſoſtomus de Nerone hæc dicta ſenſit, qui eſſet vt typus Antichriſti, cuius actio typum Antichriſti referens, *myſterium idcirco* (inquit) *appellatur, quòd parce, ac lente Nero vellet in Deum cenſeri, quod palam profitebitur Antichriſtus.* Et ſecundum hanc interpretationem dictio hæc, *myſterium*, ſtabit in recto caſu; ac ſi dicatur; quòd Nero, exiſtens myſterium iniquitatis, ipſe operatur, ac viget. Theodor. Theodoretus autem hæreſes interpretatur; myſteriumque dici animaduertit; quoniam hæretici celatum habeant iniquitatis laqueum. Et ſecundum hāc interpretationem, *myſterium*, ſtabit in accuſandi caſu: in quo etiam ſtabit, ſecundum illam aliam expoſitionem; in qua diximus, quòd diabolus eſt detinens, ne modo reueletur Antichriſtus. Ipſe igitur iam operatur myſterium iniquitatis; nempe apoſtaſiam a fide, vt tandem, Deo vero cultus non præbeatur; ſed pro Deo iniquus, ipſaque ſumma iniquitas adoretur. Huc enim tendit machina Diaboli: & in hoc aſſidue verſantur nequiſſimæ eius technæ, vt genus humanum in illud ducatur facinus, vt diſcedat a vera Dei fide. Et tunc poſtea Antichriſtus, ipſa iniquitas manifeſtabitur: qui nunc latitans, in myſterio conſiſtere dicitur, dum ſtruitur a diabolo prædicta apoſtaſia.

F *Tantum, vt qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat.* Chryſoſtomus, & Theophylactus hæc referunt ad imperium Romanum, nempe, quòd detineatur, ne reueletur Antichriſtus, donec dominiū Romanorum de medio tollatur, vt ſuperius explicatum eſt: & reiecta fuit huiuſmodi interpretatio a Theodoreto: & non immerito, quum dominium illud profanum Romanorū, de quo eſt ſermo apud Chryſoſtomum, iam pridem ſit ſublatum, neque tamen, ad huius imperij ſublationem, ſucceſſerit aduentus Antichriſti. Chryſoſt. Theoph. Theodor. Niſi forte dicere velimus, ſat eſſe apud ſenſum, & interpretationem Chryſoſtomi, quòd eo tempore, in quo rumor erat diſſeminatus apud Theſſalonicenſes, iam aduentaſſe Antichriſtū, id non eſſet verum; neque aduenturum, niſi poſt proſtratum profanum imperium Romanorū, quod tempore Chryſoſtomi adhuc vigebat: neque tamē propterea, poſt hoc factum, intellexit Chryſoſtomus, illico ipſum aduēturum. Theodor. Theodoretus antē longe aliter hunc locum interpretatur, inquiens, non aduenturum Antichriſtum, niſi prius tollatur de medio; & ceſſet ſuperſtitio idolorum; & prædicetur vbique Euāgelium; poſtea reuelabitur. Nonnulli hæc verba, *qui tenet, teneat*: ita explicant, vt quiſque, qui habet fidem, teneat, donec expellantur hæretici. Sed aduertendum, græce, pro ijs verbis, *tantum qui tenet nunc teneat*, haberi hanc ſolam dictionē ὁ κατέχων: quæ, vt patet ex articulo ipſi adiecto, eſt maſculini generis (ſicuti & hunc in modum vertit interpres) non neutri. Vnde interpretari poſſumus, vti dictum eſt antea; quòd diabolus, qui operatur myſterium iniquitatis, ipſe eſt, qui detinet ne reueletur Antichriſtus. Et dum ſubiungitur; *donec de medio fiat*: ita forte interpretari non inconueniret hæc verba: *donec de medio fiat*, ideſt, donec compleatur in mundo iniquitas, quam operatur Diabolus; vt ſcilicet refrigeſcat charitas, & ita deficiat fides: adeo, vt homines deſerentes Dei veri cultum, iniquiſſimum hominem, & ſatanicum pro Deo colant. Et hæc quidem inſinuaſſe videtur Daniel dum inquit. Dan 8. *Et poſt regnum eorum, cum creuerint iniquitates, conſurget rex impudens facie, & intelligens propoſitiones, & roborabitur fortitudo eius: ſed non in viribus ſuis; & ſupra quàm credi poteſt, vniuerſa vaſtabit* &c. ijs enim inſinuatur crementū iniquitatis, ad quam apoſtaſia ſequatur: & quòd ille conſurgens rex, erit peſſimus, & fortiſſimus; ſed non in viribus proprijs; quæ conueniunt Antichriſto; qui impudens facie erit, dum ſe vt Deum coli volet, & in operationibus ſatanæ operabitur. Quòd autem illud, *donec de medio fiat*, accipi poſsit pro ea phraſi, ac ſi dicatur, donec perficiatur quod cœptū eſt, nempe myſteriū iniquitatis, de quo dixit Apoſtolus, quòd myſterium iniquitatis iam operatur: hinc poteſt colligi, quoniam, quæ ex imperfecto ad perfectum trāſeunt, ſicuti ex puero fit vir, ſic commode dici poſſunt, quòd fiunt de medio, ideſt, de medio facti, tranſeunt ad perfectionē, vt compleantur: qua phraſi, id, quod diximus ſignificari, explicauit Ariſtoteles in lib. 2. diuinæ ſuæ Philoſophiæ, de ijs tractans, quæ de imperfecto ad perfectum tranſeunt.

G *Quem*

G *Quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui,*
& deſtruet illuſtratione aduentus ſui. Explicans hunc
Theodor. locum Theodoretus inquit. Cum Ieſus apparuerit
de cœlo,loquetur rantum, & ſcelerato iſti afferet
Eſai 11. interitum; quod prædictum eſt ab Eſaia; *egredietur*
virga de Radice Ieſſe, de qua poſtea ſubiunxit: *&*
Gr. Scho. *ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impiũ:* quod Græ-
ca Scholia efficacius etiam explicant, dum dicunt.
Dum adhuc ignis eminus ſeparatur, minuta ani-
malia calore cõſumuntur, ita Antichriſtus, ex Chri-
ſti aduentu, & ſpiritu oris eius, conſumetur; ideſt,
iuſſu, & præcepto, vel Spiritu ſancto. Hoc quoque
Daniel. 8. prædixiſſe videtur Daniel loco citato, dum inquit;
& ſine manu conteretur.

H *Cuius, eſt aduentus ſecundum operationem ſa-*
tanæ. Quoniam ſcilicet operatio tota, & omnis co-
natus ſatanæ, in hoc homine ſitus erit: & eſt idem,
quod dixit Daniel, ꝙ roborabitur fortitudo eius,
ſed non in viribus ſuis: *In omni virtute*, ideſt, poten-
tia (græce enim habetur δυνάμει) quæ poteſt accipi
pro diuitijs, & vi armorum; & etiam pro potentia
exercendi ſigna, & prodigia. Quæ Apoſtolus appel-
lat, *mendacia*: aut, quoniam re vera non erunt qua-
lia apparebunt, ſed erunt præſtigia, vti illa erãt Ma-
gorum Pharaonis. Aut, quoniam perducent homi-
nes in deceptionem, & in errorem. Etenim ſuppo-
nendum eſt, tantam ſatanæ tunc futuram eſſe po-
tentiam a Deo ſibi permiſſam, quanta numquam
antea fuerit illi conceſſa. Non autem dicendum,
quòd prouentura ſint miracula a dæmonibus; ſed
aut facient apparere miracula, quę tamen non erũt:
aut præſtabunt nonnulla, quæ veræ mira appare-
bunt; quoniam hominibus factorum cauſæ ſint oc-
cultæ; ipſi autem dæmones præſtare hæc poſſunt;
vt qui norunt rerum naturæ vires, & poſſunt aptare
actiua paſſiuis. Et cum ſubiungitur: *in omni ſeductio-*
ne iniquitatis, Hinc oſtẽditur, quòd hæc omnia mo-
lietur Diabolus ad ſeductionem iniquitatis; ideſt,
iniquorum hominum, qui pereunt. Et hoc quidem:
eo quòd charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui
fierent: ideſt, Chriſtum; qui vere nos dilexit, vt inter-
Gr. Scho. pretantur Græca Scholia. Vnde, ſi quis addubitet,
quorſum Deus Antichriſtũ venire ſit permiſſurus,
ſi nocumentum eſt allaturus. Ad id reſpondet
Theoph. Theophylactus, quòd in ijs habet poteſtatem, qui
pereunt; qui etiam damnandi erant, etiam quòd
Antichriſtus non adueniſſet. Et hæc præcipue per-
tinent ad Iudæos: de quibus dixit Dominus in
Ioan. 5. Euangelio; *ego veni in nomine patris mei: & non ac-*
cepiſtis me; ſi alius venerit in nomine ſuo, illũ accipie-
Gr. Scho. *tis*. Grauiter, inquiunt Græca Scholia cum Theo-
Theoph. phylacto, puniendi ſunt Iudæi, quoniam Chriſtum
in nomine Dei venientem non receperunt, & An-
tichriſtum, vt Deum, recipient; qui, ſi ſigna faciet; at
plura Chriſtus: ſi de ipſo ferebatur teſtimonium a
ſcripturis; at de Chriſto, vt Saluatore; de Antichri-
ſto, vt corruptore.

I *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt*
Gr. Scho. *credant mendacio.* Mittet Deus, ideſt (ſecũdum Græ-
ca Scholia) permittet operationẽ, grçce energiam,
ideſt, efficacem illuſionem, quam ſubminiſtrabit
Antichriſtus. Atqui, ſi Deus mittet, ipſe immediate
hoc non operabitur; ſed permittet fieri iuſto iudi-
cio. Neque tamen illos facit errare: ſed neque Dia-
bolus: ſed ipſi ex hac occaſione errorem contrahẽt.
Et quare hæc? *vt iudicentur omnes, qui non credide-*
runt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. Hinc in-
quiunt Græca Scholia, magis iudicabuntur illi, prę- Græ. ſchol.
ſertim Iudæi, qui crediderunt iniquitati, & non ve-
ritati ipſius Chriſti; vnde excuſari non poterunt. Iu-
ſto autem Dei iudicio hæc contingent. Data enim
a Deo eſt poteſtas ſatanæ ſecundum menſuram vo-
luntatis, quæ eſt in vno quoque hominum: ſiquidẽ
iniqui magis ruunt in malum, quod ſequuntur.

K *Quòd elegerit vos Deus primitias in ſalutem;*
Nonnulla gręca exemplaria habent, ἀπ' ἀρχῆς. alia
vero ἀπαρχὰς i ideſt primitias: quaſi ad hoc (ſecun-
dum vtramque lectionem) alludẽs Apoſtolus, quòd
gratię ſint agendę Deo, quòd initio naſcentis eccle-
ſię fuerint electi Theſſalonicenſes ad ſalutem, longe
ante aduentum Antichriſti; ob quem tantopere cõ-
territi erant: cum præſertim tempora illa ſint futura
periculoſa, vt dicitur in poſt. epiſt. ad Timotheum: 2. Timo. 3.
in nouiſſimis diebus inſtabũt tẽpora periculoſa; & Do-
minus in Euang. dixit, futurum *ita, vt in errorem in-*
ducantur (ſi fieri poſſet) etiam electi. Matt. 24.

L *Tenete traditiones.* Hinc Chryſoſtomus, & Chryſoſto.
Gręca Scholia deducunt, quòd ſcripta, & non ſcri- hom. 4.
pta pręcepta tradiderunt Apoſtoli, & vtraque di- Gr. Scho.
gna obſeruatione. Vnde, & quę ab eccleſia non
ſcriptę ſunt traditiones, ſunt ſeruandę.

PARAPHRASIS.

CAPIT. III.

QVOD ſupereſt, fratres; orate pro
nobis, vt ſermo Domini currat
non impeditus, & glorificetur
apud alios, vti etiam apud vos; &
vt liberemur ab importunis, &
prauis hominibus. Nó enim om-
nium eſt fides; qua redduntur indigni, qui Dei vo-
cationi non ſe ſubijciunt. Fidelis autem dominus,
qui confirmabit vos, & cuſtodiet a malo. Confidi-
mus autem de vobis fratres, in domino; quòd quę-
cunque pręcipimus vobis, illa & facitis, & facietis.
Dominus autem noſter Ieſus Chriſtus dirigat cor-
da veſtra in charitate Dei, & in patientia Chriſti,
quam imitemini. Denunciamus autem vobis, fra-
tres, in nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti, vt ſub-
trahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate,
& non ſecundum traditionem, quam acceperunt a
nobis, ipſi enim ſcitis, quomodo oporteat imi-
tari nos; quoniam non inquieti fuimus inter vos,
neque gratis panem accepimus ab aliquo: ſed in la-
bore, & fatigatione nocte, dieque operantes mani-
bus noſtris, ne quem veſtrũ grauaremus: non quaſi
non habuerimus poteſtatem exigendi panem a vo-
bis, quam habemus ex munere noſtro prædicandi
ſed ita nos geſſimus, vt exhiberemus nos vobis for-
mam, quam imitemini. Etenim, cum eſſemus apud
vos,

vos,id vobis denunciauimus: quoniam,ſi quis non vult operari,is nec de alieno pane manducet.Audiuimus enim quoſdã inter vos eſſe, qui inordinate ſe gerunt, nihil operantes; ſed curioſe, ac ocioſe vitam agentes.Iis autem,qui eiuſmodi ſunt,denunciamus, eoſdemque hortamur per Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum, vt quiete operantes, ſuum ipſorum panem manducent. Vos autem fratres, nolite deficere benefacientes. Quòd ſi quis non obedit ſermoni noſtro per epiſtolam, hunc ipſum notate, & obſeruate, & ne commercium vllum cũ ipſo habeatis;vt hinc confundatur,& ad reſipiſcendum excitetur;illum tamen, non vt inimicum exiſtimare;ſed corripite,vt fratrem.Ipſe autem Dominus pacis, det vobis perpetuam pacem in omni loco.Dominus ſit cum omnibus vobis.Salutatio mea manu Pauli: quod eſt ſignum, quo meas Epiſtolas dignoſcatis: ita ſcribo. Gratia Domini Noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.

Editio vulgata.

De *cætero fratres, orate pro nobis, vt ſermo Dei currat, & clarificetur, ſicut & apud vos: & vt liberemur ab importunis, & malis hominibus,non enim omnium eſt fides. Fidelis autem Dominus eſt,qui confirmabit vos,& cuſtodiet a malo. Confidimus autem de vobis in Domino, quoniam quæ præcipimus, & facitis, & facietis. Dominus autem dirigat corda veſtra in charitate Dei,& patientia Chriſti. Denunciamus autem vobis fratres,in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti,vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate,& non ſecundum traditionem,quã acceperunt a nobis. Ipſi enim ſcitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos,neque gratis panem manducauimus ab aliquo, ſed in labore & in fatigatione nocte, & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus. Non quaſi non habuerimus poteſtatem,ſed vt noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cum eſſemus apud vos, hoc denunciabamus vobis: quoniam ſi quis non vult operari,nec manducet. Audiuimus enim intes vos quoſdam ambulantes inquiete,nihil operantes: ſed curioſe agẽtes. Iis autem qui eiuſmodi ſunt denunciamus, & obſecramus in Domino Ieſu Chriſto, vt cum ſilentio operantes ſuum panem manducent. Vos autem fratres nolite deficere benefacientes. Quòd ſi quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate,& ne commiſceamini cum illo, vt confundatur: & nolite quaſi inimicum exiſtimare,ſed corripite vt fratrem. Ipſe autem Dominus pacis det vobis pacem ſempiternam in omni loco. Dominus ſit cum omnibus vobis. Salutario mea manu Pauli: quod eſt ſignum in omni epiſtola,ita ſcribo. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.*

ADNOTATIONES.

AB *importunis*,græce, τῶν ἀτάκτων, ideſt,in- A
quietis,&,ſecundum Chryſoſtomum,de- Chryſoſto
notantur hæretici, qui, ne deprehende- hom. 4.
rentur ad ſua conciliabula, ſubinde ſedes mutant.

B *Non enim omnium eſt fides*.Hæc ſententia ſimpliciter ita exponi poteſt: quòd non omnes credũt; non omnes ſuſcipiunt vocationem: non quoniam illis deſit gratia Dei, qua fidem amplectentur; ſed quia a propenſa ipſorum iniquitate,& a nefarijs cu-
piditatibus,ne ipſam ſuſcipiant,detinentur. Theo- Theodor.
doretus autem ita explicat. *Nõ omnium eſt fides; perſuaſio non ex vocante; eſt enim Dei proprium vocare;*
noſtrum autem parere; iuxta illud: ſi quis ſitit veniat Ioan. 7.
ad me,& bibat; & ſiquis vult venire poſt me,abneget
ſemetipſum,&c.non enim *neceſſitatem affert, ſed vo-* Matt. 16.
luntarium animum deſiderat.

C *Vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate,& non ſecundum traditionem, quam acceperunt a nobis*.Sunt illi,de quibus paulo poſt inquit. *Audiuimus etiam inter vos, quoſdam ambulantes inquiete,nihil operantes, ſed curioſe agentes*: quorum commercium, Apoſtolus vult vt fugiant; quia non ſeruant ordinem religionis ſecundum traditiones illis datas. Et ponit ſe ipſum in exemplum, qui fuit apud eos non ocio marceſcens: ſed ait, ſe manducaſſe panem;*in labore*,dum prædicabat;*& in fatigatione*, dum laborabat manibus ſuis, vt victum ſibi quæreret. Appellat autem, *panem* (ſecundum conſuetudinem ſcripturæ) vſum rerum,quæ pertinent
ad victum: cuius illuſtris eſt locus in libris Regum: 1. Reg. 14.
vbi dicitur,*maledictus vir, qui comederit panem vſq; in veſperam*. Vbi, nomine *panis*,omne eſitabile intelligitur; vt comprobatum eſt ex facto Ionathæ; qui in maledictionem comminatam (ne quis panem guſtaret) incidiſſe iudicatus eſt ob eſum mellis.Videtur autem hoc loco Apoſtolus, diſcrepãtia, & quaſi inter ſe contraria protuliſſe; dum præcepit Theſſalonicenſibus, vt ſubtrahant ſe ab ijs, qui ambulant inordinate ad quæ & ſubiunxit, *ſiquis non vult operari, nec manducet*: deinde vero ait, *vos autem fratres nolite deficere benefacientes*: adeo quòd qui prohibentur manducare panem,a benefacientibus panem accipient.Hanc apparentem contradi-
ctionem diſſoluit Chryſoſt.in cap.10.Matt. homil. Chryſoſt.
36.inquiens,quòd Paulus ſanis & inopibus ſcribit: in cap. 10.
ſiquis nolit operari,non manducet, vt eos ad ope- Matt.hom.
randum excitet:illis autem, qui poſſunt liberalitate 36.
vti ſcribit,vt benefacientes non deficiant, vt eos ad benigne dandum impellat.

D *Salutatio mea manu Pauli, quod eſt ſignum in*
omni epiſtola. Inquit Theodoretus:appellauit bene- Theodor.
dictionem,quæ in fine ſita eſt. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.* Ita ſcribebat Paulus in omnibus ſuis epiſtolis pro ſigno; vt hinc ſuę eſſe dignoſcerentur.

ARGVMENTVM
IN PRIOREM EPISTOLAM
SANCTI PAVLI
ad Timotheum.

Coloſſ. 4.

PRIOREM *ad Timotheum epiſtolam, quam dedit Paulus e Laodicea (ex ſententia quoque Theophylacti) veriſimile eſt eam eſſe, de qua idem Apoſtolus meminit in calce epiſtolæ ad Coloſſ. dum ait.* Et cum lecta fuerit apud vos epiſtola hæc, facite, vt hæc in Laodicenſium eccleſia legatur, & eam, quæ Laodicenſium eſt, vt vobis legatur. *Et enim, in hac prima ad Timotheum epiſtola, vniuerſalis traditur regula, & norma, quam obſeruare debeant omnes epiſcopi in regenda Dei eccleſia. Quæ autem in ipſa tractantur, ferme ad hæc capita reducuntur. Inprimis, eccleſiam ab erronea, & falſa doctrina eſſe purgandam. Deinde pro omni hominum genere orandum; orandique norma præſcribitur, tam viris, quàm mulieribus obſeruanda. Ad hæc explicantur, quæ nam requirantur in ijs, qui ad epiſcopatum (in quo etiam includitur presbyteratus) & ad Diaconatum ſunt aſſumendi. Et cum hæreſes in mundo ſint futuræ, ſemperque magis in dies vigentes vſque ad conſummationem ſeculi, eas generatim ex reuelatione ſpiritus ſancti prædicit futuras Apoſtolus, & quaſdam etiam iam pullulantes, particulatim commemorat; vt hinc admoniti reddantur præſules Eccleſiarum, ad ſe ſe præſtandos euigiles, ne, ex falſa doctrina, ſubditi a fide abducantur: ipſi vero attendentes veræ doctrinæ fidei, eam doceant, vanas in primis euitantes quæſtiones, & ſtultiloquia. Ad hæc, traditur epiſcopo regula, qua ſe regat apud cuiuſuis ſtatum, & genus hominum. De viduis etiam agitur, quæ nam conſeruandæ ſint in viduitate, & quæ dimittendæ ad matrimonium. Præterea edocet in Iudicio exercendo (præſertim in accuſationibus delatis aduerſus presbyterum) qua cautela incedere debeat Præſul, & qua examinis diligentia. De obſequio quoque, atque ſeruitio erga dominos præſtando, ſerui inſtituuntur. Denique Epiſcopi hortantur ad ſanctitatem Vitæ, ad fidem catholicam conſeruandam, ad declinandas omnes inutiles, atque prophanas quæſtiones; ad adhortandos diuites huius ſeculi, vt ſibi ipſis ad æternam vitam theſaurum ſuis diuitijs comparent.*

Chryſoſtomus autem mouet dubitationem, cur diſcipulo, qui iam in magiſtri tranſierat ordinem, hanc ſcribat Paulus epiſtolam: Nam antea perficiendus erat, quàm præficiendus eccleſiæ; quòd ſi iam perfectus erat, ſuperflue igitur hanc epiſtolam ſcribit. Cui dubitationi hunc in modum ſatisfacit, inquiens. Quòd Timotheo doctrina opus erat, non eadem, qua diſcipuli inſtruebantur; verum ea, quæ magiſtro, præceptorique congrueret. Addamus, idcirco in hac epiſtola Apoſtolum præcepta, quæ digna ſunt Præſule, tradidiſſe, vt maiorem adderet auctoritatem illis inſtitutis, atque præceptis, quæ Timotheus in ſua regenda eccleſia obſeruaret: dum ſubditi intelligerent, hæc eadem tradita, & præcepta fuiſſe ad voluntatem, & normam præſcriptam ab Apoſtolo Gentium doctore, atque præcone: ac præſertim, cum hæc epiſtola (vt dictum eſt antea) fuerit conſcripta tanquam norma quædam vniuerſalis regiminis eccleſiaſtici, quæ ab omnibus Epiſcopis, & rectoribus eccleſiarum perpetuo obſeruaretur.

IN PRIO-

IN PRIOREM EPISTOLAM SANCTI PAVLI ad Timotheum.

PARAPHRASIS. CAP. I.

PAVLVS deſignatus Apoſtolus Ieſu Chriſti ſecundũ imperium Dei ſaluatoris noſtri, & Chriſti Ieſu, ſpei noſtræ auctoris; Timotheo dilecto, & genuino in fide filio, Gratia, & miſericordia, & pax a Deo patre, & Chriſto Ieſu, Domino Noſtro. Sicut rogaui te, cũ irem in Macedoniam, vt remaneres Epheſi ad explendum, quod tibi in mandatis dederam, ita conficito. Iſtud eſt vt denuncies, atque præcipias quibuſdam, ne alienam a noſtra doctrinam inducant, neque attendant fabulis, & genealogijs interminatis, quæ quęſtiones præſtant magis quàm ædificationem Dei, quæ in fide eſt poſita. Finis autem, & ſcopus huius denunciationis, atque præcepti eſt, vt adſit in ipſis charitas, ex puro corde procedens, & ex conſcientia bona, & fide non ficta: a quibus tanquam a vero ſcopo, quidam aberrantes, cõuerſi ſunt ad vaniloquium, ad inutiles diſceptationes, volentes eſſe legis doctores, & non intelligentes, quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Scimus autem, quòd bona eſt lex, ſi quis ea legitime vtatur; ſcientes hoc, quòd lex iuſto non eſt poſita (cum ſit propoſita ad euitandam tranſgreſſionem, a qua iuſtus longe abeſt) ſed iniuſtis, & inobedientibus; ipſis impijs, & peccatoribus, ſceleratis, & contaminatis, patricidis, & matricidis, homicidis, fornicarijs, maſculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, & periuris; quorum opera mala punit lex; & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ aduerſatur, quæ eſt ſecundum Euangeliũ concernens gloriam beati Dei, quod mihi concreditum eſt, vt ipſum publicem, & plantem in mentibus hominum. Et gratias ago ei, qui me ad hoc munus obeundum confortauit, & potẽtem reddidit in Chriſto Ieſu Domino noſtro: quia, ponens me in hoc miniſterium, fidelem ſibi miniſtrum futurum exiſtimauit; me inquam, qui prius blaſphemus fui nominis Chriſti, & perſecutor eius eccleſiæ; atque ſuorum fidelium conuiciator. Sed ideo miſericordiam Dei conſecutus ſum; quoniam, quicquid perpetraui, ignorans feci in incredulitate, cui inhærebam ſeiunctus ab omni malitia; ſuperabundauit autem in me gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum fide, ac dilectione mea in Chriſto Ieſu. Fidelis eſt hic ſermo, certus, & ab omnibus acceptandus; quòd Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere; quorum primus ego ſum, anteſignanus, atque præcipuus. Sed miſericordiam ideo conſecutus ſum, vt in me primo, atque præcipuo exemplari, Ieſus Chriſtus oſtenderet omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri eſſent in ipſo, ad vitam ęternam comparandam. Tanti autem beneficij in me collati, Regi ſæculorum, immortali, inuiſibili, ſoli Deo ſapienti per eſſentiam, ſit honor, & gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Hoc præceptum commodo tibi fili Timothee; vt ſecundum præcedentes de te prophetias, milites in illis bonam militiam, fidem tenens, atque bonam habens conſcientiam: quam quidam repellentes, circa fidem naufragium fecerunt; e quorum numero eſt Hymenæus, & Alexander; quos tradidi ſatanæ caſtigandos; vt hinc correpti, diſcant non blaſphemare, contra fidem enunciantes, quæ fidei aduerſantur.

Editio vulgata.

PAVLVS *Apoſtolus Ieſu Chriſti ſecundum imperium Dei Saluatoris noſtri, & Chriſti Ieſu ſpei noſtræ: Timotheo dilecto filio in fide. Gratia, miſericordia, & pax a Deo Patre, et Chriſto Ieſu Domino noſtro. Sicut rogaui te vt remaneres Epheſi, cum irem in Macedoniam, vt denunciares quibuſdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis & genealogijs interminatis: quæ quæſtiones præſtant magis quàm ædificationem Dei, quæ eſt in fide. Finis autem præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. A quibus quidam aberrantes, conuerſi ſunt in vaniloquium. volentes eſſe legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmãt. Scimus autem quia bona eſt lex, ſi quis ea legitime vtatur: ſciens hoc quia lex iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis, & non ſubditis, impijs, & peccatoribus, ſceleratis, & cõtaminatis, patricidis, & matricidis, homicidis, fornicarijs, maſculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, periuris, & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ aduerſatur, quę eſt ſecundum Euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum eſt mihi. Gratias ago ei qui me confortauit in Chriſto Ieſu domino noſtro, quia fidelem me exiſtimauit, ponens in miniſterio: qui prius blaſphemus fui, & perſequutor, & contumelioſus, ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundauit autem gratia Domini noſtri cum fide, & dilectione, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Fidelis ſermo, & omni acce-*

ptione dignus, quòd Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. Sed ideo miſericordiam conſecutus ſum: vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam. Regi autem ſeculorum immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen. Hoc præceptum commendo tibi fily Timothee: ſecundum præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam, habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt: ex quibus eſt Hymeneus, & Alexander: quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare.

ADNOTATIONES.

A SECVNDVM *imperium Dei*. In vtraque epiſtola ad Corinthios, Paulus dicit ſe Apoſtolum ſecundum voluntatem Dei; hic autem ſecundum imperium Dei ſe nominat Apoſtolum. Et, licet apud Deum idem ſit voluntas, quod eius imperium; hoc tamen loco hac voce, *imperij*, vſus eſt, vt magis ſuam auctoritatem propalaret, ob eam efficaciã, quam ſecum affert id ipſum, quod ſit Apoſtolus ſecundum imperium Dei; vt hinc maius põdus accederet ad præcepta, quæ traditurus erat de communi diſciplinæ chriſtianæ inſtitutione. De imperio autem Dei vocantis Paulum ad Apoſtola-
Act. 13. tum, patet ex Actis, Apoſt. vbi dicitur: *ſegregate mi-*
Act. 22. *hi Saulum* &c. & alibi: *vade, quoniam ego in gentes longe mittam te*.

B *Dei Saluatoris noſtri, & Chriſti Ieſu ſpei noſtræ*. Hæc omnia referri poſſunt ad Ieſum Chriſtum, qui & Deus, & homo eſt. Aut ita diſtinguentur; vt Deus dicatur Saluator, quatenus ab ipſo procedit iuſtificatio; Chriſtus autem ſpes noſtra; tum quòd ipſe reſurgens a mortuis, ſedenſque ad dexteram Dei patris, nobis quoque ſpem attulit huius gloriæ, & immortalitatis; tum etiam, quoniam per ipſum mediatorem hæc bona ſperamus, & expectamus. Ad-
Tit. 2. uertendum autem in epiſtola ad Titum; Chriſtum dici Saluatorem in illis verbis; *ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis ſpiritus ſancti, quem effudit in nos abunde per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum*,
1. Timo. 4. Alibi vero adſcribitur ſpes Deo, dum ait Apoſtolus. *In hoc enim laboramus & maledicimur, quia ſperamus in Deum viuum*. Ex quibus patet, dictionem hanc, *ſpem*, & hanc aliam, *Saluatorem*, tum Deo, tum Chriſto accommodari. Quod cenſuit etiam
Theodor. Theodoretus, inquiens. *Deum autem ſalutem, & Chriſtum ſpem vocauit: non nomina diuidens, nec hoc quidem illi, illud vero huic tribuens, ſed vtrumque in vtraque perſona intelligens. Et enim beatus David*
Pſ. 64. *vtrumq; poſuit in vna perſona:* exaudi *Deus Salutaris*
Gr. Scho. *noſter, ſpes omnium finium terræ*. Græca autẽ Scholia addunt ad hæc, *ſpei noſtræ*, hanc dictionem, *Saluatori*; vt ita legant, & *Chriſti Ieſu ſpei noſtræ Saluatori*.

C *Dilecto filio*. Græce γνησίῳ: ideſt, genuino, non adulterino filio in fide; tanquam enim pater erat Paulus ipſius Timothei, quem in fide genuerat. Iuxta illud in epiſt. ad Philem: *obſecro te pro meo filio,* Philem.
quem genui in vinculis, Oneſimo.

D *Gratia, miſericordia, & pax*. Adiunxit miſericordiam (quod in alijs epiſtolis non conſueuit) ad inſinuandam inſignem beneuolentiam, qua Timotheum proſequeretur; nec non ad ſignificandum, quòd Præſuli, qui curam gerit animarum, opus eſt magna Dei miſericordia, pro muneris, & officij ſui functione, vt dicunt Græca Scholia. Gr. Scho.

E *Ne aliter docerent*. Ideſt, ne diuerſa ab ijs, quæ ipſe prædicauerat. Quod expreſſit quoque in epiſt.
ad Galat. anathematizans, quicunque prædicaret, Gal. 1.
præterquàm quòd ipſe prædicauerat.

F *Neque intenderent fabulis*. Meminit Paulus
de fabulis & Iudaicis quæſtionibus in epiſt. ad Ti- Ti. 1. & 3.
tum: vbi fabulæ intelliguntur: veluti, quòd Adam habuit duas vxores, & ſimilia, quæ ſcripta ſunt in
libro Talmuth. Auguſtinus autem contra Inimic. Aug. lib. 2.
leg. & proph. colligit, Iudæos ſuas habuiſſe traditio- c. 1. Cont.
nes, a lege, & a libris Propheticis, & legitimis alie- inim. leg. &
nas; quas vocant Deuteroſis, traditas de vno in alio proph.
ſine ſcripto. Colligit autem ex his locis; vt puta apud
Matt. In vanum autem me colunt, docentes doctri- Matt. 15.
nas, & præcepta hominum, relinquentes autem mandatum Dei, tenentes traditiones hominum.
Item apud eũdem: bene irritum feciſtis præceptum Matt. 15.
Dei, vt traditionem veſtram ſeruetis.

G *Et Genealogijs interminatis*. De genealogijs longus contexitur ſermo in lib. Gene. Et in euang.
quoq; apud Matt. Verum Apoſtolus hoc loco dam- Matt. 1.
nat, quòd quidam intenderent genealogijs, quærentes, & diſputantes, qui nam huius, vel illius fuiſſent aui, & ataui, & his anteriores; idque facerent ad oſtentationem ſcientiæ, vel nobilitatis. Appellat autem genealogias interminatas; vel, quoniam nullum finem, ſeu vtilitatem conferrent; vel quoniam harum rerum veritas eſſet interminata: ac præſertim etiam damnat ob hæc, quæ ſubiungit. *quæ quæſtiones præſtant magis, quàm ædificationem Dei*. Ex huiuſmodi enim inquiſitionibus (vt dicitur in epiſt. ad Titum) excitabantur quæſtiones, & diſſentiones.
At diceret aliquis, mãdatum eſt a Domino: *quærite,* Matt. 7.
& inuenietis. Item, *ſcrutamini ſcripturas*. Ad quod Ioan. 5.
dicimus, id quidem agendum eſſe; ſed ſtudio veri-
tatis, non ad vanas quęſtiones permouendas. Chry- Chryſoſt.
ſoſtomus autem improbat quæſtiones, quibus cir- hom. 1.
ca ea, quæ credi debent, addubitetur. Vnde aduertendum; quòd ea, quę pertinent ad dogmata fidei, opus eſt ſtabilire, quòd ſint fidei dogmata ex doctrina euangelica, ex epiſtolis canonicis, & ex omni alia ſancta ſcriptura, & ex patrum etiam traditionibus. Sed & aduerſus hęreticos, pro veritatis defenſione atque illuſtratione, rationes quoque ſunt adducendę, quę deducant eos ad abſurda, & impoſſibilia, vt ita arguantur, & conuincantur. Ad hęc, quę ſunt fidei, interdum conuenit explicare per ſimilitudines, veluti de Trinitate, quomodo vnus ſit Deus, & trinus; hęcque tractanda ſunt ad captum auditorum. Suntque nonnulla, quę in ſcriptura, vti veriſſima, ſupponuntur; neque tamen, quomodo ſe habeant, a nobis comprehendi poſſunt. Quemadmodum eſt illud; quòd Deus ſingula quęque cognoſcit;

gnoſcit; quod, qua ratione præſtet, non noſtra eſt capax mens; ſicuti neque de hoc, quomodo Deus ex nihilo mundum crearit. Aut de eo, quòd Verbũ caro factum ſit; *&* natus eſt homo ex Vergine abſque virili ſeminis admiſtione, & alia huiuſmodi.

H *Finis autem præcepti eſt charitas.* Rogauerat Apoſtolus Timotheum, vt remaneret Epheſi, denunciaretque nonnullis, ne aliter a ſua prædicatione docerent, ne ve intenderent fabulis, & prophanis quæſtionibus. Idcirco aduertit, quòd finis præcepti, nempe huius denunciationis, quã Timotheo dederat in mandatis, vt eam illis exhiberet, eſt charitas, ita tamen, vt ſit huiuſmodi, qualem eam deſcribit; hac enim ſeruata, tollerentur quæſtiones cõtentioſæ, & hæreſes. Dicit igitur, quòd charitas eſſe debet, *de corde puro*; quod magis explicat inquiens; *& conſcientia bona*; ita enim, & cor purum erit, vt non adſit quid erroneum, & malitiæ coniunctum; *& fide non ficta*. Fundamentum eſt fides ad charitatem: fides autem debet eſſe non ficta, vt cor ſit purum, atque ſincerum. Hanc continuationem huius contextus, quam induximus, innuere videntur
Chryſoſt. (præter Græca Scholia) etiam Chryſoſtomus, &
Theoph. Theophylactus; qui habet hæc. *Si iniunxeris, ne-*
Gr. Scho. *quaquam debere doctrinam diuerſam a nobis afferre, charitatem eiuſmodi aſſequeris, quaſi plantaueris; &*
Aug. lib. 1. de Doct. Chriſt. 40. *dogma tortuoſum, & prauum ſuſtuleris.* Auguſtinus autem hæc refert ad legem inquiens; quòd finis præcepti, & legis plenitudo, eſt poſita in charitate; vultque hoc loco comprehendi virtutes theologales; charitatem ex corde puro, dum diligitur homo ſecundum Deum; item ſpem, quam intelligi, ait, per illa verba Apoſtoli, *& conſcientia bona*: nam illi ſperant, qui bonam habent conſcientiam. Denique fidem ex illis verbis; *& fide non ficta*: ideſt, ſine ſimulatione, qua ex animo creditur in Deum.

I *Scimus autem, quòd bona eſt lex, ſi quis ea legitime vtatur.* Ne videretur Apoſtolus voluiſſe detrahere legi, ex ijs, quæ dixerat aduerſus quoſdam, qui profitebantur eſſe legis doctores; ideo ſubiungit, ſibi conſtare, quòd lex bona eſt, ſi quis legitime ea vtatur; nempe ſecundum finem, ad quem eſt deſtinata; qui finis impletur in Chriſto. Vnde, figuræ præſignificantes Chriſti conſummationem, vti iam impletæ, non amplius ſunt obſeruandæ ab eo, qui legitime vti velit lege. Quæ (cum etiam propoſita ſit propter tranſgreſſionem, vt arceret homines a peccatis; idcirco, qui ea vſus fuerit cum huiuſmodi obedientia, vtilitatem ex ea feret. Verumtamen ad placitum hominum non ſunt ex lege deducenda præcepta; quæ meram hominum ſapiunt
Theoph. traditionem. Theophylactus hunc locum explicans, ait. *Non bene vtitur lege, qui quæ legis ſunt, docet, & non obſeruat. Ille autem legitime vtitur, qui per legem ad Chriſtum deducitur, & per ipſum iuſtificatur.*

K *Scientes hoc, quia lex iuſto non eſt poſita.* Supponit, in eo, qui legitime vtatur lege (ita vt ſit ſibi bona) ineſſe debere hanc ſcientiam, quòd iuſtificato non eſt poſita lex. Vnde ab ipſo non eſt obſeruãda circuncißio: iuſto enim non eſt poſita lex, cum ipſe ſit ſibi lex; vt dicitur in epiſto. ad Romanos. Rom. 2.
Quare, ſi iuſtus ſibi lex eſt; quomodo legi, lex poſita erit? Et (vt dicitur in epiſt. ad Galat.) qui Spiritu Gal. 5.
Dei ducitur, non eſt ſub lege, quæ poſita eſt propter tranſgreſſionem; & per conſequens iuſto, & non præuaricanti, non erit poſita lex. Vnde & in epiſt. ad Rom. dicitur, quòd iuſtus mortuus eſt legi; Rom. 7.
nempe, quatenus lex non habet dominium exercendæ iuſtitiæ, & infligendæ pœnæ aduerſus iuſtũ, contra præcepta legis non operantem; ſicuti habet aduerſus præuaricatores. Præcepta vero diligendi Deum, & proximum, propoſita in lege, iuſtus obſeruare habet. Verum & hęc non pręſtabit ob timorem legis; neque ob auxilium, quod ſibi conferat lex ad ea obſeruanda; ſed fide, & gratia hæc efficiet per Chriſtum mediatorem: & ita iuſto, iuxta ſenſum prædictum, non eſt poſita lex. Non autem quòd ea non teneatur facere, quæ lege iubentur, & vitare quæ lege vitantur. Sed quia, quod impij timore legis inuiti faciunt, hoc iuſti ſponte;
Gal. 4. obque Dei amorem agunt. Cum autem dicitur in epiſt. ad Galat. quòd Chriſtus factus eſt ſub lege, id (ſicuti in Adnotat. C. cap. 4. eius epiſtolæ explicatum eſt) accipiendum in hoc ſenſu; quòd Chriſtus legalibus ceremonijs ſe ſubiecerit, veluti qui circuncißionem, & alia huiuſmodi obſeruarit. Idque, quoniam venit (vt ipſe dixit) non vt ſolueret legem, ſed vt adimpleret. Aduertendum autem, pro eo quod Matt. 5.
habet editio vulgata in plurium numero, *ſcientes hoc*, a Græcis legi, *ſciens hoc*. Cuius lectionis (quæ in ſenſu non diſcordat a noſtra) eſſet cõſtructio verborum huiuſmodi: quòd lex bona eſt, ſi quis ea legitime vtatur, ſciens hoc, quòd lex iuſto non eſt poſita; id enim ſcire expedit. Nam ſciens hoc, ſciet quòd ad Dei miſericordiam oportet accedere per Chriſtum; Et hoc lex manifeſtat, cum eius finis ſit Chri- Rom. 10.
ſtus, ad quem intendit deducere hominem, vt per ipſum iuſtificetur. Theophylactus ait: *medicus ægro-* Theoph.
tanti paratus eſt, non valetudine bene ſe habenti; & frenum equo effrenato, non ductu facili imponitur; ſic non lex iuſto imponitur. Græca autem Scholia dicũt, Gr. Scho.
quòd legitime is lege vtitur, qui ſcit ea ſibi opus non eſſe ad recte viuendum; & virtutis gratia recte viuit, non timore legis. Et (vt inquit Theodoretus) Theodor.
qui probibita a lege non facit, legis præcepto non indiget. Et ſunt nonnulla, quæ etiam per Euangelium probibentur, vt neceſſaria: vt, non adulterabis, non occides &c. Superuacanea autem ſunt, quæ ad ſacrificia (nempe legalia) *dies, mortuos, leproſos pertinent.* Au- Aug. lib. de Spir. & litt. cap. 10.
guſtinus etiam in lib. de Spiritu, & litt. perpendens hunc locum, inquit. *Quomodo hæc ſtant ſimul? bona lex, ſi quis legitime ea vtatur, & quòd iuſto non eſt poſita lex? Nam non niſi legitime iuſtus vtetur.* Et reſpondet, *quòd legitime vtitur, cum eam terrendo, imponit iniuſtis; vt hinc aucta concupiſcentia confugiant ad iuſtificantem gratiam; ſic tamen lex non eſt poſita iuſto, quoniam ex ea non iuſtificatur, ſed ex lege fidei.* Idem in epiſt. ad Anaſta. illum vere iuſtum August. ad Anaſt. epiſ. 144.
ſtatuit, qui non ob timorem peccati, habens hoſtem intus, attamen non concupiſcit praua; ſed ſi poſſet legem comminantem auferre; neque tamen Idẽ in epiſ. ad Gal.
peccaret. Idem in Expoſit. epiſto. ad Galat. lex in-

quit, iuſto non eſt poſita; id eſt impoſita, vt ſupra illum ſit; in illa enim eſt potius, quàm ſub illa; quia non ea vita viuit, cui coercendæ lex imponitur.

L *Quia fidelem me exiſtimauit, ponens in miniſterio*, Inquit, quòd cõfortatus, & roboratus eſt a Deo, quia illum exiſtimauit fidelem, ponens ipſum in miniſterio Euangelij. Huic conſimile, eſt quod dixit Apoſtolus in epiſto. ad Theſſal. (1. Theſſ. 2.) *Sed ſicut probati ſumus a Deo, vt crederetur nobis Euangelium; ita loquimur*. Supponendum eſt autem, quòd Deus efficit miniſtrum ſibi fidelem, ſua gratia illum roborans, conſenſu tamen accedente ipſius hominis gratiam diuinam acceptantis. (Gr. Scho.) Vnde Græca Scholia (Theoph.) cum Theophylacto arguunt, aliquid etiam ex parte hominis requiri, vt fidelis inueniatur, & aiũt; ꝙ in hoc maxime fidelis fuit Paulus, ꝙ nihil eorũ, quæ Dei ſunt, ſibi vendicarit; ſed & quæ ſua ſunt, Deo attribuerit. Quòd autem Deus iudicauit Paulum fidelem ſibi futurum, (Act. 9.) patet ex Act. Apoſt. vbi dictum eſt de ipſo a Domino Ananiæ; (Act. 9.) *Vas electionis eſt mihi iſte.*

M *Blasfemus fui*. Nempe, dum Chriſti nomini malediceret; *perſecutor*, vt qui perſequebatur eccleſiam Chriſti; *& contumelioſus*, vt qui captiuos duceret Chriſti ſectatores.

N *Sed ideo miſericordiam conſequutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate*. Zelo zelans Paulus legem Dei moſaicam, cenſenſque ei derogari per legem euangelicam, hanc ipſam, vt luem, & peſtem exiſtimabat; vt qui adhuc legis ſcopum exacte non teneret. Hinc inductus eſt ad cuſtodienda veſtimenta eorum, qui lapidauerunt Stephanum, tanquam eum, qui legẽ Moyſi ſua prædicatione euerteret. Et idcirco, vt ignorãs, perſecutionem exercebat in incredulitate: non autem ex malitia, ſicuti alij Iudæi increduli, ex animi prauitate, Chriſtum perſequebantur ob propriam gloriam, inuidia, & auaritia laborantes; cum tamen Chriſti vitam irreprehenſibilem, & opera eius mirabilia eſſe dignoſcerent. Latuit quippe Iudæos in genere, quòd Chriſtus Deus etiam eſſet, & non ſolum homo: & (Act. 3.) in hoc ſenſu potiſſime dictum eſt a Petro, *& nunc fratres ſcio, quia per ignorantiam feciſtis; ſicut & principes veſtri*. Quòd autem ipſe eſſet Meſſias in lege promiſſus, & ſi ex eius operibus cognoſcere potuiſſent; attamen a propria malitia excæcati non crediderunt. Fuit quippe & apud ipſos ignorantia, ſed non ſimpliciter in incredulitate; qualis fuit illa Pauli; ſed ignorantiam cum malitia coniunctam habuerunt; vt patet ex his, quæ habentur apud (Ioan. 12.) Euangelium Ioan. *Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum; ſed non confitebantur; vt e ſynagoga non eijcerentur: dilexerunt enim gloriam ho*(Ioan. 5.)*minum magis, quàm gloriam Dei*. Item, *quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?* At dicet aliquis, ſi Paulus legem optime callebat, quo(Theoph.)modo Chriſtum neſciuit. Et reſpondet Theophylactus: *& de hoc* (inquit) *ſe condemnat; quia ignorantia morbo ante laboraſſet, quam incredulitas ipſa pepererat; eoque ſe miſericordiam conſecutum affirmat*. Verũ dicendũ etiam, quòd ignorauit Chriſtum eſſe Deũ; & quòd legalia per ipſum eſſent abolenda. Hæc enim latere potuerunt Paulum, paternarum traditionum pertinacem æmulatorem.

O *Superabundauit autem gratia Domini noſtri cũ fide, & dilectione, quæ eſt in Chriſto Ieſu*. Aut vna cum gratia ſuperabundauit fides, & charitas. Aut (ſicut interpretantur Chryſoſtomus & Theodoretus) ad- (Chryſoſt. hom. 3.) dita per Paulum fide, & charitate erga Ieſum Chriſtum, ſuperabundauit & gratia Domini in ipſo; vt (Theodor.) non ſolum miſericordiam ſit conſecutus; verum etiam cumulatiori gratia ſit affectus.

P *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus*. Sermo certus eſt, carens omni deceptione; is nempe, quòd Chriſtus venit peccatores ſaluos facere.

Q *Quorum primus ego ſum*. Id ex humilitate dictum eſt; prout dicere etiam conſueuerat B. Franciſcus, dum ſe nominabat maximum peccatorem, dicensꝗ; ſi in latrone gratia eſſet, quæ ſibi data erat; melius ſe gereret latro, quàm ipſe. Primũ autẽ peccatorem ſe nuncupat Apoſtolus, tanquam valde inſignẽ; vt qui perſequutus eſſet eccleſiam Dei. Vnde in priori epiſt. ad Corint. inquit, *non ſum dignus vo*- (1. Cor. 15.) *cari Apoſtolus, quoniã perſecutus ſum eccleſiam Dei*. Dubitant autem Græca Scholia; quomodo igitur in (Gr. Scho.) epiſt. ad Philipp. dixit; ꝙ erat irreprehenſibilis ſecũ- (Philipp. 3.) dum legem. Et reſpondent, quòd iuſtitia legis comparata ad fidem, peccatum erat. Et (vt ait Theophy- (Theoph.) lactus) *noctu, lucernę lux omnis, a lunę fulgore obtenebratur; ſic legis iuſtificatio a Chriſti occultatur iuſtitia, & plane tollitur*. Auguſtinus autem interpretatur, (Auguſt. Ser. de Conuer. Pau. hom. 14.) *quorum ego ſum primus*: ego primus, quia prior, quia perſecutor eccleſiæ.

R *Vt in me primo oſtenderet Ieſus omnem patientiam*. Si Deus erga perſecutorẽ ſuum tam benignus fuit, vt illum conuerteret; & faceret vas electionis; ſi in tam inſigni peccatore tanta eſt bonitate vſus; certe, huius exemplo, omnes peccatores induci deberent ad ſperandum de miſericordia diuina. Theo- (Theodor.) doretus autem ait, hæc dici ab Apoſtolo ob humilitatem; non quòd eſſet vitæ improbæ, & flagitioſæ.

S *Regi autem ſeculorum immortali, &c.* Honorẽ, & gloriam de miſericordia obtenta, & de ſibi credito Euãgelio, de gratia collata, & de alijs commemoratis, Apoſtolus refert *Soli Deo*: quod toti trinitati tribuendum eſt, cũ de Deo ſimpliciter ſit ſermo. Ambroſius autem inquit, *Hæc ad patris perſonam* (Ambr.) *pertinent, quem immortalem, ideo ſolum, & inuiſibile* (Ambroſ. in hoc cap. to. 3. edit.) *appellat, quia omnis immortalitas ab ipſo eſt, vt ipſi ſoli magis competat in veritate: quia quiſquis immor*- (Rom. c. 1.) *talis eſt, non a ſe hanc habet, ſed ab alio.*

T *Hoc præceptum commendo tibi*. Hoc refertur, vel ad dicta de Chriſto, vel ad dictum de fine præcepti tam commemorati. Secundum autem Chryſoſthomum ad hoc refertur, vt militet mi- (Chryſoſt. hom 5.) litiam, iuxta præcedentes prophetias: quod etiam innuunt Græca Scholia; nempe obſeruationis di- (Gr. Scho.) ligentiam. Hoc idem Theodoretus, qui (quod atti- (Theodor.) net ad prophetias, de quibus meminit Apoſtolus) ſupponit, Timotheum non ſolum electũ ad munus docendi per reuelationem diuinam; ſed etiam ab initio aliqua huiuſmodi ratione vocationem conſecutum eſſe. Theophylactus vero ita interpretatur: (Theoph.) *Quoniam in omnibus ſacris ordinibus, ad quos aſſum*-

ptus

ptus es, præceſſerunt reuelationes prophetiarum; iuxta illas igitur te bene geras. Aliqui referunt prophetias ad agnitionem litterarum ſacrarum, in quibus vſque a pueritia Timotheus erat inſtructus.

V *Habens fidem, & bonam conſcientiam*, Hic ſtatuit, quòd qui militat militiam bonam Chriſti, debet habere fidem, & bonam coonſcientiam; vt non ſolum dogmata teneat ſincera; verum etiam ſimul præditus ſit bona conſcientia, & vitæ ſit inculpatæ: quibus quidem conditionibus ſtatuitur officium boni Euangeliſtæ. Alioquin, qui repellunt bonam habere conſcientiam, circa fidem naufragium facillime patiuntur. Ex ijs colligitur, haberi poſſe fidem abſque bona conſcientia: & ita ſine charitate poterit eſſe fides: quamquam ei, qui hoc culpato viuendi genere implicatur, imminet periculum naufragandi etiam circa fidem.

Theodor. X *Quos tradidi Satanæ*. Theodoretus, eos (inquit) tradebat Diabolo; non vt magiſtro, ſed vt ſæuo carnifici. Ideo nõ dixit, vt eos doceret, ſed, vt docerentur non blaſphemare: & hi quidem ab eccleſiæ corpore ſeparati, & nudati gratia diuina, ab aduerſario crudeliter affligebantur, incidentes in morbos, & difficiles afflictiones, & alias calamitates. Veriſimile eſt autem, quòd hi hunc in modum caſtigati

1. Cor. 15. emendarentur. Iuxta illud Apoſtoli ad Corinthios; quòd iudicauerat tradere illum facinoroſum fornicatorem Satanæ, in interitum carnis; vt ſpiritus ſaluus ſit in die domini. Hæc quoque afferuntur a

Theoph. Theophylacto, & a Græcanicis Scholijs. Quæ etiam

Græ. ſchol. animaduertunt, quòd Apoſtolus ideo non caſtigabat ipſe, ſed tradebat Satanæ; tum, vt hinc oſtenderet, quòd poſſibile ſit Satanæ imperare; tum, vt traditi in Satanæ poteſtatem, ferrent hanc contumeliam, quòd a Satana affligerentur. Incredulos autem Apoſtoli caſtigabant per ſe ipſos; vt oſtenderẽt potentiam, quam haberẽt. Sic Paulus Elimam; ſic Pe-

Theoph. trus Ananiam; qui (ſecundum Theophylactum) eatenus erat fidei expers, vt qui Deo minus confideret. Alios vero, qui ab ipſis eruditi fuerant, ſed auerſi poſtea erant, Satanæ tradebant.

PARAPHRASIS. Cap. II.

OBSECRO igitur ante omnia, fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus; pro Regibus, & omnibus in ſublimitate conſtitutis; vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & ſanctitate. Hoc enim bonum eſt nobis, & acceptum coram Deo Saluatore noſtro, qui (quantum ad ſe attinet) vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim eſt Deus omnium; vnde & pro omnibus orãdum eſt; vnus pariter mediator inter Deum, & homines, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum pretiũ redemptionis pro omnibus. Cuius rei teſtimoniũ temporibus præfinitis a Deo confirmatum eſt: in quo, ad ipſum propalandum, poſitus ſum ego pr̨edicator, & Apoſtolus (veritatem dico in Chriſto Ieſu, non mentior) doctor conſtitutus Gentium in fide, & veritate. Volo igitur (& ita ſtatuo in omni loco) viros orare leuantes ad Deum puras manus, innocuas ab omni ſcelere, ſeorſum ab omni ira, atque diſceptatione. Similiter, & mulieres orare amictu honeſto, cũ verecundia, & caſtitate: ornare ſe ipſas non tortis crinibus, non auro, aut margaritis, aut veſte pretioſa; ſed, vt decet ornari mulieres, pietatem promittentes, atque præſeferentes opera bona. Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione. Mulieri autem docere non permitto, neque dominari viro; ſed volo, vt ſit in ſilentio. Adam enim prior formatus eſt a Deo; deinde Heua: & Adam non ſeductus eſt a ſerpente; mulier autem ſeducta in tranſgreſſionem lapſa eſt. Mulier autem viro coniuncta, per filiorum generationem ſaluabitur, ſi permaneat in fide, & charitate, & in ſanctificatione cum caſtitate.

Editio vulgata.

OBSECRO *igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt: vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate, hoc enim bonum eſt, & acceptum coram ſaluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, cuius teſtimonium temporibus ſuis confirmatum eſt. In quo poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus (veritatem dico, non mentior) doctor Gentium in fide, & veritate. Volo ergo viros orare in omni loco: leuantes puras manus, ſine ira, & diſceptatione. Similiter, & mulieres in habitu ornato: cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa: ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Mulier in ſilentio diſcat, cum omnini ſubiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum: ſed eſſe in ſilentio. Adam enim primus formatus eſt: deinde Heua, & Adam non eſt ſeductus: mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit. Saluabitur autem per filiorum generationem: ſi permanſerint in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.*

ADNOTATIONES.

OBSECRO *igitur primum omnium*. Normam propoſiturus Apoſtolus, qua ſe regat Epiſcopus in Chriſti eccleſia, & in hac militia militet digne, a generali charitatis officio ſermonẽ orditur, hortans, vt ante omnia, fiant obſecrationes, orationes, poſtulationes; quæ omnia pro eodem accipi poſſe animaduertit Theophylactus: qui tamẽ ſingula quoque inter ſe diſtinguit inquiens: quòd deprecationes (græce δεήσεις, ſunt), quibus precamur liberari a malis: orationes vero gr̨ece προσευχὰς, quibus precamur nobis Theoph.

bona) poſtulationes, græce ἐντεύξεις, ſunt, quibus interpellamus, & conquerimus de ijs, quę nos lędunt, ac pręſertim (vt animaduertit Theodoretus) contra Diaboli nequitiam, cum quo noſtra eſt colluctatio. ſecundum autem Theophylactum, ſunt preces pro perſecutoribus, pro quibus eſt orandum, ad Dei imitationem, qui ſolem oriri facit ſuper iuſtos, & peccatores. Adduntur ijs gratiarum actiones; quæ abſque dubio a prædictis diſtinguuntur. Auguſtinus autem ſcribens ad Paulinum epiſcopum refert hæc ad partes ſacrificij miſſæ hunc in modum; vt obſecrationes, ſint preces, quæ fiunt ante conſecrationem; orationes, dum benedicitur, & ſanctificatur hoſtia, & diſtribuitur, & comminuitur; poſtulationes vero, quibus benedicitur populus, & clientes miſericordiæ diuinæ commendantur. Gratiarum autem actiones habentur poſt participationem ſacramenti. Cum autem dicat Apoſtolus, preces fieri debere pro omnibus hominibus, hinc patet, quòd priora illa verba, *primum omnium*, non ita intelligenda ſunt, quòd omnium fiant preces; nam ſuperuacanee poſitum eſſet, quod ſtatim poſtea ſubiungitur, *pro omnibus hominibus*; ac propterea *primum omnium*, accipiendum eſt, pro eo, quod eſt dicere, ante omnia, & ſuper omnia, Vult autem fieri preces pro omnibus hominibus, includendo etiam reges infideles: non ſolum, vt inquit Theodoretus, *quoniam ſi illi in pace degunt, nos quoque ſumus tranquillitatis participes, & in quiete ac ſilentio leges pietatis adimplemus, ſed etiam, vt ipſi ab impietate ceſſantes, ediſcant pietatem*. Vnde & Ieremias ſcribens Iudæis, qui erant in Babilonia, eos hortatur, vt orent pro Nabucdonoſor rege. Et apud Baruc. captiui, qui erant in Babilone, ſcripſerunt ad eos qui erant in Iudęa, vt preces funderent pro Nabucdonoſor, & Baldaſar eius filio. Vult autem Apoſtolus, vt effundantur preces ad hunc ſcopum, vt vitam tranquillam agamus, non in luxu, & ocio, & in delitijs mundi. Sed, *in omni pietate*: quod nonnulli interpretantur, pro dogmatibus, & pro integritate vitæ; cum tamen, quod ſubiungitur, *ac caſtitate*, ad vitæ integritatem manifeſte referatur. Theophylactus autem inquit, dictum eſſe, *in omni pietate*; quoniam tria ſunt belli genera apud nos. Primum ad expugnationem barbarorum attinens. Secundum pendet ex priuata inimicitia. Tertium autem inteſtinum in vitijs conſiſtit. Et primum ſedatur per Imperatorem. Alia vero duo per nos, noſtroque ſtudio ſedanda ſunt; ac propterea, in omni pietate, dictum eſt ab Apoſtolo, vitam tranquillam, atque quietam agendam, a triplici dicto genere belli liberam, atque ſeiunctam.

Auguſt. ad Paul. epiſt. 59.
Ierem. 29.
Bar. 1.
Theoph.

B *Hoc enim bonum eſt*, Nempe, vt per medias orationes, vitam agamus cum pietate, & honeſtate coniunctam: *& acceptum coram ſaluatore noſtro Deo*; videlicet, vt oremus pro omnibus, etiam pro Gentilibus, vt patet ex ijs, quæ ſubiunguntur.

C *Qui omnes homines vult ſaluos fieri*. Hinc deducitur, orandum igitur etiam eſſe pro infidelibus, vt ſalui fiant. Hæc autem Apoſtoli ſententia (conformiter ad Græcos expoſitores) ita explicatur ab Ambroſio, quòd *Deus vult omnes ſaluos fieri, ſi & ipſi velint*; a quo etiam accipitur Dei voluntas libera, & a nulla conditione limitata. Quam tamen interpretationem non admittit Auguſtinus: propterea quòd inquit, ſic excluderentur paruuli, qui non habent liberum arbitrium, quo velint eſſe ſalui. Et ſi de adultis intelligatur, quomodo (inquit) dictum erit in Euang. apud Matt. *ſi in Tyro, & ſidone facta fuiſſent quæ in te, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent*. Idcirco ipſe intelligit, quòd vult Deus omnes ſaluos fieri, id eſt de omni genere hominũ: iuxta illud ſaluatoris; *decimatis mentam, & rutam, & omne olus*: id eſt, omne genus olerum; ſic de omni genere hominum, ſaluos quoſdam fieri interpretatur Auguſtinus. Verum contra hanc Auguſtini expoſitionem hæc afferri poteſt inſtantia, & quæri ab eo; num etiam non ſint vnum genus hominum infantes, qui in vtero materno moriũtur? item, ſi Chriſtus (vt dicitur hoc loco) mediator eſt omnium; ergo ſecundum omnes homines, & ſecundum ſingulus eſt mediator. Præterea apud Petrum; Deus nõ vult aliquos perire, *ſed omnes ad pœnitentiam reuerti*. Affert etiam aliam interpretationem Auguſtinus, ꝙ quiſpiã ſaluus non fiat, niſi quẽ Deus voluerit fieri ſaluum; ſicut illud; *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; pro eo quod eſt; qui illuminatur, non niſi a Deo illuminatur. Aliqui alij intelligunt, quòd Deus vult omnes homines ſaluos fieri; voluntate ſigni, quatenus præcepta dederit pro ſalute omnium; ſed non ſecundum voluntatem beneplaciti. Quidam alij ſic; quòd eſt Dei voluntas optans, ſicuti illud; *pater, quos dediſti mihi, volo, vt ibi ego ſum, & illi ſint mecum*.

Ambr. c. 2.
Auguſt. Enchir. c. 103.
Matt. 11.
Matt. 23.
2. Pet. 3.
Auguſt. in Enchir.
Ioan. 1.

Verum illud occurrit adnotandum, dici ab Apoſtolo, quòd *Deus vult omnes ſaluos fieri*, quæ dictio, *fieri*, paſſiue accipitur: ſicuti, & apud Gręcos dictio iſta, σωθῆναι, in paſſiua ſtat ſignificatione. Idcirco aduertendum; quòd aliud eſt dicere, Deus vult omnes ſaluos facere, in qua enunciatione, Dei ſimplex uoluntas explicaretur nulli alij rei adiuncta: & aliud eſt dicere, quòd vult *ſaluos fieri*: ita enim eſt dicere, quòd eſt ex Dei voluntate, vt omnes ſalui fiant, ita quidem, ut & homines requirantur, qui propriam induſtriam conferãt, ut ſalui fiãt: ſicuti etiam vult omnes ad agnitionem veritatis venire: ita quidem, vt & ipſi veniant, & accedant; ſuppoſita tamen ſemper Dei gratia præueniente, vocante, & auxilium præbente; ſine qua non fieret ſaluus vllus homo, Quod vero obijci poteſt de infantibus, qui decedunt abſque baptiſmo, præſertim qui in vtero materno moriuntur, id (vt nobis occultum) diuino eſt iudicio relinquendum. Illud autem de Tyro, & ſidone, aduertendum apponi in codice græco particulam hanc ἄν circunſcriptiuam, latine, *fortaſſe*, ſignificantem; adeo ut dicatur; quòd ſi in illis facta fuiſſent, quæ in Corozaim, fortaſſe pœnitentiam egiſſent. Ex quo etiam inferri poteſt, quòd fortaſſe non egiſſent pœnitentiam; atque ideo apud eos facta non ſunt, quæ apud Iudæos, quibus Chriſtus miſſus erat. Dubitat autem hoc loco Theophylactus, ſi eſt diuinæ voluntatis, ut omnes ſalui fiant; quorſum igitur tendunt preces? Et reſpondet, Deum hoc

Ioan. 17.
Theoph.

per-

permagni facere, vultque preces ad ſalutem plurimum conferre; quippe quæ nos miro animi coniungant affectu ad Deum, neque ſinunt Gentiles, vt in nos efferantur: item ſimile veri, vt, uobis deprecantibus, illi ad fidem deducantur.

D *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum*. Ex ijs videtur confirmari, quòd Deus vult omnes ſingulatim fieri ſaluos; quandoquidem & vnus eſt Deus omnium, vnus & mediator inter Deum & hominem, ad ſalutem hominum procurandam: is eſt homo, Ieſus Chriſtus: qui hac ratione eſt mediator ad Deum, quatenus & Deus eſt: idem vero & mediator eſt hominum, quatenus etiam homo eſt: mediatorem autem ita ſe prębuit Chriſtus, cum, ſecūdum humanitatem aſſumptam, obtulit ſe hoſtiam placabilem Deo pro nobis omnibus, atque ita per ipſum mediatorem ſalui ſumus. Quod, quo ad ſufficientiam, de omnibus verum eſt; quo autem ad effectum, non in omnibus; ſed in multis verum erit. Vnde dixit dominus de ſanguine ſuo; *qui pro vobis & pro multis* [Matt. 26.] *effundetur*. Theodoretus autem hunc locum [Theodor.] explicans, inquit. *Sicuti, ſi quis inter ſe conferentes manus vult reconciliare, ſe medium interponens, hunc quidem dextera, illum vero ſiniſtra tenens, ad amicitiam reducit, atque coniungit; ita, cum Chriſtus diuinam naturam humanæ vniſſet, inuiolabilem, & quæ diſſolui non poteſt, pacem conciliauit*. Ponderant autem Theophylactus, & Greca Scholia, nō [Theoph. Gr. Scho.] fieri hoc loco mentionem de Deo, ſpiritu ſancto, licet de patre; & de filio; ſed neque de filij diuinitate clare diſſeri: Idque, ne exiſtimaretur, plures Deos induci; cum præſertim de Gentilibus eſſet ſermo, pro quibus orandum, ut ad agnitionem veritatis perueniant.

E *Cuius teſtimonium temporibus ſuis confirmatum eſt*. Secundum Ambroſium, id effectum eſt [Ambr. c. 2.] ex deſcenſu ad inferos, & ex reſurrectione, nec non ex prædicatione Apoſtolorum, confirmante eam Deo ſequentibus ſignis.

F *Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus &c.* Vt doctor Gentium, præſcribo (inquit) vobis modum orandi. Et cum dicit, *in omni loco*; ita communiter exponitur, vt non ſolum Ieroſolimis, ſed vbique ſit orandum. Verum poteſt etiam ita intelligi. Volo, & ſtatuo hanc legem, *in omni loco*, ideſt, vbique, vt in orando obſeruent tam viri, quàm mulieres, eam, quam deſcribit formam. Et huic ſententiæ reſponderet illud, quod habetur [1. Cor. 16.] in priori epiſt. ad Corinth. *Sicuti & in omnibus eccleſijs ſanctorum doceo*. Præſcribit autem legem, vt viri orent; *leuantes manus puras*: ideſt, non rapina, non homicidio, uel alio ſcelere coinquinatas. Illud vero, *ſine ira, & diſceptatione*: interpretantur Chriſoſtomus; Gręca Scholia, & Theodoretus id eſt, non [Chryſoſt. Gr. Scho. Theodor.] cum rixa apud homines, neque cum dubietate, & hæſitatione apud Deum. Sed & hoc, *cum diſceptatione*, poſſemus interpretari, quòd non diſceptarent inter ſe, dum vacandum eſt orationi.

G *In habitu ornato*. Græci habent, *ἐν καταστολῇ* ideſt ſtola, & amictu quodam, qui vndequaq; hominem cōtegat; vt exponit Theophylactus. [Theoph.] Ex quo colligitur, ſermonem hic eſſe de publica oratione.

H *Adā enim primus formatus eſt*. Ideo primatū tenet ſuper muliere; iuxta illud etiā ad Cor. *Non eſt* [1. Cor. 11.] *creatus vir propter mulierē, ſed mulier propter virū*.

I *Adam non eſt ſeductus*. Theodoretus explicans [Theodor.] hunc locum, formiter ad Græcanica Scholia, inquit, Adam non fuit ſeductus, pro eo quod eſt, non primus. De muliere autem patet, quòd fuit ſeducta, cum dixerit ipſa Deo; *ſerpens decepit me*: Adā [Geneſ. 3.] vero dixit; *mulier dedit mihi*: non dixit, decepit me. Item mulier vidit lignum pulchrum ad veſcendum, & collegit fructum; non Adam: qui obtemperare voluit mulieri, ne illi diſpliceret; & ideo nō proprie deceptus fuit Adam, in cōparatione mulieris, a qua initium fuit ſubuerſionis. Et idcirco mulieri non permittenda facultas docendi, ſed diſcendi; vt quę facile decipi ſua mobili natura poſſit. Addit Theodoretus, quòd Apoſtolus ad propoſitum ſuum, nempe ad pręceptum dandum mulieribus, contexit orationem. Et idcirco (vt adnotauit Theophylactus) non Heuam, ſed [Theoph.] mulierem nominauit; inſinuans de genere muliebri ſuum eſſe ſermonem. Auguſtinus autem in lib. [Auguſt lib. 14. de Ciuit. Dei c. 11.] 14. de Ciuit. Dei; ſeductam Heuam ait; vt quę quod fecerit, non putauerit eſſe peccatum; Adam autem ſciuit, ac propterea peccauit. *Sed inexpertus*, inquit, *diuinæ ſeueritatis, in eo falli potuit, & noluit ab vnico conſortio dirimi nec in cōmunione peccati; nec ideo minus reus, ſi ſciens, prudenſque peccauit. Vnde & Apoſtolus, non ait*, non peccauit; *ſed non eſt ſeductus*.

K *Saluabitur autem per filiorum generationem*. Et ſi non decet, vt mulier ipſa doceat; attamen non deerit illi munus, atque via, qua ad ſalutem perduci poſſit; nempe, per generationem filiorum. *Si permanſerit in fide, & dilectione cum ſobrietate*. Hæc de educatione filiorum dicta eſſe, nonnulli interpretantur: nempe, quòd mulier præſtare habet filios, qui permaneant in fide, & dilectione cum ſobrietate. Aduertendum autem, quòd editio vulgata habet, *ſi permanſerit in fide, & dilectione* &c. Græci autem codices legunt in plurali, *ἐὰν μείνωσιν*, quod de filijs intelligendum videtur; qui, ſi permanſerint in fide, & dilectione, præbebunt matri occaſionem, vt ſaluetur; vt hinc oſtendatur, quàm magni interſit, vt filij bene a parentibus educentur; adeo quòd ipſis imputandum, ſi in fide, & dilectione filij non permanſerint. At ſi non permanſerint filij in fide, & dilectione, mulier non ſaluabitur? Theophylactus, & Græcanica [Theoph. Græ. ſchol. Theodor.] Scholia, referunt hæc ad filiorum educationem. Theodoretus autem videtur referre ad mulieres, & non ad filios, dum inquit. *Non modo, ſi voluerint, ſaluabuntur; ſed maximam etiam vtilitatem capient per fidem, & charitatem, ſeruantes ſanctificationem, & caſtitatem*. Neque vero videtur abſurdum, quòd in plurium numero dictum ſit; *ſi permanſerint*, cum de muliebri genere ſit ſermo; quamuis prius ſingulariter dictum ſit, quòd ſaluabitur mulier, transferendo, a ſingulari ad plurium perſonas, orationem. Et, pro hac expoſitione comprobanda, eſt ponderandum, quòd non minus accuſandi ſint viri, quàm mulieres de pra-

tia filiorum educatione. Accedit quòd & filij rebelles patribus inueniri poſſunt, qui eorum optimis præceptis non obtemperent, vnde de huiuſmodi filijs nulla culpa in parentes videretur transferenda. Ideo præſtat ita interpretari; quòd mulier, *per generationem filiorum*, idest, quæ nupta ſit vito ad filios procreandos, ſaluabitur in hoc ſtatu; ſi in fide, & dilectione permanſerit cum ſobrietate. De virginibus autem nulla hic eſt mentio; ſed de mulieribus tantum iunctis in matrimonio.

PARAPHRASIS. CAP. III.

FIDELIS ſermo, quem nunc ſubijcio. Si quis epiſcopi munus deſiderat, opus, quod bonum eſt, deſiderat; dum onus optat, non honorem. Oportet enim epiſcopum, qui ad tam præclarum opus ſit idoneus, eſſe irreprehenſibilem, abſque macula, & nota vitij; vnius vxoris virum, non bigamum; ſobrium, ad vigilandum ſuper gregem; prudentem, honeſtum, omnique ex parte bene moratum; hoſpitalem, & ad docendum idoneum; non vinolentum; non percuſſorem, non turpis lucri cupidum, non litigioſum; non auarum, domui ſuæ bene præpoſitum, filios habentes, ſibi ſubditos, & obſequentes in omni caſtitate, & honeſtate vitæ. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo eccleſiæ Dei curam habebit? Sit idem non neophitus, in Chriſti religione recenter aſcitus, ne elatus in ſuperbia ob gradum honoris, in eam incidat condemnationem, in quam Diabolus ex ſua arrogantia cecidit. Oportet autem & ipſum habere bonum teſtimonium ad eos qui foris ſunt; ne, ſi forte male apud eos audierit, incidat in opprobrium, & in laqueum Diaboli, probris, & iniurijs laceſſitus. Diaconos ſimiliter oportet eſſe pudicos, non bilingues, vt non conſtent ſibi in ijs, quæ loquuntur; non multo vino deditos; non turpe lucrum ſectantes; habentes myſterium fidei, quod alijs depromant, in conſcientia bona. Et hi quidem probentur primo; deinde ad munus diaconatus aſſumantur. Mulieres ſimiliter oportet eſſe pudicas, non criminatrices, ſobrias, in omnibus rebus fideles. Sint autem & Diaconi vnius vxoris viri, non bigami, qui ſuis filijs bene præſint, & proprijs domibus. Qui enim bene domum ſuam miniſtrauerint, gradum ſibi bonum acquirunt, & multam fiduciam in fide adminiſtranda, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Hæc tibi ſcribo fili Timothee, ſperans me ad te venire cito. Quòd ſi tardauero, per hæc ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt eccleſia Dei viui; columna, & firmamentum veritatis; & manifeſte (citra controuerſiam) magnum eſt pietatis, & religionis ſacramentum, hæc ipſa continens. Deus manifeſtatus eſt in carne, quam aſſumpſit, eam vniens diuinę naturæ in vna, eademque perſona. Iuſtificatus eſt in ſpiritu, in humanitate aſſumpta. Apparuit, & innotuit Angelis, Prædicatus eſt Gentibus. Creditus eſt in mundo, Aſſumptus eſt in gloria.

Editio vulgata.

FIDELIS *ſermo. Si quis epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Oportet ergo epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem: ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſuæ domui bene præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit: quomodo eccleſiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum: ne in ſuperbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. Oportet autem illum, & teſtimonium habere bonum ab ijs, qui foris ſunt: vt non in opprobrium incidat, & laqueum diaboli. Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes: habentes myſterium fidei in conſcientia pura. Et hi autem probentur primum: & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes. Mulieres ſimiliter pudicas, non detrahentes, ſobrias, fideles in omnibus. Diaconi ſint vnius vxoris viri: qui filijs ſuis bene præſint, & ſuis domibus. Qui enim bene miniſtrauerint, gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in fide quæ eſt in Chriſto Ieſu. Hæc tibi ſcribo: ſperans me ad te venire cito. ſi autem tardauero: vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis. Et manifeſte magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prędicatum eſt Gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria.*

ADNOTATIONES.

FIDELIS *ſermo*. Chryſoſtomus hæc refert ad immediate dicta de mulieribus. Alij ad ea, quæ ſubiunguntur de epiſcopatu. Appellat autem Apoſtolus hunc ſermonem fidelem, ad differentiam falſæ, ac vanæ doctrinæ, de qua in primo cap. mentio facta eſt. A Chryſoſt. hom. 9.

B *Si quis epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*: Dictio illa, *epiſcopatum*, græce legitur, *ἐπισκοπῆς*, qua voce ſignificatur opus, onuſque prouidendi, & vigilandi ſuper ſubditos; quibus debet ſe præſtare paſtorem, qui præeſt: ſubditi vero epiſcopo, vt grex ſubijci debent. Hanc autem tantá excellentiam huius officij ſibi aſſumere, eſt indicium ſuperbiæ, & hoc faſtu, neque quæri, neque deſiderari poteſt epiſcopatus. Opus autem, quod eſt exercendum: nempe curam gerendi animarum, deſiderari poteſt; vti etiam laudabile, & optimum eſt deſiderium poſſe pauperum curam gerere: & modeſtum ſe exhibere; aut vitam monaſticam ducere; ita tamen, vt aptitudo ad munus epiſcopale includatur, non præſumpta, ſed deſiderata; ſine qua, hoc tam preclarum opus perfici nequit, quod & ad Dei gloriam eſt perficiendum. Vnde Græca ſcholia inquiunt: *honeſtum opus muneris, ac pręſidentiam deſiderat; modo plurium iuuandorum gratia, & non* Græ. ſcho.

propter

propter gloriam deſideret: Epiſcopus enim, ſiue ſpeculator eſt, quòd vniuerſos ſpeculetur, & obſeruet: quoniam, & Moyſes cupierat; at non propter gloriam, ſed propter vtilitatem multis ferendam.

C *Oportet enim epiſcopum.* Loco huius particulæ, *Enim*, græce legitur, οὖν, pro eo, quod eſt, *Igitur*. Vnde, ſi vulgata lectio ſeruetur, redditur ratio, quare bonum opus deſiderat, qui epiſcopi munus deſiderat. Siquidem oportet, epiſcopum ornatum eſſe virtutibus, & carere vitijs, quæ hic recenſentur. Si autem græca lectio retineatur, dicendum erit, inferri ex conſequentia, quæ requiruntur in eo, qui epiſcopi opus digne ſit executurus.

D *Irreprehenſibilem eſſe.* Id eſt, eiuſmodi vitæ virum, vt non ſit aliquo crimine maculatus, præſer- Gr. Scho. tim inueterato, & notorio. Græca ſcholia dicunt, *vt nullius mali ſibi ſit conſcius; alioquin malefacit, cupiendo epiſcopi munus.*

Gr. Scho. E *vnius vxoris virum.* Græca ſcholia: *non ſtatuit,* (inquiunt) *Apoſtolus, vt ab vxore pendeat epiſcopus, ita quòd neceſſario vxorem habeat; ſed, ſi fiat e mundanis, non ſit ſaltem bigamus.* Quę interpretatio conſentit ijs, quæ habentur infra de viduis, dum 1. Timot. 5. dicitur. *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor:* Nam ſi hoc in viduis exigitur, quanto magis in ſacerdotibus, & epiſcopis? & hoc quidem, tum ad continentiam inſinuandam, qua præditus eſſe debet, qui ad ſacra facienda cōſtituitur; tum ad ſignificandum myſterium eccleſiæ, quæ eſt vna ſponſa, vni coniuncta viro Chriſto. Hinc, qui duas vxores habuerit, tanquam irregularis, non promouetur ad ſacros ordines, niſi ex diſpenſatione ſummi Pontificis Romani. De ijs autem, qui ante baptiſmum duas vxores duxerint, vel vnam ante baptiſmum, & Hieron. aliam poſt baptiſmum; Hieronymus cenſet, hos nō incurrere in irregularitatem, quæ per baptiſmum (ſicut etiam peccata) deletur, & aufertur. Cōtra au- Auguſt. in lib. de bon. coniu. c. 18. tem Auguſtinus, nullum diſcrimen agnoſcit inter vtrumque ſtatum; tum, quoniam facta ante baptiſmum matrimonia, non poſſunt infecta reddi; tum quoniam celebratum apud Gētiles matrimonium, non eſt peccatum. Non defuerunt autem, qui hoc ipſum, quòd epiſcopus vnius vxoris vir debeat eſſe, ita ſunt interpretati, quòd non debeat epiſcopus ab vna eccleſia tranſire ad aliam; ſed cum ea, qua cum connubium ſemel fecit, manere ſemper: adeo quòd trāſeundo ad aliam, cōmittatur adulterium. Quam Theoph. expoſitionem reijcit Theophylactus, tanquam inconſideratam. Siquis autem habens vxorem, aſſumatur ad epiſcopatum, vti contigit olim in primitiua eccleſia ob paucitatem eorum, qui apti eſſent ad hoc munus (ſicuti notum eſt de S. Germano Antiſſidorien.) non tamen penſandum eſt, quòd huic, poſtquam fuerit initiatus ad epiſcopatum, vltra liceat, rei vxorię operā dare. Etenim, ſi de laicis 1. Cor. 7. agēs Apoſtolus in priori epiſt. ad Corin. vult, quòd vxorati abſtineāt a copula, orationi, & ieiunio dum ſint vacaturi; & quid tādem dicendum erit de continentia, quam debeat ſacerdos præſtare, qui aliorum curam gerit, & ſacra in dies peragit?

F *Doctorem.* Græce, διδακτικόν, ideſt ad docendum aptum, tum doctrina, tum expreſſione accommodata.

G *Non percuſſorem.* Græce, μὴ πλήκτην, per hoc intelligens Apoſtolus (vt explicat Theophylactus) non eum, qui manibus quemquam affligat; ſed qui intempeſtiue inceſſat, & fratrum percellat animos. Vnde infra; dum dicitur, *ſeniorem ne increpaueris;* eadem hæc vox, μὴ ἐπιπλήξῃς, vſurpatur.

H *Domu ſuæ bene præpoſitum.* In hoc pene clauditur approbatio viri, qui ſit cenſendus aptus muneri epiſcopali. Nempe, vt domui ſuæ bene præeſſe ſciat: id tamen non ſufficit: verum, ſine hac approbatione, non iudicandus aptus. Nam ſi comperiantur filij bene educati, bonisque moribus inſtructi, vt decet hominem chriſtianum; argumentum hinc præclarum ſumendum eſt, quòd & pater ſit virtutibus præditus, & ad alios moderandos, idem idoneus.

I *Non neophitum.* Non repellit iuuenes, cum Timotheus iuuenis fuerit ad epiſcopatum aſſumptus; ſed eum, qui nouus, & recens exiſtat in chriſtianiſmo, vt vix imbiberit fidei articulos: & hoc pręcipit Apoſtolus, *ne in ſuperbiam elatus, in iudicium incidat Diaboli.* Ob ſuperbiam damnatus eſt Diabolus; ita qui recentes ſunt in chriſtiana religione, ſi ad gradus maiores euehātur, facile incidunt in peccatum arrogantiæ, atque ſuperbiæ. Quod & Ariſt. in 2. lib. Reth. animaduertit contingere ferme ſemper his, qui, ex humili ſtatu, ad altiorem gradum perueniūt.

K *Oportet autem illum, & teſtimonium habere bonum ab ijs, qui foris ſunt.* Communiter intelliguntur Gentiles; apud quos, dicat Apoſtolus, quòd epiſcopus debet bene audire. At diceret aliquis, Gentilibus non præeſt epiſcopus. Idcirco per eos, qui foris ſunt, poſſemus etiam intelligere extraneos a domo epiſcopi; vt non ſit ſatis, quòd domui ſuæ bene ſcierit præeſſe; ſed etiam oportet, vt bene ſentiant de ipſo ſubditi, qui a domo ſua ſunt extranei. Alioquin, contemneretur, & in plurima caderet incōmoda, quæ diabolus ſuggereret aduerſus ipſum; vt hinc aut deſperaret, aut inimicitias contraheret. At ſi bonus ſit, & tamen per calumniam non probetur (inquit Theophylactus) hunc non admitten- Theoph. dum; *quoniam non ſunt multorum lucem ſpectantium, & improbantium animi obturbandi.*

L *Diaconos ſimiliter.* Sicut habetur in Act. Apoſt. Act. 6. Diaconi hoc munere fungebantur, vt miniſtrarent menſis; ac præſertim in Euchariſtia conferenda; & per impoſitionem manuum ordinabantur.

M *Habentes myſterium fidei in conſcientia pura.* Quidam intelligunt de conſecratione calicis; vbi hæc verba, *myſterium fidei*, adhibentur. Alij refe- Matth. 27. runt ad prædicationem fidei, quæ ſita eſt in myſterio, & continet arcana Dei. Et huic interpretationi conſentire videntur, quæ præcedunt: *vt non ſint bilingues:* id eſt, veritatem fidei puram denuncient. At diceret aliquis, ſi epiſcopus debet eſſe aptus ad docendum, tanquam hoc munus proprie ei conueniat; quorſum hoc idem docendi munus attribuere etiam Diacono? Reſponderi ad hanc dubitationem poteſt; quòd in auxilium epiſcopi, docendi officio fungetur etiam Diaconus. Aut illud, *non bilingues,*

linguer,interpretandum;quòd non vni alia,& alteri
alia, ſed ipſam veritatem conſtanter cum omnibus
enuncient.

Theoph. N *Mulieres ſimiliter pudicas*. Theophylactus,
Theodor. & Theodoretus, de mulieribus miniſtrantibus in
eccleſia Dei dictum hoc interpretantur: miniſteriũ
illud innuentes,quod etiam præſtabant Chriſto &
Apoſtolis,mulieres ipſum ſequentes; de quo eſt
Matth. 27. mentio in Euang,apud Matth.vbi dicitur.*Erant au-
tem ibi mulieres multæ a longe, quæ ſecutę erãt Ieſum
a Galilea,miniſtrantes*, *&c.* Non quòd mulieres in
gradum quendam eccleſiaſticum ordinarentur, ve-
luti in diaconiſſas, vt ſtulte ac perperam Catafriges
hæretici cenſuerunt. Alij cenſent in genere de
mulieribus eſſe ſermonem. Forte non inepta ex-
poſitio, ſi diceretur, Apoſtolum loqui de mulieri-
bus,quæ eſſent de familia Diaconorũ; nẽpe requi-
ri,vt & hæ ſint pudicæ,ad hoc, vt eligatur aliquis in
Diaconum. Quod videtur maxime conueniens:
quandoquidem, non decens eſſet, vt eligatur in
Diaconum eccleſiæ, qui huiuſmodi turpi nominis
mulieres habeat inter domeſticos parietes.

O *Qui enim bene miniſtrauerint, gradum bonum
Theodor. ſibi acquirent,& multam fiduciam in fide.* Theodore-
tus intelligit de Diacono;qui,ſi bene miniſtrauerit,
acquiret in vita ſumma gradum præſtantiſſimum.
Theoph. Theophylactus per,*gradum*, intelligit. *profectum*,vt
ab infimis ad ſumma pertingat faſtigia;vt in fide fi-
duciæ plurimum nanciſcatur, id eſt, maiorem ſibi
gloriam pariat; non in mundanis dignitatibus, ſed
in fide,hoc eſt in cunctis,quæ ad opera fidei, & ad
ſermonem attinent, vt a Diaconatus gradu, ad ſa-
cerdotium, a ſacerdotio ad epiſcopatum proueha-
tur. Conſimilem interpretationem attulit etiam
Ambr. c 3. Ambroſius, dicendo, quòd hi ad altiorem gradum
ſunt aſſumendi.

Animaduertendum autem,verba illa, *qui bene
miniſtrauerit*, referri poſſe, tum ad miniſterium fa-
ctum in Diaconatu, tum ad regimen propriæ do-
mus. Vnde interpretari ita etiam poſſemus, quòd
qui bene domum propriam adminiſtrauerit, *gradũ
bonum ſibi acquirit*, græce habetur, βαθμὸν, hoc eſt,
grauitatem boni nominis acquiret ſibi, & multam
fiduciam in fide Chriſti, vt ita poſſit hæc confiden-
ter committi,curę,huiuſmodi viri ex bono regimi-
ne propriæ domus approbati. Et hæc cohærebunt
cum præcedentibus,vbi dictum eſt, quòd Diaconi
debent eſſe vnius vxoris viri, qui filijs bene pręſint,
& ſuis domibus, vt ijs hæc deinde ſubiungantur;
qui enim bene miniſtrauerint, &c. quibus innuatur,
bona in domo propria facta adminiſtratio. Quem-
admodum etiam paulo ante dictum eſt de Epiſco-
po:*ſi quis autem domui ſuæ pręeſſe neſcit,quomodo ec-
cleſiæ Dei diligentiam habebit?*

Græ.expoſ. Dubitant autem hoc loco Gręci expoſitores, cur
de epiſcopis,& Diaconibus,non autem de presby-
Græ. ſchol. teris ſit ſermo. Et reſpondent Græca ſcholia cum
Theoph. Theophylacto, quòd commemoratione epiſco-
porum, ſunt etiam comprehenſi presbyteri, vt illi,
quibus (vt ait Theophylactus) iniunctũ eſt, vt alios
inſtruant,& præſint eccleſijs. Veluti ſunt, qui no-
minantur Curati,& Parochi,qui, ex ſentẽtia Theo-
phylacti, ſunt inferiores Epiſcopis ſola cõſecratio-
nis ceremonia. Verũ, & de presbyteris ſub nomine
presbyterorum eſt mentio infra: Vbi dicitur,*quòd* 1. Timo.5.
*qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni ha-
beantur,maxime, qui laborant in verbo, & doctrina.*
Ponderandum eſt etiam, quòd Parochi exercent,
opus ſimile operi epiſcopali, dum præſunt cuidam
parti, & congregationi fidelium, quorum curam
habent.Vnde exiſtimari poſſunt Parochi conſtituti
in adiutorium Epiſcopi, qui vnus, tanquam ca-
put,debet pręeſſe in regimine ciuitatis, ſeu diocæ-
ſeos; ſub quo plures Parochi regantur, & ipſi re-
gant, in partem ſolicitudinis cuique commiſſam,
incumbentes.Epiſcopus autem ſub Archiepiſcopo;
hic ſub Patriarcha,ſeu Primate ſubeſſe debet;ut ita
tandem ad vniuerſalem vnum totius eccleſiæ Epi-
ſcopũ deueniatur,qui Chriſti vices in terris teneat,
eiuſque exerceat poteſtatem: quã Chriſtus in vno,
vti omnium capite,ſummoque Põtifice,conſtitue-
re voluit;dum Petrum, primum vniuerſalem Epi-
ſcopum ſuæ eccleſiæ præfecit; cuius locum obti-
net,& vices gerit Pontifex Romanus.

P *In domo Dei*. Quæ, vt diſtinguatur a templo
illo Iudæorum, ideo ſubiungitur, *quæ eſt eccleſia
Dei viui*; nempe congregatio fidelium, in quibus
Deus viuit,ipſique viuunt ſecundum ſpiritum Dei:
Columna,& firmamentum veritatis:In hac enim ha-
betur de Deo firma,& immutabilis veritas. *Et ma-
nifeſte magnum eſt pietatis ſacramentum*. In hac ec-
cleſia cõtinetur magnum ſacramentum(gręce my-
ſterium) religionis,qua Deus colitur: hęcq; mani-
feſte conſtat;ut non ſit in vmbra veritas ſub tegu-
mẽtis, prout apud Hebręos,quibus omnia in figu-
ra contingebant. Dicitur autem myſterium (vt ex- 1. Cor. 10.
plicat Theodoretus)quoniam, quòd Chriſtus eſſet
Deus,antea ignotum erat.Et(vt inquit Theophyla- Theodor. Theoph.
ctus)quòd Deus fuerit incarnatus,neminem latuit;
incarnationis vero modus multos latuit, & ideo
myſterium eſt. Huius autem manifeſtationis ex-
plicationem affert Apoſtolus, inquiens, *quod ma-
nifeſtatum eſt in carne*. Quæ verba, Gręca exem-
plaria ita legunt:*Deus manifeſtatus eſt in carne*;dum
ſcilicet. Verbum caro factum eſt: *iuſtificatum eſt in
ſpiritu*: Aut,dum de ſpiritu ſancto natus eſt, quẽ in
plenitudine accepit.Aut,quoniam ſpiritus ſanctus Ioan. 1.
in ſpecie columbę apparens,teſtificatus eſt de ipſo,
dum dictum eſt a patre,*hic eſt filius meus dilectus,in* Matt 3.
quo mihi complacui. Aut,quoniam nihil perperam
egit,neque dolus inuẽtus eſt in ore eius. Aut deni- 1.Pet.2.
que,quoniam in ſpiritu opera fecit,eijciens dęmo-
nia,vt interpretatur Theodoretus. *Apparuit Ange-* Theodor.
lis,qui acceſſerunt miniſtrantes ei: necnon Angeli Matt. 4.
multa didicerunt per eccleſiam,quę prius illis erãt
incognita:quemadmodum in Adnot.G.cap.3. epi-
ſto.ad Epheſ.explicatum eſt. Clemens autem in ſe- Clem.7.Inform.
ptimo Informationũ inquit: *nobiſcum viderũt An-
geli Chriſtum,cum prius non vidiſſent; nõ tamen ſicu-
ti ab hominibus viſus eſt*. Dubitant vero hoc loco
Gręci expoſitores, cur Apoſtolus, ſcribens Roma-
nis,vel Corinthijs,& alijs plurimis,multa ipſis pro-
poſuerit ad mortificationem attinẽtia,quę,pręſcri-
bens hoc loco epiſcopis formam ſeſe regendi, prę-
termiſit:

termiſit: Et reſpondent, hoc ideo factum, quoniam huiuſmodi perfectionis homines pauci ſeperiuntur. Voluit autem Apoſtolus illam tradere legum formam epiſcopis (interim nulla habita de perfectione chriſtianiſmi cõſideratione) quæ poſſet ſufficere, & apud homines inueniri: cum præſertim hę regulæ, atq; leges ad totum Chriſtianiſmum eſſent dirigendæ. Eiuſmodi enim eſt hæc Pauli epiſtola, quæ ad omnes eccleſiarum epiſcopos pro norma regiminis eccleſiaſtici, inſeruire habeat. Ex quo colligitur, interpretationem illam allatam ad ea verba poſita in calce epiſtolæ ad Coloſſ. quòd deberet apud ipſos legi epiſtola, quæ erat e Laodicea, intelligendo de hac prima ad Timot. exarata, non ab re, vti germanam illius loci, præ alijs explicationibus, a nobis fuiſſe commendatam: iuxta ſententiam quoque Theophylacti, prout ibi explicatũ eſt.

PARAPHRASIS. Cap. IIII.

SPiritvs autem ſanctus Dei, manifeſte dicit, quòd in nouiſſimis temporibus ad hæc conſequentibus, nonnulli diſcedent a fide, attendentes ſpiritibus impoſtoribus, errores ſerentibus, & doctrinis dęmoniorum hęc operantium in hypocriſi hominum, loquentium mendacium, & cauteriatam vitijs habentium propriam conſcientiã, prohibẽtium nubere, & veſci cibis; quos Deus creauit, vt perciperẽtur cum gratiarum actione a fidelibus: qui cognouerunt hanc veritatem, quòd quicquid creauit Deus, eſt bonum, & nihil inter hęc eſt reijciendum, quod in cibum ſumatur cum gratiarum actione. Siquidem omne ſanctificatur per verbum Dei, & oratione, qua Dei benedictionẽ precamur. Hæc proponens fratribus, bonus eris miniſter Ieſu Chriſti, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam aſſecutus es. Ineptas autem, & aniles fabulas deuita: exerce autem te ipſum circa munera pietatis; Nam exercitatio corporalis ad modicum vtilis eſt: pietas autem ad omnia vtilis, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futurę. Fidelis eſt hic ſermo, omni acceptatione dignus. In hoc enim, & laboramus, & probris afficimur, quæ alacri animo ſuſtinemus, quoniam ſpem noſtram in Deo poſitam habemus, qui omnium quidem hominum eſt ſaluator. (vt qui nullum arceat a ſalute, ſed velit omnes ſaluos fieri) maxime autem eſt ſaluator fidelium; quos peculiaribus proſequitur fauoribus, & auxilijs, vti ſibi obedientes. Pręcipe hęc, & doce. Nemo adoleſcentiam tuam contemnat. Sed ita te geras, vt exemplum ſis fidelium, in ſermone, in cõuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate, & ſinceritate vitę. Dum ad te venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinę. Caue ne ſpernas gratiam, quę in te eſt, tibi collatam per prophetiã cum impoſitione manuum presbyterij. Hęc meditare; in his eſto; ita quidem, vt profectus tuus omnibus ſit manifeſtus. Attende tibi, & doctrinę: inſta in illis, hoc enim faciẽs, & te ipſum ſaluum facies, & alios, qui te audient.

Editio vulgata.

SPiritvs autem manifeſte dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere, abſtinere a cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs, qui cognouerunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. Hæc proponens fratribus, bonus eris miniſter Chriſti Ieſu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ quam aſſecutus es. Ineptas autem, & aniles fabulas deuita: exerce autem teipſum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio, ad modicum vtilis eſt: pietas autem ad omnia vtilis eſt promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futurę. Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus. In hoc enim laboramus, & maledicimur: quia ſperamus in Deum viuum, qui eſt ſaluator omnium hominum, maxime fidelium. Præcipe hæc, & doce. Nemo adoleſcentiam tuam contemnat: ſed exemplum eſto fidelium in verbo, & in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. Dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinę. Noli negligere gratiam quę in te eſt: quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterij. Hęc meditare, in his eſto: vt profectus tuus manifeſtus ſit in omnibus. Attende tibi, & doctrinæ: inſta in illis. Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos, qui te audiunt.

ADNOTATIONES.

IN *nouiſſimis temporibus*. Gręce, *ὑστέροις*, nempe poſterioribus, ſubſequentibuſque ſeculis, ad illud tempus, quo hęc ſcribebatur epiſtola: quemadmodum, & in ſequenti epiſtola cap. 3. vtitur hac voce Apoſtolus: *in poſtremis diebus*, gręce, *ἐν ἐσχάταις ἡμέραις*, ad inſinuandum, ꝙ ſucceſſiuo tempore, vſque ad finem mundi, ſemper vigebunt fallacię, & hęreſes pullulabunt, & augmentabuntur, magis autem prope finem huius ſeculi. Iam enim (vt explicatum eſt, in poſteriori epiſtola ad Theſſ.) diabolus operatur, ac texit iniquitatis myſterium; illud intendens, vt deficiãt homines a fide, & tandem ſuperueniet Antichriſtus cum magna potentia, qua vtetur ad ſeducendũ genus humanum. Gręci autem expoſitores, cenſent hic eſſe ſermonem de hęreſibus, quę tempore Pauli iam pullularant. Veluti illę Manicheorum, & Encratiſtarum; id eſt continentium, & huiuſmodi, de quibus meminit Epiphanius, hęre. 47. de Encratiſtis, hære. 42. de Marcione: hęre. vero 66. de Manicheis. Saturninus autem diſcipulus Simonis magi, qui damnabat nuptias, fuit tempore Apoſtoli, vt refert Epiphanius hære. 23. vnde de ijs ſermonem hic eſſe cenſuerunt Chryſoſtomus Theophylactus, & Ambroſius.

A — 2. Timot. 3. — 2. Theſſ. 2. — Gr. expoſ. — Epiph.

B *Attendentes ſpiritibus erroris*. Id eſt errorem inducentibus, græce legitur, *πλάνοις*, vt ſignificen-

Chryſoſt. Theoph. Ambr.

tur

tur impoſtores. Poſſunt autem hæc explicari, tum de ſpiritibus, ipſiſ dęmonibus, de quibus in epiſt. ad
Eph. 6. Eph. dictum eſt, quòd ſunt principes tenebrarum, & ſpiritus nequitiæ; tum etiam de hominibus, qui habeant ſpiritum ſatanicum, vt qui intenti ſint ad hominum deceptionem. Illud vero, *& doctrinis dæmoniorum*, aut ita intelligendum, quòd doctrinę a dæmonibus ſuggerantur. Aut, quòd qui huiuſmodi doctrinas afferunt, ſint dæmoniaci. Et cum ſubiungitur, *in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam*: Si hęc ad ipſamet dęmonia referantur, incongrue de ipſis videtur dici, quòd habeant cõſcientiam cauteriatam: vnde potius ad dęmoniacos homines ſunt referenda. Sed, & totum huius particulę contextum, commodius hunc in modum interpretari poſſemus. Quòd poſtremis temporibus, aliqui adhęrebũt ſpiritibus impoſtoribus, & doctrinis dęmoniorum, quas dęmones ſuggerent, & ſeminabunt in hypocriſi hominum, loquentium mendacium, & habentium propriam conſcientiam cauteriatam, id eſt, corruptam ob vitę dedecora, quorum ſibi ipſis cõſcij ſint: huiuſmodi enim hominibus, vti inſtrumẽtis, dęmones vtentur ad ſeducendos alios homines. Cauteriatam autem habere conſcientiam, dictũ eſt, ad eam ſimilitudinem, qua candenti ferro olim malefici, ſtigmatis impreſſis, cuti notabantur: hi vero alij animum ſtigmaticum habebunt.

C *Prohibentium nubere, abſtinere a cibis.* Hęreſis deſignatur eorum, qui nuptias abſolute erant damnaturi; & vſum ciborum, ut pura carnis, & huiuſmodi. Vnde adnotandum, quòd aliud eſt, nõ nubere, vt virginitas Deo dedicetur, & abſtinere a nonnullis cibis ob corporis maceratione͂, prout ſancta vniuerſalis Eccleſia, & virginitatẽ commẽdat, & abſtinentiam a quibuſdã cibis ad certa tempora mandat. Et aliud eſt, abſolute nuptias damnare, & eſum aliquorum ciborum abſolute prohibere, adeo vt peccatum committi cenſeatur ab eo, qui aut nubat, aut certis cibis veſcatur. Vnde Auguſtinus in lib.
Aug. cont. Fauſt. li. 30. cap. 5. Cont. Fauſt. *multum*, inquit, *intereſt inter hortantes ad virginitatem, bono minori melius bonum proponendo, & prohibere nubere connubium propagationis, qui nuptialis eſt.* Et ſimiliter, *inter abſtinere a cibis propter ſacratam ſignificationem*, vt Iudęis *impoſitum eſt, aut propter corporis caſtigationem, & inter abſtinere a cibis, quos Deus creauit*, quaſi non *crearit.*
Theoph. Iudæis autem (vt habet Theophylactus) impoſitum erat, abſtinere a multis cibis; ne ſe delicijs abdicarent.
Aug. cont. Fauſt lib. 6. cap. 6 Auguſtinus autem cont. Fauſt. dicit illa ſactum ob ſignificationem; ſicuti porcus immundus, vt ſignificans ſtultum; ſicuti immundus cenſetur, qui non ruminat porcus.

D *Quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione.* Fidelibus, omnia, quæ Deus creauit, bona ſunt: quæ ſane creauit, vt ſumantur a fidelibus Deum cognoſcentibus cũ gratiarum actione; cum omnia crearit animalia, & plantas, & reliqua ad vſum hominis. Qui autem hæc vſurpant abſque gratiarum actione, in qua includitur, & commendatur Dei bonitas, qui hæc omnia produxerit ad cõmodum, & vtilitatem generis humani; his ipſis, quæ ſuapte natura munda ſunt, proprie munda non exiſtunt, ob ipſorum ingratitudinem.

E *Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Nempe per verbum Dei; quando Deus dixit; & facta ſunt, bonaque facta ſunt: *& per orationem*; nempe ſuſcipientis; qua oratione etiam idolothyta purgantur, & quicunque cibi ex Diaboli maleficio immunditiam contraxiſſent. Sed Chryſoſtomus in Chryſoſt. in Matth. hom. 12.
Matth. 19. refert cauſam ſanctificandarum eſcarum hanc eſſe; quoniam mundus totus in maligno poſitus eſt. Vnde infert, *ergo & omnis res corporalis, quoniam mundi eſt pars, in maligno eſt poſitus*, & ipſam propterea oportet ſanctificari. Adnotandum autem, quòd eſt peccatum veſci ijs, quæ idolis immolantur; non quia cibi hi ſint immundi; ſed quoniam lex prohibet illis veſci; & ita, ob trãſgreſſionem legis, peccatum committitur, vt aſſerit Chryſoſtomus. Chryſoſt. hom. 12.
Quod ſimiliter dicendum eſt de cibis, qui tempore quadrageſimali prohibiti ederentur, peccatũ committi; quoniam contra præceptum Eccleſiæ eatur. Theodoretus autem ait; *quod natura bonum eſt, ſi cum gratiarum actione ſumitur, etiam ſanctum redditur.* Et Theophylactus inquit; quod etiam nõ immundum eſt ante gratiarum actionem; ſed ſuppoſito, quòd eſſet immundum, ſanctificaretur, *per verbum Dei, & orationem.* Quæ verba dicunt Græca ſcholia, legenda eſſe ordine præpoſtero; hunc in modum: *per ſermonem, & orationem*, quæ fit ad Deum, cibos ſanctificari. Poſſumus etiam interpretari; quòd pro, *ſermone*, ſit intelligendum; vt puta dum dicitur: *Deus benedicat*; Vel, *in nomine patris, & filij, &c.* Et quòd oratio poſtea pertineat ad ea, quæ præmittuntur ante hæc; *Deus benedicat*, &c.
Theodor. Theoph. Græ. ſchol.

F *Hæc proponens fratribus, bonus eris miniſter Chriſti.* Nempe, tum ſuperius dicta proponendo; tum ea, quę de futuris hæreſibus, prædixit. Cum vero ſubiungit, *enutritus verbis fidei*; aduertẽdum, vocem gręcam, *ἐντρεφόμενος*, quam interpres, *enutritus*, conuertit, actiuam quoque ſignificationem recipere poſſe. Et ita accipiendo, admoueretur Timotheus, vt enutriret fideles in verbis fidei, & bonæ doctrinę. At ſi dictum eſt, quòd ſpiritus manifeſte dicit, quòd aliqui diſcedent a fide; quorſum igitur hęc admonere, ſi hęc omnino ſunt futura? Cui dubitationi ita occurri poſſe cenſemus, dicendo; non propterea manifeſtum eſſe, qui nam ſint illi, qui diſceſſuri eſſent a fide. Præterea cõtingere poſſe, vt ex hac admonitione aliqui non diſcedant, & ſi non omnes, & quòd aliqui poſſent reſipiſcere facilius poſt lapſum, memores huius prædictionis: ſicuti contigit quoque beato Petro. Nam, quoniam Dominus ei prædixerat, quòd ipſum eſſet negaturus, cum hoc peccatum commiſiſſet Petrus, recordatus verbi domini, poſtea fleuit amare.

G *Ineptas autem & aniles fabulas deuita.* In epi. Matth. 26.
ad Tit. Huic voculæ, *fabulis*, coniunxit Apoſtolus, Tit. 1.
hanc aliam, *iudaicis*, vbi quoq; ſermonem habet de cibis. Græca autẽ ſcholia, referunt fabulas ad nugas Græ. ſchol.
hæreticorum, & gentilitatis, vt quòd Iuppiter concubuit cum Iunone. Aut aniles fabulas dixit: quoniam aniculæ inania, & ſuperuacanea fabulantur, vt exponit Theophylactus. Theoph.

H *Exerce autem te ipſum ad pietatem*. Id eſt, ad cultum purum Dei, vt decet chriſtianũ: ita græci Gr. expoſ. expoſitores interpretantur. Alij intelligunt, cultum erga Deum, & opera miſericordiæ.

I *Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis* Ambr. *eſt*. Ambroſius hæc cenſet dicta eſſe de ieiunio inquiens. *Ieiunare enim, & abſtinere a cibis manente auctoritate creatoris, non multum prodeſt, niſi addatur huic pietas, cuius opera, multorum precibus adiuuatur ad Dominum promerendum*. Et iuxta ſenten- Tho. Aqu. tiam S. Thomæ, corporalis exercitatio ieiunij, & huiuſmodi, in ſua natura non ſunt bona, ſed pœnalia: & ſi homo non peccaſſet, nihil horum fuiſſet. Sed ſunt bona medicinalia: ſicut etiam reubarbarũ eſt bonum, in quantum releuat a cholera.; ſic & iſta in quantum comprimunt concupiſcentiam: ergo Chryſoſt. hom. 12. ad illud modicum ſunt vtilia. Chryſoſtomus autem hanc nõ approbans interpretationem, inquit, quòd ieiunium eſt exercitatio ſpiritualis, & non corporalis; nam ſi eſſet corporalis, vegetaret corpus. Ideo ipſe interpretatur, eſſe comparationẽ exercitationis corporalis ad ſpiritualem, vt dicat Apoſtolus, quòd exercitatio corporalis ad modicum prodeſt, ad vitam ſcilicet hanc præſentem reddendam vegetem: Græ ſchol. Theodor. ita etiam Græca ſcholia interpretantur cum Theodoreto. Spiritualis autem exercitatio confert, & ad præſentem vitam, & ad futuram; cum etiam bona præſentis vitæ promittantur obtemperantibus Domino. Iuxta illud, *honora patrem, & matrem, ſi vis* Exo. 20. *longæuus eſſe ſuper terram*. Quod autem attinet ad ieiunium; nonnulli comparantes illud eleemoſinæ, dicunt; quòd carnis maceratio eſt ſolum vtilis ieiunanti, non alijs; eleemoſina autem vtilis, tum danti, tum accipienti.

K *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus e*. Nempe, quòd ex pietate, & religione erga Deum, proueniunt nobis bona, & in hac vita, & in futura.

L *Qui eſt ſaluator omnium hominum, maxime fidelium*. Nonnulli hoc dictum interpretantur de ſa- Pſal. 35. Græ. ſchol. lute corporum; iuxta illud pſal. *homines, & iumenta ſaluabis domine*. Græca autem ſcholia inquiunt, Deus in hac vita eſt ſaluator omnium, in futura vero non omnium, ſed eorum qui ſaluari digni fuerint. Aut dicendum, quòd locus intelligendus eſt 1. Timot. 2. formiter ad modũ ſuperioris illius expoſitæ ſentẽtiæ: quòd Deus vult omnes homines ſaluos fieri, vt & ipſi concurrant; at non concurrentes, non ſaluentur. Similiter igitur dicendum, quòd eſt ſaluator omnium, dum præſtat, & ſubminiſtrat omnibus, quod ſatis eſſet ad ſalutem, ſi & ipſi concurrerent. Verũ precipue prouidet ſuis fidelibus Deus, quos peculiaribus fauoribus proſequitur; qui enim magis uigent in fide, maiori etiam gratia Dei fouẽtur, ſine qua nil validum eſſe poteſt.

M *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat*. Dicet aliquis, Apoſtolus admonet Timotheum, tanquam illi hoc precipiens, ne quis ſuam adoleſcentiã contemnat, quaſi hoc in ſua poſitum ſit poteſtate, vt eũ aliqui non contemnant. Verum dicendum eſt, ijs verbis admoneri Timotheum, vt talem ſe præſtet, vt nemo ipſum, tanquam iuueniliter ſe gerentem, iure poſſit contemnere. Ex quo etiam colligitur, quòd gradus, & munus presbyteratus hominem requirit, qui moribus ſit ſenex, vitijſque illis careat, quibus iuuẽtus ſolet irretiri. Poſſemus etiam interpretari, ita dictum eſſe ab Apoſtolo, quaſi imperante, alijs, ne præſulis ſui adoleſcentiam contemnãt. Aut (vt inquit Theophylactus) hoc propter poſteros at- Theoph. tulit, vt eſſent tales, ne contemnerentur. Sicuti, & illud quod præcepit, vt caſtũ ſe ſeruet; propter alios dictum eſt, & non propter Timotheum.

N *Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt per prophetiam*. Theodoretus, & Theophylactus, gratiam hanc, doctrinam intelligunt. Græca autem ſcholia addunt etiam munus epiſcopi. Gratia enim Dei erat, quòd meruiſſet fieri epiſcopus, cum eſſet iuuenis. Per prophetiam autem, dicunt eſſe illi datam gratiã, id eſt, dictante ſpiritu ſancto.

Cum impoſitione manuum presbyterij. Id eſt, ſecundum Chryſoſtomum, cũ impoſitione manuum facta a presbyteris; id eſt, epiſcopis. Non enim (inquit) presbyteri ordinabant epiſcopum. Verum id poſſet etiam eſſe dictum de presbyteratu, quando ad ipſum aſſumptus eſt Timotheus. Vel etiam quando in epiſcopum eſt ordinatus, vt presbyteriũ ſumatur pro ipſa dignitate, quam accepit: & nõ pro concurſu eorum, qui manus ei imponerent pro ordinatione epiſcopatus. Theodoretus autem ait, hac Theodor. dictione, *presbyterij*, vocari eos, qui Apoſtolicã gratiam acceperũt: vti eos, qui erant honorati in Iſrael, diuina ſcriptura, Senes vocauit.

P *Vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus*. Hoc ſimile ſententiæ illi euangelicæ. *Sic luceat lux ve-* Matth. 5. *ſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona*.

Q *Et te ipſum ſaluum facies, & eos qui te audient*. Id eſt, qui parebunt tuę doctrinę atque tuis exhortationibus.

PARAPHRASIS. Cap. V.

SENIOREM ętatis prouectę hominem, ne ſæuius increpaueris; ſed obſecra, vt patrem; iuuenes vt fratres, anus vt matres; iuuenculas mulieres, vt ſorores, cũ omni caſtitate ad eas te habens. Viduas honora, & magnifacito, illas quidem, quę vere ſunt viduę, agentes vitam, vt illas decet. Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet, illud in primis curet, vt liberi diſcant propriam domũ ſub pietate regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim bonum, & acceptum eſt coram Deo, Quę autem vere vidua eſt, ſine liberis, & omnibus deſolata ſubſidijs, hæc ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus, & orationibus nocte, & die. Quę autem in delicijs verſatur, hęc & ſi viua, mortua eſt apud Deum. Hæc illis denuncia, & præcipe, vt, ijs verbis excitatæ, præſtent ſe irreprehenſibiles. Si qua autem vidua ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, hęc fidem negauit, opera deſerens, quæ conueniunt, & eſt infideli deterior, quæ ſaltem ſuorum curam habet domeſticorum. Vidua eligatur non minor natu annis ſexaginta, quæ fuerit vnius tantũ viri vxor, in operibus bonis, hominum

teſti-

teſtimonio comprobata: ſi filios (vt decet) educauit; ſi hoſpitio ſuſcepit peregrinos; ſi pedes ſanctorum lauit, ſi, tribulationem patientibus opem tulit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt. Adoleſcentiores autem viduas deuita. Nam, cum luxuriatæ fuerint in Chriſto, ſub ſpecie ſanctitatis paſtæ e rebus eccleſiæ, mox nubere volunt, habẽtes dãnationem, quia primam fidem, qua vidualem vitam agere velle promittebant, irritam fecerunt; ſimul autem, & ocioſę diſcunt circumire domos, nõ ſolum ocioſę, verum etiam verboſę, & curioſę, loquentes quę nõ conueniunt. Volo autem iuniores viduas nubere, filios procreare, matres familias eſſe, nullam occaſionem dare aduerſario maledicendi noſtræ religionis inſtitutis: iam enim quędam conuerſę ſunt retro poſt Satanam. Si quis fideles habet viduas, illis ſubminiſtret neceſſaria, & ne grauetur eccleſia, vt ijs, quę vere viduę ſunt, ſufficiat. Qui bene pręſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, & maxime qui laborant in verbo, & doctrina, ſubditos docendo, & cohortando. Id enim conſentaneũ eſt ſcripturę, quę dicit: non alligabis os boui triturãti, & dignus eſt operarius mercede ſua. Aduerſus Presbyterum accuſationem noli admittere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus. Peccantes coram omnibus argue, vt hinc cœteri exterrefacti arceantur a peccando. Teſtor coram Deo, & Domino Ieſu Chriſto, & electis Angelis, vt hęc cuſtodias, & obſerues, nihil abſque iudicio pręcedẽte faciens, cum declinatione ad dexteram, vel ad ſiniſtrã, pro acceptatione perſonarum. Manus nemini cito impoſueris, ſacros ordines conferẽdo; neque communicaueris peccatis alienis. Te ipſum caſtum cuſtodi. Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere, propter ſtomachum tuum, ac frequentes tuas infirmitates. Ne autem alienis peccatis communices, ſcito, quorumdã hominum peccata eſſe manifeſta, vt pręcedãt, & pateant, antequàm iudicium, & examen de illis ſumatur: aliquorum autem peccata, manifeſta reddũtur poſt iudicium, & examen ſuſceptum. Similiter & bona opera hunc in modum ſolent eſſe manifeſta: & quę aliter ſe habent, latere (ſi dignum examen habeatur) non poſſunt: qua diligẽtia adhibita, tollitur omnis occaſio communicandi cum alienis peccatis.

Editio vulgata.

S*ENIOREM ne increpaueris: ſed obſecra vt patrẽ: iuuenes, vt fratres: anus, vt matres: iuuenculas, vt ſorores in omni caſtitate. Viduas honorã: quę vere viduæ ſunt. Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet, diſcat primum domum ſuam regere, & mutuam vicem reddere parẽtibus: hoc enim acceptum eſt coram Deo. Quæ autem vere vidua eſt & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus, & orationibus nocte & die. Nam quæ in delitijs eſt viuens, mortua eſt. Et hoc præcipe, vt irreprehenſibiles ſint. Si quis autem ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educauit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lauit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtrauit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt. Adoleſcentiores autem viduas deuita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt: habentes damnationem: quia primam fidem irritam fecerunt, ſimul autem & ocioſæ diſcunt circuire domos: non ſolum ocioſæ, ſed & verboſæ & curioſæ, loquentes quæ non oportet. Volo ergo iuniores nubere: filios procreare, matresfamilias eſſe: nullam occaſionem dare aduerſario maledicti gratia. Iam enim quædam conuerſæ ſunt retro Satanam. Si quis fidelis habet viduas, ſubminiſtret illis, & non grauetur eccleſia: vt ijs quæ vere viduę ſunt, ſufficiat. Qui bene pręſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina, Dicit enim ſcriptura: Non infrenabis os boui trituranti, &, Dignus eſt operarius mercede ſua, Aduerſus presbyterum, accuſatorem noli recipere: niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Peccantes, coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. Teſtor coram Deo & Chriſto Ieſu & electis angelis, vt hæc cuſtodias ſine præiudicio, nihil faciens in aliam partem declinando. Manus cito nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis. Teipſum caſtum cuſtodi. Noli adhuc aquã bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachũ tuum, & frequẽter tuas infirmitates. Quorumdam hominum peccata manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium: quoſdam autem ſubſequentur. Similiter & facta bona, manifeſta ſunt: quę aliter ſe habent, abſcondi non poſſunt.*

ADNOTATIONES.

S ENIOREM *ne increpaueris*. Græce habetur loco huius vocis *ſeniorẽ*, πρεσβυτέρῳ quę dictio, nõ ad gradum eccleſiaſticum hoc loco pertinet; ſed ad ætatem ſenilem: vt patet ex his, quę mox ſubdit Apoſtolus de iuuene, appoſito ex antitheſi ad ſenem; dum tractat, quomodo cum alterutro ſe gerat epiſcopus. A

B *Diſcant primum domum ſuam regere*. Hoc verbum, *regere*, gręce habetur εὐσεβεῖν, id eſt, pie tractare. Legit autem Chryſoſtomus, pro hac dictione *diſcant*, in numero ſingulari, *diſcat*; nempe ipſa vidua rependere vices parentibus, ea preſtando erga filios, atque nepotes, quæ ipſa a parentibus iam vita functis acceperat. Alij vero legunt in plurium numero, *diſcant*, & ita interpretantur. Diſcant liberi, & nepotes, ex diſciplina viduarum, pie tractare domum ſuam cum ſanctitate; officia, quæ decent, erga omnes obeundo. Quæ interpretatio conſentanea eſt ijs, quæ habentur in epiſto. ad Tit. de vetulis: quibus, inter alia, præcipitur, vt ſint bene docentes, vt prudentiam doceant, in qua inſtruantur filij. Chryſoſt. hom. 13. Tit. 2.

C *Hæc præcipe*. In græcis exemplaribus addita eſt particula, *Et*, vt ita legatur; *& hęc præcipe*, quaſi in ijs formam præſcribat Apoſtolus verborum, quibus viduas non ſe bene gerentes Timotheus increparet, illas terrendo, alloquens ijs verbis. Quæ in delicijs viuit vidua, mortua eſt, nempe apud

pe apud

pe, apud Deum, quo ad animam.

Eccleſ.41. D *Fidem negauit.* Vidua ſcilicet, quæ non gerat curam ſuorum. Nam in Eccleſ. legitur: *Ne auertas faciem tuam a proximo tuo*; qui hoc agit Deum factis negat. Vnde ſubiungit Apoſtolus: *& eſt infideli deterior.* Siquidem iofideles curam ſuorum habent domeſticorum ex lege naturæ. Cum autem peccatum infidelitatis in genere ſit maius, attamen idem peccatum commiſſum ab infideli, leuius eſt, quàm ſi a fideli perpetretur.

E *Vidua eligatur*. Non conſtat, num Apoſtolus uelit eligi viduam, vt præſit alijs; an vt in cætu, & congregatione fideliom, de ipſa, tanquam de deſolata, cura ſuſcipiatur. Sed tantummodo ex Actis Act.6. Apoſt. id habetur, quòd in miniſterio quotidiano deſpicerentor viduæ Græcorum. Et cum ſubiungitur: *vnius viri vxor*; hinc colligitur, quòd ſi vidua non eligenda erat in congregatione fidelium, quæ non fuerit vnius tantum viri vxor; multo minus in epiſcopatu eligendus, qui non vnius tantum vxoris vir extiterit, ſed bigamos: vnde huinſmodi, ſit irregularis, nec ſine ſummi Pontificis diſpenſatione ad ſacros ordioes poteſt promoueri.

F *Cum enim luxuriatę fuerint in Chriſto*. Id eſt, bene paſtæ, & nutritæ fuerint in congregatione fidelium.

Auguſt. in pſ.75. G *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Auguſtinus hunc locum explicans in tract. pſal. 75. inquit: *habentes damnationem, quia vouerunt, & non reddiderunt.* Supponendom eſt enim, quòd eiuſmodi viduæ profiterentur manete innuptæ in congregarione fidelium.

Theoph. H *Volo autem iuniores nubere*. Secúdum Theophylactum, Apoſtolus vellet potius, vt viduæ, innuptæ manerent. At ſi non poſſunt hoc præſtare, vult vt nubant; ne ſcilicet laſciuient, & peiux ſe gerant. Theodor. Theodoretos inquit: *quoniam conuerſæ ſunt retro poſt Satanam, hinc, ex experientia, lex, vt nubant.*

I *Qui bene præſunt presbyteri,* presbyter, hoc loco, nomen eſt dignitatis, & ſecundum Chryſoſto- Chryſoſt. hom.15. mum intelliguntur epiſcopi, quoniam eſſet Timothens Archiepiſcopus; qnod colligir ex eo verbo, *qui præſunt*. Verom dici poteſt, quòd etiam parochi præſont ſuis Parochijs. Et quum hi præſides neceſſitatem cóuerſandi habeant cum omni genere hominom, cum maribus, & fęminis etiam iouenculis pro cura animarum; hinc iure merito presbyteri ſunt eligendi, qui aor ætate, aur multo magis moribus ſint ſenes. Et cum ſubiungitor, quòd duplici honore ſunt digni: hoc intelligendum eſt, tum quo ad honorem, & reuerentiam illis exhibeodam: tum quo ad alimenta, quæ ipſis ſunt pręſtanda. Vel illud *duplici*, reſpicit duplicitatem honoris præſtandi presbyteris in comparatione viduarum, & diaconorum, vt interpretatur Theophylactus. Theoph. vel *duplici*, id eſt, abondanti, vt nihil illis deſit pro officio proprio ſungendo.

Chryſoſt. hom.15. K *Aduerſus presbyterum.* Chryſoſtomus refert ad ætatem. Verum poteſt etiam referri ad dignitatem, vt ſentit Ambroſius. Ambro.c 5. Quandoquidem, quod hoc loco traditur, pertinet ad accuſationem factam aduerſus conſtitutos in gradu presbyterali. Nam ſi de ſenioribus quo ad ętatem eſſet ſermo, non apparet, cur non & ad omnes alias ætates laycorum, idem ſtatuendum eſſet. Verum, ob gradus grauitatem, id ſtatuit; ne aduerſus presbyterum accuſatio admittat; niſi duo, aut tres teſtes in ea conuenerint.

L *Et electis Angelis*, ad differentiam, vt inquit Theophylactus, dæmonum, qui etiam Angeli ſunt, Theoph. ſed reiecti. Electos autem Angelos Apoſtolus in ſua obteſtatione complectitur coram Deo, & Chriſto Ieſu; qooniam in iudicio, & Angeli ſunt aſſuturi Domini milites.

M *Sine præiudicio.* Id eſt, ſine pręhabito iudicio, & diligenti examine præcedente. Aut, *ſine præiudicio*, id eſt, nil agas cum iodicio præcipitato, vt exponunt Græca ſcholia. Græ. ſcho. Vel, *ſine præiudicio*, hoc eſt, pręelectione, vt nulla cadat acceptio perſonarum in iudicando.

N *Manus cito nemini impoſueris*. Id, aot dictum eſt pro abſolutione accuſarorum; aut pro ordinatione ſacrorum ordinum ad epiſcoparum, presbyterarum, & diaconatum; qui gradus (vt paret ex Act. Apoſt.) per impoſitiooem manuum cóferebátur. Act.6. Et cum ſubiungitur, *neque communicaueris peccatis alienis*, hinc innuitur, cur manus cito alicui non ſunt imponendæ; ne ſcilicet, qui ordinat ad ſacros ordines, communicet peccatis alienis, ordinádo pro miniſtris eccleſiæ, improbos homines, aut ineptos ad miniſteriom.

O *Noli adhuc aquam bibere*. Ambroſios inquit, Ambr. quòd vult Deus prudenter ſibi ſeruiri, ne nimietate debiles efficiamur; & poſtea medicorum ſuffragia requiramus. Quòd auté nó fuerit ſanatus Timoth. ab Apoſt. (qui ſuſcitabat mortuos) de ſuis infirmitatibus, ita factú eſſe animaduertit idé Ambroſius; tum, ne exiſtimaremus illos veteres fuiſſe ſupra noſtram naturam; tum, ne Timotheus de ſua virtute efferreretur, & ſuperbiret: vnde & Paulo datus eſt 1. Cor. 12. ſtimulus carnis, ne a magnitudine reuelationum extolleretur.

P *Quorumdam hominum peccata manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium*. Id eſt, antequam fiar inquiſitio, ex publica fama, quorum morum ſit vnuſquiſqne, manifeſtum eſt. Apoſtolus autem animaduertit, peccata hominú, aliqua, vti notiora, apparere, aliqua vero deregi poſt factam inquiſitionem; quod etiam contingit circa bona opera hominum. Baſilius autem magnus non refert ad eos, qui ſunt Baſil. conſecrandi: ſed ita interpretatur; quòd ſunt quędá peccata, vt puta fornicari, vel furari, quę, ſi qois cómittat, hunc id ſolum delicti pręcedit, ad iudicium trahens. At ſi qnis falſo docet, hunc etiam peccatum ſubſequitur, vt non finiatur in ipſo; ſed reſtant eiuſmodi peſtilentis doctrinę ſucceſſores.

PARAPHRASIS. CAP. VI.

QVICVNQVE ſunt ſub iugo ſerui, obſtricti iure ſeruitutis obedire alienę voluntati; dominos ſuos infideles omni honore dignos arbitrentur; ne, ſecus faciendo, præbeant occaſionem blaſphemandi nomen Dei, & doctrinam chriſtianę religionis, tan-

quam aduerſantem iuri Gentium. Qui autem fideles habuerint dominos, ne illos contemnant, eo prætextu, quoniam in Chriſto omnes ſint fratres. Quin maiori ſtudio illis inſeruiant, quia fideles ſint, & dilecti a Deo, quia beneficentiæ dominorũ participes ſint. Hæc doce, & exhortare. Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ, is in ſuperbia inflatus eſt, nihil ſciens, ſed languens, & ſe conſumens circa quæſtiones, & pugnas verborum; ex quibus conciliatur inuidia, contentio, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes ſuperuacuæ hominum mente corruptorum, & a veritate aberrantium, exiſtimantium pietatem eſſe quæſtum rerum temporalium. Porro eſt quæſtus magnus, pietas cum ſufficientia rerum neceſſariarum. Nihil enim intulimus in hunc mundum; vnde nobis debet eſſe manifeſtum, quòd hinc neq; auferre quidpiam poſſumus; habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti eſſe debemus. Qui autem volunt diteſcere, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in multas cupiditates ſtultas, & noxias; quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt auri cupiditas; quam quidã appetentes, errauerunt a fide, & implicuerunt ſe doloribus multis. Tu vero o homo Dei, hæc fuge; ſectare autem iuſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem. Certa bonum certamen, apprehende vitam æternam, ad quam etiam vocatus es, & pro ea confeſſus es bonam confeſſionem in ſuſcipiendo, vel baptiſmo, vel epiſcopatu coram multis teſtibus. Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, & coram Chriſto Ieſu, qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem veritatis, vt mandatum euangelicæ fidei prædicandæ, quod tibi commiſſum eſt, ſerues immaculatum, & irreprehenſibile vſque in apparitionem Domini Noſtri Ieſu Chriſti. Quã ſuis temporibus oſtendet, qui beatus, & ſolus potens eſt, Rex regum, & Dominus dominantium, ſolus habens immortalitatem, Deus, lucem inhabitans inacceſſibilem; quem nullus hominũ vidit, aut videre poteſt; cui honor, & imperium in ſempiternum. Amẽ. Diuitibus huius ſeculi præcipe, non elato eſſe animo, nec ſpem ponere in incertitudine diuitiarum; ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis omnia abunde; bene agere; diuites fieri in bonis operibus; facile tribuere atque communicare bona ſua; theſaurizantes ſibi fundamentum bonum in futurum, vt vitam æternam conſequantur. O, Timothee, depoſitum cuſtodi veræ fidei tibi traditum, vt communices alijs, deuitans prophanas, ac vanas vocum nouitates, & oppoſitiones, quæ ex quibuſdam quæſtionibus aduerſus fidem commouentur, iuxta falſi nominis ſcientiam, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Gratia ſit tecum. Amen.

Editio vulgata.

Q VICVNQVE ſunt ſub iugo ſerui, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur: ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres ſunt: ſed magis ſeruiant, quia fideles ſunt & dilecti, quia beneficij participes ſunt. Hæc doce, & exhortare. Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei quæ ſecundũ pietatem eſt, doctrinæ, ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones & pugnas verborum ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati ſunt, exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem. Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mũdum: haud dubium, quòd nec auferre quid poſſumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, quę mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes, errauerunt a fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Tu autem homo Dei, hęc fuge: ſectare vero iuſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem. Certa bonum certamen fidei: appręhende vitam ęternam, in qua vocatus es, & confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus. Pręcipio tibi coram Deo qui viuificat omnia, & Chriſto Ieſu qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem: vt ſerues mandatum ſine macula, irreprehenſibile vſque in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem ſuis temporibus oſtendet beatus, & ſolus potens, Rex regum, & dominus dominantium: qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilem; quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt, cui honor, & imperium ſempiternum. Amen. Diuitibus huius ſeculi pręcipe, non ſublime ſapere neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, (qui pręſtat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamẽtum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. O Timothee, depoſitum cuſtodi: deuitans prophanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.

ADNOTATIONES.

S*I quis aliter docet.* Vt puta, nullum eſſe natura ſeruum, & in religione omnes eſſe liberos, is ſuperbus, & ignorans eſt. Siquidem Chriſti religio, non deſtruit politiam; nec aufert gradus, & ſtatus diuerſos hominum. A

B *Exiſtimantium quęſtum eſſe pietatem.* Id eſt, cum ficta religione lucrum ſibi comparantium, iuxta illud ad Titum; *docentes, quę non oportet turpis lucri gratia.* Titum.

Eſt autem

C *Eſt autem quęſtus magnus.* Statuit pro magno quęſtu, pietatem colere, cum facultate bonorũm ad vitam ſufficientium, *αὐτάρκειαν*, a græcis dictam; de qua Ariſt. meminit in definitione fęlicitatis In primo lib. Eth. vbi ſtatuit, externa bona requiri ad ſufficientiam, non ad affluentiam.

Chryſoſt. hom. 17.

D *Qui volunt diuites fieri.* Vt aduertit Chryſoſtomus, non dixit, *diuites* autē; ſed qui volunt fieri diuites: ſunt & qui pecunias habentes, eas rite diſpenſent, ac adſpernentur, eaſque pauperibus diuidant: profecto non eos, vti ſunt huiuſmodi; ſed cupidos notat.

E *Radix enim omnium malorum cupiditas.* Græce habetur ἡ φιλαργυρία. quæ vox proprie denotat auri, ſeu argenti cupiditatem, ob quam cuiuſque generis facinora perpetrantur; & homines elati euadunt, cum diuites facti ſint. Si vero alibi dictũ eſt,

Eccleſ. 10.

quòd initium omnis peccati eſt ſuperbia; id propterea dictum eſt; quoniam ob elationem, peccatum ſequutum eſt in diabolo, & in homine. Aut quoniam (vt dicitur in loco citato Eccle.) initium ſuperbiæ hominis, eſt apoſtatare a Deo: vnde conſequenter, initium omnis peccati, erit ſuperbia: id eſt, apoſtatare a Deo; quod fit in omni peccato. Auguſtinus autem in lib. 2. Geneſ. ad litteram, ſumptam ait eſſe auaritiam pro genere cupiditatis; pro qua etiam diabolus lapſus eſt, ob appetentiam ſcilicet elationis. Poteſt etiam dici, quòd nullius ſint generis mala, quæ non committantur, tum pro aggregatione diuitiarum; tum quoniam ex diuitijs congregatis elationes fiunt in hominibus; a quibus mala plurima ob luxum, & voluptates committuntur.

Aug. lib. 2. Gen. ad lit. c. 15.

F *Inſeruerunt ſe doloribus multis.* Id eſt, multis malis per quæ affliguntur, in hac vita, & in futura.

Theodor.

G *Tu autem o homo Dei.* Theodoretus inquit, *qui veteris creationis caracteres ſeruarunt, vere homines Dei vocantur.* Aut intelligere poſſumus hominem Dei illum eſſe, qui populo in rebus, quæ Dei ſunt, pręeſt.

H *Apprehende vitam ęternam.* Tanquam hoc homini liceat cum auxilio Dei; qui vocat nos ad vitam æternam.

I *Et confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus.* Aut, quando baptiſmate inſignitus eſt, aut, cum electus fuit in epiſcopum.

K *Teſtimonium reddidis ſub Pontio Pilato, bonam confeſſionem.* Hanc inquit Theodoretus fuiſſe ſalutem orbis terræ. Verũ illud perſpicuum eſt, quòd Chriſtus venit in hunc mundum pro manifeſtanda veritate, prout dixit Pilato. *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritatis.* Ad Chriſti autem imitationem Præſul in eccleſia, & quiſquis Chriſti miles, debet veritatem mordicus tueri, & quæſtiones ad fidem non attinentes vitarē, quæ tandem in verborum contentiones diſſoluuntur.

Theodor.

Ioan. 10.

L *Solus habet immortalitatem.* Auguſtinus in lib. 2. contra Maxim. *Solus Deus*, inquit, *habet immortalitatem; qui non cuiuſquam gratia, ſed natura ſua non potuit, nec poteſt aliqua conuerſione mutari; ſicuti creatę res potuerunt.* Et ideo Angeli peccarunt, & reliqua non ſunt ſimpliciter immortalia; ſed per gratiam, & Dei communicationem.

Aug. lib. 2. cont. Maxi. cap. 4.

M *Lucem inhabitat inacceſſibilem.* Animaduertit Theodoretus, neque hoc conuenire Deo, quòd habeat lucem inacceſſibilem, cum habeat naturã, quæ nequit circumſcribi, ſicuti circumſcribitur, dicẽdo, quòd habitat lucem inacceſſibilẽ. Sed (inquit) Apoſtolus Deum laudat, vt poteſt, & quo ad poteſt peruenire, inſpicit. Vtique Deus eſt ipſa lex, ipſa entitas, quam creatura nulla cõſequi poteſt, neque comprehendere; quoniam infinitum a finito non capitur. Attingere autem Deum cõceditur creaturis per gratiam communicatam; nullus autem hominum vidit in hac mortali humanitate Deum; niſi forte Paulus; ſed ipſe per raptum ad tertium cęlum. Angeli autem beati ipſum vident.

Theodor.

N *Diuitibus huius ſeculi.* Ad differentiam diuitũ, qui ſunt ſecundum Deum.

O *Depoſitum cuſtodi.* Theodoretus cenſet, hoc depoſitum eſſe gratiam ſpiritus, quam accepit per ordinationem. Aut Apoſtolus intelligit ſanam doctrinam fidei. Et de hoc depoſito eſt etiam ſermo in epiſt. ſequenti. Sed & præcepta hic tradita, ſunt accipienda pro quodam depoſito, quod eſt ſeruãdum ab omnibus epiſcopis ſucceſſiue. Vnde Theodoretus in comment. huius epiſt. inquit. Oportet omnes, qui ſacerdotium ſunt conſecuti, hanc doctrinam diligẽter ſeruare, & eam, veluti quandam regulam, ſemper ſibi proponere, & ad eam dirigere, quæ ab ipſis dicuntur, & fiunt.

Theodor.

2. Timot. 1.

Theodor.

P *Prophanas vocum nouitates.* Id eſt, vanitates, & vana, & inania verba, ſi vox græca per, ε, ſcribatur, κενοφωνίας. Si autem hunc in modum per, αι, ſcribatur, καινοφωνίας, ſic nouitates (vt habet editio vulgata) cenſebuntur. Et his verbis (ſecundum Chryſoſtomum, & Theophylactum, deſignantur Gnoſtici, qui a Nicolao vno ex ſeptem diaconis proceſſerunt; & ipſe a Simone Mago, qui prodigioſas iactabat voces rerum inanium. Auguſtinus autem in tract. 97. in Ioan. notat, additam fuiſſe hanc vocem, *prophanas*, quoniam etiam religioni ſunt congruentes verborum nouitates; ſicuti, Chriſtiani, primo in Antiochia dicti ſunt; & Xenodochia, appellata fuerunt monaſteria proprijs nominibus. Theophylactus, quoque ait, concedi poſſe blateronem vana loqui, & non prophana.

Chryſoſt.

Theoph.

Aug. tract. 97. in Euã. Ioan.

Theoph.

ARGVMENTVM
IN POSTERIOREM
EPISTOLAM SANCTI PAVLI
ad Timotheum.

HAEC poſterior epiſtola ad Timotheum, ſi recte perpendatur, nou coniungitur cum præcedēti in vnum, communemque tractatum, prout binæ illæ ad Corinthios, & binæ illæ ad Theſſalonicenſes inuicem connectuntur. Nam prioris epiſtolę ad Timotheum cum hac alia, nullus apparet nexus; quemadmodum etiam ex diuerſis locis datæ fuerunt: prior quidem e Laodicea; hac autem poſterior ab Vrbe Roma, dum ibi vinculis obſtrictus Paulus teneretur. Sed, & prioris epiſtolę, ille præcipuus eſt ſcopus, vt ex præſcripto, atque Pauli auctoritate ſtatueretur, ad quænam fideles eſſent ab Epiſcopo cohortandi pro fide, atque pietate chriſtiana retinenda; nec non detegeretur, quale munus eſſet epiſcopi, & aliorum graduum eccleſiaſticorum; vt hinc, qui ad ipſos eſſent promouendi, intelligerent, quales ſe præſtare deberent, vt digni ad hos gradus aſciſcerentur; omniaque prope, in vtilitatem ſubditorum, in ea epiſtola conſcripta ſunt ad communem eccleſiarum regulam, atque diſciplinam. Ad Timotheum autem pauca, quæ illius tantum perſonam reſpiciant, diriguntur. Contra vero, in hac alia, Timotheum ferme omnia petunt, tum ipſummet; tum, ſub eius perſonam, vniuerſum Epiſcoporum numerum, vt Græci interpretes, & præſertim Baſilius exiſtimarunt. Cum enim B. Paulus in carcere eſſet Romæ coniectus, tempuſque iam inſtaret ſuæ diſſolutionis, a pluribuſque deſertus eſſet, qui eius vincula erubeſcebant, conſulentes proprię ipſorum mundanę quieti; veritus, ne & alij ex pręſſura afflictionum ſuarum ab Euangelio prędicando deficerent; hinc Timotheum, & ſub eius typum, Pręſules vniuerſos Eccleſiarum hac epiſtola cohortari, atque inflammare voluit ad Chriſti fidem perenni cura tutandam: vt, per ipſos, ſucceſſiue fidei doctrina traderetur alijs, qui futuri eſſent miniſtri fideles, & idonei; vt ita Chriſti Euangelium propagaretur; neque intermitteretur ſuſcipiendus pro electorum ſalute perficienda labor. Hinc Timotheo (vt magis illum inflammaret) ad memoriam reuocat fidem ab ipſo tanta cum alacritate ſuſceptam; atque epiſcopi munus ſibi collatum pręclara cum Spiritus ſancti obteſtatione, quę denunciaret, optimum ipſum Chriſti futurum miniſtrum. Elaborandum pręterea a Chriſti digno milite, vt viriliter pugnet, ſpe ęternę vitę potiundę ſuffultus; quam ex Chriſti reſurrectione ſe conſecuturum ſperare debet, quicunque legitime certauerit; & ideo nil ſibi timendum proponat; vel ſi & ipſam mortem obire ſit neceſſe: ad idque (ſui exemplo) omnes hortatur Paulus in hac epiſtola, & pręſertim eccleſiarum Præſules. Futuram pręterea prędicit aduerſariorum turbam, hoſtium eccleſię Chriſti, qui varias hęreſes ſint inducturi; quę quouis tempore, ſed pręcipue nouiſſimis diebus, atque poſtremis ad diem iudicij vergentibus, peruerſorum hominum opera Dei eccleſiam vexabunt. Quare Timotheum, & ſub eius typum, ſingulum quemque quouis tempore futurum ubique locorum Epiſcopum hortatur, vt ſe vigilem paſtorem prębeat, & diligentem Euangeliſtam: vt, quo maiora futura ſunt mala aduerſantia Chriſti fidei, eo ſibi quiſque magis pro commiſſo ſibi grege elaborandum, cauteque negocium agendum intelligat, munuſque ſibi impoſitum numquam deſerat, vel agat negligenter; ſed omnem quiſque ſuam ſolicitudinem collocet in edocendis, & corrigendis, adiuuandiſque fidelibus, ne peruerſorum hominum opera, & fraude, a Chriſti fide abducantur. Hęc igitur Timotheo, tanquam teſtamenti ſui poſtremas tabulas Apoſtolus conſcribit, ad eruditionem ſuccedentium futurorum ſeculorum, pro vniuerſali eccleſia Dei. Poſtremo ad ſe Timotheum accerſens, & nonnulla domeſtica agens cum ipſo, de ſuoque ſtatu paucis ipſum edocens, epiſtolę finem imponit.

IN POSTERIOREM EPISTOLAM SANCTI PAVLI ad Timotheum.

PARAPHRASIS. CAP. I.

PAVLVS conſtitutus Apoſtolus Ieſu Chriſti ad prædicandum promiſſionem vitę, quę eſt in Chriſto Ieſu, Timotheo dilecto filio, gratia, miſericordia, & pax a Deo Patre noſtro, & Chriſto Ieſu Domino Noſtro. Gratias ago Deo meo, cui a progenitoribus vſque meis ſeruio in conſcientia pura, longe ab omni dolo, & ſimulatione, quòd ſine intermiſſione habeo tui memoriam in orationibus meis, nocte & die deſiderans te videre, memor lacrymarum tuarum, ita quidem, vt gaudio implear, recordationem accipiens fidei, quæ eſt in te non ficta, quæ & habitauit primum in auia tua Loide, & in matre tua Eunice: certus ſum autem quòd & in te habitet. Quapropter admoneo te, vt ſuſcites, & viuifices donum Dei tibi collatum per impoſitionem manuum mearum, ut non torpentem, non timidum te præbeas. Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timiditatis; ſed, pro omnibus aduerſis ferēdis pro ſui nominis defenſione, ſpiritum tradidit virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis. Ne igitur erubeſcas teſtimonium Domini Noſtri: neque me eius cauſa vinctum, & coniectum in carcere. Sed collabora Euangelio, innixus potentiæ Dei, qui nos liberauit, & vocauit vocatione ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuæ voluntatis, et gratiæ, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu, ante tempora ſecularia; manifeſtata autem eſt nunc per apparitionem Saluatoris Noſtri Ieſu Chriſti, qui mortem noſtram ſua morte deſtruxit, & vitam, ipſamq; incorruptionem illuſtrauit, ac notá fecit per Euangelium. In quo, vt ipſum prædicem, ego poſitus ſum prędicator, & Apoſtolus, & magiſter Gentium: ob quam cauſam etiam patior mala. Sed non confundor: ſcio enim cui credidi, & certus ſum, quòd Deus, cui fide mea adhæſi, potens eſt integrum ac validum depoſitum prædicationis, atque adminiſtrationis euangelicæ mihi traditæ, conſeruare in me, vſque in illum diem vniuerſalis iudicij. Tu formam ſanorum verborum, quę a me audiſti, habe, ac retine in fide, & dilectione Ieſu Chriſti. Bonum depoſitum cuſtodi, per ſpiritum ſanctum, qui habitat in nobis. Scis enim hoc, quòd auerſi ſunt a me omnes, qui ſunt ex Aſia: ex quibus eſt Phygellus, & Hermogenes. Faciat Deus miſericordiá Oneſiphori domui, quia ſæpe me refocillauit, & catená meam non erubuit. Sed, cum Romam veniſſet, ſolicite me quęſiuit, & inuenit. Det illi Dominus inuenire miſericordiam a Deo, in die illo vniuerſalis iudicij: & quanta Epheſi idem miniſtrauit mihi, tu melius noſti.

Editio vulgata.

PAVLVS *Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei ſecundum promiſſionē vitæ quæ eſt in Chriſto Ieſu. Timotheo cariſſimo filio, gratia, miſericordia, pax a Deo patre, & Chriſto Ieſu Domino Noſtro. Gratias ago Deo, cui ſeruio a progenitoribus in conſcientia pura, quòd ſine intermiſſione habeam tui memoriam in orationibus meis, noctę ac die, deſiderans te videre, memor lachrymarum tuarum, vt gaudio implear, recordationem accipiens eius fidei quæ eſt in te non ficta, quæ & habitauit primum in auia tua Loide, & matre tua Eunice: certus ſum autem quòd & in te. Propter quam cauſam admoneo te, vt reſuſcites gratiā Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis. Noli itaque erubeſcere teſtimonium Domini Noſtri, neque me vinctum eius: ſed collabora Euangelio ſecundum virtutem Dei, qui nos liberauit, & vocauit vocatione ſua ſancta, & non ſecundum virtutem, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora ſecularia. Manifeſtata eſt autem nunc per illuminationem Saluatoris Noſtri Ieſu Chriſti, qui deſtruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam, & incorruptionem per Euangelium: in quo poſitus ſum ego prędicator, & Apoſtolus, & magiſter Gentium. Ob quam cauſam etiam hęc patior: ſed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem. Formam habe ſanorum verborum, quę a me audiſti in fide, & in dilectione in Chriſto Ieſu. Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum ſanctum qui habitat in nobis: Scis hoc, quòd auerſi ſunt a me omnes qui in Aſia ſunt: ex quibus eſt Phygellus, & Hermogenes. Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui, quia ſæpe me refrigerauit, & catenā meā non erubuit: ſed cū Romā veniſſet, ſolicite me quęſiuit, & inuenit. Det illi Dominus inuenire miſericordiam a Domino in illa die. Et quanta Epheſi miniſtrauit, tu melius noſti.*

ADNOTATIONES.

A PER *voluntatem Dei*. In ſuperiori Epiſtola, Paulus ſe nominauit Apoſtolum ſecundum imperium Dei, vt hinc maius ſuæ auctoritatis pondus adderet epiſtolæ, quam & præſules, & ſubditi, eo magis reuererentur, cum in ea normam generalem regendæ eccleſiæ tradi intelligerent ab eo, qui ſecundum imperium Dei conſtitutus eſſet Apoſtolus Ieſu Chriſti. In hac autem altera epiſtola, priuatim allocuturus Timotheum, remiſſius quodammodo rem agens, nominat ſe Apoſtolum per voluntatem Dei.

B *Secundum promiſſionem vitæ, quæ eſt in Chriſto Ieſu*. Id, eſt dicere, quòd renunciatus eſt Apoſtolus, vt annunciet promiſſionem vitæ, quæ fundatur in Chriſto Ieſu: in quo inſiti qui ſunt, vitam æternam ſunt conſecuturi: vnde de hac præſenti vita nõ eſt curandum, aut timendum.

C *Cui ſeruio a progenitoribus meis in conſcientia pura*. Ita dixit, vel quoniam imitaretur maiores ſuos Patriarcas. Vel, quoniam vſque ab initio ætatis ſuæ vitam geſſiſſet inculpatam; vt qui ſemper (vt dicunt Chryſoſtomus, & Theophylactus) proceſ- Chryſoſt. hom.1. ſerit ſine dolo, etiam cum perſequeretur eccleſiam Theoph. Chriſti: & firmam fidem in Deum, quam etiam Patriarchæ habuerunt, ſemper obſeruarit. Nam (vt in- Theodor. quit Theodoretus) cum Apoſtolus perſequebatur eccleſiam, ſe ea pro Deo facere exiſtimabat, nõ gloriæ ductus cupiditate, vt ſolent, qui hæreſim exci- Theoph. tant, vt animaduertit Theophylactus. Et hæc con- Philip 3. ſona ſunt ijs, quæ ſcripſit in epiſt.ad Philip. dum dixit, quòd ſecundũ zelum perſequebatur eccleſiam, ſecundum iuſtitiam, quæ in lege irreprehenſibilis exiſtens: quam tamen in eadem epiſtola, in comparatione notitię acceptæ de Chriſto, reputauit damna, & ſtercora.

D *Vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Dum Apoſtolus inſtat Timotheo, vt reſuſcitet gratiam Dei; hinc inſinuat (& eſt locus valde inſignis aduerſus temerariã Adoerſus Hæreticos. hæreticorum noſtri temporibus credulitatem, qua putant hominem, credendo, ſine operibus iuſtificari) quòd niſi etiam homo ex ſe agat aliquid ſua induſtria, dum in gratia Dei eſt receptus, vt illam foueat ſuis etiam bonis cogitationibus, & actionibus, ipſam perdet; quam auctam etiam obtinebit, ſi bene ſe gerat, adnuendo, cooperando, & diuinis mo- Theodor. tionibus inſequendo. Vnde Theodoretus inquit: *Vt oleum lampadis flammam efficit vehementiorem, ita animi promptitudo, & alacritas attrahit gratiam ſpiritus*. Et hæc quidem, quæ hic affert Apoſtolus, eo tendunt, vt accendat Timotheum ad martyrium. Et cum dicit, *per impoſitionem manuum mearum*: ſignificauit, aut, quãdo Timotheus in epiſcopum eſt ordinatus. Aut, quando accepit ſacramentum confirmationis: in vtraque enim functione, manuum Aduerſus Hæreticos. interuenit impoſitio. Vnde deuincitur effrenata garrulitas impiorum hæreticorum in pios ritus eccleſiaſticos, qui fiunt per manuum impoſitionem, illum audent deridere, qui a Chriſto ſunt inſtituti, & firma traditione per manus Apoſtolorum chriſtiano populo relicta, quod & ex his, quę habet hoc loco Paulus, & alibi de manuum impoſitione pro ſacramentorum collatione, manifeſte colligitur.

E *Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris*. Nẽpe timoris mundani, de quo in lib. Reg. *cecidit* 1. Reg. 7. *ſuper eos ſpiritus formidinis*. At Deus nõ largitur ſuis fidelibus ſpiritũ timoris ſed virtutis: gręce δυνάμεως; id eſt potẽtiæ, & roboris, & fortitudinis ad aduerſa ferenda; ita vt neque mori horreſcamus. Et ijs verbis, incipit Apoſtolus hortari Timotheum ad aduerſa quæcunque ferenda. Vnde perperam ex hoc Aduerſus Hæreticos. loco hærętici (ad ſuam impiorũ perditionem ſcripturas deprauantes, vt indocti, & inſtabiles, vt ait B.Petrus) a Chriſticola omnem timorem funditus tollunt circa ſalutis proprię curam, vt & peccare audeant dicere, qui huiuſmodi timore tangãtur. Non huc tendit præſens Apoſtoli ſententia, vt explicatum eſt; neque tam temerarium dogma ab ipſe exire potuit. Qui, ſcribens Philippenſibus, illis Philipp. 2. hęc denunciauit. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini*. Et Romanis etiam ita proteſtatus Rom.11. eſt. *Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time*: Dictione vero illa, *ſobrietatis*, græce σωφρονισμοῦ, moderatio, & æquanimitas in aduerſis ferẽdis ſignificatur. Aut accipitur hoc loco ſimpliciter pro virtute ſobrietatis, & pro recta vita, vt explicant Græca Græ. ſchol. ſcholia.

F *Non ſecundum opera noſtra*. Si omnes filij iræ eramus, (vt dicitur in epi.ad Eph.) vtique ſaluos nos Eph. 2. fecit per gratiam ſuam: quoniam ſibi placitum eſt ita ex ſua miſericordia: qui tamen non vult nos eſſe ſaluos abſque fide noſtra, & ſine deteſtatione peccatorum, & ſine charitate erga Deũ & proximum;

G *Illuminauit autem vitam & incorruptionem per Euangelium*. Id, eſt dicere; quòd hominibus, qui in tenebris, & vmbra mortis verſabantur, data eſt per Euangelium notitia vitę, & immortalitatiſ, quam Chriſtus nobis comparauit, ſua morte, mortem noſtram deſtruendo.

H *Scio enim cui credidi*. Nempe fide, quam habuit per ſupernam vocationem. Et ſubiungens; *& certus ſum*, quod gręce, πέπεισμαι, dicitur, & ſignificat actum credulitatis, firmęque perſuaſionis, quam habebat de Deo, quòd potens eſſet ſeruare ſuũ depoſitum: ideſt (vt interpretatur Theodoretus) quòd, Theodor. *quantam mihi tribuit ſpiritus gratiam, integram ſeruabit vſque ad ſuum aduentum*. Et huic expoſitioni cõſentanea videntur, quæ paulo poſt Apoſtolus præcipit Timotheo, inquiens. *Bonum depoſitum cuſtodi per ſpiritum ſanctum*. Græca autem ſcholia intelli- Græ. ſchol. gunt, *per depoſitum*, fidem commendatam Apoſtolo, vt illam prædicaret: vel fideles, quos Deus ei commendauit, vel ipſe Deo.

I *Bonum depoſitum cuſtodi*. Præcipit Timotheo, vt cuſtodiat doctrinam Euãgelicam puram, & ſinceram ſibi traditam in depoſitum, & alijs communicet, quod munus proprie ſpectat ad Epiſcopum.

K *Omnes qui in Aſia*: ideſt qui Romæ erant ex Aſia, vt exponunt Græca Scholia. Gr. Scho.

L *Det illi Dominus inuenire miſericordiam a Deo*.

Græce

Aduerſus Marcioniſtas. Theoph.

Græce legitur a *Domino*, hinc perperam Marcioniſtæ (vt annotauit Theophylactus) inſurrexerunt dicentes, quòd duo eſſent domini. At ipſe reſpondet inquiens, locutionem Apoſtoli eſſe, qualis illa in lib. Geneſ. *pluit dominus a domino*, hoc eſt a ſeipſo. Verum, ſi etiam dicatur dominus vt filius, & dominus vt pater, id optime dici poteſt; cùm ſit & dominus pater, & dominus filius, & dominus etiam ſpiritus ſanctus, in tribus perſonis exiſtens vnus dominus. Aut (vt nonnulli animaduertunt) phraſis hæc eſt hæbraica.

Geneſ. 19.

Quod autẽ attinet ad Marcioniſtas, hi fuerunt in hac hęreſi, vt duos ſtatuerent dominos, ſeu deos: alterum veteris, & alterum noui teſtamenti: ſeu lucis vnum, & alterum tenebrarum; ſicuti addiderunt Manichæi: vt docet Auguſtinus in lib. de duabus animabus, & Gregorius Nyſſenus in lib. 2. philoſophiæ de anima cap. 7. Et videtur hoc falſum dogma pullulaſſe e ſecta Epicureorum, qui nolebant Deũ vllam curam ſuſcipere eorum, quæ mala videntur in hoc mundo: atque ideo ab ipſo hæc talia non curari. Hinc Empedocles conſtituit litem, & amicitiam, vt duo principia contraria, hanc bonorum, illam vero malorum cauſam: quod fecerunt & Pythagorei, & Alcmeo Crotoniates, vt tradit Ariſt. in ſua prima philoſophia. Non aſſequentes hi omnes, qualiter eſt vnus Deus creator omnium, qui cuncta gubernat ea ſumma prouidentia, vt nihil eius effugiat immenſam ſapientiam: & quod nihil eſt in mundo ita abſolute malum, quin aut ad conſeruationem ordinis vniuerſi dirigatur, pro vt, ex nonnullarum rerum corruptione, aliæ inuicem generantur: aut ad detectionem diuinæ bonitatis, & iuſtitiæ ſpectet quemadmodum eſt in Angelos, qui propria peruerſa voluntate ceciderunt, animaduerſio; & hominum contra Dei mandata aberrantium iuſta Dei condemnatio.

Aug. in lib. de duabus anim. c. 1. & ſeq. Greg. Nyſ.

PARAPHRASIS.

CAPIT. II.

TV ergo fili mi confortare, & eſto robuſtus in gratia Ieſu Chriſti, & quę audiſti a me, per plures teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Labora, & afflictiones ſuſtine, ſicut bonus miles Chriſti Ieſu. Nemo militiã exercens Deo, implicat ſe vitæ negocijs ſecularibus, vt ei placeat, qui ipſum in militem delegit. Et qui in certamen deſcendit, non coronabitur, niſi legitime certauerit. Laborantem agricolam, oportet eſſe primum, qui percipiat de fructibus ſuo ex labore prodeundis. Intellige quæ dico; dabit enim tibi Dominus intellectum in omnibus. Memor eſto, ieſum Chriſtum reſurrexiſſe a mortuis, natum hominem ex ſemine Dauid ſecundum Euangelium meum; in quo laboro vſque ad vincula, tanquam vir facinoroſus, male operans: ſed verbum Dei non eſt alligatum, vt eius prædicatio impediatur. Ideo omnia ſuſtineo propter electus, vt & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Ieſu cum gloria cœleſti. Fidelis ac certus eſt hic ſermo. Nam, ſi commortui ſumus, & conuiuemus: ſi ſuſtinebimus mala in hac vita, in alia etiam conregnabimus cum Chriſto. Et e contra; ſi eum negauerimus, & ipſe negabit ſe noſſe nos. Si non credimus, deficientes a fide, ipſe fidelis manet, ſe ipſum negare non poteſt: vnde pręſtabit immobiliter promiſſa. Hęc admone, obteſtans coram Deo, non contendere verbis: id enim ad nihil vtile, niſi ad ſubuerſionem audientium. Sollicite autem cura te ipſum probabilem exhibere Deo operarium inconfuſibilem, recte tractantem verbum veritatis. Prophana autem, & vana colloquia, ipſas ſcilicet puras nouitates deuita: multum enim proficiunt ad impietatem: & ſermo eorum, vt cancer ſerpit, vt in deterius ſemper creſcat. Ex horum numero eſt Hymeneus, & Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes, reſurrectionem iam eſſe factam: & ſubuerterunt quorumdam fidem. Sed firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc. Cognouit Dominus qui ſunt eius. Et hoc quoque. Diſcedat ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen domini. In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argẽtea, ſed & lignea, & fictilia: & aliqua quidem ad honorem, quædam vero ad ignominiam ſpectant. Siquis ergo mundauerit ſe ab iſtis maculis, quæ afficiunt vas ignominia, erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile domino, ad omne opus bonum præparatum. Iuuenilia autem deſideria fuge: ſectare vero iuſtitiam, fidem, charitatem, & pacem cum ijs, qui inuocant dominum ex corde puro. Stultas autem & ineruditas quæſtiones deuita; ſciens, quia generant lites. Seruum autẽ domini non oportet litigare: ſed manſuetum eſſe ad omnes, propenſum ad docendum, patientem, cum manſuetudine corripientem illos, qui reſiſtunt veritati; ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem.

Editio vulgata.

TV *ergo fili mi, confortare in gratia quæ eſt in Chriſto Ieſu, & quæ audiſti a me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu: Nemo militans Deo implicat ſe negocijs ſecularibus: vt ei placeat cui ſe probauit. Nam & qui certat in agone, non coronabitur niſi legitime certauerit. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. Memor eſto, Dominum Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe a mortuis, ex ſemine Dauid, ſecundum Euangelium meum: in quo laboro vſque ad vincula quaſi male operans: ſed verbum Dei non eſt alligatum: Ideo omnia ſuſtineo propter electos: vt & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Ieſu cum gloria cæleſti, Fidelis ſermo. Nam ſi commortui ſumus,*

& con-

& conuiuemus. Si ſuſtinebimus, & conregnabimus, ſi negauerimus, & ille negabit nos, ſi non credimus: ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt. Hæc commone teſtificans coram Domino. Noli contendere verbis (ad nihil enim vtile eſt) niſi ad ſubuerſionem audientium. Solicite cura teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem recte tractantem verbum veritatis. Prophana autem vaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum vt cancer ſerpit: ex quibus eſt Hymenæus & Philetus: qui a veritate exciderunt, dicentes reſurrectionem eſſe iam factam, & ſubuerterunt quorumdam fidem. Sed firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, Cognouit Dominus qui ſunt eius, & diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum. Iuuenilia autem deſideria fuge: ſectare vero iuſtitiam, fidem, charitatem, & pacem, cum iis qui inuocant Dominum de corde puro. Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones deuita ſciens quia generant lites. Seruum autem Domini non oportet litigare: ſed manſuetum eſſe, ad omnes docibilem, patientem cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati: ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem.

ADNOTATIONES.

A TV *ergo fili mi, confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Ieſu*. Græce habetur, ἐνδυναμοῦ: qua voce incitat Timotheũ Paulus, vt, ad ſuum exemplum, fortis ſit animi ad omnia pro Chriſto perferenda, vt etiam mortem obire non horreſcat.

B *Quæ audiſti a me per multos teſtes*. Non clam; ſed coram multis. Aut (vt exponit Clemens) per teſtimonia ex lege, & prophetis deprompta. Poſſent etiam intelligi teſtimonia prodeuntia ex potentia ſignorum, quibus in primitiua eccleſia confirmabatur fides in eam ſuſcipientibus. Verum poſſent etiam verba hunc in modum conſtrui, & explicari. *Quæ audiſti a me, hæc commenda fidelibus hominibus per multos teſtes*; qui interueniant huic commendationi; vt ita magis cuſtodiatur orthodoxa veritas, & Chriſtianæ inſtitutionis traditio, ex numero multorum de ea teſtificantium. Clem.

C *Labora ſicut bonus miles*. Græca lectio variat aliquantulum, ſic ſe habens. σὺ ἐν κακοπάθησον. vt hinc pateat, ſecundum hanc lectionem, Apoſtolum continuare inceptum ſermonem cohortandi Timotheum ad afflictiones perpetiendas: id enim manifeſte inſinuat verbum illud, κακοπάθησον.

D *Nemo militans Deo*. In græcis exemplaribus vacat dictio hæc, *Deo*: & ita ſententia fit generalis: qua Paulus excitat Timotheum, ne huius vitæ implicetur negocijs, exemplo militis, qui placere velit ſuo imperatori: tanquam eum hortetur, ad non curandam hanc vitam, vt rem Chriſti agat.

E *Nam & qui certat*. Abeſt a græco codice particula, *Nam*: vnde & alia ſententia abſoluta profertur huiuſmodi, quòd non ſolum eſt certandum: ſed etiam legitime certandum, vt percipiatur corona: adeo quòd ſtrenue eſt agendum negocium Chriſti, etiam cum afflictionum tolerantia, & cum periculo vitæ.

F *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere*. Alia eſt hæc quoque ſententia, & magis ad rem attinẽs; qua dicitur, opus eſſe vt agricola, qui laborat in vinea, ſit primus, qui fructus ex ea percipiat: vt puta agat ea, quæ ad virtutem Chriſtianam pertinent, & propter Chriſtum præſſuras patiatur; vnde maximus fructuum prouentus prouenit. Et hac quidẽ ſimilitudine Paulus quàm maxime excitat Timotheum ad martyrium. Nonnulli autem, vt Theophylactus, fructum percepturum aiunt, ex lucro animarum. Theodoretus vero intellexit, quòd Apoſtolus præcipiat Timotheo, vt, exemplo agricolæ, de prædicatione referat alimentum neceſſarium. Theoph. Theodor.

G *Memor eſto dominum Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe a mortuis ex ſemine Dauid*. Hinc magnam adhibet conſolationem Timotheo, memorans vitæ immortalitatem, quam Chriſti miles ſit accepturus: quando & Chriſtus reſurrexit a mortuis ad vitam immortalem, exiſtens & ipſe homo, trahens originem ex ſemine Dauid: Ideo ſubire prompto animo debet quoduis diſcrimen, ipſam etiam mortem ob Chriſtum. Quam interpretationem affert quoque Theophylactus: qui tamen prius refert hæc ad hæreſim eorum, qui nolebant Chriſtum paſſum eſſe; ſed hoc ſolum extitiſſe per fantaſiam, & per præſtigia. Siquidem Simon aſſerebat, Chriſtum non vere paſſum, neque vere ſurrexiſſe. Baſilides autem dixit, pro Chriſto, Simonem Cyrenenſem paſſum eſſe, Cherinthus autem fatebatur, Chriſtum paſſum eſſe, ſed non ſurrecturum, niſi extremo die iudicij. Theoph.

H *Propter electos, vt & ipſi ſalutem conſequantur*. Si electi ſunt, quatenus electi, ſalui erunt. Verũ dicendum eſt, ita electos eſſe a Deo, qui electi ſunt, vt conſequantur ſalutem: nam & vt bene ſe gerant, opportunum ipſis Deus præſtabit auxilium. Vnde inquit Apoſtolus; *vt & ipſi ſalui fiant*. Et ſi finis inſpiciatur, qui eſt notiſſimus apud Deum, certiſſime ſalui erunt electi, qui, voluntate adhærentes bono, permanſerint electi, vt omnino non ex neceſſitate, ſed cum libertate arbitrij ſalui fiant; illi nempe, qui ex Dei vocatione, & adiuuante gratia, ſe præſtiterint conformes imagini filij ſui in hac vita, vt iuſtificentur, & glorificentur in alia, ſecundum æternã Dei prædeſtinationem, vt late explicatum eſt in cap. 3. epiſt. ad Romanus.

I *Fidelis ſermo*. Hæc ſecundum Chryſoſtomum referuntur ad ſuperiora, quòd electi in Chriſto ſalutem conſequuntur. At ſecundum alios, ad ſequentia, vt confirmentur hæc prius dicta ſecundum exemplum militis, & agricolæ. Vel pertinent ad dictum illud Apoſtoli, quòd omnia ſuſtinet; vt conſequenter, ad hanc ſuſtinentiam, & tole- Chryſoſt. hom. 5.

rantiam

rantiam malorum, ſubinferat, quòd fidelis eſt ſermo: nempe, quòd, *ſi commortui ſumus, & conuiuemus, ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus*. Aliqui autẽ,
Ambr. vt Ambroſius, illud, *commortui ſumus*; intelligunt de baptiſmo, in quo conſepelimur Chriſto. Aut intelligẽdum de vera morte, quam patiamur pro Chriſto. Vnde & conuiuemus cum ipſo: ſicuti ſuſtinentes grauia pro Chriſti nomine, cum ipſo quoque
Rom. 8. conregnabimus. Iuxta illud quoque ad Rom. *ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur*. Quam ex-
Chryſoſt. hom. 5. poſitionem attulit Chryſoſtomus: vtramque autem
Theoph. amplexus eſt Theophylactus.

K *Ille fidelis permanebit*. Ideſt, Chriſtus fideliter, & immutabiliter obſeruat id, quod dictum eſt: nempe ille negabit nos, ſi nos illum negauerimus; ſecundum illud euangelicum: *qui me erubuerit, &*
Luc. 9. *meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet cum venerit &c.*

L *Hæc commone, teſtificans coram Deo, noli contendere verbis*. Pars huius orationis, *hæc commone*, ad ſuperiora referri videtur: hæc vero alia pars, *teſtificans coram Deo*, ad ſequentia, & græce aliter legitur hunc in modum: μὴ λογομαχεῖν: ideſt, obteſtare illis, ne attendant pugnæ, & quæſtionibus, quæ tantum verba præſeferunt, apta ad ſubuertendos animos audientium. Vulgata autem lectio, quæ habet: *noli contendere verbis*, prædictum ſenſum poſſet etiam recipere, ita interpretando. Obteſtare illis, denuncians ijs verbis, & vnicuique eorum imperãs ijs vocibus. Noli contendere verbis.

M *Prophana autem, & vaniloquia deuita*. Vbique
Baſil. Baſilius (referente Theodoreto) per vanas vocum nouitates, intelligit innouationes prophanas, quæ deficiunt a fide.

N *Multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum, vt cancer ſerpit*. Vbique vaniloquia prophana multum valent ad impietatem inducendam. Et cum ſubiungitur, *& ſermo eorum vt cancer ſerpit*. Græci legunt, *ſerpet*, in futuro. Illud autem, *ſermo eorum*, aut refertur ad vaniloquia, quòd horum ſermo ſerpit. Aut ad homines, a quibus huiuſmodi prouenit ſermo. Et huic interpretationi conſentiunt, quæ ſequuntur, dum dicitur: *ex quibus eſt Hymeneus, & Philetus*. Et huic quoque expoſitioni adhæret
Theoph. Theophylactus cap. ſequenti vbi dubitat, & diſſoluit contradictionem apparentem in verbis Apoſtoli: qui dicit hoc loco, quòd multum proficiunt: ibi vero quòd vltra non proficient.

O *Dicentes reſurrectionem eſſe, iam factam*. Vt ita tollatur iudicium futurum, & remuneratio bonorum hominum, & caſtigatio facinoroſorum. Quidam dixerunt, reſurrectionem iam eſſe factam, quoniã homines in filijs, & nepotibus excitentur, & viuant
Epiph. in illis: & fuit hæreſis Arconthicorum, vt refert Epi-
Auguſt. in Euang. phanius hære. 40. Auguſtinus autem in tract. euang. Ioan. 18. refert, quòd hi, de quibus hic eſt ſermo, aſ-
Ioan. tract. 18. ſerebant, reſurrectionem mentis iam eſſe factam,
Idem Ianu. carnis autem non expectandam. Et ſcribens ad Ia-
Epiſt. 119. nuar. animaduertit, nõnullos ex his verbis Apoſto-
cap. 3. li, prędictam induiſſe opinionẽ; ex eo quòd Apo-
Rom. 8. ſtolus dixit in epiſt. ad Rom. & alibi, quòd mortui ſumus cum Chriſto, & cum ipſo reſurreximus. At

ſecundum Aymonem, dicebant nonnulli, animæ Aym. eſſe factam reſurrectionem, cum per baptiſmum reſurgit homo a peccatis: negabant autem corporum reſurrectionem. Forte intelligebant reſurrectionẽ iam eſſe factam ad hunc ſenſum, quòd dicerent iam ſaluos eſſe factos, qui ſaluandi ſunt; vnde bene operandi propoſitum auferebant.

P *Sed firmum fundamentum Dei ſtat*. Ambroſius Ambr. refert hæc ad fidem, quam Deus ſeruat in promiſſis, quæ non impeditur, quoniam Deus certe præſtabit quod promiſit. Alij interpretantur promiſſiones, ſiue prædictiones factas in ſcripturis de dicto conſilio. Alij intelligunt Euangelium, quatenus explicat hoc fundamentum. Et hæ omnes explicationes in eundem ſenſum incidunt. Quidam ad illud, quòd, dicentes reſurrectionem iam eſſe factam ſubuerterunt quorumdam fidem, volunt ab Apoſtolo occurri quaſi tacitę obiectioni, quòd non ſit ruiturum conſilium Dei circa diſpenſationem ſalutis humanæ: ſicuti videretur dubitandum, quando in paucitate primitiuæ eccleſiæ hæreſes illæ exorirentur. Et volunt occurri per hoc, quòd fundamentum Dei ſtat firmum, & inconcuſſum; æternum ſcilicet Dei conſilium, quo ante tempora ſecularia decreuit ſaluare genus humanum: quod fundamentũ ſignatum eſt hoc ſignaculo: *Cognouit dominus qui ſunt eius*. Ideſt qui ſint præſciti, & prædeſtinati. Theodoretus autẽ interpretatur per, *fundamentum*, Theodor. ipſam veritatem, quæ non poteſt labefactari, *ſignaculum* autem dicit eſſe, ſpem reſurrectionis; quoniã hac negata, negatur Chriſti reſurrectio: conſequenter eius paſſio, & natiuitas ex Virgine. Vnde, ſecundum ipſum, fundamenti ſignaculum eſt fides reſurrectionis. Forte interpretari poſſemus, hæc dici ab Apoſtolo, ad demoliendum, quòd non ſit facta reſurrectio ſecundum ſenſum eorum, qui ita ſentirent eſſe factam, quoniam, qui futuri ſunt ſalui, iam ſalui facti ſint apud Deum; vnde bene operandi propoſitum tollitur. Dicit igitur, & concedit, quòd vere ſtat firmum Dei, fundamentum hoc ſigillo ſignatum, quòd nouit Deus qui ſunt ſui; vt qui futura omnia habeat præſentia. Veruntamen non cogit homines eſſe bonos; neque inuitis confert ſalutem. Et nobis quoque non eſt notum, qui nam ſint ſui. Vnde & aliud, quod exiſtit in hoc firmo fundamẽto, ſubiungit Apoſtolus, nempe hoc. *Diſcedat ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen Domini*. Hinc patet requiri, vt homo pro ſalute conſequenda bene ſe gerat, & diſcedat ab iniquitate, adeo vt hinc ſignificetur, eſſe poſſe varios euentus, & mutabiles curſus circa noſtram ſalutem: licet apud Deum ſit manifeſtum, & certum, qualis cuiuſque exitus ſit immutabiliter futurus.

Q *In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea &c. Per vaſa aurea & argentea*, intelliguntur viri ſancti, & bonis moribus ornati: *per fictilia, & lignea*, improbi denotantur, qui ad ignominiam pertinent, ſicut illi ad honorem. Illud vero, *in magna domo*, ideſt (vt aliqui intelligunt) in mundo. Aut in eccleſia ſecundum Auguſtinum, & Aug. lib 5. de bap. cap. 18 Cyprianum. Verum, ſi finis reſpiciatur, ignominia pertinet ad damnatos, qui non erunt in eccleſia. Cypria.

Hæretici

Hæretici quoque, dum tales ſunt, extra eccleſiam eſſe intelliguntur: non autem qui aliter ſunt peccatores, qui poſſunt reſipiſcere. De vaſis etiam partim in honorem conflatis, & partim in contumeliam,
Rom. 9. eſt ſermo in epiſt. ad Rom.

R *Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis*. Ideſt, qui ſe mundauerit a maculis, quæ per lignea & fictilia denotantur, erit vas in honorem, & ſanctificationem. Quo dicto inſinuatur, requiri ex parte hominis, vt ſtudeat diſcedere ab iniquitate, conuertendo ſe ad Deum; cuius auxilio (dum Deum inuocat) conuertitur peccator. Et hinc patet, peccatorem, dũ degit in hac vita, ſemper verſari in ſpe ſalutis. Vnde non ſtatuendum, quòd aliquis ſit iam damnatus, aut ſaluus factus. Et hæc quidem videntur conuenire prædictæ interpretationi: in qua dictum eſt, quòd reſurrectionem iam eſſe factam aliqui ita aſſererent, quatenus de ſalute cuiuſque iam eſſe ſtatutum ſupponerent, qui quidem hac ratione propoſitum bene operandi tollebant. Quam periculoſam hæreſim ſubuertit Apoſtolus per ea, quæ dicta ſunt. Quidam interpretantur, vt *aliqui emundent ſe*
Theoph. *ab iſtis*, ideſt, a facinoroſis hominibus. Theophylactus autem refert hæc ad naturam fictilium, & lignorum: qui etiam animaduertit, non eſſe luteum, vel fictile ex neceſſitate naturæ, vt aſſerebant Manichei; ſed noſtræ voluntatis, & animi: cum liceat cuique ex lignea voluntate ſe purgare, & auream, & argenteam reddere cum Dei auxilio.

S *Iuuenilia autem deſideria fuge*. Vt puta curioſitates, & nouitates in doctrina; ad quas attendentes Hymeneus, & Philetus, ex ſuperbo faſtu, grauiter aberrarunt, innouando falſa dogmata.

T *Nequando Deus det illis pænitentiam ad cognoſcendam veritatem* &c. Curandum eſt, vt illi homines conuertantur, de quorum fide dubij ſumus. Nã hæreticus manifeſtus, poſt vnam & alteram admo-
Tit. 3. nitionem, vitãdus eſt, vt habetur in epiſt. ad Titum.

V *A quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem*. Vel Dei voluntas intelligitur ita permittentis; vel diaboli, qui ita agit Deo permittente, vt mali illaqueentur, & voluntati dæmonum ſe ſubijciant, & eorum ſuggeſtionibus obediãt. Et hæc, tum ad malam doctrinam, tum ad vitam facinoroſam perti-
Theoph. nere poſſunt, vt aduotauit Theophylactus.

PARAPHRASIS.

CAPIT. III.

HOc autem ſcito, quòd in nouiſſimis diebus, ijs præſertim, qui finali iudicio erunt proximiores, inſtabunt grauia, & periculoſa tempora. In quibus erunt homines ſe ipſos perperam amantes, auari, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, cæci, & voluptatum amatores magis quàm Dei: habentes quidem ſpeciem pietatis in ſimulatione, virtutem autẽ eius, factis abnegantes; & hos deuita. Ex horum enim genere ſunt, qui penetrant domos, ac laqueis ſuis in ipſorum ſequelam captiuas ducunt mulierculas peccatis onuſtas; quæ ducuntur varijs deſiderijs, ſemper quidem ex curioſitate diſcentes, numquam autem, ob ipſarum inſtabilitatem, ad ſcientiam veritatis peruenientes. Quemadmodum autem Iannes, & Mambres, tempore Pharaonis, Moyſi obſtiterunt; ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Sed vltra non proficiẽt, vt præualeant aduerſus veritatem. Inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicuti & illorum fuit. Tu autem aſſecutus es meam circa dogmata doctrinam; morum ac vitæ inſtitutionem; propoſitum, animique mei promptitudinem; fidem, longanimitatem, ac perſeuerantem cõſtantiam; dilectionem, patientiam, perſecutiones, paſſiones, qualia mihi facta ſunt Antiochiæ, Iconij, Lyſtris; & quales perſecutiones ſuſtinui, tu noſti: & ex omnibus eripuit me dominus. Et omnes volentes pie viuere in Chriſto Ieſu, perſecutiones patientur: praui autem homines, & ſeductores proficient in peius, errantes ipſi, & alios in errorem abducentes. Tu vero permane in ijs, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens a quo hæc didiceris, & qui ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem ſitam in Chriſto Ieſu. Omnis ſiquidem ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendã Dei voluntatem; ad redarguendum errantes circa veritatem; ad corripiendum malos mores; & ad eruditionem in iuſtitia, vt perfectus reddatur homo Dei ad omnia opera domini, ſic inſtructus.

Editio vulgata.

HOc autem ſcito, quòd in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora pericuLoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei: habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos deuita: ex his enim ſunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs deſiderijs, ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Quemadmodum autem Iannes & Mambres reſtiterunt Moyſi: ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, ſed vltra non proficient, inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit. Tu autem aſſecutus es meam doctrinam, inſtitutionem, propoſitum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, perſecutiones, paſſiones: qualia mihi facta ſunt Antiochiæ, Iconij, Lyſtris: quales perſecutiones ſuſtinui: & ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes, qui pie volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patiuntur. Mali autem homines & ſeductores proficient in peius: errantes & in errorem mittentes. Tu vero

permane

permane in iis quæ didiciſti, & credita ſunt tibi: ſciens a quo didiceris, & quia ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iuſtitia: vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.

ADNOTATIONES.

A HOc *autem ſcito*. Præbet documentum Apoſtolus, vt vigil ſit Timotheus; & quiſquis futurus eſſet ſucceſſiue præſul, & paſtor ouium: quoniam in nouiſſimis temporibus, nempe poſtremis, & propinquis diei iudicij vniuerſalis (tunc enim maxime hæc vigebunt) inſignis erit malitia, & nequitia hominum; 2. Theſſ. 2. pro vt dictum eſt etiam in poſter. epiſt. ad Theſſ. quòd Satan iam operatur myſterium iniquitatis. Vnde in dies hæc mala adſunt, adfuerunt tempore Timothei, & ſucceſſiuo tempore aderunt. Et ideo Baſil. ſecundum Baſilium (vt refert Theophylactus) hæc traduntur in documẽto omnibus Epiſcopis, vt cautos, & vigiles ſe præſtent in Eccleſiæ moderamine. Aduertendum autem, nouiſſimos dies, omnes eos intelligi poſſe, qui ſubſequentes ſunt tempori præcedenti. In ſacra autem ſcriptura, *per tempus nouiſſimum*, deſignatur tempus gratiæ. Iuxta illuc ex Ioel Act. 2. adductum in Actis Apoſt. *Erit in nouiſſimis diebus (dicit dominus) effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem*.

B *Virtutem autem eius abnegantes*. Græce legi- Tho.Aqui. tur, δύναμιν: ideſt potentiam, atque vim quam Thomas ſupponit eſſe charitatem. Vt autem Græci interpretantur, poteſt dici quòd virtus, & vis pietatis in actionibus conſiſtat: vt hoc dictum ſit ſimile Tit. 1. ſententię illi apud Titum. *Confitentes ſe noſſe Deum, factis autem negant*.

C *Iannes & Mambres*. De iis nulla mentio eſt in Biblia: verum potuerunt horum nomina nota eſſe Apoſtolo, vel per traditionem: vel (vt inquit Theodor. Theodoretus) ex reuelatione ſpiritus potuit Apoſtolus horum habere notitiam.

D *Sed vltra non proficient*: At dictum eſt cap. præcedenti, quòd in pietate proficiunt: & in hoc cap. paulo poſt dicitur: *mali autem homines & seductores proficient in peius*. Cui dubitationi ita occurrẽdum eſt, quòd impij ruunt magis ad impietatem, vt dictum eſt ſupra, & infra dicetur. Aliud autem eſt, quòd reliquos inducant in errores, & creſcant in hoc malo opere cum fructu, vt dicitur hoc loco: Græ. ſchol. Theoph. & ita reſpondent Græca Scholia, & Theophylactus ad hanc dubitationem.

E *Inſipientia eorum*. Ideſt eorum ignorantia prauæ diſpoſitionis, a propria voluntate dependens, *erit manifeſta in omnibus*: vel in omnibus eorum actionibus. Vel (ſi vacat particula, IN, vti vacat in gręcis exemplaribus) ita interpretandum eſt, quod eorum inſipientia nota erit omnibus hominibus; pro vt & detecta fuit etiam inſipientia ipſius Iannes, & Mambres tempore Moyſi.

F *Tu autem aſſecutus es*. Quæ hoc loco affert Apoſtolus, eo tẽdere videntur, vt doceat ſui exemplo, alios eripiendos eſſe per Epiſcopum e manibus falſorum hominum, iuxta formam ex eius vita, & actionibus ſumendam, quam paucis deſcribit.

G *Et omnes, qui pie volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur*. Chryſoſtomus ita interpre- Chryſoſt. hom. 8. tatur: quòd arcta eſt via, quæ ducit ad vitã; & quòd vita hominis eſt militia ſuper terram. Ideo perſecutiones accipit, non ſolum, quæ ab extraneis inferuntur; verum etiam anguſtias illas, quas quiſque patitur in bene operãdo. Auguſtinus etiam inquit, Aug. lib. de Ciu. Dei c. 52. qui pro peccatoribus affliguntur, perſecutiones patiuntur: iuxta illud Pſal. *vidi præuaricantes & tabeſcebam*. Et illud Pauli: *quis infirmatur, & ego non infirmor?* Pſal. 118. 2. Cor. 11. 2. Pet. 2. & illud Petri: *de die in diem animam iuſtam iniquis operibus cruciabant*. Ambroſius refert ad Ambr. odium: iuxta illud, *eritis odio omnibus hominibus*. Matt. 10. Aliqui referunt ad pios, qui erant temporis Apoſtoli. Verum forte non inepte ad futurum hæc referenda ſunt: quòd poſtremis temporibus propinquis extremo diei, omnes, qui Chriſtum ſequentur, perſecutiones patientur ab extraneis: hoc enim tunc erit de omnibus verum.

H *Credita ſunt tibi*. Aut quia crediderat hæc Timotheus. Aut quia credita fuerant & commendata eius fidei.

I *Ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem*. Hinc colligitur, bibliam conferre ad inſtructionem pro ſalute conſequenda: iuxta illud Petri. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes*.

K *Per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu*. Nam ex lege 2. Pet. 1. non habetur ſalus, niſi media fide Chriſti.

L *Omnis enim ſcriptura diuinitus inſpirata*. Græci ita legunt, & interpretantur: quòd omnis ſcriptura, ideſt tota, eſt diuinitus inſpirata. Item eadem vtilis ad plura, quæ proſequitur hoc loco Apoſtolus. Et aduertẽdum, quòd ſacra ſcriptura inſpirata a Deo, immediate inſtruit hominem: ſicuti etiam miracula immediate fiunt a Deo. Per alias vero ſcripturas, mediate inſtruitur homo a Deo de veritate: ſicuti & aliæ operationes naturales, per alias cauſas ſecundas, a Deo proficiſcuntur, vt adnotauit Thomas. Tho.Aqui.

PARAPHRASIS. CAP. IIII.

TESTIFICOR coram Deo, & Ieſu Chriſto, qui iudicaturus eſt viuos, & mortuos per illuſtrem apparitionem & regnum eius, in gloria ſcilicet maieſtatis ſuæ, hoc iudicandi functurus officio; prædica verbũ Dei, inſta, & perſeuera in hoc munere, ſiue opportune, ſiue importune id agere videaris: argue errantes in fide: increpa male viuentes; hortare in omni patientia & doctrina, vt corripiantur a vitijs, & recte inſtituantur. Hac enim ſolicitudine quàm maxime opus eſt: quandoquidem erit tempus, cum homines ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, ipſimet prurientes ſibi auribus, atque blandientes:

dientes: & a veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu vero, ex aduerſo, vigila in omnibus, vt bonus paſtor, ne quid detrimenti grex patiatur. Labora, & obdurare in malis: opus fac Euangeliſtæ: miniſterium tuum imple: ſobrius eſto. Ego enim iam propero, vt immoler in ſacrificium libaminis Deo; ac meæ huius vitæ reſolutionis inſtat tempus. Bonum certamen certaui, pro munere a Deo mihi demandato prædicationis euãgelicæ, fortiter ſuſtinens quæcunque grauia, & aduerſa. Curſum conſummaui, iam ad finem deuentus meæ paleſtræ: fidem, concreditum nempe mihi Euangelium, immaculatam ſeruaui. In reliquo poſita eſt mihi corona iuſtitię, quam reddet mihi Dominus iuſtus index, in illa die ſui aduentus glorioſi; non ſolum mihi, ſed & omnibus, qui hunc aduentum eius diligunt, & alacri expectant animo. Feſtina ad me venire cito. Demas enim me reliquit diligens hoc ſeculum, & abijt Theſſalonicam: Creſcens in Galatiam: Titus in Dalmatiam. Lucas eſt mecum ſolus. Marcum aſſumens ducito tecum: eſt enim mihi perutilis in miniſterio. Tychicum autem miſi Epheſum. Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens, affer tecum, & libros; maxime autem membranas. Alexander faber ærarius multa mala mihi oſtẽdit: reddet illi Deus ſecundum opera eius, quem & tu caueto: valde enim reſtitit noſtris ſermonibus. In mea prima defenſione nemo mihi adfuit: ſed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur ad crimen. Dominus autem mihi aſtitit, & confortauit corroborans me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes. Et liberatus ſum de ore Leonis: & eripiet me dominus ab omni opere prauo, & ſaluum faciet in regnum ſuum cœleſte: cui gloria in ſecula ſeculorum Amen. Saluta Priſcam, & Aquilam, & Oneſiphori domum. Eraſtus manſit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmũ Mileti. Feſtina ante hyemem venire. Salutat te Eubulus, & Pudens, & Linus & Claudia, & fratres omnes. Dominus Ieſus Chriſtus cum ſpiritu tuo. Gratia vobiſcum. Amen.

Editio vulgata.

TESTIFICOR *coram Deo & Ieſu Chriſto, qui iudicaturus eſt viuos, & mortuos, per aduentum ipſius, & regnũ eius: prædica verbum, inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Erit enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus, & a veritate quidem auditum auertẽt, ad fabulas autem conuertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac euangeliſtæ, miniſterium tuum imple, ſobrius eſto. Ego enim iam delibor: & tempus reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex: non ſolum autem mihi, ſed & ijs qui diligunt aduentum eius. Feſtina ad me venite cito. Demas enim me reliquit diligens hoc ſeculum, & abijt Theſſalonicam, Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam, Lucas eſt mecum ſolus. Marcum aſſume, & adduc tecum: eſt enim mihi vtilis in miniſteriũ. Tychicum autem miſi Epheſum. Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas. Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit, reddet illi Dominus ſecundum opera eius: quem & tu deuita, valde enim reſtitit verbis noſtris. In prima mea defenſione nemo mihi affuit: ſed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur. Dominus autem mihi aſtitit & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus ſum de ore leonis. Liberabit me Dominus ab omni opere malo, & ſaluum faciet in regnum ſuum cœleſte, cui gloria in ſecula ſeculorum. Amen. Saluta Priſcam & Aquilam: & Oneſiphori domum. Eraſtus remanſit Corinthi, Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. Feſtina ante hyemem venire. Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes. Dominus Ieſus Chriſtus cum ſpiritu tuo. Gratia vobiſcum. Amen.*

ADNOTATIONES.

TESTIFICOR *coram Deo*. Græci adiungunt particulam, *igitur*, ita legentes: *teſtificor igitur coram Deo*: vt hinc pateat, inferri ex ante dictis obteſtationem epiſcopis, vt euigilent ſuper gregem ob inſtantia tempora periculoſa: quod, vt maiorem efficaciã haberet, adiunxit particulam hanc, *ego*, ideſt, ipſe Paulus Apoſtolus Gentium. A

B *Qui iudicaturus eſt viuos & mortuos*. Aut viui intelliguntur, qui ſunt in gratia Dei; mortui vero illi, qui peribunt, iam mortui in peccatis, & in ęternã tradentur damnationem. Aut viui intelliguntur, qui extremo illo die erunt reſidui viui, qui tamen morientur in vniuerſali conflagratione, vt explicatum eſt in priori epiſt. ad Corint. & in illa priori ad Theſſ. adeo quòd & hi viui, & alij iam mortui iudicabuntur, & ita Thomas interpretatur. Nonnulli etiam, vt refert Theophylactus, intellexerunt per *viuos & mortuos*, corpus & animam. 1. Cor. 15. 1. Theſſ. 4. Tho. Aqui. Theoph.

C *Et per aduentum ipſius*. Ita habet editio vulgata; ſecundum quam ita explicandum eſſet, quòd Paulus obteſtatur coram Deo, & per aduentum eius, & per regnum eius, vt Timotheus præſtet, quæ illi præcipit. Græci autem non habent particulam *Et*, leguntque hunc in modum, *κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν*; ideſt, *ſecundum aduentum*; vt ita denotetur tempus, & erit ſenſus: quòd Deus iudicaturus eſt viuos, & mortuos tempore ſui aduentus, & regni eius.

D *Inſta opportune, importune*. Hęc vox, *importune*, ſecundum Auguſtinũ in expoſitione epiſt. ad Gal. refertur ad exiſtimationem hominum, qui libenter non audiunt; cum tamen pręd icatio ex ſe ſit ſemper opportuna. Theodoretus nil importune factũ laudatur: verum ad prædicandum vult omne tempus eſſe aptum; & opportunum. Theophylactus inquit. *Opportune fit, cum in pace & quiete: importune autem, cum in diſcrimine fuerit*. Vtramque viã ſecutus eſt Apoſtolus, qui, etſi multis laceſſitus perſecutionibus, nunquam tamen prædicationem intermiſit. Auguſt. in epi. ad Gal. Theodor. Theoph.

Circa

Circa autem verba illa: *argue, obſecra, increpa.* Ait Theodor. Theodoretus. *Vt medici occultum vitium prius ſecant, & acerbioribus vtuntur medicamentis; deinde lenia applicant; ita redargutio ſimilis eſt ſectioni; increpatio medicamentis auſterioribus; lenibus vero exhortatio:* vt hinc inſinuetur, omnibus modis debere epiſcopum mederi, & proſpicere, ne peccent ſubditi. Aut, ſi peccarint, vt corripiantur. Poteſt etiam referri dictio, *redargue*, ad eos, qui peccant in dogmatibus: *obſecra*, ad illos, qui ex fragilitate delinquunt, *increpa*, vero ad omnino peruerſos. Vult autem Apoſtolus, vt hæc præſtentur ab Epiſcopo in omni patientia, & doctrina: vt nil omittat, quod docendum ſit: & ne faſtidio ductus, cohortationes deſerat, ſed illas longanimiter adhibeat.

E *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam.* Vbique Apoſtolus prædicit futuras hæreſes, vt hinc omnes Epiſcopi admoneantur euigilare ſuper proprium gregem.

F *Coaceruabunt ſibi magiſtros.* Ideſt eligentur a vulgo ignari ad ſenſum voluptatis eorum: hincque Theoph. Theophylactus damnat electionem Epiſcoporum factam a populo.

G *Ad fabulas autem conuertentur.* Præſertim ad iudaicas. Sed & Manicheorum hæreſes fabulas Ambr. interpretatur Ambroſius; quod multo magis dici poteſt de Mahumetti ſceleſtiſſimis, & turpiſſimis inuentis.

H *Ego enim iam delibor.* Libamentum erat ſacrificium acceptius quàm immolatio. Nam, vt inquit Theoph. Theophylactus, quæ immolationis ſunt, nõ omnia ad Deum referuntur, libationis vero vniuerſa.

I *Bonum certamen certaui.* Vt qui tanta perpeſſus ſit pro Chriſti nomine, vt & Angelis, & mundo, & omnibus ſpectaculum factum fuerit eius certa-1. Cor. 4. men: vt dicitur in epiſt. ad Corinthios. *Curſum conſummaui*, vt iam peruenerit ad finem ſuæ palæſtræ; & prædicationem impleuerit vbique. *Fidem ſeruaui*, dum, vt depoſitarius fidelis, concreditum ſibi habuit Euãgelium. Aut fidem Chriſti ſeruauit; dum illam tutatus eſt. Et hæc quidem ab Apoſtolo enunciantur, non ad vanam gloriam, ſed ad cohortationem Timothei. Verum poterat quoque eſſe certus de ijs, quæ præſtiterat pro fidei defenſione, atque magnificatione. Et qui certus erat de bono certamine quod certaſſet, poterat etiam eſſe certus, ex Dei promiſſis, ſe coronam gloriæ pro recompenſatione accepturum, ad hæc omnia tamen implenda concurrente Dei gratia pro auxilio: quemadmodum ex Dei mera gratia data eſt homini poteſtas, vt filius Ioan. 1. Dei fiat, & mereatur vitam æternam. Quid autem contingere poſſit ſucceſſiue in vita ſua; & quis finis ſit futurus ſui curriculi, nemo certe ſcire poteſt, niſi per reuelationem: poteſt enim cadere qui ſtat, & ita Eccleſ. 9. (vt dicitur in lib. Eccleſ.) nemo ſcit, ſi dignus odio, an amore ſit futurus.

K *Penulam*, Vel veſtimentum erat, vel arcula. Et ſecundum Chryſoſtomum, erat veſtis pro pluuia, Chryſoſt. hom. 12. volens Apoſtolus illam apud ſe habere, ne alicui Romæ moleſtus eſſet. *Membranas*, has diſtinguit a libris, quoniam membranæ eſſent chartæ inuolutæ, & complicatæ: libri autem in alia forma. De ijs autem ſcriptis ſibi curæ erat, vt in manibus fidelium relinquerentur.

M *Multa mala mihi oſtendit.* At non perfecit, quæ volebat ob ſtudium adhibitum ab Apoſtolo pro defenſione.

N *Reddat illi. Dominus.* Sic habet editio vulgata. Græci autem legunt in futuro, *reddet.* Et ſi ſequamur lectionem vulgatam, erit accipiendum hoc dictum ad deprimendos, qui obſtant prædicationi. Neque inconuenit; immo ſecundum rationem iuſtitiæ (vt ait Thom.) licet imprecari malum male Tho. Aqui. operãti. Si autem in futuro legatur, erit pronunciatio, quòd non ibunt impuniti, qui male agunt, & ita interpretantur Theodoretus, Theophylactus, & Theodor. Theoph. Auguſt. Auguſtinus.

O *In prima mea defenſione nemo mihi affuit.* Nempe, dum eſſet ante tribunal conſtitutus, nemo fuit præſens, qui foueret eius cauſam. Attamen a Deo confortatus, prędicationem non deſeruit, adeo vt cauſam Romæ agens in conſpectu totius mundi ob Romanum Imperium, cum Romæ ex omnibus partibus Gentes cõfluerent, Chriſti prædicatio omnibus ſit publicata.

P *Liberatus ſum de ore leonis.* Ideſt (vt cõmuniter interpretatur) ex manibus Neronis; qui fuit (vt in- Theodor. quit Theod.) Imperator crudeliſſimus. Ideq; refert, Paulum a Fauſto miſſum Romam, fuiſſe abſolutum eius audita defenſione: poſtea in Hiſpaniã profectũ prædicaſſe ibi, & alijs Gentibus lucem doctrinæ euangelicę. Similiter Theophylactus cum Græcanicis Scholijs inquit, quòd Paulus primo euaſit mor- Theoph. Gr. Scho. tem conſtitutus apud Neronem, vt ex eo tempore prædicandi ſibi eſſet facultas. At vbi inſtruxit in fide pocillatorem eius, tunc capite truncauit eum. At ſi dicit. *Ego iam delibor*, quomodo dicit poſtea, & liberauit me? Reſpõdent Græca Scholia, quòd tunc Gr. Scho. liberauit, ſed nunc non liberandus, niſi ab omni peccato. Poſſemus etiam intelligere, quando nobis non conſtat, quòd Apoſtolus in Hiſpaniam profectus ſit, poſtquam Romam peruenit; quòd liberatus eſt de ore leonis; nẽpe de ore diaboli, qui (vt dicit B. Petrus) *circuit tanquam leo quærens quem deuo-* 1. Pet. 5. *ret*; cum Paulus non defecerit a munere prædicandi, a Deo confortatus, qui etiam liberabit ipſum ab omni opere malo. Ex quibus apparet, liberationẽ, de qua prius meminit, pertinere ad opus prędicandi, quod Satan impedire tentauerat.

Q *Ieſus Chriſtus cum ſpiritu tuo.* Poſtea ſubiungit, *gratia vobiſcum. Amen.* Quaſi hinc innuatur, Epiſtolam hanc omnibus conſcribi Epiſcopis, & non ſoli Timotheo.

ARGVMENTVM
IN EPISTOLAM
SANCTI PAVLI
ad Titum.

HAEC ad Titum epiſtola admodum conſimilis eſt illi priori ſcriptæ ad Timotheum. Verum hæc, illius tanquam compendium cenſeri poteſt, cum in hac Paulus paucis ſe expediat ab ijs, quæ longiori oratione perſequitur in ea ad Timotheum. In vtraque autem ille præcipuus eſt ſibi ſcopus, vt auctoritatem validet Epiſcoporum a ſe conſtitutorum; Timothei apud Epheſios; Titi vero apud Cretenſes. Nec non vt vtrique normam præſcribat ſeruandam in regimine Eccleſiæ; quemadmodum etiam vtrumque Præſulem reliquerat cum eo mandato, vt, ſua quiſque in prouincia, ſeductorum hominum nouitates, & aliena a fide dogmata retunderet; & idoneos per loca epiſcopos conſtitueret. In hac igitur epiſtola ad Titum, Paulus teſtatur, ſeſe ob Chriſti fidem (cuius Apoſtolum, atque præconem a Deo, & Chriſto ſe conſtitutum declarat) reliquiſſe Titum Cretæ Epiſcopum; vt illis rebus proſpiceret, quæ ibi corrigendæ, atque prouidendæ forent; retunderetque in primis illorum audaciam, qui, legis prætextu, rerum nonnullarum innouatione, ac præſertim ciborum prohibitione, turpis lucri gratia Chriſti fidem ſubuertere non deſiſtebant. Nec non vt per ſingulas ciuitates presbyteros idoneos deligeret in epiſcopatum. Quæ autem requirantur in ijs, qui digne in epiſcopos ſint promouendi, breuiter percurrit, ſimulque proponit, quæ pro inſtitutione Chriſtianiſmi ſint ab Epiſcopo denuncianda vniuerſo vtriuſque ſexus populo, videlicet, viris atque mulieribus tam ſenibus, quàm iunioribus, & ipſis quoque ſeruis; quæ omnia copioſiori oratione in epiſtola ad Timotheum ſunt enarrata. In hac autem
Rom. 13 *ad Titum iſtud peculiare affertur documentum, (de quo etiam in epiſtola ad Romanos) vt fideles ita inſtituerentur, vt Poteſtatibus, atque Principatibus ſe ſubijciant, illiſque obediant; nec non erga omnes cuiuſuis generis homines etiam infideles ita ſe præſtent manſuetos, & æquos, & beneuolos; vt exemplo religionis, atque approbatæ vitæ Chriſtianorum, increduli ad fidem amplexandam inducantur; occaſioque omnis, & anſa amputetur, qua Dei nomen blaſphemari poſſit ob male ſeruatam religionem. Cum hæretico quoque homine, quomodo ſe gerere debeat Prælatus, pariter Titum commonefacit Apoſtolus; & quorundam ſanctorum fratrum commemoratione, atque mutua ſalutatione appoſita, claudit Epiſtolam.*

IN EPISTOLAM SANCTI PAVLI ad Titum.

PARAPHRASIS. CAP. I.

PAVLVS ſeruus Dei. Apoſtolus autem Ieſu Chriſti ſecundum fidem, quæ eſt electorũ Dei, & agnitionẽ illam veritatis, quæ eſt ſecũdum pietatẽ, ducens in ſpem vitę ęternę, quã promiſit, qui non mentitur Deus ante tẽpora ſecularia, manifeſtauit autẽ ſuis debitis temporibus verbũ ſuæ promiſſionis in prædicatione, quæ credita eſt mihi ſecundum imperium ſaluatoris noſtri Dei, Tito dilecto, ac genuino filio ſecundum communem fidem, gratia, & pax a Deo patre, & Chriſto Ieſu Saluatore noſtro. Huius rei gratia reliqui te Cretę, vt, quæ ibi deſunt, ſupercorrigas, & conſtituas per ſingulas ciuitates presbyteros, ſicut ego tibi ordinaui; ſiquis eſt ſine querela, vnius vxoris vir, filios habens fideles, nõ poſitos in accuſatione luxuriæ, neque inobedientes. Oportet enim Epiſcopũ, vti Dei miniſtrũ, ſine crimine eſſe; non ſuperbum, nõ iracundum, non violentum, nõ percuſſorem, nõ turpis lucri cupidum: ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, cõtinentem, amplectentem eum, qui ad doctrinã pertinet, fidelem ſermonem: vt potẽs ſit & alios cohortari in doctrina ſana; & eos, qui cõtradicunt, arguere. Sunt enim multi inobedientes, vaniloqui, & ſeductores, maxime qui ſunt ex circuncisione; quibus oportet obturare os; qui vniuerſas domos ſubuertunt, docẽtes quæ non oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidã ex illis proprius ipſorũ propheta, Epimenides poeta. Cretenſes ſemper mẽdaces; malæ beſtiæ, ventres pigri. Teſtimonium hoc, verũ eſt. Quãobrem increpa illos acriter, vt ſani fiant in fide, nõ vltra attendẽtes Iudaicis fabulis, & mandatis hominũ, auerſantiũ ſe a veritate. Omnia quidẽ ſunt munda ijs, qui mundæ ſunt conſcientię, coinquinatis autẽ, & infidelibus nihil eſt mundum, cum ipſorum inquinata ſit mens, & conſcientia. Ore quippe cõfitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant; homines abominabiles, imperſuaſibiles, & ad omne opus bonum reprobi.

Editio vulgata.

PAVLVS *Seruus Dei, Apoſtolus autem Ieſu Chriſti ſecundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt, in ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur, Deus, ante tempora ſecularia: manifeſtauit autem temporibus ſuis verbum ſuum in prædicatione, quæ credita eſt mihi ſecundum præceptum ſaluatoris noſtri Dei: Tito dilecto filio ſecundum communem fidem, gratia & pax a Deo patre, & Chriſto Ieſu Saluatore noſtro. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Siquis ſine crimine eſt, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos. Oportet enim epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non violentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum: ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, continentem: & amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere. Sunt enim multi inobedientes, vaniloqui, & ſeductores, maxime qui de circuncisione ſunt: quos oportet redargui, qui vniuerſas domos ſubuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidam ex illis proprius ipſorum propheta: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. Teſtimonium hoc verum eſt. Quam ob cauſam increpa illos dure, vt ſani ſint in fide, non intendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auerſantium ſe a veritate. Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum mens & conſcientia. Confitentur ſe noſſe Deum: factis autem negant, cum ſint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.*

ADNOTATIONES.

PAVLVS *Seruus Dei, Apoſtolus autem Ieſu Chriſti.* Alibi, (vt in epiſtola ad Rom.) ſeruum Chriſti ſe nominat: hic autem ſeruum Dei; veluti & in hac epiſt. vocat Deum Saluatorem, itidem & Ieſum Chriſtum; aliquando etiam patrem, Dominum nominat, & aliquando Chriſtum; vt vndequaque nobis inſinuet Apoſtolus, Chriſtum eſſe Deum, & commune eſſe dominium, vt ait Theodoretus. Illud autem eſt obſeruandum, quòd Paulus numquam Apoſtolum Dei in ſuis epiſtolis ſe nominauit: ſed ſemper Apoſtolum Ieſu Chriſti, a quo vocatus eſt, & accepit Apoſtolatum; vt dicitur in epiſt. ad Romanos; *ad obe-* A

Theodor.

diendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius;
vt ita Chriſti nomen magnificaret; cuius diſpenſa-
tionem circa humanam ſalutem tanquam eius le-
gatus prædicabat. Ex hac autem nuncupatione
Rom. 1. ſumptum illud videtur, vt Pontifex Romanus in
bullis, & breuibus Apoſtolicis mentionem faciat
de officio paſtorali ſibi iniuncto, & ſeruum ſeruo-
rum Dei ſe nuncupet.

B *Secundum fidem electorum Dei*. Nonnulli lo-
cum hunc ita interpretantur, miſſus ſum, vt electis
Chryſoſt. hom. 1. fidem annunciem. Chryſoſtomus vero ſic; ſum
Apoſtolus Dei, quoniam electi concrediti ſunt mi-
Gr. Scho. hi. Græca autem Scholia hanc afferunt interpreta-
tionem: *ſecundum fidem electorum*; ideſt, vt per
me electi Dei credant. Forte poſſemus ita interpre-
tari, vt hoc dicat Paulus. Apoſtolus deſignatus ſum
ad annunciandum fidem illam, quam decet habe-
re electos Dei; vel quam electi habent. Illud enim
κατὰ, videtur ſignificare aduerbium illud, quod eſt
apud latinos, *iuxta*, ſeu, *ſecundum*; qua voce vſus eſt
etiam Apoſtolus in hunc ſenſum in calce epiſt. ad
Rom. 16. Rom. dum diceret, *κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου* ideſt, *ſe-
cundum Euangelium meum*: ita & in hoc loco, *ſecun-
dum fidem*, ideſt, ad normam fidei, quam habere
debent electi Dei, Apoſtolus ſum Chriſti.

C *Et agnitionem veritatis*. Id explicatiuum eſt
prædictæ fidei, vt dicat quòd eſt Apoſtolus, & le-
gatus Chriſti ad inducendam, & manifeſtandam
agnitionem veritatis, ob quam Chriſtus venit in
mundum: quæ quidem pertinet ad pietatem, qua
Deus colitur, & proximus diligitur, habens pro
ſcopo vitam æternam: vt non ſit hic vmbra verita-
tis, ſicut erat in lege veteri; neque promiſſio rerum
temporalium; ſed æternæ vitæ.

D *Quam promiſit, qui non mentitur Deus ante*
Auguſt. lib. 12. de Ciuit Dei cap. 16. *tempora ſecularia. Auguſtinus legit, Tempora æter-
na*. Intelligens ſex millia annorum, quæ habuerunt
initium ab orbe condito. Hieronymus autem æter-
Hieron. nitatem intelligit, quæ præceſſit mundum condi-
tum. Alij, *æterna*, pro antiquis temporibus intelle-
xerunt. Cui interpretationi adhærentes, dicimus,
quòd Deus multis ſeculis ante prolapſis promiſe-
rat Abraham Patriarchæ, quòd in ipſo eſſent bene-
dicendæ omnes gentes.

E *Manifeſtauit autem temporibus ſuis*. Græce
καιροῖς ἰδίοις, ideſt, momentis, atque determinatis
temporibus: vt, cum prius dictum ſit, *quam Deus
promiſerat ante tempora ſecularia* (vbi Apoſtolus hac
voce vſus eſt, *χρόνων*, innuens tẽpora indeterminata)
poſtea manifeſtatio promiſſionis innuatur, quam
Deus certis quaſi momẽtis, ſeu ſtatutis temporibus,
& fecit, & præſtitit. Manifeſtauit autẽ verbum ſuum
in prædicatione. De promiſſione facta, qualis nam
eſſet, per prędicationem Chriſti Deus manifeſtauit,
& per Apoſtolos ad hoc delegatos: ipſi enim mani-
feſtarunt, quomodo oporteat nos ad vitam æter-
nam peruenire; a quo nam nobis ſaluis aduene-
rit; & quid nos agere oporteat, vt illam conſequa-
Theoph. mur. Theophylactus autem, per *verbum ſuum*,
intelligit Euangelium; illudque *in prædicatione*, ita
explicat: ideſt, aperte, & fidenter. *Idemque refert,
aliquot, per verbum*, intellexiſſe filium Dei.

F *Dilecto filio*. Græce vox hæc, *dilecto*, habetur
γνησίῳ, ideſt, vero, legitimo, atque genuino; vti acce-
pta eſt etiam in epiſt. ad Timotheum. Et quomodo 1. Timot. 1.
verus, & legitimus filius erat Titus Pauli *ſecundum
communem fidem*; adeò vt filius patri (a quo genitus
eſt ſecundum ſpiritus generationem) ſit concors in
fide, quod eſt ſimile illi enũciato apud Petrum; *qui* 2. Pet. 1.
coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem, vt hinc vrgeã-
tur, qui aliena inducebãt a fide catholica: de qua re
pręcipuus eſt ſcopus in hac epiſtola. Adnotat autem
Theodoretus, ꝙ ad hoc vt ſit partus fidei, oportet Theodor.
vt etiam conſenſus cõcurrat eius, qui diſcit; & vt ea,
quæ diſcit, ſuſcipiat cũ fide in mente: ſiquidem hac
animi ſententia talis verſatur cognatio. In genera-
tione autem naturali non requiritur, vt conſenſus
concurrat eius, qui patitur.

G *Vt ea, quæ deſunt corrigas*. Græce *τὰ λείποντα*
quod eſt aliud ab illa dictione, quę habetur in epiſt.
ad Theſſ. vbi dicitur; *compleamus ea quę deſunt fidei* 1. Theſſ. 3.
veſtræ: & ibi vox græce, *τὰ ὑστερήματα*, legitur; vnde
diuerſus ſenſus videtur eſſe in vtroq; loco. Nã apud
Cretenſes, oportebat corrigere abuſus, qui apud ip-
ſos irrepſerant; quorum aliquos Paulus correxerat;
reliquos autẽ corrigendos in mandatis dederat Ti-
to. Apud vero Theſſalonicenſes intendebat Paulus
ſupplere, quę ad eorum perfectionem deſiderabã-
tur; quæ tamen omnia fidei (vti fundamento totius
Chriſtianiſmi) innixa erant.

H *Et conſtituas per ciuitates presbyteros*. Ex his
colligit Theodoretus, presbyteros fuiſſe appellatos Theodor.
Epiſcopos. Siquidem ad hęc ſtatim ſubiungitur ab
Apoſtolo: *oportet enim epiſcopum ſine crimine eſſe*, cũ
reliquis, quæ requiri in epiſcopo aſſeruntur; vti in
priori quoq; epiſtola ad Timotheum explicatũ eſt.
Et cum eſſent plures ciuitates in inſula Cretæ centũ
numero, volebat, vt ſingula Vrbs proprium haberet
præſulem; tum, vt labor eſſet tolerabilior apud vnũ-
quemque vigilem ciuitatis: tũ vt diligentius populi
cura adminiſtraretur, vt referunt Gręca Scholia. Ve- Græ. ſchol.
rum videntur etiã intelligi poſſe presbyteri in pro-
prio ſignificato, de quibus ſit ſermo, ꝙ eſſent pręfi-
ciendi ſinguli ſingulis ciuitatibus, a presbyteratu ad
epiſcopatum aſcendentes, viri probatæ virtutis.

I *Vnius vxoris vir*. Ideſt, qui non ſit bigamus; &
quare hoc? propter excellentem ſacerdotij honorẽ,
& dignitatem, vt ait Epiphanius hære. 59. Ad quod Epiph.
nonnulli ſubiungunt, vt ſacramentũ reſpondeat ſi-
gnato; nẽpe, vt ſit epiſcopus ad ſuã, qualis eſt Chri-
ſtus ad totã eccleſiã. Ipſa eſt enim vna ſponſa, vti etiã
Chriſtus vnus ſponſus; ita igitur & epiſcopus ad ſuã
eccleſiam, vnde nõ debet eſſe bigamus. Chryſoſto- Chryſoſt. hom. 2.
mus refert hoc ad continentiam; vt ſit ſine crimini-
bus, quę pati videretur, ſi cũ pluribus nupſiſſet. Verũ
aliqui hanc nõ admittunt interpretationem, dicen-
tes, hac ratione ſequi, vt non poſſint ordinari, qui
plures habuiſſent meretrices. Verũ dicere poſſumus,
quòd forte Paulus huiuſmodi non admiſiſſet ad
epiſcopatum, quoniam eſſent vitæ reprehenſibilis.
Auguſtinus autem in lib. de bon. cõiug. ait, quòd ſi- Auſt. lib. de bon. Coniug. c. 18.
cut fœmina, etiam ſi cathecumina fuerit vitiata, non
poteſt poſt baptiſmum inter Dei virgines conſe-
crari; ita non abſurdum viſum eſt, eum qui exceſſit

vxorum

vxorum numerum ſingularem, non peccatum aliquod commiſiſſe; ſed normam quandam ſacramenti amiſiſſe; non ad vitæ bonæ meritum, ſed ad
A ordinationis eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſariam. Ac propterea, ſicut plures antiquorum Patrum, vxores ſignificauerunt ſiguras ex omnibus Gentibus eccleſias vni viro Chriſto ſubditas; ita noſter antiſtes vnius vxoris vir, ſignificat ex omnibus Gentibus vnitatem, vni viro ſubditam Chriſto. Itaque, ſicut duobus dominis, vel pluribus ſeruire nõ licet, ſic a viuo viro in alterius tranſire connubium, nec tunc licuit, nec nunc licet, nec vnquam licebit.

K *Maxime qui de circumciſione ſunt*. Id eſt, Chriſtiani de gente Iudæorum.

L *Docentes, quæ non oportet turpis lucri gratia*.
1.Timot.6. Hoc idẽ expreſſum eſt in priori epiſtola ad Timot. vbi dictum eſt; & *qui veritate priuati ſunt, exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem*.

M *Proprius ipſorum propheta*. Epimenidem Cretenſem hunc fuiſſe paſſim interpretantur; licet
Theodor. Theodoretus Callimachum poetam fuiſſe cenſeat, qui hæc dixerit. *Cretenſes ſemper mendaces; malæ beſtiæ; ventres pigri, tibi o Rex Iuppiter monumentum extruxerunt; atqui tu non es mortuus, ſed in æternum viuis*. Hoc teſtimonium dicit Apoſtolus eſſe verum, quo ad hoc, quòd Cretenſes eſſent mendaces, malæ beſtiæ, & ventres pigri. At non quo ad hoc, quòd Iuppiter ſit immortalis, ſicut innuit poeta. Vſus eſt autem Apoſtolus hac auctoritate ducta ex eorum proprio poeta; vt hinc eos, tanquam conuictos, magis redargueret, accommodans ſe ad eo-
1.Cor.9. rum ſenſum: iuxta illud ad Corint. *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos*: & talem
Act.17. etiam ſe geſſit Apoſtolus cum Athenienſibus, & cum his qui ſub lege erant, & cum illis qui non erant ſub lege. Et Deus quoque hanc ſecutus rationem, vt opera ſua aptaret ad captum hominum,
Matt.2. per ſtellam duxit Magos ad Chriſtum natum; quaſi quodammodo eorum proprio inſeruiens ingenio.
1.Reg.28. Pariter Pytoniſſam apud Saul prædicere permiſit, quæ illi contingere debebant. Nuncupauit autem Apoſtolus poetam, nomine prophetæ, vt maiorem huic ſententiæ auctoritatem tribueret. Quod
Tho.Aqui. vero attinet ad Prophetam (vt adnotauit S. Thomas, eum proprie intelligimus, qui a Deo illuminatur ſecundum intellectum ad cognoſcendum aliqua ſuprà communem cognitionem. Item eum, qui exponit prophetias eodem ſpiritu, & modo, quo fuerunt traditæ. Et eum etiam, qui aliquid profert prophetice aliquo inſtinctu interiori, præter ſuam intellectionem; vt Caiphæ contigit. Quòd autem Apoſtolus appellarit Cretenſes mendaces, & malas beſtias: non id animo eos calumniandi, ſed corripiendi fecit, enuncians de illis, quæ vera ſunt, vt pudefacti reſipiſcerent.

N *Increpa illos dure*. Qui vero erãt pigri, ideo grauiter pungendi erant, vt ſalui fierent.

O *Non attendentes Iudaicis fabulis & mandatis hominum*. Fabularum appellatione, Apoſtolus intelligit vana & inania dogmata; non damnans legem; ſed Iudæorum propria inuenta, atque mandata, quæ fortaſſe, ex legis interpretatione ad proprium libitum facta, prodibant in vulgus: quod & Domi- Matt. 15.
nus innuit in euang. dum dixit: *vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram*. Chryſo- Chryſoſt. hom. 3.
ſtomus autem interpretatur, fabulas quoque appellari poſſe, Iudaicas ceremonias; quatenus quæ ipſis tradita erant in figura futurorum, adhuc ipſi obſtinate retinerent, poſt Chriſti aduentum, qui ea
adimpleuit. Græca autem Scholia animaduertunt, Gr. Scho.
Iudaicas fabulas dupliciter dici; tum, quia tempus rerum indicatarum præterijt, tum etiam, quoniam, cum eſſent in ſuo vigore, figura erant veritatis; non
ipſa veritas. Theodoretus vero ait, *non legem, fabu-* Theodor.
las dicit, ſed legis interpretationes, quas afferebant Iudæi.

P *Omnia munda mundis*. Nihil in natura per ſe immundum: quamuis aliqua fuerint prohibita Iudæis, tanquam immunda: quod factum eſt, vel pro
ſignificatione vitiorum, vt affert Auguſtinus contra Auguſt. lib.
Fauſtũ. Vel ad remouendas delitias, vt cenſet Chry- 30. Contr.
ſoſtomus. Vel ad ceruicoſitatem Iudæorum coer- Fau. c. 5.
cendam, vt ait Ambroſius. Chryſoſt. hom. 3.

Q *Coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mũ-* Ambr. c. 1.
dum. Id, ſecundum Auguſtinum, intelligendum eſt Auguſt. lib.
de cibis; non quod cibi ſint immundi; ſed quoniam cũ 12. de Tri.
immũdo immundi efficiantur. Dicuntur autem ho- cap. 5.
mines, *coinquinati*, ob peccata; *infideles* antẽ, ob eorum incredulitatem, & malum intellectum. Vnde ſubiungit Apoſtolus; *ſed inquinatæ ſunt eorum, & mens, & conſcientia*; ita vt vox hæc, *conſcientia*, referatur ad peccata, quæ perpetrant etiam ſcientes quòd peccant; *mens* autem ad infidelitatem pertinet: quę dicitur inquinata, quatenus cenſet immundum, quod non eſt immundum. Græca antẽ Scholia inquiunt. *Impura ſunt apud impuros mente; ſicuti morbo laboranti omnia ſunt inſuauia propter morbum: & ita Manicheis & Marcioniſtis, ob eorum impuram mentem, atque hæreſim, ſunt impura, & immunda, quæ ſua ex natura non ſunt talia*. Et ſane qui pollutus eſt peccati macula, omnia percipit immunda. Et pariter ob infidelitatem, habet mentem malam, quæ non veritatem ſectatur, ſed falſitatem. Non autem aſſerendum, quòd omnia, quæ ſiunt ab infideli, ſint peccata, vt puta, cum etiam præbeat eleemoſinam pauperi. Nam, quamuis quicquid ſit iuxta infidelitatem, quatenus factum eſt ſub ratione infidelitatis, peccatum eſt; attamen, quod ſit iuxta legem naturæ, & ſecundum rectam rationem, non eſt cenſendum peccatum: licet opus huiuſmodi, factum extra fidem, ſit ſine merito; de qua re pluribus actũ eſt in epiſt. ad Rom. in Adnotat. M. cap. 14.

PARAPHRASIS. CAP. II.

TV autem loquere, quæ decent ſanam doctrinam; vt ſenes ſint ſobrij, pudici, prudentes, ſani in fide, in charitate, in patientia. Anus ſimiliter, vt habitu ſancto vtãtur, vt decet in Chriſtiana religione; non ſint criminatrices; non multo vino ſeruientes; bene docentes, vt adoleſcentulas inſtituant modeſtas eſſe, viros ſuos amare, filios diligere, prudẽtes eſſe, caſtas, ſobrias, domus curam habẽtes, ſubditas

viris ſuis; ne verbum Dei, & ipſa Chriſtianiſſimi inſtitutio vlla ex parte blaſphemetur. Iuuenes ſimiliter hortare, vt ſint ſobrij, & moderati; in omnibus te ipſum præbens exemplar bonorum operum; in doctrina, in integritate, in grauitate, Verbum ſanum ſit, & irreprehenſibile; vt qui aduerſatur noſtræ religioni, eam calumniare ſubuereatur, atque deſiſtat; nihil habens mali, quod de nobis dicere poſſit. Seruos hortare dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes; ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes; ita quidem, vt doctrinam ſaluatoris noſtri Dei illuſtrent, & ornent in omnibus. Apparuit enim gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobrie, iuſte, ac pie viuamus in hoc ſeculo; expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti; qui dedit ſemetipſum morti pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret, cõſtituens nos ſibi populum acceptum, & peculiarem, ſectatorem bonorum operum. Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio, quo, iure tuo, vti potes, cum ſis epiſcopus; & nemo te contemnat.

Editio vulgata.

TV *autem loquere quæ decent ſanam doctrinam. Senes, vt ſobrij ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in dilectione, in patientia. Anus ſimiliter: in habitu ſancto, non criminatrices, non multo vino ſeruientes, bene docentes, vt prudentiam doceant: adoleſcentulas, vt viros ſuos ament, filios ſuos diligant, prudentes, caſtas, ſobrias, domus curam habentes, benignas, ſubditas viris ſuis, vt non blaſphemetur verbum Dei. Iuuenes ſimiliter hortare, vt ſobrij ſint. In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum ſanum, irreprehenſibile: vt is qui ex aduerſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Seruos Domini ſuis ſubditos eſſe in omnibus placentes, non contradicentes: non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes, vt doctrinam Saluatoris noſtri Dei ornent in omnibus. Apparuit enim gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus. Erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobrie, & iuſte, & pie viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.*

ADNOTATIONES.

SANI *in fide, in dilectione, in patientia.* A Græce vox hæc, *patientia*, legitur τῇ ὑπομονῇ. quæ pertinet ad longanimitatem, quam oportet habere Chriſtianum circa expectationem rerum futurarum; & eſt munus ſpectans ad ipſam virtutem ſpei, Vnde tres virtutes theologicæ ſignificatæ erunt ab Apoſtolo, in quibus requirit, vt ſenes ſint ſani, & non declinent in his a recta ſemita.

B *Bene docentes, vt prudentiam doceant.* Græci ita habent: ἵνα σωφρονίζωσι τὰς νέας. id eſt, Anus ipſe inſtruant iuuenes, & reddant ipſas bene moderatas; vt viros ſuos ament, & ſint caſtæ, & reliqua perficiant, quæ hoc loco recenſentur; idque agant, ne blaſphemetur nomen domini ab ijs, qui foris ſunt, dum intueantur mulieres ſine bonis moribus in Chriſtianiſmo; ac præſertim, ſi quis infidelis habuiſſet vxorem fidelem vna ſecum habitantem.

C *Teipſum præbeas exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate.* Græci aliam ſequuntur lectionem, quæ eſt eiuſmodi: *te præbeas exemplum bonorum operum; in doctrina integritatem, verbum ſanum, irreprehenſibile;* adeo quòd hæc omnia ad doctrinam referantur; illud vero aliud ſit ſeiunctum, nempe, *te præbeas exemplum bonorum* operum, & vterque ſenſus eſt aptiſſimus.

D *In omnibus fidem bonam oſtendentes*, Vt ita ſerui, veri Chriſtiani appareant, & ſint ex fide bona circa omnia. Siquidem fides eſt fundamentum, qua regitur tota machina Chriſtianæ religionis. Theodoretus autem illud, *in omnibus*, interpretatur, quæ pertinent ad corporale dominorum miniſterium. [Theodor.]

E *In omnibus placentes.* Aliqui ita coniungunt; Alij ad præcedentia hunc in modum; ſeruos domini ſubditos eſſe in omnibus. Hæc autem Apoſtolus præcipit: vel, quoniam iam pullularat hæreſis, quòd omnes eſſent liberi in Chriſto; & ita a ſeruitute eripere ſe volebant. Aut hoc agit ſecundum Chryſoſtomũ, vt, exemplo ſeruorum (quorum genus ſolet eſſe improbum) ethnici videntes illos ita bene educatos ob religionem, ad ipſam amplexandam excitarentur. [Chryſoſt. hom. 4.]

F *Vt abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobrie, & iuſte, & pie viuamus.* Impietas aderit, ſi nõ recte Deum colamus, & ſi iniuſte erga proximũ nos geramus. Hinc impietati, opponit Apoſtolus hæc, *vt pie, ac iuſte viuamus;* deſiderijs autem ſecularibus, opponit hoc aliud, vt *ſobrie* viuamus. Theodoretus, inquit, impietatem abnegare, eſt dicere, vt ſublata ſit idololatria: per ſecularia vero deſideria, intelligit auaritiam, luxuriam, & alia, quæ cœlum minus pertingunt. At ſecundum Theophylactum, per illud, *ſobrie viuere*, intelligitur, vt non ſolũ non ſint luxuriantes; ſed etiam omnium aliorum vitiorum abſtinentia ſignificetur. [Theodor.] [Theoph.]

G *Magni Dei, & Saluatoris noſtri.* Hic nuncupatur Chriſtus, magnus Deus, vt qui vere ſit Deus, filius Dei, Deus de Deo,

H *Populum*

H *Populum acceptabilem*. Græce, περιούσιον, & eſt vox ſumpta a Septuaginta, ſignificatque quidpiam præcipuum, tanquam theſaurum; vox apud
Theoph. æthnicos minime vſitata. Theophylactus inquit: quod latine, *acceptabilem*, interpretatū eſt, περιούσιον Greci etiam ſignificantius dicunt. Proinde Populus is exprimitur, qui circa domini ſui ſubſtātiam procurandam, & opes verſetur, tanquam pręcipuus vnus ab hæro electus, qui nihil cæterorum ſit ſimilis. Budeus autem ex Theodoreto, & Theophraſto, docet, dictam vocem, ſignificare rarum, inuſita-
Exod. 19. tum, peregrinum. Vnde in Exodo eritis mihi popu-
Deute. 7. lus, περιούσιος de cunctis gentibus. Et in Deutet. *Te elegit Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris*, græce, περιούσιος, *cunctis populis, qui ſunt ſuper terram*: ad quæ loca alluſit hoc loco Apoſtolus.

I *Argue cum omni imperio*. Vt redargutio ſit cū plena poteſtate, quam obtinet epiſcopus; ſit etiam
Theoph. aſpera aduerſus huiuſmodi duros, atque rebelles homines. Theophylactus interpretatur: cum omni acrimonia, & audacia.

Nemo te contemnat. Quaſi dixerit: cum omni imperio procede, ne contemneris; nimis ſi indulgeas, aut remiſſius corripias. Aut hoc voluit dicere Apoſtolus: talem te geras in omnibus, vt nemo poſſit te contemnere, tanquam non merentem ex tuis actionibus, cui obedientiā alij prębeant. Quē-
1 Timot. 4. admodum quoque ſcribens Timotheo dixit; *nemo adoleſcentiam tuam contemnat*: quod poſſet etiam in eo ſenſu accipi, vt ſit pronunciatum ab Apoſtolo, tanquā pręcipiente ſubditis, ne pręſulem ſuum contemnant.

PARAPHRASIS. CAP. III.

ADMONE illos, principatibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire; ad omne opus bonum paratos eſſe; nemini maledicere; non litigioſos eſſe, ſed modeſtos; erga omnes homines (quamuis infideles) omnem pręſeferentes manſuetudinem. Nam memores eſſe debemus, quòd eramus, & nos olim inſipientes, increduli, errantes, ſeruientes deſiderijs, & voluptatibus varijs, in malitia, & inuidia vitam agentes, odibiles, & mutuo nos odio proſequentes. Cum autem benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris Noſtri Dei, non ex operibus iuſtitię, quę fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis ſpiritus ſancti, quem effudit in nos abunde per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum; vt ita iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem, quam habemus vitæ æternæ. Fidelis eſt hic ſermo; & de ijs volo te confirmare animos fidelium, vt, hac ſpe cōfirmati, diſcant bonis operibus pręeſſe, qui fide Deo ſe dedidere. Hæc ſunt bona, & vtilia præcepta hominibus tradenda: ſtultas autem quæſtiones, & geneologias, & contentiones, & pugnas legis deuita; ſunt enim inutiles, & vanæ. Hęreticum hominē poſt primā, & alteram correptionem deuita; ſciens, quòd ſubuerſus eſt, ac in reprobum ſenſum ductus, qui eiuſmodi eſt, & delinquit proprio iudicio condemnatus. Cum miſero ad te Arthemam, aut Tychicū, feſtina ad me venire Nicopolim; ibi enim ſtatui hyemare. Zenā legis peritum, & Apollo præmitte, eo ſtudio adhibito, vt nihil illis deſit. Diſcant, & noſtri bonis operibus præeſſe, ad vſus neceſſarios egenis ſubueniendo, vt non ſint infructuoſi. Salutant te, qui mecum ſunt omnes; ſaluta eos, qui nos amāt in fide. Gratia cum omnibus vobis. Amen.

Editio vulgata.

ADMONE *illos principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe, neminem blaſphemare, non litigioſos eſſe, ſed modeſtos, omnem oſtendentes manſuetudinē ad omnes homines. Eramus enim aliquando, & nos inſipientes ſeruientes deſiderijs, & voluptatibus varijs, in malitia, & inuidia agentes, odibiles, odiētes inuicem. Cū autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei: non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritusſancti, quem effudit in nos abunde per Ieſum Chriſtum Saluatorem Noſtrum: vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundū ſpem vitæ æternæ. Fidelis ſermo eſt: & de his volo te confirmare: vt curent bonis operibus præeſſe qui credunt Deo. Hæc ſunt bona & vtilia hominibus. Stultas autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita: ſunt enim inutiles, & vanæ. Hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correptionem deuita: ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio iudicio condemnatus. Cum miſero ad te Artemam aut Tychicum, feſtina ad me venire Nicopolim, ibi enim ſtatui hyemare. Zenam legiſperitum, & Apollo ſolicite præmitte, vt nihil illis deſit. Diſcant autem, & noſtri bonis operibus præeſſe ad vſus neceſſarios: vt non ſint infructuoſi. Salutant te, qui mecum ſunt omnes. Saluta eos qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.*

ADNOTATIONES.

ADMONE *opus bonum paratos eſſe*. Vult, A vt fideles ſint obediētes dicto principum etiam ęthnicorū; & parati ad omne opus bonum, non autem ad iuſſa impia eorum perficienda. Quod animaduertit, & pręcipit Apoſtolus; vel, vt hinc Gentiles promptius conuerterentur ad fidē; vel vt eorum ſententiam deteſtaretur, qui, prætextu religionis, vellent ordines mundanę politiæ diſſoluere, ab eorum imperio ſe ſubtrahendo, quaſi id iure ſibi vendicarent ob adeptā in Chriſto libertatem.

B *Eramus enim aliquando, & nos inſipientes, increduli, errantes, &c.* Adnumerat ſe Apoſtolus cum alijs peccatoribus, vt qui perſecutor fuerat eccleſię: non tamen omnibus ijs, quæ commemorat, criminibus, obnoxius extiterat, quin, nec omnes homines, omnibus; ſed alij, alijs vitijs, vt exponit Theo- Theodor.
doretus.

C *Fidelis ſermo*. Chryſoſtomus, & Hieronimus Chryſoſtom. Hieron.

referunt

refetunt hæc ad ſupetiora, quòd minime ſit dubitandum de ſalute, quam nobis Chriſtus attulit. Ambr. Ambroſius autem refert ad cohortationem eorum, quę ſequuntur.

D *Per lauacrum regenerationis.* Id eſt, per baptiſmum, quo homo regeneratur, ex veteri, nouus effectus. Et cum ſubiungimr: *Spiritus ſancti*, poſſent hęc referri, vel ad Spiritum ſanctum emiſſum ſuper credentes; vel ad renouationem ſpiritus noſtri ſanctificati. Nam erat ſpiritus rectus in homine, cum creatus eſt primus homo, poſtea fuit coinquinatus ob peccatum: vnde per baptiſmum renouatur ad ſanctitatem. Hinc colligitur, non poſſe ab impio prooenire opera iuſtitię: alioquin, iuſtus eſſet, antequàm inſtificaretur.

E *Vt curēt bonis operibus præeſſe, qui credunt Deo.* Ex ijs patet, ad fidem, ſtudium quoque bonorum operum accedere oportere.

F *Hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam* Tit.1. *admonitionem deuita.* At dictum eſt antea, quòd oportet redarguere per doctrinam: quomodo igitur hic pręcipitur, vt euitetur hęreticus? Reſpondet Chryſoſt. hom. 6. Chryſoſtomus. Si oulla ſpes conuerſionis, iam vitandus erit: quòd ſi alios inficiat, acriter pugnandum, & reſiſtendum. Ex quo patet, condemoari debere hęreticos obſtioatos. Dicitur autem hære- Tho. Aqu. ticus (vt adnotauit S. Thomas) ab electione, græce, *αἵρεσις*, dicta: & hinc hęreticus, id eſt, electiuus, quaſi pertinaciter adhærens ſectæ alicuius, quam elegit. Verum, vt docet S. Doctor, ſciendum eſt, quòd omnis hæreticus eſt erraos: at non e conuerſo, omnis errans, eſt hæreticus: idque, tum propter materiam, circa quā quiſpiam erret; tum propter electiooem quam habeat. Nam (quod attinet ad materiam) ſiquis nō erret, aut circa ea, quæ pertioent ad finem vitæ, circa quem variæ ſectæ extiterunt, vt putà illa Epicureorum, aut aliorum aberrantium a recto fine, aut circa ea, quę pertinent ad fidem, aut ad bonos mores, is proprie hęreticus non eſt dicendus. Sed & ſi quiſpiam errore ducatur penes ea, quę prędicta ſunt: attamen neque hęreticus dicendus, ſi non eſt pertinax in errore tuendo: ſed eſt paratus corrigi ſecundum Eccleſię determinationem; adeo vt ex ignorātia ſit lapſus, & non ex malitia, cui peruerſa electio adnixa eſt. Verum ille proprie hęreticus dicendus, qui obſtinate eligat, & tueatur ea, quę, aut aberrant a recto fine vitę, vt puta qoòd beatitudo humana ſit poſita in fruendis corporis voluptatibus, vt ſenſiſſe videntur Epicurei: aut ſuot contra fidem, vt quòd Deus non ſit trinus, & vnus: aut contra bonos mores, veluti, quòd fornicari non ſit peccatum.

G *Cum ſit proprio iudicio condemnatus.* Hæc ait de hęretico homine, vt qui obſtinate ſuam opinionem velit ſuſtinere; ſciens malam eſſe, ac pręſertim ſi fuerit etiam admonitus. Verbum enim illud, *αὐτοκατάκριτος*, oſtenſtit, quòd ſit inexcuſabilis, vel a ſoa conſcientia condemnatus, vt exponont Gręca ſcholia. Græ. ſchol. Theoph. Theophylactus autem inquit: non poteſt dicere, ſe non admonitum, ſe non inſtructum; cum & admonitus, & inſtructus fuerit. Vnde patet, proprie illum hæreticum intelligi debere, qui hęreſim, & alienationem ab orthodoxa fide, volens, ſtudenſque ſequatur.

H *Diſcant autem & noſtri bonis operibus præeſſe.* Aut intelligit Gentiles, qui erant facti iam chriſtiani (quorum doctor erat Paulus) vt diſcant, ad imitationem Chriſtiaoorū, qui erāt in Ieruſalem, ſubuenire pauperibus: aut per, *Noſtros*, intelligit Creteoſes, ad quos eſt ſermo, dum ſcribit ad Titum.

ARGVMENTVM
in Epiſtolam ad Philemonem.

AVFVGERAT *ſeruus nomine Oneſimus, a domiuo ſuo Philemone genere Phrygio, aliquid ei ſuffuratus; qui Romam peruentus, Chriſti fidem ſuſcepit, inſtructus, & baptizatus a Paulo, dum eſſet in vinculis, cui ipſe Oneſimus interim ſeruiuit. Sed qui in pluribus ſuis epiſtolis pręceperat, ſeruos dominis ſuis fideles, atque obedientes eſſe debere, noluit eum apud ſe diutius detinere: ſed iam factum chriſtianum dimittere curauit ad ſuum dominum. Cui ob id hanc ſcripſit epiſtolam, melliflua charitate plenam; vt ſi in qua alia B. Pauli, in hac pręſertim epiſtola appareant inſignes erga Oneſimum amoris ſui notę; dum illum Philemoni commendat, eximiam in ſcribendo adhibens ſolertiam; dum & Timotheum, quaſi ſocium ſibi aſſumit ad hanc commendationem, atque deprecationem; & Philemoni, cui rogatur, adiungit, & eius vxorem, & Archippum epiſcopum, & totam Philemonis domum: vt, his omnibus adhibitis deprecatoribus, facilius Oneſimo veniam impetraret, quicquid deliquerat in dominum. Ita vero hanc Paulus ſuam commendationem agit, vt Philemon in gratiam recipere debeat Oneſimum; non iam vt ſeruum, ſed vt in Chriſto fratrem. Ex quo nobis ſit perſpicuum, quanta ſit dignitas, quę homini confertur ſuſcipienti Chriſti fidem; per quam, qui prius fuerat ſeruus, & fur, a Paulo Apoſtolo doctore Gentium, vt filius cariſſimus celebratur. Is autem Oneſimus (vt colligitur ex argumento Oecumenii in hac epiſtola) paſſus eſt martyrium in Vrbe Roma, Tertullo eo tempore pręfecturam tenente, crurum fractione ſententiam ſuſtinens martirij.*

IN EPISTOLAM SANCTI PAVLI ad Philemonem.

PARAPHRASIS.

PAVLVS vinctus ob Chriſtũ Ieſum, & Timotheus frater, Philemoni dilecto, & adiutori noſtro, & Apphię ſorori cariſſimæ, & Archippo commilitoni noſtro, & eccleſiæ, quæ in tua domo eſt: Gratia vobis, & pax a Deo Patre ooſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Gratias ago Deo meo ſemper, memoriam tui faciens io orationibus meis, audiens fidem, quam habes in Domino Ieſu, & charitatem tuam erga omnes ſanctos: illud Deum deprecans, vt communicatio fidei tuæ cum noſtra, euidens, & efficax fiat io agnitione, & manifeſtatione omois operis boni, quod in vobis compleatur io obſequium Ieſu Chriſti. Gaudium enim magnum, & conſolationem percepi ex charitate tua; propter quam viſcera ſanctorum refocillata ſunt, & quieuerunt per te, fràter, ex communicatione bonorum tuorum. Propter quod multam fiduciam habens imperandi tibi, quod ad rem pertinet, ex charitate magis obſecro cum ſis talis, vt Paulus, ſenex, nunc autem & vinctus Ieſu Chriſti. Obſecro te pro filio meo, quem genui in vinculis meis, Oneſimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi, & tibi vtilis futurus eſt, quem ad te remiſi. Tu autem ipſum, id eſt, viſcera mea ſuſcipe; quem ego volueram detinere, vt pro te mihi inſeruiret in vinculis, quę patior ob euangelium: ſine autem conſilio tuo nihil volui facere, ne bonũ tuum, tanquam ex neceſſitate foret; ſed ſecundum voluntatem. Forſitan enim ideo diſceſſit ad horam a te, vt in æternum illum reciperes, non iam vt ſeruum; ſed pro ſeruo cariſſimum fratrem, maxime mihi, quanto autem magis tibi, & in carne, & in Domino coniunctiſſimum? Si ergo habes me ſocium in fide, ſuſcipe illum tanquam me ipſum. ſi autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa; ego Paulus hæc ſcripſi mea manu; ego rependam. Vt nõ dicam tibi, eſt in cauſa, quod & te ipſum mihi debes, ſane frater. Ego autem te fruar in Domino, & hæc erit retributio. Refice viſcera mea in Domino, in hac petitione mihi obtemperans. Confiſus de tua obedientia ſcripſi tibi, ſciens quòd & ſupra id, quod dico, facies: ſimul autem & para mihi hoſpitiũ; nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis. Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Chriſto Ieſu, Marcus, Ariſtarcus, Demas. Lucas coadiutores mei. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen.

Editio vulgata.

PAVLVS vinctus Chriſti Ieſu, & Timotheus frater, Philemoni dilecto, & adiutori noſtro, & Apphiæ ſorori cariſſimæ, & Archippo commilitioni noſtro, & Eccleſiæ, quæ in domo tua eſt. Gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Gratias ago Deo meo, ſemper memoriam tui faciens in orationibus meis, audiens charitatem tuam, & fidem quam habes in Domino Ieſu, & in omnes ſanctos, vt communicatio fidei tuæ euidens fiat in agnitione omnis boni, quod eſt in vobis in Chriſto Ieſu. Gaudium enim magnum habui, & conſolationem in charitate tua, quia viſcera ſanctorum requieuerunt per te frater. Propter quod multam fiduciam habens in Chriſto Ieſu imperãdi tibi quod ad rem pertinet. Propter charitatem magis obſecro, cum ſis talis, vt Paulus ſenex, nunc autem & vinctus Ieſu Chriſti. Obſecro te pro meo filio, quem genui ĩ vinculis, Oneſimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem, & mihi, & tibi vtilis: quem remiſi tibi. Tu autem illum vt mea viſcera, ſuſcipe, quem ego volueram mecum detinere: vt pro te mihi miniſtraret in vinculis Euangelij: ſine conſilio autem tuo nihil volui facere, vti ne velut ex neceſſitate bonũ tuum eſſet, ſed voluntarium. Forſitan enim ideo diſceſſit ad horam a te, vt in æternum illum reciperes: iam non vt ſeruum, ſed pro ſeruo cariſſimum fratrem, maxime mihi, quanto autem magis tibi, & in carne, & in Domino? Si ergo habes me ſocium, ſuſcipe illum ſicut me. Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet: hoc mihi imputa. Ego Paulus ſcripſi mea manu: ego reddam, vt non dicam tibi, quòd & teipſum mihi debes, ita frater. Ego te fruar in Domino. Refice viſcera mea in Domino. Confidens ibi in obedientia tua, ſcripſi tibi: ſciens quoniam & ſuper id quod dico, facies. Simul autem & para mihi hoſpitium: nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis. Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Chriſto Ieſu. Marcus, Ariſtarchus, Demas, & Lucas adiutores mei. Gratia Domini Noſtri Ieſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen.

ADNO-

ADNOTATIONES.

A ADIVTORI *noſtro.* Nempe, i operibus Euágel j, reſpicientibus charitatem: idque colligitur ex eo, quod paulò poſt ſubiungit Apoſtolus de Philemone. *Gaudium enim magnum habui, & conſolationem in charitate tua, quod viſcera ſanctorum requieuerunt per te frater.*

B *Archippo commilitoni noſtro.* Erat enim Ar-
Coloſſ. 4. chippus Epiſcopus Coloſſenſium, ut colligitur ex epiſt. ad Coloſſen: nude, iure ipſum nominat ſuum commilitonem.

C *Audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Ieſu, & in omnes ſanctos.* Videtur referri charitas in ſanctos (in homines enim non poteſt proprie fides referri) fides autem ad Dominum Ieſum; in quem tamen, abſque charitate, perfecte credere non poſſumus.

D *Vt communicatio fidei tuæ euidens fiat in agnitione omnis operis boni.* Interpres ſecutus hanc di-
Chryſoſto. hom. 2. ctionem, *ἐναργής*, vertit, *euidens:* at Chryſoſtomus, aliá ſecutus lectionem, habet, *ἐνεργής*, id eſt, efficax. Verum, ſi communicatio fidei eſt efficax, euidens etiam erit. Precatur igitur Philemoni, ac omni domus ſuæ eccleſiæ; vt fides illi communicata fiat efficax, & conſequenter euidens in agnitione omnis operis boni; quod in Chriſto Ieſu ſit poſitum, & per ipſum vigeat.

E *Quod ad rem pertinet.* Ita interpres vertit, quod græce habetur, *τὸ ἀνῆκον*, quaſi ita ſit interpretãdum:
Theoph. vt rem attingam, de qua ſcribere volo. Theophylactus autem ait, græce, *τὸ ἀνῆκον*, ſignificare, quod ad rem non pertinet; ac ſi diceret Apoſtolus; confiſus ſum tibi præcipere, vt exequaris quod ad rem non pertinet: hoc eſt, ſuperuacaneum eſt, vt illud tibi iniungam, quod per te facis; expoſco tamen id precibus.

F *Cum ſis talis, vt Paulus ſenex, nunc autem & vinctus Ieſu Chriſti.* Græci expoſitores legunt, *cum ſim talis vt Paulus ſenex; nunc autem etiam vinculis obſtrictus.* Theodoretus ait; adieciſſe *ſenem*, vt Theodor.
canos oſtenderet in laboribus ſe germinaſſe; vt hinc & orationem dignam fide efficiat.

G *Forſitan enim ideo diſceſſit ad horam.* Ita ſub dubio loquitur, ob myſterium prædeſtinationis, quod eſt incognitum.

H *Quanto autem magis tibi, & in carne, & in domino?* Id eſt, debet tibi eſſe cariſſimus multo magis quoniam ex gentilitate ortum ducit Oneſimus quemadmodum & tu; & ſeruitutis amicitia tibi eſt coniunctus: huc acceſſit vnio Chriſtianiſmi in Domino.

I *Ego Paulus ſcripſi mea manu.* Hinc apparet, quantæ curæ erat Paulo, vt Oneſimus a Philemone hæro ſuo in gratiam reciperetur, quando ipſi epiſtolam ob id conſcripſit ſua manu totam, quod facere non conſueuerat: quod etiam præſtitit in epi. ad Galatas: quoniam de re maximi momenti agebatur. Et cum ſcripſerit Philemoni manu ſua; iam vas pro Oneſimo ſe conſtituit, vnde & ſubiungit; *ego reddam.* Non tamen aperiens, quid eſſet redditurus, adiecit, quòd Philemon debet ſe Paulo; & quòd eo fruetur in Domino, & hinc omnis debiti perſolutio ſignificatur.

K *Nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis;* quod tameo nou effectum eſt.

L *Domas*, hunc nomipat ſibi adiutorem; de quo
dixit in epiſt. ad Timot. quòd ſe deſeruerat. Ex quo 2. Tim. 4.
colligitur, hanc ad Philemonem epiſtolam, priorem illa fuiſſe, quæ eſt ſecunda ad Timoth. vt ibi etiam aduotatum eſt.

ARGVMENTVM
IN EPISTOLAM
SANCTI PAVLI
ad Hebræos.

ANTE *ſacroſanctum concilium Nycænum, in dubio vertebatur apud grauiſſimos
& orthodoxos quoque Auctores, num Epiſtola ad Hebræos Paulo Apoſtolo eſ-
ſet adſcribenda; poſtea vero ſancta vniuerſalis Eccleſia, eam inter canonicas S.
Pauli epiſtolas recepit, ipſamque talem haberi debere ſanxit. Quæ vero oppoſi-
tam ſententiam perſuadere viderentur, expoſitum vbi fuerit epiſtolæ argumen-
tum, aperiemus, vt & hæc diſſoluantur, & ſimul pateat, vnde nam euenerit, vt
ab exordijs aliarum epiſtolarum diſſideat hæc epiſtola: cur ſcilicet in ea, & Pau-
li nomen reticeatur, & munus Apoſtolatus, & ſalutatio itidem in alijs epiſtolis
conſueta. Sed & ex argumenti enarratione facilior quoque erit aditus ad di-
iudicandum ſcopum, qui potiſſimus fuerit apud Epiſtolæ Auctorem. Siquidem
de hoc variæ circumferuntur ſententiæ. Nam Chryſoſtomus, quem ſequuti ſunt ferme omnes alij Græci expo-* Chryſoſt.
*ſitores, cenſuit Apoſtolo illud propoſitum fuiſſe in hac epiſtola, cohortatione ſua confirmare in fide Iudæos fi-
deles, qui, ob perſecutiones perpeſſas a ſuis contribulibus, fracti animo, ac pene conſternati erant. Alij vero (vti
ex noſtratibus fere omnes) exiſtimarunt, illud potiſſimum moliri Apoſtolum in hac epiſtola, vt dimouerentur
Iudæi Chriſtiani ab illa pertinaci opinione, cui innixi erant; quòd, vna cum Euangelio, legi quoque Moſaicæ eſſet
inhærendum, inſeruiendumque vmbraticis figuris prioris teſtamenti. Quidam etiam (vt colligitur ex tertio apud
Oecumenium argumento) dixerunt: cum eſſet inita ſocietas inter Petrum, & Paulum, vt ipſe cum Barnaba in
Gentes, Petrus autem cum alijs Apoſtolis in circuncisionem Apoſtolatu fungeretur, & diuulgatum eſſet, quòd
Paulus diſceſſionẽ quodammodo a lege doceret, hinc ipſum inductũ fuiſſe ad hanc ſcribendã epiſtolã, vt ſuũ cum
alijs Apoſtolis firmũ in Euãgelio conſenſum patefaceret. Epiſtolæ autẽ exordiũ eſt eiuſmodi, quòd Deus volũtatẽ
ſuam propalauit Patribus per prophetas; poſtea vero eorum poſteris per filium, qui & vt Deus eſt, & vt homo,
ſimul deſcribitur, vt & quæ diuinitatis ſunt, & quæ humanitatis, explicentur. Et quidem, quod attinet ad hu-
manitatem, illud patefit, Chriſtum præſtare choris omnibus Angelorum, vt qui a Deo Patre ad Chriſtum ado-
randum fuerint deſtinati, ac miniſtri conſtituti huius ſummi Principis, cuius dominio omnia ſunt ſubiecta. Ab
hoc deinde exordio, vehemens illa, & valde vrgens inducitur comminatio, qua ſibi quiſque maximopere cauen-
dum intelligat, ne grauiſſimo plectatur ſupplicio, ſalutem ſi contempſerit allatam a Chriſto, & per ipſum, &
eius Apoſtolos propalatam. Quandoquidem, ſi, qui neglexerunt quæ per Angelos, & Prophetas ſibi ſunt enar-
rata, iuſtum Dei iudicium non effugerunt; multo igitur minus effugient illi, qui Chriſtum per ſe loquentem, atque
ſalutem ſimul afferentem contempſerint. Ad hæc deinde ſubnectitur, & declaratur, quomodo filius Dei, quum
redempturus eſſet genus humanum, hoſtiam ſe ſe offerens Deo patri pro peccatis noſtris, merito debuit nobis aſ-
ſimilari, vt fecit, noſtram aſſumens naturam abſque tamen peccato, vt pro peccatoribus ſatisfaceret. Ex quo
perſpicuum fit, Chriſtum, qui mortem eſt paſſus, verum noſtrum Redemptorem a Deo promiſſum patribus, fide-
lemque noſtrum Pontificem extitiſſe apud Deum: dum, & diuinæ iuſtitiæ, pœnas luens pro nobis, ſatisfecit; &
quibus miſerijs humanum genus eſſet obnoxium, & ipſe eaſdem perpeſſus, hinc nobis, & compati, atque pro no-
bis apud Deum patrem interpellare, & immortalitatem cum gloria comparare ſuo iure potuit. Qui quidem, ſi
Moyſi conferatur, huic tanto magis præſtare dignoſcitur, quanto longe maiori honore dignus eſt, qui domum con-
ſtruxit, ipſe Dei filius, quàm domus, ipſi fideles, qui ſunt templum Dei; cuius Domus (vt famulus tamen fidelis
& Deo gratus) extitit & Moyſes. Hincque ex Pſalmo 94. verſiculi illi inducuntur.* Hodie ſi vocem eius audie- Pſal. 94.
ritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicuti in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto, vbi ten-
tauerunt me patres veſtri, probauerunt, & uiderunt opera mea quadraginta annis: propter quod infenſus
fui generationi huic, & dixi ſemper errant corde, ipſi autem non cognouerunt vias meas, quibus iuraui
in ira mea ſi introibunt in requiem meam. *Et hæc quidem adducta ſunt ab Apoſtolo: partim vt terreantur
illi, qui ſunt inobedientes, & increduli ad Chriſti vocationem: partim etiam vt de hoc omnes homines inſtruantur,
relinqui ſabbatiſmum populo Dei, & requiem allatam per Chriſtũ, ad æternam beatitudinem pertingentem; non
amplius autem illum ſabbatiſmum, qui ad illam requiem pertinebat, quam conſequuti ſunt filij Iſrael, dum per
Ieſum filium Naue introducti ſunt in terram Paleſtinæ. Quandoquidem, poſt longum temporis interuallum ab
hac introductione filiorum Iſrael, Dauid Dei Spiritu afflatus, hanc intonuit vocem;* Hodie ſi vocem eius au-
dieritis, nolite obdurare corda veſtra &c. *Quæ pronunciatio perdurat vſque ad diem Iudicij, ad aures omnium
pertingens: vt interim, dum viuimus in hoc mortali corpore, adſit omnibus hominibus tempus audiendi hanc vo-*

cem,

cem,& facultas accedendi ad veram requiem, quæ vitam concernit indiſſolubilem: nempe ad cęlos peruenien-
di, vbi Chriſtus conſedit ad dexteram maieſtatis Dei, ſacerdos in æternum conſtitutus ſecundum ordinem Mel-
chiſedech. De cuius Sacerdotio cum grandia myſteria Apoſtolus eſſet proloquuturus, vt auditores attentos ad
hęc audienda ſibi præberet, & in fide roboratos obtineret: idcirco ipſos primum valde vrget, tanquam effectos
ſegnes,& ineptos (ipſorum culpa) ad hæc excelſa myſteria percipienda. Mox accedit ad interpretandum ſa-
cerdotium ipſius Melchiſedech Dei altiſſimi ſacerdotis; docens quomodo filio Dei aſſimiletur, & quantæ digni-
tatis ſacerdos iſte fuerit,a quo Patriarcha Abraham benedictionem ſumpſerit,eique de ſpolijs ſuis opimis reuer-
tens a cede regum,decimas contulerit. Quòd ſi typus veri ſacerdotij, quem prę ſe tulit Melchiſedech, tam exi-
mię fuit celſitudinis,quid tandem de ipſo vero ſacerdotio,quod Chriſtus geſſit,de eiuſque dignitate,& excellen-
tia cenſendum erit? Hinc conſtituitur ab Apoſtolo, ſacerdotium, de quo in Pſal. dicitur: Tu es ſacerdos in
æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: typo in Melchiſedech figuratum, de Chriſto filio Dei prænun-
ciatum,in ipſoque adimpletum eſſe. Vnde,congrua hinc arrepta occaſione,conuertit deinde orationem Apoſto-
lus ad propalandum diſcrimen, quod eſt inter ſacerdotium pontificatumque Chriſti, & inter ſacerdotes atque
Pontifices veteris legis. Siquidem hi ab hominibus conſtituebantur, homines circundati infirmitatibus, qui
egerent non ſolum pro populo, verum etiam & pro ſe ipſis offerre Deo. Et plures quidem huiuſmodi ſacerdo-
tes atque pontifices conſtituti ſunt: vt qui morte deficerent, neque poſſent ſuis ſacrificijs homines liberare a
peccatis.Chriſtus autem a Deo pontifex conſtitutus eſt, innocens, & ſegregatus a peccatoribus; qui, ſemel pro
peccatis noſtris hoſtiam ſe ſe offerens Deo, vti pontifex conſtitutus in æternum ſecundũ ordinem Melchiſedech,
vna quidem expiatione, in æternum permanens, cęlos penetrauit, effectus cauſa ſalutis æternæ omnibus ſibi ob-
temperantibus. Hinc ea ab Apoſtolo veteris cum nouo teſtamento fit collatio, vt manifeſtet, vetus teſtamen-
tum,vmbram extitiſſe eorum,quæ peracta ſunt in nouo teſtamento:atque ideo ſacerdotium veteris legis,vna cum
præceptis,& ceremonijs adnexis ſacerdotio,fuiſſe tranſlatum,tanquam illud,quod eſſet inualidum, & imperfe-
ctum;eiuſque loco ſuffectum Chriſti ſacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech. In quo quidem Deus per
Chriſti filij ſui ſanguinem, eam pro peccatis noſtris accepit propitiationem, quam numquam afferre potuerunt
holocauſtomata,& cæteræ omnes oblationes prioris teſtamenti:vt quæ Deo non placerent, neque poſſent, ſecun-
Iere.31. dum conſcientiam perfectam reddere ſacrificantem; quod ſola hoſtia corporis Chriſti præſtare potuit,iuxta pro-
miſſionem noui teſtamenti, de qua eſt ſermo apud Ieremiam:ita tamen, vt hæc hoſtia illis duntaxat conferat ſa-
lutem,qui fidem,& ſpem indeclinabilem in Ieſum filium Dei ſeruauerint vſque ad extremum diem, nullam ob
cauſam ab ipſa deficientes. Ad quam fidem tuendam cum omni patientia,Apoſtolus hortatur, & excitat He-
bræos;partim,catalogo ſanctorum hominum, exordiens ab Abel, & longam elegantiſſimamque de fide oratio-
nem contexens:partim terret, docens, ex comparatione eorum,quæ contigere priſcis illis patribus in Monte Sy-
nai,in datione legis,quàm grauiter puniendi ſint illi, qui defecerint a Chriſti fide,eius ſanguinem contaminantes,
& ſpiritum ſanctum iniuria afficientes. Nam ſi illi, quoniam non obedientes fuerunt us,quę per Moyſem ſuper
terram loquebatur Deus,non ſecundum ſpiritum,ſed ſecundum ſenſibiles atque carnales oſtenſiones, non effuge-
runt damnationem: quanto magis exterminabuntur a iuſta Dei irà, qui Deum e cęlo ipſis loquentem ſecundum
ſpiritum,& tam pręclara atque pręcioſa dona vna cum ſalute largientem contempſerint? Poſtremo loco Apo-
ſtolus varia tradit documenta de inſtitutione,& obſeruatione perfectæ vitæ Chriſtianę,& deprecans Hebręos,vt
pro ipſo ad Deum preces fundant,epiſtolæ finem imponit.

Hinc ad ſcopum epiſtolæ examinandum accedentes, de quo diximus varias extare ſententias (quod attinet
ad opinionem Chryſoſtomi,& eorum,qui dixerunt propoſitum Apoſtoli eſſe, vt confirmaret, & roboraret in fi-
de,& ad patienter omnia aduerſa ferenda Hebręos Chriſtianæ militiæ adſcriptos, qui valde anguſtiabantur, at-
que animo prope conſternati erant ob mala,quæ a ſuis contribulibus patiebantur) animaduertimus,in hanc ſen-
Hebr.3. tentiam conſpirare hæc omnia epiſtolæ loca. In primis verba illa cap.3. Chriſtus vero tanquam filius in do-
mo ſua,quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam, & gloriam ſpei vſque ad finem firmam retineamus. Rurſus
hæc alia eiuſdem cap. Participes enim Chriſti effecti ſumus,ſi tamen initium ſubſtãtiæ eius vſque ad finem
Hebr.6. fismum retineamus. Ad hæc quæ ſequuntur cap.6. Cupimus autem vnumquemque veſtrum eandem
oſtentare ſolicitudinem ad expletionem ſpei vſque in finem,vt non ſegnes efficiamini, verum imitatores
eorum,qui fide & patientia hęreditabunt promiſſionem. Item cap.10. cum prius meminiſſet tribulationum,
Hebr.10. quas forti animo tulerunt in fidei ſuſceptione, hęc deinde verba ſubiunxit: Nolite itaque amittese confiden-
tiam veſtram,quę magnam habet semunerationem, patientia enim vobis opus eſt, vt voluntatem Dei fa-
Hebr.12. cientes,reportetis promiſſionem. Et cap.12. Recogitate enim eum,qui talem ſuſtinuit a peccatoribus ad-
uerſus ſemetipſum contradictionem,vt ne fatigemini animis ueſtris deficientes; nondum enim vſque ad
ſanguinem seſtitiſtis aduerſus peccatum repugnantes. Et paulo poſt. Quem enim diligit Dominus, caſti-
gat;flagellat autem omnem filium, quem recipit. Iterum eodem cap. propter quod semiſſas manus, &
ſoluta genua,erigite. Denique cap. vltimo hæc habet Apoſt. Rogo autem uos fratres, vt ſufferatis uerbum
ſolatij. Ex ijs igitur omnibus locis deduci poſſe videtur, hunc potiſſimum Apoſtoli ſcopum fuiſſe in hac epi-
ſtola, vt conſolaretur,atque confirmaret (vt ſentit Chryſoſtomus) Hebręos in fide,illoſque ob tribulationes op-
preſſos cohortaretur ad patientiam,atque longanimitatem retinendam in omnibus aduerſis. Verum,quòd Hebręi,
ad quos ſcribitur epiſtola, accuſentur tanquam deficerent a fide; id non ſolum in tribulationes transferri poſſe
videtur, verum etiam in peccata,per quæ apoſtatarent a fide Chriſti. Nam cap.3. hęc habentur. Videte fratres,
Heb.3. ne forte ſit in aliquo ueſtrum cor malum incredulitatis diſcedendi a Deo uiuo, ſed adhortamini uoſmet-
ipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex nobis fallacia peccati.

Et

Et cum in fine cap. 5. illos vt ſegnes notaſſet, atque ideo ineptos ad ſolidum cibum deguſtandum magnorum my-
ſteriorum, hinc illos, vt carnales (quod etiam obiecerat Corinthijs) & vt peccantes, & a recta fide apoſtatantes de-
ſignauit, tanquam illos, quibus rurſus opus eſſet regredi ad initia, & ad rudimenta chriſtianiſmi, de quibus me-
minit cap. 6. de pœnitentia ab operibus mortuis, de baptiſmi ſuſceptione, de confirmatione, & alijs, quibus
imbuendus, qui primo initiatur ad Chriſti fidem. Rurſus vero cap. 10. cum illos hortatus eſſet, ne eccleſiam Hebr. 6.
deſererent & collectionem fidelium, hæc deinde ſubiunxit. Voluntarie enim peccantibus poſt acceptam no-
titiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quædam expectatio iudicij, & Hebr. 10.
ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios. Ex quibus locis perſpicuum eſt, Hebræos vrgeri ab Apo-
ſtolo, tanquam a fide apoſtatantes, & in peccata ruentes. Quod etiam inſinuare videntur verba illa antea addu-
cta ex cap. 12. Propter quod remiſſas manus, & ſoluta genua erigite, hæc enim innuunt ipſos notari, tanquam Hebr. 12.
malos operatores, & fidei Chriſtianæ deſertores. Quod & ſubſequentia verba clarius ſignificant, vbi dicitur: &
greſſus rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret. ijs enim perſpicuum eſt taxari Hebræos,
quòd ex ipſis aliqui eſſent claudicantes in fide. Quæ quidem fauere videntur eorum opinioni, qui dixerunt, Apo-
ſtolum illud moliri in hac epiſtola, vt dimouerentur Hebræi ab ea erronea exiſtimatione, quòd adhuc eſſet inhæ-
rendum legis veteris inſtitutis, tanquam neceſſarijs ad ſalutem. Et huic quidem ſententiæ conſentire videtur tra-
ctatio habita de ſacerdotio ſecundum ordinem Melchiſedech: dum oſtenditur, quòd vetus ſacerdotium, vt inuali-
dum ad abolenda peccata, exiſtens vmbra futurorum, vna cum ceremonijs legis veteris transferri debuit, & eius
loco induci Chriſti ſacerdotium, in lege veteri adumbratum, per quod ſolum confertur ſalus credentibus in Chri-
ſtum, verum, & æternum noſtrum pontificem. Quapropter in hac varia patrum grauiſſimorum ſententia, recte
perpenſa vniuerſa epiſtolæ tractatione, forte non inconueniret dicere; in ea congregatione Hebræorum, qui fidem
Chriſti ſuſceperant, aliquos ex ipſis fuiſſe, qui ſatis eſſent perfecti, iidemque parati ad omnia aduerſa ferenda; ali-
quos vero ſuccumbentes tribulationibus, quas paterentur ob Chriſti fidem. Nonnullos etiam, qui illecti a concu-
piſcentia peccatorum, vel etiam ſeducti a pſeudo Apoſtolis, non ſibi ipſis conſtarent in fide. Sed ab ea apoſtatarēt;
vt qui etiā exiſtimarēt, ad Chriſti fidem legalia quoque accedere oportere. Quorū omniū rationē habens Apoſto-
lus; eos in epiſtola contexerit ſermones; quibus, tum perfecti in fide magis in ea roborarentur, ad quos præcipue
ſpectant altiſſima, quæ tractat myſteria ad ipſorum ſolamen; tum vt, qui fracti animo erant ob tribulationes, exci-
tarentur ad eas patienter ferendas; tum etiam, vt apoſtatantes a fide, quàm maxime deterrerentur, vt reſipiſce-
rent, exemplo maiorum, qui ob incredulitatem pęnas dederunt, ſe ipſoſque diuinarū promiſſionum indignos reddi-
derunt. Quin maxime etiam conſonum eſt eximiæ illi charitati (qua flagrabat ob omnium ſalutem diuinus noſter
Apoſtolus) aſſerere, quòd epiſtolam hanc diuiniſſimam, eo quoque conſilio exarauerit, vt vniuerſo generi Hebręo-
rum quouis currente ſeculo deſeruiret ad lumen veritatis percipiendum. Vnde & verſiculis illis pſalmi ſæpius
vſus eſt; hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra &c. hac voce omnium aures perſonans,
omneſque cohortans, ſed præcipue gentē Iudæorū, in quorū Biblia hæc continentur. Quod etiam confirmant quàm
plurima ex lege veteri deducta loca, & ab Apoſtolo explicata; quibus quidē omnes (niſi qui obſtinati ſint animi)
inducit facile [illegible]ſſint ad credendū, quòd Chriſtus, qui crucifixus eſt (Iudæis mortem eius acclamantibus) finis eſt le-
gis, illaque vera hoſtia, quæ figurata erat in veteri teſtamento, per quam ſolam ſancti cælos ingredi poſſunt, vt ſit
vere ipſe ille promiſſus patribus, & non alius expectandus Meſſias, atque redemptor. Quòd ſi Paulus ad Roma-
nos, non dum ſibi de facie cognitos, litteras dedit, quibus tum doctrina, tum vitæ inſtitutione eorum proſpiceret
ſaluti, ea inductus ſolicitudine, qua anguſtiabatur erga omnes eccleſias Gentium, conſtitutus Apoſtolus, & earum
doctor; quid mirum: vel potius cur non maximopere conſentaneum fuerit exiſtimare, quòd, qui ita cupidus ſalutis Rom. 9.
erat Iudæorum in carne ſibi coniunctiſſimorum, vt pro illis etiam anathema fieri a Chriſto optaret, & idcirco prę- Rom. 11.
dixerit Romanis, munus ſibi demandatum, vt præco eſſet Gentium, honorificandum iri, ſi aliquem ex ſuis fratri-
bus ſaluum faceret; ijs ipſis præclariſſimum veritatis teſtimonium, & pignus inſigne eximiæ ſuæ erga ipſos dile-
ctionis, hanc diuiniſſimam epiſtolam relinquere voluerit? in qua ſi in vlla alia, quàmplurima & altiſſima myſte-
ria explicantur.

Iam vero ijs omnibus ita explicatis, haud difficile erit reddere rationem, cur in hac epiſtola ſuppreſſum ſit &
Pauli nomen, & munus Apoſtolatus, & omiſſa pariter conſueta in alijs epiſtolis ſalutatio. Nam, quod attinet
ad ſalutationem, nemini dubium eſſe debet, quòd neceſſario omittenda erat, vbi ſalutantis nomen fuit reticendum.
Nomen autem Pauli, eo conſilio dici poteſt eſſe prætermiſſum; ne, agnito epiſtolæ auctore, ab ea legenda Hebræi
animum auerterent. Non quidem illi, qui Paulum diligebant, ad quos etiam præcipue ſcripſit, apud quos non niſi
ſanctum, & venerabile, ſimulque gratiſſimū nomen Pauli eſſe poterat; vti eius humaniſſimi Viri, qui pro ipſorum
ſuſtentatione eleemoſinas omnibus ex partibus congregandas, & in Ieruſalem tranſmittendas curaret. Sed illi alij,
qui Paulum, præ omnibus alijs Apoſtolis, acerrimo odio proſequebantur ob eas cauſas, quas recenſuimus in gene-
ralibus noſtris Prefationibus. Conſequenter munus Apoſtolatus ſilentio obuoluendum fuit, vbi nomen eius, cui
iniunctum erat hoc munus, conſultum erat reticere. Quod & ex eo capite fieri conueniebat, quòd Paulus non con-
ſtitutus erat Apoſtolus Hebræorum, ſed Gētium. Accedit, quòd Clemens in informationibus ita ſcriptum reliquit.
Iam vero, vt B. presbyter dicit, cum Dominus tanquam Dei omnipotentis Apoſtolus ad Hebræos miſ-
ſus eſſet, ex modeſtia actum eſt, vt Paulus, qui ad Gentes miſſus erat, non ſcriberet ſe Hebræorum Apoſto-
lum ob honorem delatum erga Dominum. Ex ijs argumentum illud corruit, quo aliqui oppugnabant epiſto-
lam hanc non eſſe Pauli, quoniam in ipſa vſitatum in alijs epiſtolis exordium deſideretur: quod admodum ratio-
nabiliter omittendum fuiſſe, ex iam deductis oſtenſum eſt. Illa quoque facile tollitur obiectio, quòd ſtylus huius
epiſtolæ ſit diſſimilis ab alijs, cum hæc ornatior, & longe elegantior ſit conſtructa. Et enim id minime mirum eſſe

Hh debet,

debet,cum hanc patria lingua hebraice ſcripſerit,alias vero græco idiomate,cuius elegantia , & verborum pro-
prietas curæ non erat Apoſtolo,prout in eiſdem Præfationibus cap. 14. explicatum eſt . Quòd autem nonnulli
addubitarunt, epiſtolam hanc hebraice non fuiſse ab ipſo exaratam , ex eo quòd Paulus hanc vocem , Melchi-
ſedech,græcis vocibus interpretetur, quæ reſpondent ijs latinis , Rex iuſtitiæ; cum tamen apud Hebræos hæ voces
non habeantur,& ſi hebraice (inquiunt) interpretatus eſset,dixiſset,Melchiſedech ſignificat Melchiſedech, quod
eſset nugari . Ad id primo dicendum eſt,interpretem epiſtolæ hebraice ſcriptæ,nobis expreſsiſse vel græcis , vel
latinis vocibus,quòd Melchiſedech interpretatur,Rex iuſtitiæ. Deinde vero & illud dici poteſt, quod & Apo-
ſtolus in lingua hebraica, vocem hanc Melchiſedech, potuit interpretari : ipſam quidem (vti eam quæ ſit compo-
ſita) diſtribuens in has duas voces; Melchi,& Sedech, & ita ſeorſum vtramque explicans,vt vis totius vocis
compoſita clarius appareret . Quemadmodum ſi quis græce interpretaretur nomen hoc , Chryſoſtomus , quod
ſignificet ſtoma,& Chryſon, quæ voces latine ſignificent os aureum.Non enim in quouis idiomate voces omnes
compoſitæ,ita paſſim omnibus ſunt perſpicuæ, quin reddi aliqua explicatione poſsint notiores . Reſtat poſtremum
Hebr 2. illud argumentum,quod aliqui deſumpſerunt ex verbis quæ habentur cap.2.dum dicitur. Quæ cum initium ac-
cepiſſet enarrandi per Dominum, ab eis,qui audierunt,in nos confirmata eſt . Quod minime conuenire vi-
Gal.1. detur Paulo,qui in epiſt.ad Gal.ſcribit,Euangelium ſe accepiſſe a Deo, & non ab hominibus : quomodo igitur in
nos,tanquam & in ipſum,dicere potuis, ab alijs Apoſtolis emanaſſe Euangelium ? Cui obiectioni facile occurri
poteſt,ſi dixerimus , Apoſtolum idcirco ita loquutum eſse,vt tanquam vnum ex illis ſe ſe faceret , ad quos ſcri-
bebat,ad quos certe peruenerat Euangelium ab ijs,qui Chriſtum audierant:ob modeſtiam autem & humilitatem
ſeipſum obtegens,& reuelationes reticens,quas perceperat raptus ad tertium cœlum.Idque vt tutius (vti dictum
eſt antea)ad manus Hebræorum perueniens epiſtola,non ſuſpecta quòd eſſet Pauli , ab illis quoque legeretur,qui-
bus nomen Pauli tantopere inuiſum , & odioſum eſſet. Verum,præter ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ auctoritatem,
quæ ſanxit hanc ad Hebræos epiſtolam inter canonicas Pauli eſſe habendam; hæ quoque rationes ſubnecti poſſunt
Hebr.10. ad idem confirmandum.In primis ex ijs omnibus epiſtolæ locis;vt,cum dicitur cap. 10. Nam & uinctis, vel (vt
Græci legunt) & vinculis meis compaſſi eſtis.item cap.13.Amplius autem deprecor vos hoc facere,quo ce-
Hebr.13. lerius reſtituar vobis.Item cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum, cum quo,ſi celerius vene-
rit,videbo vos . Hæc enim omnia non niſi Paulo conuenire poſſunt . Præterea hoc idem teſtatur finis epiſtolæ
ſigno,quo illas claudebat , inſcriptus hunc in modum . Gratia cum omnibus vobis Amen . Accedit,quòd al-
tiſſima,& diuiniſsima myſteria,præſertim quæ in priori parte epiſtolæ afferuntur, optime conſentiunt, & reſpon-
Epheſ 1. dent ijs,quæ habentur in epiſt.ad Eph.& in illa ad Coloſ.de Chriſto,quòd ſit filius Dei,primogenitus omnis creatu-
Coloſſ. 1. ræ,per quem omnia condita ſunt,& conſeruantur,quique ſuper omnes cœlos aſcenderit , & ſuper omnes poteſta-
tes conſederit ad dexteram Maieſtatis Dei;ita quidem,vt omnia & doctrinæ, & modis loquendi a Paulo vſitatis
Theoph. vndequaque reſpondeant . Vnde merito Theophylactus in comment.primi capitis huius epiſtolæ hæc verba pro-
nunciauit . Non poſſum equidem non admirari multorum hominum impudentiam,qui,cum intelligant
per epiſtolæ huius exordium fuiſſe tot hæreſes confutatas , haud tamen deſiſtant aſſerere , epiſtolam hanc
haud Paulo conuenire , ceu a cæteris epiſtolis alienam ; velim tamen eſſe hos neſcios , epiſtolæ huius , &
ſenſuum profunditatem,& vim illam inconfutabilem, nullius alterius eſſe poſſe, niſi Pauli, qui Chriſtum
haberet in ſe loquentem . Quòd autem hæc epiſtola inter omnes alias Pauli vltimum fuerit ſortita locum, non
Theoph. ideo factum exiſtimandum eſt,quoniam poſt alias omnes fuerit conſcripta,quando (vt refert Theophylactus in
2.Timot.4. prologo) vetuſtior fuerit quàm illa,quam ſcribit Timotheo . In hac enim ad Timotheum , oſtendit breui ſe ex-
ceſſurum e vita , dum inquit . Ego enim iam delibor , & tempus reſolutionis meæ inſtat. In iſta vero ad
Hebr.13. Hebræos,ſe illos viſurum pollicetur,cum vtraque e vinculis ſcripta ſit . Veruntamen optima ratione , atque
prouido Sancti ſpiritus conſilio factum eſt , vt poſtremo loco hæc ad Hebræos ſit collocata , Primo quidem ,
quoniam miniſterio Pauli ita conueniret , qui conſtitutus erat Gentium Apoſtolus , & doctor, vt , ſicuti præ-
cipue debebat Gentibus prædicare Euangelium , ita quoque epiſtolæ ad Gentes conſcriptæ priori loco poneren-
tur ante eam , quam ſcripſit Hebræis . Deinde vero & vocationi Hebræorum id fuit valde conſentaneum , vt
Rom. 11. poſtremo loco conſtitueretur epiſtola eorum , quorum ſalus ſecundum reliquias Iſrael poſtremis temporibus ,
proximiſque iudicio vniuerſali eſt futura , poſtquam plenitudo Gentium intrauerit , vt habet Apoſtolus in
epiſtola ad Romanos . Accedit , quòd in hac epiſtola , præ omnibus alijs , quàm plurima altiſsimaque myſte-
ria traduntur . Vnde,ſi decet a facilioribus ad difficiliora ſemper progredi; idcirco, ob hanc etiam cauſam, epi-
ſtola hæc ad Hebræos vltima erat conſtituenda ; ac præſertim , quòd in ipſa deſcribitur , ponitur que ante oculos
ſtatus ille terribilis futuri iudicij:vt hinc omnes induceremur ad ſobrie,iuſte,pieque viuendum in hoc ſeculo; atque
ita finis omnium epiſtolarum S. Pauli cum fine eo coniungeretur, qui, pro ſalute animæ procuranda, præ oculis
mentis vnicuique noſtrum deberet ſemper verſari.

IN EPI-

IN EPISTOLAM SANCTI PAVLI ad Hebręos.

PARAPHRASIS. CAP. I.

MVLTIPHARIE & multis, varijsque modis, olim Deus loquẽs Patribus io Prophetis, nouiſſimis hiſce diebus, poſtquam Verbũ factũ eſt caro, loquutus eſt oobis in filio: quem (ſecundum humanitatem) conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem (vt Verbum eſt) fecit, & ſecula, currentia hæc tempora, & quæcunq; ſub ipſis cõtinentur, cũ omnia per ipſum facta ſint. Qui quidem (ſecũdum diuinam naturam) exiſtens ſplendor gloriæ paternæ, & caracter, ipſa expreſſa imago, atque figura ſubſtantiæ patris, portanſq; atq; conſeruans omnia verbo potentię ſuæ, qua æqualis eſt patri; per ſemetipſum, per humanitatẽ morti expoſitam, quam aſſumpſit Verbum ſecunda perſona in diuinis, facta purgatione peccatorum noſtrorũ, conſedit exaltatus, vt homo, ad dexterã diuinæ maieſtatis in excelſis; tanto melior, atq; potior Angelis effectus, quanto excellentius, præ illis, nomen hæreditauit. Cui enim aliquãdo Angelorum dixit Deus, quod ad Chriſtũ pronunciauit, inquiens in pſalmo, filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſus ĩ lib. Reg. Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filiũ. Et iterum, cum introducit in hunc inferiorẽ orbem hunc ſuum primogenitum (Verbum ante ſecula genitum) aſſumpta per ipſum humana carne, dixit in pſal. & adorent eũ omnes Angeli eius. Et ad Angelos quidem dixit Spiritus ſanctus per os Dauid in pſal. Qui facit ſpiritus a ſe creatos Angelos ſuos; & flammã ignis, miniſtros ei conſtituit. Ad filiũ autem in pſal. hũc in modũ fit ſermo. Thronus tuus Deus, Deus in ſeculũ ſeculi. Virga æquitatis, Virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Et tu in principio Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarũ ſunt cęli: ipſi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt veſtimentũ veteraſcent, & velut amictũ mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Ad quem autem Angelorum dixit aliquãdo Deus, quod ad Chriſtum in pſalmis? Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Non ne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus? qui in miniſterium mittuntur eorum hominum, qui ſalutem ſunt conſequuturi a Deo, donec poſtremus huius ſeculi dies adueniat?

Editio vulgata.

MVLTIFARIAM multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: nouiſsime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula: qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantię eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis: tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſum. Ego ero illi in Patrem, & ipſe erat mihi in Filium? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit. Et adorent eum omnes angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit. Qui facit angelos ſuos, ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. Ad filium autem: Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi: virga ęquitatis, virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Et, tu in principio Domine terrã fundaſti, & opera manuũ tuarum ſunt cæli. Ipſi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt veſtimentum veteraſcent. Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Ad quem autem angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis, quoad uſque ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus: in miniſterium miſſi propter eos qui hęreditatem capient ſalutis.

ADNOTATIONES.

MVLTIPHARIE Græce, πολυμερῶς quaſi multipartite, multis ſcilicet vicibus, A
& ſeiunctim: non enim omnia per eumdem loquutus eſt Deus, quę ad perfectã Dei notitiam communicandam humano generi attinerent: ſed alia per Ieremiam, alia per Ezechiã, & ita per reliquos prophetas, adeo q vnicuique prophetarũ ſingularis quædã diſpẽſatio, & adminiſtratio commiſſa, & tradita fuit, vt inquit Theodoretus. Theodor.

B *Multiſque modis*. Id eſt, varie, iuxta illud Oſeæ. Oſeæ. 12.
Et ego viſionem multiplicaui, & in manu prophetarum aſsimilatus ſum. Non quòd diuina natura ſit multiformis, quę ſimplex eſt, & incõpoſita: vnde nõ Dei naturã videbãt Prophetę, ſed quaſdam figuras, quas ad vsũ oſtẽdebat Deus, vt affert Theodoretus. Theodor.

C *Loquens patribus*. Ex hac dictione, *patribus*, detegitur auctor huius epiſtolæ fuiſſe de genere Hebræorum, qui patriarcas habebant, & eos hoc nomine, patres ſcilicet, appellare conſueuerant. Magna autem Dei prouidentia hinc aperitur; qui lon-

ge ante ea pronunciauit per prophetas, quæ poſtea
præſtitit; vt ita magis crederentur a Deo profecta,
vt iam ante prædicta,ac deinde effecta.

D *In prophetis*. Eſt hebraiſmus,quo, efficacius
(quàm dicendo per prophetas) explicatur Dei præ-
ſentia in ſuis operibus, & huius phraſeos frequẽtiſ-
ſimus eſt vſus in epiſtolis Paoli. Ex hoc autem di-
cto,quòd loquutus eſt Deus in prophetis (vt adno-
tauit Thomas) excluditur error Porphyrij, aſſeren-
Tho. Aqu. tis prophetas finxiſſe, quæ loquebantur. Item di-
centium,ex paſſione naturali,vt puta ex malencho-
lia,prophetiam hominibus contingere.Item eorum
qui dixerunt, prophetiam eſſe tanquam habitum
ſcientiæ, quo vtatur propheta,quando vult. Quod
falſum eſſe colligitur ex eo, quòd multa fuerunt ce-
lata Eliſeo.Item Montani error dicentis,quòd pro-
phetę nõ intelligerent,quod loquerentur,cuius op-
poſitum apparet in epiſt.ad Corint.vbi dicitur:*Spi-*
1. Cor. 14. *ritus Prophetæ ſubiectus eſt propheta*.Itẽ ex eo quod
Aggęi. habetur, *Factum eſſe verbum in manu Aggæi pro-*
phetæ: id eſt,in eius poteſtate,vt illud & intelligeret
& explicaret, Ac propterea dicit Apoſtolus,quòd
Deus loquutus eſt in prophetis: quo dicto omnes
prædictæ ſententiæ,uti falſæ, ruunt, & explodũtur.

E Loquutus *eſt nobis in filio*. Hinc primo appa-
ret, quòd Deus loquens in prophetis, loquutus eſt
etiam in filio:idem igitur eſt Deus loquens utrobi-
que.Et cum filius ponatur alius a prophetis,colligi-
tur, quòd non eſt accipiendus filius per adoptio-
nem,ſicuti prophetæ extiterunt;ſed filius naturalis,
& eſſentialiter filius,Deus de Deo: de quo Apo-
ſtolus multa proſequitur in hac epiſtola, tum quo
ad diuinam naturam; tum quo ad humanam, ediſ-
ſerens de ipſo, tanquam de eo ſuppoſito, quod in
vtraque ſubſiſtit natura. Et ſi in filio loquutus eſt
Deus, vtique & in Christo loquutus eſt, qui etiam
eſt filius, ſecundum humanitatem in eadem iden-
titate perſonæ. Et cum in ipſo ſit loquutus Deus,
certe non multipharie,neque ſeiunctim:ſed in ipſo
omnia complete loquutus eſt, veritatem apertam,
& non vmbratilem manifeſtans in eo.

F *Quem conſtituit hæredem vniuerſorum*. Adeo vt
Chriſtus,non ſolum ſit dominus Iudęorum,verum
etiam Gentium;iuxta illud pſal. *Poſtula a me,& da-*
Pſal. 2. *bo tibi gentes hęreditatem tuam*. Vel omnium rerum
Matth. 28. conſtitutus eſt hæres, ſecundum illud apud Matth.
Data eſt mihi omnis poteſtas in cęlo,& in terra.Et hęc
quidem aptantur humanitati Chriſti, non diuinita-
ti.Nam,ſi Deus conſtituit ipſum hæredem,iã opor-
tet,vt in tẽpore id factũ ſit. Sicuti etiã ſi vniuerſorũ
eſt hęres,oportuit extitiſſe ea, quorũ conſtitutus eſt
hęres,vt dicẽdũ ſit, ꝙ Verbũ, caro factũ,quoad hu-
manitatẽ ſumpſerit dominiũ rerũ creatarũ,quũ de-
inde filius Dei, Verbũ diuinũ,ab ęterno dici poſſit
dominus creaturæ,ſi non ſecundũ actũ,ſaltẽ ſecun-
dũ potentiã,& aptitudinem;vti & ad creaturã refer-
ri poteſt non relatione actuali,ſed habituali. Quan-
Aug. di. 30. q. 1. doquidem,vt ait Auguſt.poſito Verbo diuino,non
oportet ponere creaturam.

Idem in li. ſent. proſp. G *Per quem fecit & ſecula*. Aug.in lib.ſen.proſp.
Creaturę, inquit,*motibus,cęperũt currere tẽpora.Vn-*
de ſi motus nullus eſſet, quo per præſens pręteritis fu-
tura ſuccederent,tempus vllum omnino nõ eſſet;mone-
ri autem creatura non poſſet, ſi non eſſet: potius ergo
tẽpus a creatura, quàm creatura erit a tempore.Et (vt Theodor.
inquit Theodoretus) *ſeculum* appellatur interuallũ,
ſeu dimenſio,& diſtantia a cõſtitutione mundi, vſ-
que ad conſummationem. Vnde Dominus apud
Matth. *Et ecce ego vobiſcum ſunt omnibus diebus vſ-* Matth. 28.
que ad conſummationem ſeculi. Cum autem mundus
non ſine ſeculis ſit;ideo dicere, facta eſſe ſecula per
ipſum, idem eſt cum eo, quod habetur apud Ioan. Ioan. 1.
Omnia per ipſum facta ſunt. Hęc vero; *per quem fecit*
& ſecula; referuntur ad Verbum, ad ipſam nempe
diuinitatem.Particula autẽ,P E R,accipitur ab Au- Aug.trac.1. in Euang. Ioan.
guſtino pro exemplari, & pro idea ad modum Pla-
tonicum, Vnde ita interpretatur, quòd per ideam Chryſoſt.
Verbi facta ſunt ſecula,ipſeque mundus vniuerſus. hom. 2.
Chryſoſtomus autẽ ait, ita dictum eſſe,vt oſtenda-
tur patris,& filij cõmunia eſſe opera,ea ſcilicet quę
ſunt ad extra;& ad ſignificandum, patrem ita ope-
rari,vt virtutem operandi non acceperit a filio; filiũ
vero,tanquam qui acceperit ab alio,nempe a patre;
vti etiam a patre genitus eſt filius. Poſſet etiam illud
per ipſum, interpretari; ideſt,per ſapientiam, quę eſt
ipſe filius; ſiquidem omnia in ſapientia fecit Deus:
Id autem,quod Deus per filium fecerit ſecula,diui-
nam in Chriſto naturam concernit. Chryſoſtomus Chryſoſt.
autem addit; *ſi per filium omnia creauit, ergo & ipſe* hom. 2.
pater operatus eſt,qui produxit opificem; tanto igitur
magis,quę per opificem.

H *Qui cum ſit ſplendor glorię*. Id etiam ſpectat ad
diuinitatẽ, vt his uerbis explicetur ab Apoſtolo, eſ-
ſentia,ſeu natura filij,quo ad diuinitatem;licet mo-
dus explicandi non adſit,vt adnotauit Chryſoſt.In- Chryſoſt.
quiens aliqua a nobis explicari,quę tamen non in- hom. 2.
telligimus: vt ꝙ Deus mundum fecerit; nec tamen
intelligimus quomodo:ſicuti etiam quædã intelli-
gimus,nec ſimus eloqui: ſicuti neq; nomen, Deus,
eius explicat eſſentiam. Sed neq; in alijs inquit:nõ
enim hęc vox ψυχή,(qua apud Gręcos anima ſigni-
ficatur) eſſentiam animę,ſed refrigerationem ſigni-
ficat,ſi proprietas vocis attendatur, Plurimum ergo
abeſt a Dei eſſentia id,quod hoc loco affert Apoſto-
lus,vt puta,ꝙ filius ſit ſplendor glorię patris. Id au- Chryſoſt.
tem idcirco dictũ eſt ſecũdũ Chryſoſtomũ, ad de- hom. 2.
notandũ,ꝙ pater in producendo filiũ,nihil patitur,
in nulloq; minuitur,vti neq; ſol in producendo ra-
dios. Aliqui ex hoc,ꝙ ſit ſplendor gloriæ,innui vo-
lunt id, quod eſt veriſſimũ; Verbũ ſcilicet eſſe filiũ
naturalẽ, Alij dicunt hinc patere,quod coęternus,
eſt cum patre;ita tamẽ,vt a patre procedat, ſicuti ex
igne,ſeu ex ſole ſplẽdor. Vnde,ſi pater æternus, etiã
filius æternus,ex patre tamen procedens, vti lumen
de lumine. Aduertendũ autẽ, quòd ſplẽdor videtur
magis apparens,quàm fons,vnde procedit. Ita filius
eſt ſplendor, nobis manifeſtãs gloriã,& lucẽ patris,
Vnde etiã dixit. *Ego ſum lux mũdi*. Dicitur autẽ grę-
ce, *ὢν ἀπαύγασμα*, ideſt, *exiſtẽs ſplẽdor*, vt denotetur, ꝙ Rom. 16. 1. Timot. 6.
per eſſẽtiã et filius eſt Deus,et eſt q eſt, ſicuti & pa-
ter,eſt,qui eſt. Vnde dictũ eſt Moyſi. *Ego ſum qui sũ*. Ioan. 8.
Ex ijs autẽ ſimul innuitur diſtinctio pſonarũ. Siquidẽ
ſplẽdor gloriã eius reſpicit cuius eſt,& a quo ꝓuenit Exod. 3.
ſplendor:ſicuti & a patre filius;vt ita diuerſi relatio-
nis

nis termini, & diuerſæ perſonæ in eadem eſſentia
conuenientes ſignificentur. Quemadmodum, & ijs
alijs, quæ ſubſequuntur, & diuinitas eadem, & di-
ſtinctio ſimul perſonarũ filij, & patris ſignificatur.

I *Et figura ſubſtantiæ eius*. Vox, *figura*, græce,
χαρακτήρ, legitur, qua proprie impreſſio formæ de-
notatur. Sunt autem qui de imagine id interpre-
tantur: qui deinde ſibi obijcientes, quòd etiam ho-
1. Cor. 11. mo ſit imago Dei (vt dicitur in epiſt. ad Corint.)
occurrunt ſimul obiectioni, dicentes quòd homo
dicitur imago Dei, quoniam repræſentat Deum in
hoc; quòd, ſicuti Deus eſt princeps, & dominus vni-
uerſorum, ita homo in terra principatum obtinuit;
Chryſoſt. hom. 2. & ita interpretatur Chryſoſtomus. Theophylactus
Theoph. autem, cum quo conuenit Theodoretus, animad-
Theodor. uertit, quòd, quoniam ſplendor per ſe non ſubſiſtit,
hincque daretur locus errori Sabelij, & Marcelli,
aſſerentium non eſſe filium in propria apud patrem
ſubſtantia, ideo Apoſtolum ſubiunxiſſe; quòd *eſt fi-
gura ſubſtantiæ eius*; id eſt; quòd, quemadmodum
pater per ſe conſtat, & nullius ad perfectionem in-
diget: ita & filius. Quod inſinuauit Apoſtolus dicẽ-
do, quòd eſt figura per ſe ſubſiſtens primitiui, vt ait
Theophylactus: nam figura nil aliud eſſe conſtat,
quàm ſit primitiuũ, vt quę per ſe ipſam ſubſiſtat, &
prioris formę ſimilis videatur, vt explicat idẽ Theo-
phylactus. Vox autem illa, *ſubſtantiæ*, gręce, τῆς ὑπο-
στάσεως, habetur: quam Quintilianus vocat, *eſſentiam*.
Hieron. Hieronymus autem dicit, quòd ſchola ſecularium
litterarum, non niſi ſubſtantiam, ideſt, οὐσίαν, nouit.
Baſil. Baſilius vero in epiſt. ad Greg. Nyſſenum, dictã vo-
cem, accipit pro natura, & pro re indiuidua ſubſi-
ſtẽte. Vnde, ſi filius eſt character ſubſiſtentiæ patris,
ipſe quoque erit ſubſiſtens. Cum autem filius ſit
character ſubſiſtentiæ patris, hinc dicendum, quòd
totum patrem refert, eius ſcilicet naturam ſubſiſtẽ-
tem: adeo vt dicendum ſit, quòd filius dicitur figu-
ra ſubſtantiæ patris; quia ſcilicet eſt expreſſio diui-
nitatis ſuæ, & totaliter exprimens, ac repræſentans
ſubſtantiam patris, vt puta viuus, & eiuſdem ſub-
ſtantiæ cum eo. Vt autem character pendet ab ali-
quo, cuius eſt character; ita filius, vt genitus, proce-
dit a patre, eandem habens eſſentiam, & ſubſiſten-
tiam cum patre. Et ſicut character eſt aliud ab eo,
cuius eſt character: ita quoque hinc innuitur, quòd
perſona filij, eſt, non quidem aliud in ſubſtantia;
ſed alia quidem perſona, a perſona patris. Et quem-
admodũ expreſſus filius per characterem hypoſta-
ſeos Dei, idem cum Deo patre filius denotatur: ita
Coloſſ. 1. quoque filius dictus (ſicuti in epiſt. ad Coloſ.) *Ima-
go Dei inuiſibilis*, explicatur, vt repræſentans totum
Deum: quum in ſubſtantia ſit idem, quod Deus pa-
ter: quod eſt idem etiam cũ eo, quod habetur in epi-
Philipp. 2. ſtola ad Philip. *Qui cum in forma Dei eſſet*. Et ita ijs
notis atq; typis Paulus de Chriſto (quatenus eſt fi-
lius Dei) & eius eſſentiam, qua innuitur eſſe Deus,
& diſtinctionem quoq; perſonę, quatenus filius, eſt
alia perſona a patris perſona, explicauit.

K *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*. Hoc etiam
pertinet ad Chriſti diuinitatem, & denotatur per
Chryſoſt. hoc, ęqualitas filij cum patre. Dictionem autem illã,
hom. 2 *portans*, græce, φέρων, interpretatur Chryſoſtomus,
quòd filius ſit agens, ſiue mouẽs, & moderans om-
nia; vt nõ ſolum per ipſum omnia facta ſint; verum
etiam conſeruentur, ne cadant in nihilum; quod eſt
eiuſdem virtutis, cuius eſt & creare ex nihilo. Illud
vero; *Verbo virtutis ſuæ*; aduertendum, loco huius
vocis, *verbo*, græce haberi, τῷ ῥήματι, quòd quidem
aliud eſt ab illa voce, λόγος, qua Ioannes vtitur in Ioan. 1.
initio Euangelij, dicẽs quòd in principio erat Ver-
bum; vt hinc appareat, hãc dictionem, *verbo*, ſecun-
dum metaphoram accipi ad ſignificandum, quòd
verbo voluntatis ſuæ (ſicut dixit, & facta ſunt) nul- Pſal. 32.
lus eſt potentior; vt ita ſumma potentia denotetur,
& facilitas operãdi; tanquam ſi digito moueat om-
nia. Quod etiam habetur in epiſt. ad Coloſ. dum di- Coloſ. 1.
citur, quòd omnia in ipſo conſtant.

L *Purgationem peccatorum faciens*. Vel, vt Græ-
ci explicant, *purgatione facta peccatorum*: cum tamẽ
poſsit dici, quòd in dies per Chriſtum fiat purgatio
peccatorum, in his, qui conuertuntur ad Deum: &
ita (vt vertit interpres) purgationem peccatorum fa-
ciens, optime dicatur.

M *Sedet ad dexteram maieſtatis in excelſis*. Hoc
etiam ſpectat ad humanitatem, & habetur quoque
in epiſt. ad Epheſ. Eph. 1.

N *Tanto melior Angelis effectus*. Id eſt declara-
tus, vt aliqui interpretantur. Verum hæc vox γενό-
μενος, quæ hic habetur, eadem eſt in epiſt. ad Rom.
dum dicitur, quòd *factus eſt ex ſemine Dauid*; vt ita Rom. 1.
eius natiuitas inſinuetur, quòd ſit factus homo me-
lioris naturæ, quàm Angeli; quando in ſua natiui-
tate vna cum humanitate aſſumpta, iuncta fuit di-
uinitas in vnitate vnius, & eiuſdem ſuppoſiti.

O *Quanto differentius præ illis nomen hæreditauit*.
Non illud nomen, de quo in epiſt. ad Philipp. quòd Philip. 2.
in nomine Ieſu omne genu flectatur; ſed hoc ip-
ſum, quod ſubiungit Apoſtolus, *filius meus es tu*,
nempe vt Deus vocaretur, quod obtinuit in primo
inſtanti ſuæ conceptionis. Illud vero aliud, (de quo
in epiſt. ad Philipp.) poſt conſummationem paſſio-
nis: propter quam Ieſus, & vere ſaluator extitit. Gręca Græ. ſchol.
autem ſcholia dicunt: hæreditauit illud, quod
etiam prius habebat: nempe, quòd verbum eſſet fi-
lius Dei. Vnde Chriſtus conſequutus eſt nomen, vt
Deus, & filius Dei appellaretur.

P *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Auguſtinus Auguſt. in
refert hæc ad ſolam æternitatem filij, vt *hodie* acci- pſal. 2.
piat pro ſemper, quòd ſemper genuerit filium pa-
ter, ſicuti etiã ens, & eſſe Dei, ſumitur pro eo, quod
eſt ſemper, vt ait Chryſoſtomus. Athanaſius autem, Chryſoſt.
& Theodoretus appropriant, *hodie genui te*, ad no- hom. 2.
uum tempus, & ita ad generationem filij, ſecũdum Athan.
humanitatem: & vtramque expoſitionem admittit Theodor.
Chryſoſtomus. Poſſent etiam hæc verba, *filius meus* Chryſoſt.
es tu; appropriari ad naturam diuinam genitam ex hom. 2.
patre iuxta illud pſal. *Ex vtero ante Luciferum genui* Pſal. 109.
te, reliqua vero, *ego hodie genui te*, ad humanitatem,
quæ genita eſt in tempore, Dei virtute Virginem
obumbrante. Quam expoſitionem admittit Oecu- Oecum.
menius. Inquit enim, *ambo poſſunt apponi Chriſto, &
filius meus es tu; quatenus perſona diuina ipſum verbũ
ad æternam pertinet natiuitatem: hoc autẽ, hodie genui
te; ſignificat iuxta carnem, recentem natiuitatem*,

cum patris beneplacito natus eſt. Cum autem dici-
tur; *filius meus es tu*: aduertendum, hanc vocem,
meus, græce haberi, μοῦ, ad denotandum, quòd fi-
lius, ſecunda perſona in diuinis, eſt genitus ex pro-
pria ſubſtantia patris, citra tamen paſſionem patris.
Hoc igitur nomen obtinuit Chriſtus, vt filius Dei
eſſet, & diceretur; quod de Angelis, & hominibux
ita dici non poteſt. Nam etſi Angeli apud Iob filij
Dei nominãtur, dum dicitur; *cum aſſiſterent filij Dei*,
Iob. 1. & in pſal. de hominibus: *Ego dixi dij eſtis, & filij*
Pſal. 81. *excelſi omnes*: attamen id non eſt pronunciatum a
Deo, qui dixent: vox filij mei eſtis, ego vos genui:
quaſi ex ipſo, ex eius ſubſtantia nati eſſent, quam
æqualem acceperint Deo; quod attributũ eſt Chri-
Hilar. ſto, ob humanitatem aſſumptam a Verbo. Hilarius
autem interpretatur hanc generationem pro reſur-
rectione, in qua pater donauit filio vitã, quam tra-
diderat pro redemptione mundi. Quæ interpre-
tatio admodum etiam conſentanea videtur ijs, quæ
Act. 13. habentur in Act. dum Paulus ediſſerens de Chriſto
in Antiochia, hęc habet. *Et nos vobis annunciamus
eam, quæ ad patres noſtros repromiſsio facta eſt, quo-
niam hanc Deus adimpleuit filijs ipſorum, reſuſcitans
Ieſum, ſicut & in pſal. ſcriptum eſt, filius meus es tu,
ego hodie genui te.* Verũ, quoniam ſic non probare-
tur, quòd Chriſtus eſſet filiux Dei naturalix, neq; q̃
Adam. generatio æterna: ideo dixit Adamux Sasbout, pro-
bari ex illis verbis, *filius meus es tu*, æternam gene-
rationem filij: adiecisse vero Paulum illa alia verba;
ego hodie genui te; vt appareret, vnde ſumpta eſ-
ſet hęc auctoritas. Sed in oppoſitum illud addu-
Matth. 19. bitari poſſet, quòd παλιγγενεσία, de qua apud Mat-
th. pro generatione proprie ſumi non poſſit, ſed
bene pro regeneratione. Quod vero attinet ad
locum ex Act. adductum, aduertendum ibi-
Act. 13. dem etiam dici, *quod Deus eduxit ex ſemine David
Iſrael Saluatorem*. Et narrãs poſtea Apoſtolus, quo-
modo poſt mortem Deus ipſum excitauit a mor-
tuis (vbi hoc verbo, ἤγειρεν, vſus eſt) & loquenx de
promiſſione facta patribus inquit: Deum hęc ad-
impleuiſſe, *dum excitauit Ieſum*; hanc vocem, ἀνα-
στήσας, adhibens; qua voce Spiritus ſanctus explica-
re potuit natiuitatem Chriſti. Quemadmodum etiã
in Act. alio loco dicitur ex Deuteronomio: *quoniam
Act. 3. prophetam ſuſcitabit vobis Deus noſter de fratribus
noſtris tanquam me*; vbi vox hæc ἀναστήσει, vſurpata
Hebr. 7. eſt: qua voce quoque infra Apoſtolus in hac epiſto-
la utitur ad explicandum ortum Domini noſtri: vbi
dicitur: *quid adhuc neceſſarium fuit ex ordine Mel-
chiſedech aliam ſurgere ſacerdotem*? & pro hoc uer-
bo, ſurgere, græce ἀνίστασθαι, legitur. Vnde auctoritas
pſalmi recte cadit in loco prædicto Act. dum ſub-
iungitur, *filius meus es tu, ego hodie genui te*, pro cõ-
firmanda natiuitate Chriſti a patre facta & excitata.
Aliud uero eſt, quod ſubiungitur eodem loco in
Act. 13. Actis, *quòd Deus excitauit illum a mortuis*, tanquam
ampliux non reuerſurum in corruptionem: quòd
probatur ex alia auctoritate pſalmi ibidem, dum
dicitur, *nec dabis ſanctum tuum videre corruptionẽ*.
Pſal. 15. Et quãuis eodẽ loco loquens de reſurrectione, hæc
eadẽ vox ἀναστήσας, pro *ſuſcitauit*, ſit ſumpta; attamẽ
coniuncta fuit cũ hac alia dictione, ἐκ νεκρῶν, id eſt,
ex mortuis; per quam proprie ſignificatur a mor-
tuis reſurrectio. Prius autem abſolute pronuncia-
tum eſt in Actis loco citato, quòd Deus excitauit
nobis Ieſum, nempe donãdo nobis illum, quando Act. 13.
Verbũ caro factũ eſt. Sed & apud Ioannẽ in Euan- Ioan. 7.
gelio, dum dicitur: *A Galilea propheta non ſurgit*, id
hac eadem voce, ἐγήγερται, explicatum eſt.

Q *Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium.*
Hæc ad Chriſti humanitatem referenda ſunt, de-
ſumpta ex lib. Reg. vbi quædam pronunciantur, 2. Reg. 7.
quæ nullo modo Salomoni poſſunt appropriari,
veluti illud inter alia: *ſuſcitabo ſemen tuum poſt te,
quod egredietur de vtero tuo, & firmabo ſemen eius*:
cum enim hæc dicerentur a Deo ipſi David, Salo-
mon iam natus erat.

R *Et cum iterum introducit*. Ex Latinis expoſito- Lat. expoſ.
ribus plurimi, hunc locum ita interpretantur: quòd
Verbum prius erat in mundo, iuxta illud apud Io-
annem, *in mundo erat*: cum vero Verbum caro fa- Ioan. 1.
ctum eſt; ſic iterum (inquiunt) introducitur in mũ-
dum, aſſumendo carnem. Cui expoſitioni videren-
tur conſentire, quæ Cyrillux, & Greg. Nyſſenus di- Cyril.
xerunt; nempe filium non fuiſſe participem mun- Greg. Nyſſ.
di, & creaturarum, priuſquàm aſſumpſit carnem;
poſt cuius aſſumptionem, ſic deinde fuit introdu-
ctus in mundum. Alij autem ſupponũt particulam
hanc, *iterum*, græce, πάλιν, additam eſſe ad ſi-
gnificandum, quòd inducitur ab Apoſtolo alia au-
ctoritas ſacrę ſcripturę, quæ deſeruit ad propoſitum
ſcopũ manifeſtandæ excellentiæ filij Dei. Et Chry-
ſoſtomus ait, Chriſtum dixiſſe de ſe, quòd exiuit Chryſoſt.
a patre, & quòd vt adduceret extraneos ad regnum hom. 3.
cœleſte, ipſe exiuit. Apoſtolus autem vtitur hac vo- Ioan. 16.
ce. *Introducit*, vt connotaret ingreſſum ad hæredi-
tatem, & regimen mundi. Theodoretus autem in- Theodor.
quit, *erat in mundo, vt Deus, venit in mundum vt ho-
mo: & vnigenitus, vt Deus; primogenitus vero, vt ho-
mo in multis fratribus. Item adorauerunt eum Angeli,
vt hominem iunctum Deo; cum prius ſemper adoraue-
rint, vt Deum.*

S *Primogenitum*. Vel in multis fratribus: vel,
quoniam, vt Verbũ, primogenitux eſt omnis crea-
turæ, quoniam ſcilicet primogenitus eſt ab æterno
filius, in quo omnia condita ſunt, *vt explicatum* eſt
in epiſtola ad Coloſſ. in Aduotat. N. cap. 1. Et ita in- Coloſſ. 1.
troductus in mundum, cum carnem aſſumpſit, hãc
etiam prærogatiuam conſequutus eſt, vt mandatũ
ſit Angelis, vt eum adorent: ſicuti in Euãgelio poſt
ſatanæ tentationem, acceſſerunt Angeli miniſtran- Matth. 4.
tes ei. Græca autem ſcholia inquiunt introduci, Græ. ſchol.
cum apparet in carne, & talem in carne Angeli
adorant.

T *Facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos
flammam ignis*. Ex ijs colligitur, quòd natura Ange-
lorum conſiſtit partim in ſpiritu, & partim in flam-
ma ignis; aut in illix conditionibus, quę his vocibus,
quaſi per metaphoram explicantur. Siquidem aliæ
voces hic adductæ; nempe *Angelus*, & *miniſter*, ad
officium pertinent, quo funguntur huiuſmodi ſpi-
ritus ex Dei ordinatione. Adnotauit autem Tho- Tho. Aqu.
mas, quòd aer facile recipit, & optime reddit rece-
pta, & motum habet velocem: quæ omnia nuncio

optime

optime conueniunt, vnde ſpiritus hi, vti nūcij Dei, ſunt Angeli; miniſtri autem (vt maxime actiui) aſſimilantur flammę ignis. Aliqui alij ardorem ſpirituum, vti ſeraphim, intelligunt. Auguſtinus autem, vti feruentes in actione, ita ait appellari flammam ignis.

V *Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi*. Aut ita interpretanda ſunt hęc verba; o Deus, Thronus tuus ſempiternus, & hęc de filio. Aut, ſi ſumatur Deus in nominandi caſu; etiam ſic filius ſuper Angelos inſinuatur, vt ille, cuius Thronus ſit Deus.

X *Vnxit te Deus, Deus oleo exultationis*. Ijs verbis Chriſtus Deus quoque nominatur; quem pater quo ad humanitatem, vnxit oleo exultationis, ipſo

Ioan. 1. ſpiritu ſancto, non ad menſuram ſibi collato, ſed in

Theoph. plenitudine, Theophylactus hunc locum exponens ait: *Deus tuus; ideſt, pater quidem tuus ſecundum diuinitatem; Deus vero ſecundum carnem; oleo lætitiæ, ideſt, ſancto ſpiritu, præter cæteros homines, obliniuit.*

Y *Et tu in principio*. Hæc ad Chriſti diuinitatem ſunt aptanda; quoniam vt Deus terram fundauit, cum ſit hæc operatio eorum quę ſunt ad extra, quę ſunt communia toti Trinitati.

Z *Sede a dextris meis*. Id ad humanitatem attinet; vt hinc exerceat Chriſtus omnem poteſtatem,

Matt. 28. de qua dixit: *data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*.

A A *Donec ponam inimicos tuos*. Sicut explicatum eſt in priori epiſt. ad Corint. Adnot. P. cap. 15. Chriſtus regnabit, exercens in hoc mundi regimine ſuam poteſtatem, donec omnes ſui inimici, (velint, nolint) ſibi ſubijciantur; poſt quod factum deinde, non poterit vlla poteſtas vltra quidpiam agere; ſicuti nunc multæ exercentur poteſtates a dæmonibus, & ab hominibus, Deo ita permittēte. Sed tādem omnia ſubiecta apparebunt Deo; vt, vel quieſcant ſancti in Dei gloria vna cum Angelis bonis; aut damnati vna cū Diabolo torqueantur in inferno ad nutum, & ordinationem Dei.

B B *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus?* Vt puta apud Deum miniſtrantes.

C C *In miniſterium miſſi propter eos*. Ideſt, miniſterio ſunt deſtinati ſpiritus beati, propter hominum ſalutem. Propter hoc autem nō ſequitur, quòd omnes Angeli mittantur in miniſterium humanæ ſalutis, licet omnes poſſent dici miniſtratorij coram Deo, & quòd ex ipſis aliqui mittantur in miniſterium humanæ ſalutis. Et cum omnes aliquo modo ſint miniſtratorij, ideo longe inferiores dignitate ſunt Chriſto, qui ſedet in trono Deitatis, & cui conſequēter Angeli aſſiſtunt, atque miniſtrant. Aut dicere poſſumus, quòd etiam ſuperiores Angeli miniſtrant inferioribus cognitionem particularium rerum agendarum, quas ſuperiores ſpiritus in Deo proſpiciunt, quæ omnia ad noſtram ſalutem con-

Dionyſ. ferunt. Et ita tuebimur ſententiam Dionyſij dicentis, quòd non mittuntur ſuperiores ad miniſterium, quamuis ipſi miniſtrent alijs inferioribus lumen

Hierony. acceptum; omnes autem vident faciem Dei, & ſunt beati. Si autem (vt pie creditur, & præclare docet Hieronymus in expoſitione c. 18. in Matt.) vnicuique noſtrum datus eſt Angelus, cuſtos & curator ſalutis cuiuſque: quomodo dicit hoc loco Apoſtolus, quòd Angeli ſunt miſſi in miniſterium eorum, qui ſalutis hęreditatem ſunt conſequuturi? ita enim non omnibus hominibus, ſed illis ſolis qui ſalui ſiunt viderentur Angeli dati eſſe cuſtodes. Cui dubitationi forte reſponderi poteſt, Apoſtolum loqui de functionibus angelicis, tanquam per legationē peractis: ſicuti cum Angelus Gabriel miſſus eſt ad beatiſſimam Virginem, ad annunciandam filij Dei incarnationem, aut ad Danielem, aut ad Cornelium, vel ad alios. Aut dicere poſſumus, quòd cū functio miniſterij angelici ad ſalutem hominum dirigatur, idcirco ſat fuit Apoſtolo dicere, quòd Angeli ſunt miſſi in miniſterium ſalutis eorum, qui ſunt futuri ſalui: interim ſubticendo de hominibus illis qui perduntur, in quibus (ipſorum culpa) non abſoluitur miniſterium Angelorum in eorum ſalutem.

PARAPHRASIS.

CAPIT. II.

PROPTEREA oportet nos abundatiori cura obſeruare, quæ audiuimus, e Filio Dei emanantia, ne forte perfluamus, labamurque exeundo a mandatis Dei, atque ita pereamus. Si enim qui per Angelos habitus eſt ſermo, a Deo factus eſt firmus, vt ne iota quidem vnum defecerit ab enunciatis; & omnis prævaricatio, & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus iuſtam iram Dei, ſi tantam neglexerimus ſalutem, quam nobis attulit Dei filius? Quæ, cum initium ſumpſiſſet enarrari per Dominum Ieſum Chriſtum, ab eis deinde, qui ipſum audierunt, in nos eſt confirmata; illam Deo atteſtante ſignis, & portentis, nec nō Sancti ſpiritus donis in fideles iuxta Dei beneplacitum diſtributis. Non enim, qualem diximus futurū orbem terræ renouatum, ſubiecit Deus Angelis. Teſtatus eſt autem quidam quodam loco dicens: Quid eſt homo, quòd memor es eius? vt digneris ipſum perditum redimere? Aut quid filius hominis? quoniam viſitas eum? minuiſti eum paulominus ab Angelis; gloria, & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper omnia opera manuum tuarum; omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. In eo enim, quòd omnia ei ſubiecit, nihil omiſit ei non ſubiectum. Nunc autem necdum videmus omnia ſubiecta ei. Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus eſt, videmus, ipſum Ieſum, gloria, & honore coronatum ob paſſionem mortis, vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem, a qua etiam illico liberaretur. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia facta ſunt, qui multos filios in gloriam adduxerat, ſalutis ipſorum auctorem exiſtentem, per paſſiones hoc tam eximium opus conſummare. Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex eadem omnes compagine conſtant: propter

quam

quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, dicens in pſalmis per Dauid. Nunciabo fratribus meis nomen tuum. In medio eccleſiæ laudabo te. Et rurſus in pſal. ero fidens in eum. Et iterum apud Eſai. ecce ego, & pueri mei, quos dediſti mihi Deus. Quia ergo pueri communicarunt carni, & ſanguini, ipſi ſcilicet corruptioni; & ipſe ſimiliter participauit eiſdē; vt media morte aboleret eum, qui mortis imperium obtinebat; nempe Diabolum: & liberaret eos, qui mortis timore oppreſſi per totam vitam, & in perpetuum hac ſeruitute obnoxios ſe fore cenſebant. Numquam enim Verbum, ſecunda perſona in diuinis, Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus ſimilari, vt miſericors fieret, atque fidelis Pōtifex in ijs, quæ ad Deum attinent, in expiandis ſcilicet, & repropitiandis peccatis populi. Nam in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus, poteſt & ijs qui tentantur, auxilio ſuo præſto eſſe.

Editio vulgata.

PROPTEREA *abundantius oportet obſeruare nos ea quæ audiuimus: ne forte pereffluamus. Si enim qui per angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis præuaricatio, & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus ſalutem: quæ cum initium accepiſſet enarrari per Dominum: ab eis qui audierunt, in nos cōfirmata eſt, conteſtante Deo ſignis & portentis & varijs virtutibus, & Spiritusſancti diſtributionibus ſecundum ſuam voluntatem. Nō enim angelis ſubiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. Teſtatus eſt autem in quodam loco quis, dicens: Quid eſt homo quòd memor es eius: aut filius hominis quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulominus ab angelis: gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. In eo enim quòd omnia ei ſubiecit: nihil dimiſit non ſubiectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia ſubiecta ei. Eum autem qui modico quàm angeli, minoratus eſt, videmus Ieſum propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum: vt gratia Dei, pro omnibus guſtaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum, per paſſionem conſummare. Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex vno omnes. Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ laudabo te. Et iterum. Ego ero fidens in eum. Et iterum: Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Deus: Quia ergo pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem, vt per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperium, id eſt diabolum & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti. Nuſquam enim angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus ſimilari: vt miſericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & eis qui tentantur, auxiliari.*

ADNOTATIONES.

PROPTEREA *abundantius oportet obſeruare nos*. Nonnulli exiſtimarunt, quæ enarrata ſunt in cap. præcedēti de Chriſti eccellentia, per quem Deus loquutus eſt humano generi, huc dirigi ab Apoſtolo, vt obturaretur os iudaizantiū, vt intelligerent, per Chriſtum legalia antiquata eſſe, cum nō amplius loquutus ſit Deus per prophetas, qui futura de Chriſto prænunciabant. Quidam alij, ſuperius habita, ad hoc reſpicere dixerunt, vt Hebræi Chriſtiani (qui grauibus afflicti erant tribulationibus ob perſecutiones eis conflatas a contribulibus ſuis) non deſponderent, ſed potius erigerent animum, & inuicem ſe ſe conſolarentur, tanquam certi futuræ beatitudinis, quam Chriſtus denunciauit, per quem loquens Deus, omnia confirmauit. Verum poſſemus etiam exiſtimare, eo tendere hactenus enarrata, vt Apoſtolus ſuam hinc texeret orationem hortatoriam, qua perterrefaceret omnes, qui Chriſti dicto non eſſent obedientes; intonans hæc, & denunciās omnibus; quòd, ſi quæ fuerunt prænunciata per Angelos, firma extiterunt; & omnis præuaricatio, & inobedientia, contra illos tunc temporis inobediētes, accepit iuſtam retributionem; multo magis timendum eſſe ijs, qui neglexerint ſalutem a Chriſto allatam, & denunciatam. Non enim per Angelos, ſed per Chriſtum ſalus hominibus eſt importata. Hæc autem duo, *præuaricatio* ſcilicet, *& inobedientia*, inuicem diſtingui poſſunt; vt *præuaricatio* ſumatur pro actione patrata aduerſus Dei præcepta; ſicuti, occidere hominem, cum ſit præceptum, non occidas: *inobedientia* vero pro omiſſione eorum, quæ præcepta erant, vt obſeruarentur: veluti, diem feſtum ſanctificare. A

B *Initium accepiſſet enarrari per dominum*. Etenim Chriſtus prædicauit ſe veniſſe in mundum pro ſalute humani generis; vt cum dixit: *ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant*. Et alibi. *Non* Ioan. 10.
enim, veni vocare iuſtos ſed peccatores. Item, qui credit Matt. 9.
in me, etiam ſi mortuus fuerit viuet. Et pænitentiam Ioan. 11.
agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Cum vero Matt. 4.
ſubiungit Apoſtolus: *ab eis qui audierunt, confirmatum eſt in nos*. Ex ijs innuit Apoſtolos, qui Chriſtum audierant: a quibus, tanquam ijs qui legatione fungerentur pro Chriſto (vt dicitur in epiſt. ad Corin.) prædicatum, & confirmatum eſt Euangeliū. 2. Cor. 5.
Cum autem dicit, *in nos*, græce εἰς ἡμᾶς: aut intelligit, quòd per prædicationem Apoſtolorum peruenerit promiſſa ſalus ad nos; ad aures ſcilicet noſtras. Aut dixit *in nos*, id eſt, ad noſtrum beneficiū. Subticet autem Paulus de ſe, quum ſe faciat vnum de populo. Non enim erat hic locus ſuas commemorandi reuelationes; præſertim propter illos ex Iudæis, qui eius oderant nomen: vt propterea non ſit argumentū hinc deducendum, vt deducunt nonnulli; quòd hæc epiſtola non ſit Pauli. Non enim (vt inquit Theophylactus, neceſſitas erat manifeſtandi, Theoph.

quòd

quòd accepiſſet Euangelium a Deo; ſicut oportuit
Græ. ſchol. hæc Galatis commemorare. Græca itidem Scholia
inquiunt; *ne offendiculum patiaris, non dicit, ſe ipſum
quoque audiſſe a Chriſto, cum tamen audiſſet.*

C *Non enim Angelis ſubiecit Deus orbem terræ
futurum.* Hinc incutiendus timor ijs, qui Chriſti
negligunt prædicationem; quoniam multo magis
erunt puniendi, qui audierint, & non obedierint
ei, cui ſubiecta ſunt omnia; quique iudex futurus
eſt omnium. Non autem tales Angeli; quorum ta-
men dicto quicunque fuerunt inobedientes, pœ-
nas grauiſſimas dederunt. Orbem autem futurum
intelligit Apoſtolus illum, de quo ſuperius dixit,
quòd Deus mutabit omnia, & mutabuntur, vt fiat
Chryſoſt. nouus orbis. Aut ſecundum Chryſoſtomum, *futu-*
hom. 4. *rum* dixit reſpectu filij, qui eſt ab æterno: mundum
autem, cum aliquando non fuerit, futurum dicere
Rom. 5. poſſumus: & ita in epiſt. ad Rom. dictus eſt Adam
forma futuri reſpectu Chriſti, qui erat venturus.
Theodor. Theodoretus ait: *Orbem terræ,* vitam futuram appel-
Gr. Scho. lauit. Græca vero Scholia, *mundum futurum,* alium
ab hoc præſenti interpretantur.

D *Quid eſt homo, quia memor es eius, & filius ho-
minis, quoniam viſitas eum?* Adnotandum, idem
eſſe, dicere filium hominis, & hominem appellare,
Tho. Aqui. cum ſit hæc phraſis hebræa. Aut (ſecundum Tho-
mam) filius hominis proprie Chriſtus intelligendus
eſt; vt qui, cum tantum mulierem matrem habuerit,
non virum patrem; ideo filius hominum dici non
poteſt; ſed hominis. Sermo autem propoſitus ex
Pſal. 8. Pſal. eſt de tota humana natura, quæ proſtrata fuit,
& reintegrata, non ſtatim in primo patre; ſed poſt
longam generationem, in qua etiam Chriſtus con-
tinetur. Deus igitur fuit memor hominis, quando
ipſum non dereliquit perditum, eumdemque viſi-
tauit, ipſum ſaluando, & extollendo in perſona
Theodor. Chriſti. Vnde Theodoretus inquit, hoc dictum eſſe
de communi natura: conuenit autem primitijs ex
nobis; nempe Chriſto, qui ea, quæ ſunt totius natu-
ræ, ſibi attribuit, & accommodauit. Quemadmodū
Pſal. 21. & illud ex omnium noſtrum perſona dixit Chri-
ſtus; *longe a ſalute mea, verba delictorum meorum.*

E *Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.*
Huic inferiori orbi præpoſitus eſt homo a Deo, vt
princeps, & caput. At omnibus operibus Dei pro-
prie, atque præcipue præpoſitus, & conſtitutus eſt
Chriſtus.

F *Eum autem, qui modico, quàm Angeli minora-
tus eſt.* Natura humana, abſque dubio inferior eſt
angelica; cum hæc Dei cognitionem obtineat per
quandam excellentem illuminationem intellectua-
lem; homo vero ex creaturis aliquam in ænigmate,
& in ſpeculo habere poteſt de Deo notitiam in hac
vita. Quod autem attinet ad illud; quòd Chriſtus ſit
Theoph. minoratus modico, quàm Angeli; Theophylactus
animaduertit, quòd per tres dies Chriſtus paulo eſt
ab Angelis imminutus in morte, cui minime ob-
noxij ſunt Angeli, nos vero maxime ſumus inferio-
res Angelis, qui plurimum morti obſtringimur, &
corruptioni patebimus. Verū Chriſtus, in ſua quoq;
natura humana, exceſſit angelicā quo ad animam,
ob plenitudinem gratiæ & veritatis, vt determinat

S. Doctor ex ſententia S. Leonis Papæ. In tertia P. Tho. Aqu.
ſummę. Ad modicum autem minoratus eſt tempo- 3. p. q. 3. art.
re illo, quo paſſus eſt; ſed & ob hanc paſſioné glo- 3.
ria, & honore fuit coronatus; vt cuncta Deus Chriſti
humanitati ſubiecerit; vnde & Angelis factus eſt
ſuperior. Theodoretus autem explicans hunc locū Theodor.
inquit. *Non natura diuinitatis fuit minor Angelis; ſed
perpeſſione humanitatis:* quia etiam ipſa, poſt reſur-
rectionem, diuinam gloriam eſt conſequuta. Augu- Aug. lib. 3.
ſtinus autem in lib. 3. cōtra Maxi. ex hoc loco, quòd Cont. Ma-
Chriſtus per paſſionem paulo minoratus eſt ab An- xim. c. 18.
gelis; colligit, quòd ſicut per humanitatem hæc paſ-
ſus eſt, non vt Deus; ita quoque ei ſecūdum huma-
nitatem conuenit illud, quod dicitur in epiſto. ad
Corint. quòd ſubiecit ei omnia, vt ſit iudicaturus vt 1. Cor. 15.
homo, viuos, & mortuos. Apparet autē Apoſtolum
præcipue accommodaſſe Chriſto hæc, quæ de ho-
mine ſcripta ſunt in prædicto Pſalmo.

G *Vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem.*
Neſtoriani legebant, loco horum, χάριτι θεοῦ, hunc
in modum, χωρὶς θεοῦ, ideſt, ſeorſum a Deo: & hinc
innuebant, Verbum ſolum inhabitaſſe in Chriſto;
& ita Deum non paſſum eſſe aſſerebant. Verum,
hac etiam ſuppoſita lectione, non propterea ſequi-
tur, quod illi deducebant: ſed ita intelligendus eſſet
Apoſtolus; quòd Chriſtus *pro omnibus,* græce ὑπὲρ
παντὸς, ideſt pro vniuerſo mortem guſtaret: quando
hinc omnia ſint renouanda, cœlum, & terra, & An-
geli quoque beatitudine ſint cumulandi; & ita pro
omnibus guſtaſſet mortem, ſeorſum tamen a Deo;
vt non indigente hac paſſione Chriſti: iuxta illud
etiam in epiſt. ad Corint. *omnia ſubiecta ſunt ei præ-* 1. Cor. 15.
ter eum, qui ſubiecit ei omnia. Vnde Theodoretus hāc Theodor.
ſequēs lectionem, *abſque Deo,* ita interpretatur. So-
la *diuina natura nullius indigebat; reliqua omnia opus
habebant humanæ ſuſceptæ naturæ medicamēto. Nam
Chriſtus diſſoluit mortem: hinc reſurrectionem nobis
comparauit; ad reſurrectionem fit renouatio omnium,
vt fiant incorruptibilia, vt dicitur in epiſt. ad Rom.* Rom. 8.
*Angeli quoque perpetua lætitia afficiuntur hominum
ſalutem aſpicientes. Si enim gaudent pro vno pecca-
tore pœnitentiam agente; multo magis videntes tot mil-
lia ſalutem conſequuta, implebuntur lætitia.* Cum an-
tē dicat Apoſtolus de Chriſto, quòd guſtauit mor-
tem; hinc ſignificauit, Chriſtum re vera mortem ſu-
ſtinuiſſe. Guſtauit autem, quatenus pauco tempore
ab illa detentus fuit, vt interpretatur Chryſoſtomus. Chryſoſt. hom. 4.

H *Decebat enim eum.* Hæc paſſim referunt in-
terpretes ad patrem, ita locum hunc exponentes.
Decebat vt Deus, qui adduxit multos filios in glo-
riam, ita tractaret, atque conſummaret auctorem
ſalutis Chriſtum, vt & alios per ipſum ſaluaret. Et
ita interpretantes dubitant, num aliquid acceſſerit
Chriſto perfectionis, quod negant. Vnde Chryſo- Chryſoſt.
ſtomus interpretatur, *vt eum perfectum oſtenderet.* hom. 4.
Aliqui alij dicunt, Chriſto acceſſiſſe immortalitaté,
& gloriam corporis. Verum nō omittendum, quòd
in Chriſti poteſtate erat, & animam ſuam ponere, & Ioan. 10.
ſumere eam. Accommodantes autem hæc eadem
ad Chriſtum ita interpretari poſſumus. *Decebat
enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia,*
Græce δι' ὃν καὶ δι' οὗ (& reſpondent ijs, quæ haben-
tur

Coloſ. 1. tur in epiſtola ad Coloſſ.) τὰ πάντα δι᾽ αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν, ideſt, *per quem omnia, & in ipſum omnia*, adeo quòd per ipſum δι᾽ οὗ ſiue δι᾽ αὐτοῦ, denotatur quòd per filium, qui eſt patris ſapientia, & ita per ſapientiam omnia facta ſunt: quod ſimiliter habetur apud
Ioan. 1. Ioan. *omnia per ipſum facta ſunt*, nempe per ipſum Verbum. Illud vero quod habetur hoc loco δι᾽ ὃν, *propter ipſum*, correſpondet dictioni in epiſto. ad Coloſſ. εἰς αὐτὸν, & denotatur quòd propter gloriam, ſeu in gloriam & exaltationem filij, qui eſt ſapientia patris, omnia facta ſunt. Vnde loquens Apoſtolus de Chriſto, ſimul homine & Deo exiſtēte, Verbo Patris; ait, quòd decebat eum, propter quē omnia, & per quem omnia facta ſunt, adducentem multos filios in gloriam Dei, auctorem ipſorum ſalutis exiſtentem, per paſſiones (quatenus homo) conſummari, & ad exitum perduci. Aut, ſi in actiua ſignificatione ſumatur verbum τελειῶσαι, vt Græci expoſitores accipiūt; dicemus, ꝙ decebat Chriſtum, per quē, & propter quē omnia facta ſunt (pro vt antea explicauimus) conſummare operationem ſalutis, vt per paſſionem ſuſceptam id perficeret.

I *Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex vno omnes*. Hæc verba videntur fauere expoſitioni poſtremæ; quòd ſcilicet Chriſtus cōſummarit opus ſalutis per paſſionem; hoc enim decebat, & conueniens erat; quando Chriſtus, qui ſanctificat, & illi, qui per ipſum ſanctificantur, ſint ex vno, ideſt, ex eodem parente trahāt originem: vel ex eadem natura conſtent. Siquidem (vt dicitur paulo poſt). Chriſtus in carne, & ſanguine communicauit nobiſcum.

K *Ero fidens in eum*. Hæc de Chriſto, qui quatenus homo, confidebat in Deum. Non autem de beatitudine ſpem habuit, vt ſolent homines; quoniam exiſtens Deus, etiam viator beatus erat. verum habebat fiduciam, quòd reſurgeret a mortuis, & expectaret auxilium in paſſione citra omnem timorem.

L *Quia ergo pueri communicarunt carni, & ſanguini*. Nempe paſſibilitati, & mortalitati: iuxta illud
1. Cor. 15. ad Corint. *caro & ſanguis*, ideſt mortalitas, *non poſſidebit regnum Dei*, Vnde ibidem ſubiungitur; *neque corruptio incorruptionem*. Aut his vocibus, *carne, & ſanguine*, humana natura deſignatur; pro vt in
Matt. 16. Euangelio dixit Dominus Petro. *Caro, & ſanguis non reuelauit tibi*, ideſt, nullo ingenio humano id didiciſti; vt homo, nō aſſequutus es hanc cognitionem; ſed ex patris cœleſtis reuelatione tibi eſt communicata. Pueros autem appellat electos, vt qui ſint ſine malitia: nam (vt dicitur in Euangelio) *niſi con-*
Matt. 18. *uerſi fueritis, & efficiamini vt paruuli, non intrabitis in regnum cælorum*.

M *Et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti*. Ideſt, liberaret homines, qui timorem habebant, ſe fore perpetuæ morti ſubiectos. Vel liberaret eos, qui timore mortis per vniuerſam vitam, nempe in ſempiternum, obnoxij erant ſeruituti Diaboli, & æternæ mortis. Vel liberaret a tyrannide Diaboli eos, qui timore mortis per totam vitā obnoxij tenerentur ſeruituti huius timoris; vt iam non amplius timerent mortem, vti habentes ſpem certam reſurrectionis.

N *Nuſquam enim Angelos apprehendit*. Tanquā illos liberaturus. Angelus enim cecidit morte perpetua, vt eius caſus mors extiterit; vnde non aptus liberationi: ſicuti etiam homo, poſtquam obierit, mortuus in peccato, non amplius ad vitam gratiæ diuinæ aptus eſt reuocari. Accedit quòd Angelus non conditus fuit, vt homo, egens cibo, & potu; qui etiam poſitus erat in cœlo, dum cecidit, non in terra, vt homo. Præterea homo venundatus fuit ſub peccato primorum parentum, vnde humani gene- Rom. 7.
ris reparatio habilis, & Dei benignitate digna extitit. Theodoretus autē inquit. Si Verbum Angelorum naturam aſſumpſiſſet, morte fuiſſet potentius; Theodor.
ideſt, mori non potuiſſet, vt neque Angeli morti ſunt obnoxij.

O *Sed ſemen Abrahæ apprehendit*. His verbis Apoſtolus demulcet aures Hebræorū. Dicens vero *apprehendit*, ſignificat, quòd tanquam Labentem & fugientem naturam humanam apprehendit.

P *Vnde debuit per omnia fratribus ſimilari*. Verum ſine peccato; quod fecit, accipiens formam ſerui in ſimilitudinem hominum factus, vt explicatum eſt in epiſt. ad Philipp.

Q *Vt miſericors fieret*. Nempe factus eiuſdem naturæ nobiſcum.

R *Et fidelis Pontifex ad Deum*. In hoc conſiſtit fidelitas erga Deum, vt ipſi præſtentur, quæ conueniunt, & ſunt ad eius voluntatem. Poſtulabat Deus, vt ſibi ſatisfieret de offenſa ſibi illata ab humano genere ob inobedientiam, & peccatum; & vt Chriſtus, innocens a peccato, in carne ſua id perſolueret. Chriſtus igitur pendens pro peccatis noſtris, pontifex exiſtens ſui ipſius corporis in oblationem, & expiationem noſtram, ſic fidelem ſe præſtitit pontificem Deo.

S *In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus, potens eſt & eis, qui tentantur, auxiliari*. Chriſtus tentatus eſt a Diabolo, & a Iudæis: de ipſo ſumptum experimentum, num mori poſſet: idem laceſſitus fuit opprobrijs; & mortem denique eſt paſſus. Ex hac igitur experientia, Chriſtus agnouit hominis miſeram conditionem, aptam ad multa patienda mala, eadem experiens & ipſe. Vnde ex hac experientia ad commiſerandum humano generi magis induci potuit. Cum vero innocens paſſus ſit mortem, iure ſuo, apud Deum Patrem obtinuit auctoritatem, vt poſſit ferre auxilium pro tribulationibus, atque ſalute eorum, qui in ipſum credunt. Theophylactus Theoph.
hanc Chriſti tentationem accipit pro experientia. dicens: quòd *Chriſti caro multa paſſa eſt; calletque quid preſſura, quid ve tentatio ſit, vnde & auxiliari poteſt: ideſt, promptior eſſe, vt manus porrigat, & tanquam miſericors opituletur oppreſſis*. Aliqui ſunt interpretati, quòd Chriſtus tentatus eſt: ideſt, tentauit eum Diabolus, vel etiam Iudæi, vt experimento cognoſcerent, num filius Dei eſſet. Theodoreti autem commentarius ita habet. *Cum experientia didicerit humanæ naturæ imbecillitatem, vt qui & ex lege, & ex gratia vitam egerit, iis qui oppugnantur, dat auxilium*. Et hæc quo ad humanitatem: neque enim eſt noſter pontifex, quatenus eſt Deus; neq; eſt paſſus,

vt

vt Deus; neque vt Deus, noſtra didicit per experiẽtiã; ſed vt homo. Photius inquit. *Quia malignus ille inſiliit in corpus domini, cum, quod expers erat omnino peccati, & tentationibus, & afflictionibus implicare conatus eſt, & per ſe ipſum tentando, & inducendo Iudæos in eadem aduerſus Dominum, Ideo iuſte fortitudinem habet aduerſus malignum; & vt auxilietur afflictis, & tentatis.* Oecumenius dicit. *Experientia didicit, quid ſit in tentationes, & afflictiones incidere: non ſolum vt Deus id cognouit: ſed etiam vt homo, qui experientia perceperit afflictiones.*

Phot.

Oecum.

PARAPHRASIS.

CAPIT. III.

VNDE Fratres, Sancti per baptiſmum, Christi vocationis cœleſtis participes, conſiderate, & ponite vobis ante oculos Apoſtolum, & Pontificem eius cõfeſſionis (quã profitemur) Chriſtum Ieſum fidelem exiſtentem ei, qui præfecit eum, & conſtituit Apoſtolum, & Pontificẽ in omni domo eius: ſicuti & Moyſes fuit fidelis in tota domo Dei. Ampliori enim gloria hic Ieſus, præ Moyſe, dignus eſt habitus; quanto ampliorem honorem habet (quàm domus) is qui fabricauit illam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo; qui autem omnia creauit, Deus eſt. Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo Dei, tanquam famulus, & miniſter in teſtimonium eorum, quæ dicenda erant populo. Chriſtus vero fidelis fuit tanquam filius in domo ſua. Cuius domus, in qua inhabitat Deus, ſumus nos; ſi tamen fiduciam, & gloriationem, quam ſperamus ex confeſſione fidei noſtræ, vſque in finẽ firmam retineamus. Quapropter dixit Spiritus ſanctus per os Dauid. Hodie, ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, reſiſtendo vocationi diuinæ; ſicut in exaccerbatione obdurauerunt corda ſecundum diem tentationis in deſerto; vbi tentauerunt me patres veſtri; probauerunt, & viderunt opera mea quadraginta annis: propter quod infenſus fui generationi illi; & dixi, ſemper errant corde; ipſi autem non cognouerunt vias meas; quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam, promiſſionis terram aſſequentes; ad quam ob eorũ duritiem cordis non peruenerunt. Horum igitur exemplo videte, caueteque vobis Fratres, ne quando ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis, diſcedendi a Deo viuo. Sed adhortamini vos inuicem per dies ſingulos; donec hæc vox, hodie, perſonat, & appellatur: ne quis obdureſcat ex vobis ſeiungens ſe a Deo, a fallacia peccati ſeductus. Participes enim Chriſti effecti ſumus; ſi tamen principiũ ſubſtantiæ, ac ſuſtentationis vitæ noſtræ, qua Deo coniungimur, ideſt, fidem ipſam erga Deum firmã, atque cõſtantem, vſque ad finem retineamus; dum dicitur, & nobis intonat hæc vox. Hodie, ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, vti in exacerbatione illa, cum patres noſtri Deum contra ſe irritauerunt. Quidam enim exacerbauerunt Deũ, vocem, & præcepta eius audientes, illis autem non obtemperantes. Sed non vniuerſi, qui profecti ſunt de Aegypto ductore Moyſe, huiuſmodi extiterunt. Quibus autem Deus offenſus fuit quadraginta annis? Nonne illis, qui peccauerunt contra eius mandata, quorum cadauera proſtrata ſunt in deſerto? Quibus autem iurauit Deus non ingreſſuros illos in requiem ſuam? non ne niſi illis, qui increduli, atque ipſius dicto inobedientes fuerũt? Et hinc videmus, perſpicueque cognoſcimus, quòd in eius requiem priſci illi non potuerunt ingredi, propter ipſorum incredulitatem. Et ſolus Chaleb, & Ieſus filius Naue, qui fideles Deo ſe præbuerunt, ex omni illo populo egreſſo de Aegipto, peruenerũt ad terram promiſſionis.

Editio vulgata.

VNDE *fratres ſancti vocationis cœleſtis participes, conſiderate Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum, qui fidelis eſt ei qui fecit illum, ſicut & Moyſes in omni domo eius. Amplioris enim gloriæ iſte præ Moyſe dignus eſt habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit eam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo, qui autem omnia creauit, Deus eſt, Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus in teſtimonium eorum quæ dicenda erant. Chriſtus vero tanquam filius in domo ſua: quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam, & gloriam ſpei vſque ad finem firmam retineamus. Quapropter ſicut dicit Spirituſſanctus, Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto. Vbi tentauerunt me patres veſtri, probauerunt, & viderunt opera mea quadraginta annis. Propter quod infenſus fui generationi huic: & dixi: Semper errant corde. Ipſi autem non cognouerunt vias meas: quibus iuraui in ira mea. Si introibunt in requiem meam. Videte fratres, ne forte ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis diſcedendi a Deo viuo: ſed adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec Hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Participes enim Chriſti effecti ſumus: ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum retineamus. Dum dicitur. Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra quemadmodum in illa excerbatione. Quidam enim audientes, exacerbauerunt: ſed non vniuerſi qui profecti ſunt ex Aegypto per Moyſem. Quibus autem infenſus eſt quadraginta annis? Nonne illis qui peccauerunt, quorum cadauera proſtrata ſunt in deſerto? Quibus autem iurauit non introire in requiem ipſius, niſi illis qui increduli fuerant? Et videmus quia non poterunt introire propter incredulitatem.*

ADNOTATIONES.

A Theodor. VNDE *Fratres ſancti*. Theodoretus coniungit hoc caput cum præcedentibus hunc in modum. *Poſtquam comparationem cum Angelis ſic perfecit, omnibus Prophetis maiorem magnum Moyſem cum eo confert: vt, cum eſſe infinitam differentiam oſtenderit; ſimul etiam oſtendat, quid interſit inter teſtamenta, promiſſa, & etiam ſacerdotes. Comparationi autem rurſus admiſcet exhortationem, ne hoc videatur tanquam de induſtria facere; ſed veluti aliqua neceſſitate impulſus. Vt Hebræus autem ſcribens Hebrais, fratres ſibi appellat ſecundum carnem; & etiam in communicatione fidei*. Appellatione autem, *ſanctorum* (quos ipſos nominat) & qui baptizati erant, ad permanendum in fide excitari poterant; & alij ad eandem ſuſcipiendam, vt ſancti fierent.

B *Vocationis cæleſtis participes*. Vt hinc pateat, quòd non ad temporalia bona, pro vt priſci patres; ſed ad cœleſtia ſint vocati; & ita communicent cum alijs electis. Aut, *participes vocationis cæleſtis dicit*: quoniam per baptiſmum ſint conuiuificati in Chriſto, & conſurrexerint, & conſederint cum ipſo in cœleſtibus, pro vt dicitur in epiſt. ad Coloſſenſes. Coloſſ. 1.

C *Conſiderate Apoſtolum, & pontificem*. Appellat Chriſtum Apoſtolum, vt qui ſpecialiter miſſus fuerit ad Iudæos, iuxta illud: *non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael*. Matt. 15. Chriſtus autem voluntatem patris, & veritatem manifeſtauit mundo. Eumdem vero appellat & pontificem: vt qui pro peccatis ſatisfecerit, offerens ſe hoſtiam Deo pro nobis. At cuius rei extitit Chriſtus Apoſtolus, & pontifex? explicat Paulus dicens; *confeſſionis noſtræ*: ideſt fidei; quam debemus confiteri: quoniam (vt dicitur in epiſt. ad Rom.) *corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Rom. 10. Hanc autem fidei confeſſionem Chriſtus (vt Apoſtolus) & verbis denũciauit: veluti cum dixit. *Qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit viuet*. Ioan. 11. *Item omnis ergo qui cõfitebitur me coram hominibus confitebor & ego eum coram patre meo*. Matt. 10.

D *Qui fidelis eſt ei, qui præfecit illum*. Pater præfecit Chriſtum, vt Apoſtolum, & Pontificem in tota domo ſua; quæ quidẽ pertinet ad vniuerſas creaturas ipſe autem obediens factus eſt patri vſque ad mortem, quam vt ſubiret pro populo, patris fuit beneplacitum. Ipſe igitur fidelem ſe præſtitit; tum in Dei veritate referenda; tum in procuranda ſalute humano generi. Vel etiam fuit fidelis; quoniam non attribuit ſibi, quod habebat a patre. Vnde illæ voces; *mea doctrina non eſt mea ſed eius qui me miſit*. Ioan. 7. Et alibi. *Ego autem non quæro gloriam meam*. Ioan. 8.

E *Sicut & Moyſes in omni domo eius*. Ideſt, in regẽdo populo Iſraelitico electo, vti peculiari populo apud Deũ, cui præfectus fuit Moyſes a Deo. Dicitur autem quòd, *in omni domo*, fuit fidelis Moyſes, ad denotandum, quòd qui muneri diuino eſt præpoſitus, illud debet omni ex parte implere, neque in vlla re quantumuis minima deficere.

F *Amplioris enim gloria iſta præ Moyſe, dignus eſt habitus*. Quantum ſit præferendus Chriſtus Moyſi, Apoſtolus inſinuat, ſubiungens, *quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit illam*. Vbi aduertendum, hanc vocem, *domus*, ſtare a genetandi caſu; græcæ enim legitur, τοῦ οἴκου: vt hoc velit Apoſtolus dicere: quòd qui fabricauit domum, habet honorem ampliorem, quàm domus; per quam intelliguntur fideles: vt patet ex verbis, quę ſubiungit Apoſtolus inquiens: *quæ domus ſumus nos*; iuxta illud quoque ad Corinth. *Vos enim eſtis templum Dei viui, ſicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in ipſis, & inambulabo inter eos*. 2. Cor. 6. Leuit. 26. De domo autem iſta vnus fuit Moyſes. Chriſtus autem domum fabricauit; vt ſubiũgitur, dum dicit Apoſtolus. *qui autem omnia creauit, Deus eſt*. Ex quibus verbis, Chriſtus Deus ſignificatur; cum antea dictum ſit; quòd ampliori honore dignus eſt, qui fabricauit domum, quàm ipſa domus: & Chriſtus Moyſi in hoc ſermone cõparabatur, adeo vt, per *domum*, Moyſes intelligeretur; Chriſtus autem, per eum, qui fabricauit domum. Conſequenter Chriſto conueniunt hæc verba: *qui autem omnia creauit, Deus eſt*. Vnde Theodoretus inquit, Theodor. *quia Chriſtus & Deus, & homo eſt (vtrumque autem in vna perſona conſideratur) neceſſario & quæ ſunt excelſa, & quæ ſunt humilia, de eo cogitur Apoſtolus dicere, ad vtramque naturam oſtendendam*.

G *In teſtimonium eorum, quæ dicenda erant*. Moyſes præpoſitus fuit populo Iſraelitico, vt ei voluntatem Dei patefaceret, & eſſet in teſtimonium operũ ſuorum, Vnde dixit. *Tollite librum iſtum, & ponite eum in latere arcę fęderis Domini Dei veſtri, vt ſit ibi contra te in teſtimonium*. Deut. 31. Quòd ſi (vt inquit Theophilactus) Theoph. Deus cælum & terram vocat in teſtem; ſicut in Deut. Audi cælum, & auribus percipe terra, & Deut. 32. apud Micheam. *Audiant montes iudicium Domini; & fortia fundamenta terræ*: Miche. 6. multo magis hominis vſurus eſt teſtimonio.

H *Si fiduciam, & gloriam ſpei vſque ad finem firmam retineamus*: Hæc (ſecundum ſcopum Chryſoſtomi in hac epiſtola) dicũtur pro cohortatione Hebræorum, ad quos ſcribit, ne deficerent in tribulationibus. Verum nil prohibet etiam interpretari, hęc eſſe dicta ſimpliciter pro cohortatione ne deficerẽt a fide, ſiue allecti a concupiſcentijs, ſiue alio modo ſeducti.

I *Tentauerunt me*. Tentare eſt experimentum ſumere de aliquo. Aliquando autem homo tentat Deum, dum ſe periculis exponit nõ coactus: quemadmodum erat imponere Gẽtibus onera legis, pręſertim poſt Chriſti conſummationem, per quem ſublata erant, & poſt publicatum Euangelium. Vnde Petrus Apoſtolus in Act. de hoc edisſerens, dicebat. Act. 15. *Quid tentatis Deum, &c.* quod quidem eſt experiri, an Deus offendatur ex aliquo opere noſtro, vnde irritetur ad puniendum nos; quæ irritatio manifeſtatur deinde ex punitione, quæ cadit ſuper tentantes Deũ. Sic populus Iſraeliticus in deſerto pluries tentauit Deum, modo hoc, modo illud arroganter poſtulans ſibi dari, de Deo diffidens, & interdum etiã ipſum blaſphemans: vnde Deum exacerbauerunt, vt ipſum, vti iratum, ex plagis acceptis, ſint experti,

ſiquidem

ſiquidem quàm maxime ex peccatis Deus tentatur, & irritatur aduerſus peccatores.

K *Semper errant corde*. Nempe malitia, propter quam magis plectendi ſunt.

L *Ipſi vero non cognouerunt vias meas*. Quoniam per malitiam errabant; ideo non cógnouerunt vias Dei, quas procul dubio cognouiſſent, ſi Dei præceptis obtemperaſſent; & ideo dici poſſunt, non cognouiſſe Deum, quoniam noluerint agnoſcere.

M *Si introibunt*. Supplendum eſt ijs verbis; *non ſum Deus*. Aut verba ſunt aſſerentis, & minátis, quia non introibunt. Ita enim Apoſtolus paulo poſt explicat, dum inquit. *Quibus autem iurauit non introire in requiem*.

N *Adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies donec hodie cognominatur*. Hæc vox, *hodie*, & tempore Dauid, & tempore Pauli, & poſtea, & ſemper eſt habitura locum, donec veniat conſummatio huius ſeculi, ſucceſſiue hæc ipſa perſonans ad omnes, qui vitam agunt in terris. Ad omnium enim aures intonat Spiritus ſanctus hanc vocem: *hodie*, ad hoc, vt vnuſquiſque, dum adeſt ſibi tempus operandi ſalutem, ſuis rebus proſpiciat, non obduret cor; ſed illud aperiat ad Dei voluntatem faciendam.

O *Vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati*. Sane peccatum eſt fallacia; ſub ſpecie enim boni decipit hominem, volentem tamen decipi; vt qui allectus a propria concupiſcentia (vt dicit Beatus Iacob. 1. Iacobus) aſſenſum præſtet peccato, hincque conſequitur cordis obduratio; quoniam ſcilicet Deus voluntarie peccantem deſerit. Vnde cor hominis induratur, quatenus homo propter peccata ponit Theoph. obicem gratiæ Dei. Theophylactus ait: *fallaciam peccati, dæmonum ſuggeſtiones appellari; quòd nullam quis ſperet futuram bonorum, vel malorum retributionem. Aut fallaciam, deſperationẽ dici. Cum autem peccatum circumueniens nos, & ad ſe trahens, ſuggerit cogitanda prædicta; hinc impius in profunditatem cadens, contemnit peccatũ; & delicti contemptor effectus, nec Deo credere ſuſtinebit: quo fit*, inquit Theophylactus, *vt ex peccato incredulitas oriatur. Vnde dixit in corde ſuo, non requiret Deus*. Et alibi. *Oblitus eſt Deus*.

P *Participes enim Chriſti effecti ſumus*. Vt dicitur Gal. 5. in epiſt. ad Gal. *Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*. Conſequenter eiuſmodi reſurrectionis, & gloriæ eius participes effecti ſunt, vti membra corporis capiti inhærentia, & in ipſo ſubſiſtentia. Verum hoc. *Si tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum retineamus*. Siquidem, vt in prædicta Chriſti participatione maneamus, teneamur, & firmam immutabilemq; in futura vita poſſideamus, opere pretium eſt, vt initium eius ſubſtantiç, quo acceſſimus ad thronum gratiæ Dei, firmum vſque ad exitum vitæ retineamus. Id ipſum eſt fides, quç per dilectionem operatur; quam Apo- Hebr. 11. ſtolus nominat, *initium ſubſtantiæ*, græce τῆς ὑποστάσεως, qua voce vtitur etiam infra in deſcriptione fidei, quòd eſt ὑπόστασις, ideſt ſubſtantia rerum ſperádarum. Et id quidem conuenientiſſime; quando ex fide ſubſiſtit Chriſtianus in gratia Dei, dummodo Abac. 2. ſit fides viua; iuxta illud Abacuc. *Iuſtus ex fide viuit*, Theodor. Theodoretus autem ait, appellatam eſſe fidem, *initium ſubſtantiæ; quoniam per illam renouati, & Domino Chriſto coniuncti ſumus, & ſanctiſſimi Spiritus gratiam accepimus*. Similiter Theophylactus hoc idem explicás inquit. *Per hanc enim ſubiuimus diuinam illam & ſpiritualem ſubſtantiam, per quam & regenerationem accepimus*. Dicit autem Apoſtolus effectos eſſe participes gloriæ Chriſti, quicunque ſe conſeruauerint vſque ad finem in ſuſcepta fide: iuxta illud Domini, *qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*, vt hinc, & omnes animaret ad Matt. 10. conſtanter perſeuerandum in fide.

Q *Quibus autem infenſus eſt quadraginta annis?* Iudæi annis quadraginta probauerunt mira Dei opera; & tamen inobedientes ei fuerunt; vnde exacerbauerunt Deum, qui pariter annis quadraginta infenſus fuit illis.

R *Non potuerunt introire in requiem ipſius propter incredulitatem*. Tanti eſt momenti, & ponderis incredulitas, vt Chriſtus in Euangelio dixerit; quòd non poterat facere miracula propter incredulitatem eorum. Ex quo patet, ex hominis quo- Marc. 6. que propria voluntate pendere, vt ſalutem conſequatur. Nam Deus (vt explicatum eſt in priori epiſ. ad Timot. Adnot. C. cap. 2.) vult omnes homines 1. Timot. 2. ſaluos fieri; affertque vnicuique remedia conuenientia ad ſalutem; vt nequaquam Deus ſit cauſa malitiæ, aut duritiei hominis: ſed quiſque ex maxima inobedientia, & infidelitate, merito damnationèm ſibi contrahit. Et cum hic ſit ſermo de requie; non ignorandum, trioam requiem a Græcanicis Scho- Gr. Scho. lijs referri. Vna fuit ſabbatum, in quo Deus requieuit ab operibus ſuis. Secúda, terra promiſſa Paleſtinæ. Tertia erit in cœlis.

PARAPHRASIS.

CAPIT. IIII.

TIMEAMUS ergo edocti aliorum exẽplo, ne forte, relicta Dei pollicitatione, qua prouocamur ad ingrediendum in requiem eius, exiſtimetur aliquis ex vobis deeſſe, quoniá ingredi in eam nõ ſtuduerit. Etenim & nobis nunciatum eſt, quemadmodum & illis. Sed non profuit illis ſermo, ad ipſorũ aures perueniens, vt qui nõ admiſtos fuerit fidei in ijs, quç audierũt. Ingrediemur enim, qui credidimus, in requiem, quam præſignat Spiritus ſanctus, dum inquit; ſicut iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam; vtique eam, quæ ſignificatur, operibus a conſtitutione mundi iam perfectis. Dicit enim, ac mentionem habet ſcriptura de die ſeptimo hunc in modum: & requieuit Deus die ſeptima ab omnibus operibus ſuis. Et rurſus hoc idem patere poteſt ex alia Spiritus ſancti enũciatione, dum dixit. Si introibunt in requiẽ meam; quibus verbis, propria Dei requies ſignificatur. Quoniá ergo ſupereſt quoſdá ingredi in illam; & ij, quibus prius an-

nonciatum eſt, non introierunt propter incredulitatem eorum, iterum ideo;poſt tam loogum temporis interuallum, præfinit, & terminat Deus per Dauid quandam diem, Hodie: ſicut dictum eſt, hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Nam, ſi Ieſus filius Nauæ illis noſtris maioribus requiem veram præſtitiſſet, nequaqoam poſt hæc, Spiritus ſanctus de alia die loqueretur, vt facit; requiem hinc noo temporaneam, ſed æternam nobis annuncians: vt propterea inferendum ſit, quòd populo Dei ſabbatiſmus relinquatur ſimilis Dei ſabbatiſmo. Nam & qui ingreſſus eſt in requiem Dei, & ipſe requieuit ab operibus ſuis; ſicut & a ſuis Deus. Studeamus igitur ingredi in illam requiem; vt ne in id ipſum incidat aliquis incredulitatis exẽplum, pœnas daturus; quales & illi inobedientes dederunt. Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omoi gladio ancipiti, & pertingens vſqoe ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus compagum quoqoe, ac medullarum; idemque diſcretor cogitationum, & intentionom cordis: & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius. Omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius, ad quem nobis eſt ſermo, & habenda eſt ratio noſtrarum actionum. Habentes ergo Pontificem magnom, qui cœlos penetrauit, Ieſum filium Dei, teneamus firmam ſpei noſtræ confeſſionem. Non enim habemus Pontificem, qui noo poſsit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia ad ſimilitudinem noſtram, abſqoe tamen peccato, in quo nequaquam nobiſcum communicauit. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratię eius; vt miſericordiam cõſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio nobis opportuno; quo opus habemus, & vti poſſumus, dũ in hac vita militamus.

Editio vulgata.

TIMEAMVS *ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, exiſtimetur aliquis ex vobis deeſſe. Etenim & nobis nunciatum eſt, quemadmodum & illis, ſed non profuit illis ſermo auditus, non admiſtus fidei ex ijs quæ audierunt. Ingrediemur enim in requiem qui credidimus, quemadmodum dixit, Sicut iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam, & quidem operibus ab inſtitutione mundi perfectis. Dixit enim quodam loco de die ſeptima ſic. Et requieuit Deus die ſeptima in omnibus operibus ſuis. Et in iſto rurſum. Si introibunt in requiem meam. Quoniam ergo ſupereſt introire quoſdam in illam, & ij, quibus prioribus annunciatum eſt, non introierunt propter incredulitatem: Iterum terminat diem quendam: Hodie, in Dauid dicendo, poſt tantum temporis, ſicut ſupradictum eſt, hodie ſi vocem eius audieritis: nolite obdurare corda veſtra. Nam ſi eis Ieſus requiem præſtitiſſet, numquam de alia loqueretur poſt hac die. Itaque relinquitur ſabbatiſmus populo Dei. Qui enim ingreſſus eſt in requiem eius: etiam ipſe requieuit ab operibus ſuis, ſicut a ſuis Deus. Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem, vt ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum. Viuus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius, omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius, ad quem nobis ſermo: Habentes ergo Pontificem magnum qui penetrauit cælos, Ieſum filium Dei: teneamus confeſſionem. Non enim habemus Pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: tẽtatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius: vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.*

ADNOTATIONES.

NON *profuit illis ſermo auditus non admiſtus fidei ex his, quæ audierunt.* Hic, loco dictionis, *admiſtus*, Chryſoſtomus legit, *admiſtis*; & ita interpretatur. Non profuit illis ſermo auditus, vt qui admiſti, & coniuncti noo fuerint in fide cũ illis, qui audierunt, & crediderunt; nempe cum ipſo Caleph, & Ioſue, qui ingreſſi ſunt terram promiſsionis. Lectio autem vulgata hunc ſenſum habet, quòd non profuit illis ſermo auditus; propterea quòd non fuit admiſtus; ideſt, contemperatus cum fide circa ea, quæ audierant, cum fidem eis nõ adhibuerint. A Chryſoſt. hom.5.

B *Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus.* Hanc ſententiam (communiter interpretantur) probari a contrario ſenſu hunc in modum: ſi non introibunt, qui non credunt, ergo credentes introibunt. Et volunt expoſitores id deduci ex his, quæ ſubinferuntur: quemadmodum dixit; *ſicut iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.* Forte cenſeri poſſet hæc aſſertio abſolute prolata ab Apoſtolo, quòd credentes introibunt in requiem: ſed illam in requiem, quam innuit dicẽdo; *in requiem meam;* quæ eſt illa, quæ innuitur conſequens operibus a conſtitutione mundi perfectis. Hæc enim eſt requies Dei; qui ceſſauit a conſtitutione mundi; tametſi continue opera præſtentur a Deo pro conſeruatione, ac rerum multarum perfectione. Iuxta Ioan.5.
illud euãgelicum, *Pater meus vſque modo operatur;* dum ordinem in rebus conſtitutum conſeruat, & aliqua etiam ſupra rerum ordinem operatur. Sed & Deus numquam eſt extra quietem; qui & quieſcebat ab ęterno, & quieſcit, ſemper tamen operans omnia ſine labore, & abſque vllo motu.

C *Dixit enim in quodam loco de die ſeptima ſic.* Ijs verbis ex lib. Geneſ. approbatur, quòd Deus re- Gen.2.
quieuit ab omnibus operibus ſuis; ideſt, illis perfectis, ceſſauit a conſtitutione mundi.

D *Et in iſto rurſum, ſi introibunt in requiem meam.* Ex hoc quoque loco oſtenditur quies Dei propria, quę eſt ſumma beatitudo.

E *Quoniam ergo ſupereſt introire quoſdam.* Thomas adnotauit, hanc conſequentiã Apoſtoli, quòd Tho.Aqui.
quidam debeant introire in reqoiem, ex hoc probari poſſe; quoniam alioquin beatitudo, & requies

fruſtra

fruſtra eſſet conſtituta a Deo, ſi aliqui ipſam non ingrederentur. Poſſet etiam colligi ex hoc ipſo; quoniam remanet; & datur locus, vt aliqui ingrediantur; quando illi priores, de quibus eſt querela in pſal. non introierant propter incredulitatem. Vnde & Dauid perſonat ipſum, *hodie*, tanto tempore poſt, vt homines, qui poſterius aduenerūt, inducerentur ad introeundum. Nam ſi Ieſus Filius Nauæ introduxiſſet illos in veram requiem; non vtique Dauid, poſt tantum temporis interuallum loquutus eſſet de alia die. Ex quo deducitur, quòd ſit alia requies, ad quam per Dauid Spiritus ſanctus nos prouocat, & inuitat. Non illa, ad quam Ieſus Nauæ populum Iſraeliticum introduxit in terram promiſſionis; cum dies, in qua clamat Dauid, ſit poſterior tempore ab illa introductione facta in terrā promiſſionis Paleſtinam.

F *Qui enim ingreſſus eſt in requiem eius, etiam ipſe requieuit ab operibus ſuis, ſicut & a ſuis Deus.* Vocatur hæc requies ſabbatiſmus; quoniam & Deus die ſeptimo quieuit. Poſſunt autem hæc, quæ hic affert Apoſtolus, intelligi de quocunque, qui ad Deum perfruendum ex carcere huius corporis ſecundum ſpiritum euolarit. Aut ſpeciatim de Chriſto dicta ſunt: de quo etiam infra in hoc cap. dicitur; quòd Ieſus cœlos penetrauit; & cap. 6. quod præcurſor pro nobis ingreſſus eſt. Neque dubium eſt, quin Chriſtus poſt mortem, & reſurrectionem ſuam ceſſarit ab operibus ſuis, per quæ mundum redemit; ſicut & Deus quieuit a conſtitutione mundi. Hæc autem adhortatio, pro animis Hebręorum excitandis ad fidem Chriſti ſuſcipiendam, maximi deberet eſſe ponderis; cum hinc poſſint dignoſcere, loqui Dauid de requie vera, & æterna, ad quam per Chriſtum introducimur.

Hebr. 6.

G *Vt ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum.* Ideſt, vt (ipſorum culpa) arceantur a fruitione quietis; ſicuti contigit & illis prioribus incredulis; quorum exemplo doceri debent poſteriores.

Gr. Expo. ſ.

H *Viuus eſt enim ſermo Dei.* Grece ὁ λόγος, Quam vocem nonnulli pro Verbo accipiunt, pro filio Dei. Græci autem communiter intelligunt ſermonem Dei viuum; vt qui, quod prænunciarit, & fuerit minatus, efficaciter poſſit præſtare: adeo vt ſit ſcopus Apoſtoli perterrefacere Hebræos, & quoſcunque alios: tum ex hoc ipſo, quòd Deus poſsit vindictam ſumere de peccatis: tum ex hoc, quoniam non poſsit occultari cor hominis, quin pateat Deo, quę ſint in corde cuiuſque. Inquit enim; *viuus eſt Sermo Dei*. Et ad hoc explicandum, ſubiungit: *& efficax*, vt poſsit pertingere quo velit; *& penetrabilior omni gladio ancipiti*; qui gladius vndequaque penetrat, *pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus*: nempe, ad ea, quæ pertinent, tum ad animam animalium, ad ipſam concupiſcibilem; tum ad ipſam mentem, atque rationem; *compagum quoque, ac medullarum*, vt & omnia diſſoluantur, & intima penetrentur a Dei ſapientia, *& diſcretor*: gręce κριτικὸς, ideſt, iudicans, & diſcernens: *cogitationum*, ideſt, earum rerum cognitor eſt Deus, quę animo peruoluuntur; *& intentionum cordis*: ideſt, earum intentionum, & deliberationum, circa quas animus hominum verſatur: *Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius; omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius*: nempe ita detecta omnia in conſpectu Dei apparēt, pro vt in pecudibus excoriatis, omnia apparent inteſtina: quod Apoſtolus voce illa gręca, τετραχηλισμένα, commode ſignificauit.

I *Ad quem nobis ſermo.* Gręce ὁ λόγος, ideſt, nobis reddenda eſt ratio omnium noſtrarum cogitationum, & operationum ad Deum, qui omnium etiam occultorum eſt ſcrutator, & cognitor. Vnde maxime cauendum eſt nobis, ne in exemplum prędictum incredulitatis incidamus. Gręci referūt hęc dicta ad inflictionem pœnarum, quas Deus, vt gladius anceps, infligit perficiens quę narrata ſunt. De gladio autem ancipiti eſt mētio in pſalmo, Cantate Domino canticum nouum, dum dicitur: *exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum.* Item in Apoc. *& de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat*. Thomas autem gladium ancipitem intellexit: vel, quoniam verbum Dei eſt acutum, tum ad operandum, tum ad cognoſcendum. Aut inquit, intellectus humanus eſt anceps ad vtramque partem, donec perueniat ad concluſionem. Chryſoſtomus autem hom. 26. in Matt. cap. 10. hęc habet. *Iſte eſt ergo gladius bis acutus, ex vna quidem parte bonos ab errore præcidens, ex alia autem parte malos ab excuſatione, vt nec bonos ignorantia perdat, nec malos excuſet, vt & boni, cognita veritate, cum ſecuti fuerint veritatem, cum iudicio & iuſtitia ſoluentur; & mali, cum veritate cognita ſeceſſerint a veritate, cum iudicio & iuſtitia puniantur.* Auguſtinus autem in tract. Pſal. 49. explicat ſermonem Dei eſſe gladium bis acutum, ex vna parte circa temporalia, ex alia vero circa ſempiterna.

Pſal. 149.
Apoc. 1.
Tho. Aqui.
Chriſoſt. in Matt.
Auguſt. in tract. Pſ. 49.

K *Qui penetrauit cœlos Ieſum filiū Dei.* Hinc colligitur de Chriſto intelligi poſſe id, quod ſupra dictum eſt. *Qui enim ingreſſus eſt in requiem eius, etiam ipſe requieuit ab operibus ſuis, ſicut & a ſuis Deus*: referendo ſcilicet hęc ad Chriſti humanitatem, & ad eius paſsionis cōſummationem, poſt quam, deinde cœlos penetrauit.

L *Tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Siquidem ſitim famē, frigus, ęſtum, paupertatem, opprobria tentationes ſatanę & hominum, ac denique mortem acerbiſsimam ſuſtinuit, atque expertus eſt Chriſtus. Et hęc ſecundum ſimilitudinem; ideſt, ſecūdum verum illum modū; quo ſolent homines hæc eadem pati, exiſtens & ipſe verus homo, abſque tamen peccato, cui nequaquam fuit obnoxius, & in hoc ab alijs hominibus longe fuit ſegregatus.

M *Ad thronum gratiæ*. Theophylactus & Gr. Scholia inquiunt. *duo ſunt throni, alter gratiæ*, dum hanc vitam ducimus, adeundus: *alter vero ſecundi aduentus eſt thronus, non gratiæ, ſed iudicij*.

Theoph. Gr. Scho.

PARAPHRASIS. CAP. V.

OMNIS namque Pontifex, ex hominibus aſſumptus, conſtituitur pro hominum auxilio in ijs, quæ ſunt ad Deum, vt offerat Deo dona, & ſacrificia pro peccatis; potens, & habilis exiſtens, ex communi conditione, quam habet cum humano genere, condolere ignorantibus, & errantibus; quoniam & ipſe homo eſt (ſicut & alij) circundatus infirmitate. Et propter hanc debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre, & ſacrificia peragere Deo pro peccatis. Nec quiſquam, qui recte ſe gerat, hunc honorem ſibi aſſumit, niſi a Deo ſit vocatus, ſicut & Aaron. Huoc in modum quoque ſe geſſit Chriſtus: non ſe clarificauit, vt Pontifex fieret, Sed ipſum clarificauit, qui ad illum ita loquutus eſt Deus. Filius meus es tu, ego hodie genui te: quibus verbis magna de Chriſto eſt ſignificata glorificatio. Quemadmodum & in alio loco dicit Deus; tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui quidem Chriſtus, talis ſacerdos conſtitutus a Deo, in diebus carnis, atque paſſibilitatis ſuæ, preces ſupplicationeſque cum clamore valido, atque lachrymis offerens ad eum, qui poterat ipſum a morte ſeruare, exauditus eſt pro ſua reuerentia: & quidem, cum eſſet filius Dei, attamen, quo ad humanitatem, didicit obedientiam ex ijs quæ paſſus eſt, obediens per paſſiones effectus Deo: atque ita perfectus, & conſummatus, completa paſſione, atque reſurrectione ſua, omnibus obtemperantibus ſibi, factus eſt cauſa ſalutis æternæ; appellatus a Deo pontifex ſecũdum ordinem Melchiſedech, vt qui perpetuus pro nobis apud Deum ſit interceſſor. De quo Pontificatu grandis nobis ſermo occurrit, ac perdifficilis ad explicandum. Idque culpa veſtra: quoniam hærentes in fide, & ab illa declinantes, effecti eſtis ſegnes, & imbecilles ad audiendum: vt qui, cum iam per tempus, quo ad fidem acceſſiſtis, deberetis aliorum eſſe magiſtri; rurſus indigetis, vt doceamini, quæ ſint elementa, ac rudimenta initij ſermonum Dei, & ſimplicis chriſtianæ inſtitutionis: & facti eſtis, quibus lacte opus ſit, & non ſolido cibo. Omnis enim, qui lactis eſt particeps, expers, & incapax eſt ſermonis iuſtitiæ, magnorumque myſteriorum Dei; cum ſit adhuc infans; atque ideo non aptus ad diſcernendum inter bonum & malum. Perfectorum autem, qui poſſunt grandia digerere, eſt ſolidus cibus: nempe eorum, qui, propter habitum iam acquiſitum, habent ſenſus exercitatos ad diſcretionem boni, & mali; & ad magna ſapientiæ Dei myſteria percipienda.

Editio vulgata.

OMNIS namque Pontifex ex hominibus aſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deum: vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poſſit ijs qui ignorant & errant: quoniam & ipſe circundatus eſt infirmitate, & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis. Nec quiſquam ſumit ſibi honorem: ſed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit vt Pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu: ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationeſque ad eum qui poſſit illum ſaluum facere a morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia. Et quidem cum eſſet filius Dei, didicit ex ijs quæ paſſus eſt, obedientiã, & conſummatus factus eſt omnibus obtẽperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ, appellatus a Deo pontifex iuxta ordinem Melchiſedech. De quo nobis grandis ſermo & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum. Etenim cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus, rurſum indigetis vt vos doceamini quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei, & facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ: paruulus enim eſt. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus: eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni ac mali.

ADNOTATIONES.

OMNIS *namque Põtifex.* Vt ſentit Chryſoſtomus (cui conſentiunt Theophylactus, & Græca Scholia) Apoſtolus nunc eſt oſtenſurus, quàm longe nouum teſtamentum antecellat ipſi veteri. Et vt hoc pateſaciat, affert diſcrimen inter Chriſtum Pontificem, & eos, qui in lege pontifices conſtituebantur: vt perſpecta dignitate Chriſti ſacerdotis ad illos alios cõparata, hinc doceamur, quanta ſit præſtantia noui teſtamenti ad ipſum vetus. Sed & ad hęc poteſt etiã addi: quòd quæ hoc loco diſſeruntur de munere Pontificis, qui eligitur ab hominibus ad intercedẽdum pro ipſis apud Deum, qui & poſsit compati infirmitatibus humanis, in Chriſto ſummo Pontifice comperiuntur: Sed longe præſtantiori modo; vt qui condolere poteſt, non quidem tanquam circundatus infirmitate peccati, pro vt omnes alij ſacerdotes; ſed, vt qui miſericors factus eſt in his, quæ ſecũdum humanitatem eſt perpeſſus: idemque, hoſtia affectus in expiationem peccatorum noſtrorũ, efficax exiſtens interceſſor ad Deum, nobis veniam tuto impetrare poteſt. Quarum rerum commemoratio valde deſeruit cohortationi, quam aggreſſus erat Apoſtolus in fine capitis præcedentis, dum diceret; quòd cum fiducia accedere debeamus ad thronum gratiæ Chriſti, a quo auxilium certiſsimum poſſumus expectare. A

Chryſoſt. hom 8. Theoph. Gr. Scho.

B *Vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.* Hæc pręſtare debet ſacerdos, non laycus; qui tamen & ipſe fundere poteſt preces Deo. Sunt autem dona, ea, quę voluntarie offeruntur ex deuotione: ſacrificia autem fiunt pro ſatisfactione.

C *Qui condolere poſſit his, qui ignorant, & errant.* Sacerdos ex hominibus aſſumptus, ea conditus eſt natura, vt poſſit, & debeat condolere alijs, & moderate

derate ferre eos, qui ignorant; & errant. Quem lo-
Theoph. cum explicans Theophylactus, inquit; *quòd omne
genus facinoris prouenit ex ignorantia, & errore:
quamuis enim noſcatur animo, quod peragitur; atta-
men, dum exercetur facinus, animus obtenebratur
morbo inſaniæ, & erroris, vt a voluptate in præceps
deferatur*: quod contingit præſertim incontinenti:
vt declaratur apud Ariſtotelem in lib. 7. Eth. Forte
autem ex ijs inuit Apoſtolus, condolendum eſſe
ijs, qui peccant ex ignorantia, & infirmitate: cum
aliter forte agendum ſit cum illis, qui dignoſcentes
bonum a malo, ex malitia, & obſtinate peccant: de
Hebr. 10. qua re infra erit ſermo, vbi fit mentio de peccanti-
bus voluntarie.

D *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem*. Hoc etiam
commone eſt Chriſto Pontifici cum illis, qui ad
Pontificatum accedunt vocati; & non ſe ipſos in-
gerunt, & intrudunt, ſibi ipſis aſſumentes hunc
honorem.

E *Sed qui loquutus eſt ad eum, filius meus es tu,
ego hodie genui te*. Chriſtus non ſe ipſum clarifica-
uit, vt Pontifex fieret: ſed qui eum glorificauit
Pſal. 2. Deus, appellando filium, ſicuti cum dictum eſt, *fi-
Matt. 3. lius meus es tu, ego hodie genui te*, & alibi, *hic eſt
filius meus dilectus*; idem igitur Deus pater eum
clarificauit, vt Pontifex fieret; dum dixit alio loco:
Pſal. 109. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Mel-
Theoph. chiſedech*. Theophylactus refert hanc generatio-
nem filij ad æternitatem; cum tamen glorificatio,
de qua hic eſt ſermo, ad rem factam in tempore
pertineat, vt Chriſti humanitati, eiuſque ſacerdo-
tio accommodari debeat: quòd quidem peractum
eſt tempore determinato, & non ab æterno. Cum
Ioan. 17. autem dictum eſt in Euangelio; *clarifica me tu Pa-
ter apud temetipſum claritate, qua clarui, prius quàm
mundus fieret apud te*; partim innuitur æterna cla-
ritas filij, quatenus eſt Verbum, de quo ſuperius
Hebr. 1. dictum eſt, quòd eſt ſplendor gloriæ patris, & figu-
ra ſubſtantiæ eius: partim illa, qua (vt homo) cla-
rificandus erat; vnde & reſponſum venit de cœlo;
Ioan. 12. *& clarificaui, & iterum clarificabo*. Qui igitur di-
xit, *ego hodie genui te, filius meus es tu*, qui ipſum
filium genuit Deus; eumdem etiam conſtituit Pon-
tificem, vt Verbum, carnem aſſumens, Pontifex fie-
ret, & hoſtia pro peccatis noſtris. Dicitur autem
Chriſtus ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſech.
quoniam, ſicuti Melchiſedech non fuit vnctus, vt
Aaron; & per panem, & vinum benedixit Abra-
ham; & fuit ſacerdos Gentium; neque victimas
Ambr. mactabat, vt inquit Ambroſius. Ita Chriſtus non
fuit vnctus oleo, ſed Spiritu ſancto; nec victimas,
ſed ſe ipſum obtulit: & ſi fuit cum ſanguine, atta-
men æterna manet ſine ſanguine oblatio facta per
Phot. ſacerdotem Chriſti miniſtrũ. Nam, vt inquit Pho-
tius, illa non æterna; ſed per panem, & vinum fit
oblatio in æternum. Aduertendum autem, Chri-
ſtum factum eſſe ſacerdotem ſecundum ordinem
Melchiſedech in æternum quo ad hoc; quòd eius
oblatio eſt facta in æternum per ipſum ad patrem;
in æternum permanens in ſuo robore, & vigore
pro vita indiſſolubili, quam nobis acquiſiuit: fa-
ctus (vt dicitur paulo poſt) obtemperantibus ſibi
cauſa ſalutis æternæ. Theophylactus inquit; in- Theoph.
ęternum manet; quòd vel in præſenti, & corpore
ipſo, quod noſtri gratia immolauit, pro nobis etiam
intercedit apud Deum patrem. Vel in ęternũ, quo-
niam quotidie offertur.

F *Qui in diebus carnis ſuæ*. Eſt hebraiſmus; ideſt,
dum hac mortali vita fungeretur (non enim dicen-
dum quòd nunc carnem non habeat) ſed denota-
tur, quòd certo quodam tempore vixit cum carne
corruptibili; cuius exitus fuit, cum paſſus eſt mor-
tem. Et in hoc ſenſu accipitur dictum Pauli in epiſt.
ad Corint. quòd iam nõ amplius cognoſceret Chri- 2. Cor. 5.
ſtum ſecundum carnem, ideſt, tanquam mortalem
adhuc exiſtentem.

G *Preces, ſupplicationeſque ad eum*. Photius re- Phot.
fert preces ad ad illud. *Tranſeat a me calix iſte: ſup-* Matt. 26.
plicationes, vero ad illud: *fiat voluntas tua*; & in hoc
dicit quòd fuit exauditus, vt mortem obiret, & hinc
exaltaretur: exauditus autem, *pro ſua reuerentia*; vt
dignus ſit exiſtimatus a Deo, vt exaudiretur. Vel
inquit, *pro ſua reuerentia*, quam habuit ad Deum.
Forte preces, & ſupplicationes idem ſignificant;
nempe modum ſupplicationis, quo vſus eſt Chri- Luc. 22.
ſtus; dum in horto, factus in agonia, prolixius ora-
uit. In qua precatione extitit clamor validus, *& cum
lachrymis*: vt hinc denotetur maxima contentio
precantis. De lachrymis autem, quas hic comme-
morat Apoſtolus, quas effuderit Chriſtus in ſua
paſſione, non eſt mentio in Euangelio. Habuit au-
tem Chriſtus hanc potentem, & validam precatio-
nem ad eum, qui poterat ipſum ſaluum facere a
morte; de qua re preces obtulit dicens. *Transfer cali-* Luc 22.
cem iſtum a me. Item, vt non daretur ſanctum vi- Pſal. 15.
dere corruptionem, eius ſcilicet corpus: de qua re
exauditus eſt. Illud autem, *pro ſua reuerentia*, gręce
habetur *ἀπὸ τῆς εὐλαβείας*, qua voce ſignificari po-
teſt, tum reuerentia, tum etiam metus. Et accipien-
do pro metu, ita interpretaremur: quòd fuit exau-
ditus a timore mortis ęternę, & hoc, pro genere hu-
mano; & etiam, ne daretur ſanctum ſuum corpus
videre corruptionem. Vnde etiam Theophylactus Theoph.
inquit: *cum filius obſequutus eſſet Patri, mortem obe-
undo; & exauditus eſt, & eius anima erepta eſt a
morte*.

H *Et quidem, cum eſſet filius Dei*. Vt Photius in- Phot.
terpretatur, hęc verba coniungi poſſunt cum pręce-
dentibus, & etiam cum ſequentibus. Et cum pręce-
dentibus hunc in modum. *Licet eſſet* Filius Dei, vt
haberet magnam auctoritatẽ; tamen preces, & ſup-
plicationes attulit, & ſic exauditus eſt; licet eſſet fi-
lius Dei, vt exaudiretur; vt qui haberet voluntatem
cum paterna voluntate coniunctam; & quę abſque
omni petitione completur. Si autem prędicta verba
iungantur cum ſequentibus, hęc erit orationis con-
ſtructio, & explicatio. Licet eſſet filius Dei; atta-
men didicit per ea, quę paſſus eſt, obedientiam
obtemperandi patri. Vel quòd pater illi obedierit;
dum orationem ſuſceperit, & reſurrexerit in glo-
riam. Vel hoc alio modo: *cum eſſet filius Dei*;
attamen per ea, quę paſſus eſt experimentaliter,
didicit obedientiam ab his, quę paſſus eſt, cu-
ius eſſent meriti, & quę nam in ipſa tolerarentur;

& hoc in ſufferendo paſſiones; vt hinc alij ſint animanili ad obediendum Deo etiam per paſſiones; quando Chriſtus hęc paſſus eſt, licet filius Dei eſſet, cui omnia ſunt cognita; vel qui non debuiſſet hęc pati. Et ſi ipſe didicit obedientiam; nempe, quid illi magnum attulerit, & alij hinc excitandi ſunt.

I *Et conſummatus.* Ideſt, conſummata oblatione per hoſtiam ſui corporis, *factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* His aperitur fructus, quem Chriſtus reportauit pro nobis ex ſua paſſione. Hinc enim factus eſt cauſa ſalutis æternæ, vti noſter interceſſor, & mediator; illis tamen, qui ſibi ſunt obtemperantes; vt hinc & voluntatem cōcurrentem ex parte hominis ad ſalutem requiri intelligatur. Hæc autem omnia, quòd Chriſtus didicerit obedientiam ex his, quę paſſus eſt, animaduer-
Theoph. tit Theophylactus, adducta eſſe propter imperfectionem Hebræorum, ad quos ſcribit; cum tamen Chriſtus ſemper ſe præbuerit morigerum Patri, factus obediens vſque ad mortem. Et licet omnia norit ab ęterno, & etiam a prima conceptione: attamen non didicit per experiētiam, niſi quando paſſus eſt, quid ſit hęc pati; in humanitate enim hęc paſſus eſt.
Theodor. Theodoretus autem inquit: *hæc dicta ſunt de timore mortis in filio Dei, & huiuſmodi ſimilia; vt hæc pateretur humanitas, conceſſit diuinitas; vt diſceremus eum verum fuiſſe hominem, & humanam naturam ſuſcepiſſe, & non viſione, & apparitione diſpenſationis fuiſſe peractum myſterium. Si enim cum hæc facta ſint, attamen extiterunt hæritici negantes humanitatem; quanto magis plures ſuſcepiſſent hunc errorem?*

K *Quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum.* Ipſos redarguit, vt imbecilles, & ineptos effectos (ipſorum culpa & ſocordia) ad audiēda magna myſteria. Qua quidem arguitione magis attentos eorū animos pręparat ad audienda, quę eſt explicaturus. Nam eos coarguit ita declinaſſe, vt, cum iam deberent eſſe magiſtri in doctrina euangelica, egeāt edoceri rurſum elementa, quę pertinent ad exordium ſermonum Dei: ſicuti in grammatica perdiſcenda ſumuntur prima rudimenta a cognitione litterarū. Transfert autem Apoſtolus hanc ſuam orationem ad metaphoram, dicens: ipſos effectos eſſe, quibus lacte ſit opus, non ſolido cibo; hinc tractans eos, vt infantes, & non viros perfectos exiſtentes; vnde rem ſibi propoſitam latenter, & maiori cum grauitate tranſigit. Quod vero attinet ad elementa initij eloquiorum Dei, & ad ipſum lac diſtinctum a ſoli-
Theodor. do cibo, Theodoretus animaduertit, *hæc vocari humiliores de Chriſto ſermones: ijs enim, qui nondum fidē perfectam habebant, ea ſola, quæ ad humanitatem pertinebant, afferebant veritatis præcones. Ita B. Petrus in Act. concionans inter Iudæos, ex auditorum imbecilli-*
Act. 2. *tate, doctrinam dimenſus eſt, inquiens. Ieſum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis &c.* Adda-
Act. 17. mus, quòd & B. Paulus prędicans Athenienſibus de Chriſto, eius reticuit diuinitatem, virum ſolummodo nominans, dum dixit, *ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate in Viro, in quo ſtatuit fidē*
1. Cor. 3. *prębens omnibus* &c. Et ad Corinthios ait. *Lac vobis dedi, non eſcam: non dum enim poteratis.* Ante hęc vero declarauerat quid nam per, *lac*, intelligeret, dum
dixit. *Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter nos, niſi* 1. Cor. 2.
Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Photius autem Phot.
in grǽcanicis Scholijs diſtinguit inter elementa initij eloquiorum Dei, & inter elementa eloquiorum, dicens, elementa initij eloquiorum eſſe, abrenunciare Satanę, omnibuſque operibus eius, credere in Deum, baptizari, accipere ſpiritum ſanctum, ſcire mortuorum reſurrectionem, & credere futurum iudicium. Elementa vero eloquiorum, & non initij eloquiorū, dicit eſſe, ſcire quòd pro nobis Chriſtus ſit paſſus; quòd ſuſceperit peccata noſtra, quòd ſalutem nobis operatus ſit, quòd pontifex nobis factus ſit. Ad hęc ſubiungit Photius; *quòd perfectio eius, quod eſt renunciaſſe Satanæ, eſt promotio in virtutibus, tolerantia afflictionum, & perſequutionum: ſuprema autem perfectio, eſt exacta comprehenſio, & (quantum homini poſſibile eſt) de Chriſto theologia.* Cum autem dicat Apoſtolus; quòd, *qui lactis parti-*
ceps eſt, expers eſt ſermonis iuſtitiæ. Græca Scholia, Gr. Scho.
intelligunt ſermones iuſtitiæ de Chriſti diuinitate; ſicut ſolidis cibus intelligitur ſublimis ſermo, ſeu ſublimia de Chriſto dogmata. Qui quidem ſermo conuenit ijs, qui propter habitū, ideſt, propter perfectionem, vt recte educati, habent ſenſus, aures, linguam, oculos exercitatos: vel ſenſus animæ, vt poſſint diſtinguere, quæ ſint vtilia, & ſublimia dogmata, & quæ adulterina, & corrumpentia. Vnde
notant Gręca Scholia, quòd Apoſtolus Hebræos Græ. ſchol.
latenter inſinuat, qui omnibus quæcunque, & vndequaque docentibus, ſe tradunt. Nam qui temere omnia recipit, nullum habet iudicium boni, ac ma-
li. Theophylactus autem dupliciter hæc exponit. Theoph.
Vel, inquit, *per iuſtitiam, intelligit vitam optime geſtam, ac ſi diceret Apoſtolus; qui minus perfectus eſt, ſupernæ erit philoſophiæ ignarus, nec percipere poteſt vitæ ſublimitatem, quam Chriſtus a nobis depoſcit,*
dum dixit, niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquàm Matth. 5.
ſcribarum, & phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Aut (inquit) *iuſtitiam appellari, ipſum Chriſtum;* quaſi dicat, quòd, *qui humilium de incarnatione particeps fuerit; verba vero quæ altius de Deo, & digne fiunt, nequaquam acceperit, tanquam infans aliquis erit, neque capax tanti myſterij.* Ad perfectos autem, ait, Apoſtolū attuliſſe ſolidum cibum; ideſt ſublima dogmata, Chriſti complectentia diuinitatem. Idem Theophylactus, per *habitum*, ſeu *conſuetudinem*, vult intelligi perfectionē, & morum ipſorum firmitatem. Nam inquit, *vt eſt moribus, & habitu quſque ſtabilitus, ita & habet animi ſenſus in ſacris litteris exercitatos; vt queat dogmatum celſitudinem, & humilitatem diſcernere, & ſana a corruptis dijudicare.* Neq; vult Theophylactus de vita hic eſſe ſermonem, Nam, *quiſquis* (inquit) *bene diſcernere valet, nouitque malum eſſe nequitiam, probam vero virtutem.* Quidam alij ita interpretantur. Qui lacto tantum veſcitur, inhærens humanitati Chriſti, neque altius in eo conſiderans, expers eſt ſermonis iuſtitię; ideſt, iuſtificationis; nec bene doceri poteſt, iuſtificationem a Chriſto petendam: vt potè, quę illi ratione diuinitatis competit; quam non adhuc intelligunt infantes; nec tanti ſunt capaces

Gagnęus. Adamus paces myſterij. Ita Gagnęus. Quidam alij, vt Adamus Sasbout, dicunt, ſermonem iuſtitiæ, eſſe doctrinam euangelicam, quæ de iuſtitia proprie diſſerit, quæque non in hiſtoria, ſed in allegorijs potiſſimum inuenitur, adeo vt ſermo allegoricus, ſecundum hanc interpretationem, ſit cibus perfectorum.

Verum perpẽdendus eſt ſermo Apoſtoli ſub hac expreſſius metaphora dum dicit: ꝙ, qui eſt particeps lactis, eſt expers ſermonis iuſtitiæ, quia infans eſt. Atqui infans ad hunc ſenſum proprie intelligitur eſſe incapax ſermonis iuſtitiæ; quatenus nõ eſt idoneus ad diſcernẽdum inter bonum, & malum; neq; proprie opera iuſtitiæ, aut iniuſtitiæ peragere poteſt; cũ nõdum electioni ſit aptus, per quã opera iuſtitię vel iniuſtitiæ peraguntur. Et hæc quidem ad vitæ inſtitutionem pertinent. Cum autem hoc loco ſit ſermo de dogmatibus, & conſtet ex 1. lib. Eth. quòd pueri, & qui tranſigunt vitam incontinentem, non ſunt idonei ad audienda præcepta, quibus animus ad virtutes inſtruitur; idque propterea quòd non ſolum oportet ea concipere mente, verum etiam (quod magis intereſt) voluntate, & affectu cõprobare, & inſequi, vt & vitæ probitas, & iudiciũ prudentiam concernens, ſimul concurrant: multo igitur magis ſtatuendum eſt, hęc deſiderari in his, quę ſunt ad Deum; vt opus ſit, non ſolum firmam retinere fidem per baptiſmum ſuſceptam; verum etiam vitam agere, quæ decet hominem, qui ex veteri ſit in nouum regeneratus; vt hinc ad perfectionem feratur, in omnibus rectam ſemitam ſectando: & ita (diſcernendo bonum a malo, per opera iuſtitiæ, quorũ ſit cognitor, & operator) mereri poſſit apud Deum; & idoneum ſe præſtare ad alta Dei ſapientię myſteria percipienda, ad ſolidum cibum guſtandũ, qui eſt perfectorũ: qui quidem per cõſuetudinem, ſeu per habitum (græce legitur, *τὰν διὰ τὴν ἕξιν*, qui tamen pendet a conſuetudine) *habent ſenſus exercitatos ad diſcretionem boni, & mali*. Quibus verbis innuitur requiri, vt adſit voluntas, & affectio, ſeu propenſio animi incumbentis in ea, quæ ſunt ſecũdum Deum, vt minime diſſentiat ab intellectione morum, aut viuendi ratio, aut animi ſtudium; vt contingit in multis, qui multa præclara, & ſubtiliter de Dei myſterijs diſputantes, re ipſa poſtea, & animo longe abſunt ab obſeruatione præceptorũ Dei; vt qui vitam agant nefarijs voluptatibus deditam, & omnino alienam ab operibus iuſtitiæ. Non eſſe autem porrigendum ſolidum cibum infantulis, lacte egentibus, & ipſis adhuc catechumenis in fide; Eſa. 28. inſinuant verba apud Eſa. dum dicitur: *quem docebit ſcientiam? Et quem intelligere facit auditum? ablactatos a lacte, auulſos ab vbere*: quibus verbis perfectorum eſſe ſolidum cibum ſignificatur. Aug. tract. Euang. 98. Auguſtinus quoque hoc diſcrimen explicauit in trac. Euan. ſecundum Ioan. dum ibi inquit, quòd infantes, & qui lactis ſunt participes, habent credere inuiſibilia; ac nondum percipere intelligendo, ſeparando bonam doctrinam a mala. Dum enim agitur de trinitate perſonarum, vel de Chriſti dignitate, multa poſſunt incidere dubia, præſertim ab hæreticis: & ita perfecti ſunt, qui non ſolum credunt; verum etiam intelligunt, & ſciũt, quæ credunt, vt non decipiantur, potentes ſeparare bonum a malo. *Niſi autem* (inquit Auguſtinus) *homo fidei quodam lacte teneatur, vt & inuiſibilia, quæ non videt, & intelligibilia, quæ nondum intelligit, credat; facile ad vanas, & ſacrilegas fabulas, promiſsione ſcientiæ ſeducitur*. Et hoc forte eſt illud, quod intelligere voluit propheta, dum dixit. *Niſi credideritis, non intelligetis*, inſinuens, quòd a lactis ſuſceptione, (ipſius ſcilicet fidei ſimpliciter receptæ) ad ſolidum cibum, & cognitionem myſteriorum guſtandam progrediendum eſt. Eſa. 7. Quippe ſeruatur Dei ordo in omnibus rebus, vt non ſubito, res aut agantur, aut cognoſcantur, diſpoſuit enim omnia ſuauiter ſapientia Dei. Sap. 8. Vnde & Dominus dicebat in Euangelio diſcipulis ſuis; quòd multa habebat illis dicere: ſed non poterant portare modo, quæ ſuperueniens Spiritus ſanctus, illis poſtea ſuggeſſiſſet: hinc inſinuans infantiam, quæ præcedit, & quòd ab hac ipſa ad perfectionem eſt deueniendum. Ioan. 16. Corinthijs quoque dicebat Apoſtolus; *tanquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis; ſed nec nũc quidem poteſtis, adhuc enim carnales eſtis*; 1. Cor. 3. hinc ſignificans, quòd ob carnalitatem, illi, qui ſapiunt ſecundum carnem, redduntur inepti ad audienda myſteria Dei; ſicuti, & hoc loco Apoſtolus taxat Hebræos, quòd eſſent facti ſegnes, & imbecilles, quibus opus eſſet lacte, non ſolido cibo.

At dicet aliquis in initio epiſtolæ, per totũ primũ caput, grandia quædã myſteria explicata ſunt. Verumque id fatendum eſt; atque ideo ſtatuendum, ꝙ in horum (quibus ſcribit Apoſtolus) congregatione, aliqui eſſent perfecti, quibus conueniret ſolidus cibus; aliqui vero imperfecti, ad quos hæc redargutio pertinet; quemadmodum in argumento huius epiſtolæ animaduertimus. Quòd autem ex ipſis aliqui eſſent facti, vt infantes in fide, Græca ſcholia Græ. ſchol. inſinuarunt, dum in expoſitione cap. 6. huius epiſtolæ ſupponunt, quòd ob tribulationes, & afflictiones reddiri eſſent Hebræi imbecilles ad audiẽdum. Item in expoſitione cap. 13. circa ea verba, *& greſſus rectos facite*: inquiunt; *Cum adhuc infantes eſſent, quibuſdam hærebant rebus iudaicis in vita, & conuerſatione*. Hebr. 12. Item in expoſitione eorum verborum cap. 13. *Ieſus Chriſtus heri, & hodie*: dicũt quòd Hebr. 13. *erant nonnulli apud eos, qui dicerent, is, qui Crucifixus eſt, non eſt, qui annunciatus eſt, & qui expectatur Chriſtus, alius a Deo veniet*. Vnde iure Apoſtolus ipſos redarguere potuit, tanquam infantes in fide, ſi non omnes, ad quos ſcribit, ſaltem aliquos ex ipſorum congregatione.

PARAPHRASIS. Cap. VI.

QVAPROPTER intermittentes initij de Chriſto ſermonem, qui attinet ad rudimenta Chriſtianæ religionis, ad perfectionem feramur, nõ rurſum iacientes, ac proponentes nobis fundamentum Chriſtianiſmi doctrinæ, & inſtructionis harum rerum: videlicet, pęnitentię ab operibus mortuis, fidei

in

in Deum, baptiſmatum, impoſitionis manuum, & reſurrectionis mortuorum, & æterni Iudicij: & hoc faciemus (vt ad perfectionem feramur) ſiquidem permiſerit Deus, qui nos ducit. Nam, quod attinet ad fundamentum denuo iaciendum pro inſtitutione Chriſtianiſmi, impoſſibile eſt eos, qui, cum ſemel ſunt illuminati circa fidei veritatem, guſtaueruntque donum cœleſte, gratiam ipſam diuinam ex remiſſione peccatorum; & participes facti ſunt ſpiritus ſancti; & bonum itidem verbum Dei guſtauerunt, & virtutes ſeculi venturi, in quo omnia ſunt innouanda; ſi deinde ſint prolapſi in peccata; impoſſibile (inquam) eſt, huiuſmodi rurſus renouari ad priſtinam pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibi ipſis filium Dei, & oſtentui habentes tanquam iterum regenerandi. Semel enim Chriſtus mortuus eſt, & ſemel quiſque, qui Chriſti fidem ſuſcipit, ipſo, vt hoſtia, fruitur ad renouationem vitæ, per baptiſmum & noui hominis reparationem. Verum ad perfectionem nos ferri poſſe poſt ſuſceptam fidem dummodo velimus, & nos ipſi nobis obicem non ponamus, ex hac ſimilitudine licet comprehendere. Terra enim ſæpe venientem ſupra ſe bibens imbrem, & germinans herbam accommodam, & opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo, vt fructus etiam afferat: quod & de anima Chriſtiana cenſendum eſt, quæ gratiam a Deo in ſe venientem recipiens, ſi iuxta illam excolitur, ad vberiores quoque fructus, Dei largiore ſemper benedictione influente, fertur. E contra vero terra proferens ſpinas, & tribulos, reproba eſt, & maledictioni proxima, cuius exitus, & conſummatio tendit in combuſtionem. Confidimus autem de vobis dilectiſſimi meliora, & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur. Non enim iniuſtus eſt Deus, qui obliuiſcatur operis veſtri, & laboris ex charitate ſuſcepti; quam oſtendiſtis in nomine eius, qui miniſtraſtis ſanctis, quæ illis opus erant, & miniſtratis. Cupimus autem vnumquemque veſtrum eandem oſtendere ſolicitudinem in hoc opere bono præſtando, ad plenam ſpei de retributione certitudinem, vſque in finem; vt minime ſegnes efficiamini; ſed imitatores ſitis eorum, qui per fidem, & longanimitatem hæreditabunt promiſſiones. Abrahæ namque promittens Deus (vt patet ex lib. Gen.) quoniam neminem habuit, per quē ſibi maiorem iuraret, iurauit per ſemetipſum dicens. Niſi benedicens benedicam te, & multiplicās multiplicabo te; & ſic hac ſuffultus pollicitatione Abraham, longanimiter ferens, adeptus eſt repromiſſionem. Homines enim per maiorē ſui iurant; et, omnis controuerſiæ, ipſis finis ad confirmationem, eſt iuramentum. Qua in re Deus volens ijs, qui futuri erant hæredes ſuæ promiſſionis, oſtendere abundantius immobilitatem cōſilij ſui, interpoſuit iuſiurandum, vt per duas res immobiles, in quibus impoſſibile eſt mentiri Deum (nempe per promiſſionem ab ipſo factam, atque per iuſiurandum interpoſitum) fortiſſimum ſolatium haberemus, quicunque ad Deum cōfugimus; ut ſpem propoſitam teneamus; quam, ſicut anchoram habeamus animæ tutam, ac firmam, & incedentem uſque ad interiora uelaminis ipſius gloriæ cœleſtis: ubi præceſſor noſter Ieſus pro nobis introijt, ſecundum ordinem Melchiſedech, Pōtifex factus in æternum.

Editio vulgata.

QVAPROPTER intermittētes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectionem feramur, nō rurſum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, & baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, ac reſurrectionis mortuorum, & iudicij æterni. Et hoc faciemus, ſiquidem permiſerit Deus. Impoſsibile enim eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtauerunt nihilominus bonum Dei, virtuteſque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam: rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes. Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo: proferens autem ſpinas ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem. Confidimus autem de vobis dilectiſsimi meliora, & viciniora ſaluti tametſi ita loquimur. Non enim iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis. Cupimus autem vnumquemque veſtrum eandem oſtentare ſolicitudinem ad expletionem ſpei vſque in finem, vt non ſegnes efficiamini, verum imitatores eorum qui fide, & patientia hæreditabunt promiſsiones. Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per ſemetipſum, dicens: Niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et ſic longanimiter ferens, adeptus eſt repromiſsionem. Homines enim per maiorem ſui iurant, & omnis controuerſiæ eorum finis, ad confirmationem, eſt iuramentum. In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui: interpoſuit iuſiurandum: vt per duas res immobiles, quibus impoſsibile eſt mentiri Deum, fortiſsimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenēdam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introijt Ieſus, ſecundum ordinem Melchiſedech pontifex factus in æternum.

ADNOTATIONES.

QVAPROPTER *intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, &c.* In calce cap. præcedentis dixit Apoſtolus; quòd hi, ad quos ſcribit, erant facti tales, qui egerent lacte, & ita docerentur, quæ ſint elementa exordij ſermonis Dei. At ſi tales erant (diceret aliquis) quorſum igitur vult nunc, vt hæc omittant, & ferantur ad perfectionem; ad quam abſque dictorū elementorum cognitione peruenire non licet. Verum aduertendum eſt, non dictum eſſe antea ab Apoſtolo, quòd eſſent paruuli; ſed quòd facti eſſent, vt paruuli, ob ſegnitiem, quam præſeferrent in fide; vt hinc ipſos A

excitaret

excitaret ad fidei feruorem recuperandum. Quemadmodum etiam ſcribens Timotheo, dixit; *admoneo te vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. (2. Timot. 1.) Neque vero ſupponit, ab ipſis ea rudimenta fidei ignorari: ſed illos coarguit, quòd non præſtarent ſe in illis viros confirmatos, atque perfectos. Vult igitur, vt ferantur ad perfectionem, & duci ad hanc ſe permittant. Veruntamen, non vt iacientes iterum ſibi fundamentum illud, cui innituntur, qui ad Chriſtianiſmum primo accedũt, dum baptiſmum ſuſcipiunt; quoniam huiuſmodi via non amplius peruia eſt ijs, qui baptiſmate iã ſint inſigniti, vt explicabit paulo poſt. Fundamentum autem percurrit, quod pertinet ad initiandos homines in fide, in quibus nam rebus poſitum ſit: dicens, hoc ipſum conſiſtere in doctrina, tum pœnitentiæ ab operibus mortuis, tum fidei in Deum, tum baptiſmatum, tum impoſitionis manum, tum reſurrectionis mortuorum, tum Iudicij æterni. Vbi adnotandum (ex ſententia Gennadij) (Gennad.) dictionem hanc, *doctrina*, ad ſingula horum eſſe repetendam; vt puta dicendo: doctrina fidei; doctrina baptiſmatum; & ſic de reliquis. Quòd autem in plurium numero baptiſmatum meminerit; Græca ſcholia (Græ. ſchol.) id factum dicunt ab Apoſtolo, vt taxaret illos, qui vellent (ſicut mos erat in baptiſmatibus legalibus) ita etiam baptiſmum regenerationis ſæpius iterari. Theodoretus autem inquit; (Theodor.) *quoniam multi eſſent, qui baptiſmatis gratiam aſſequerentur; ideo ad multos baptiſmate inſignitos alludens, baptiſmata nuncupauit*. Aut Apoſtolus baptiſmum quoque Ioannis inſinuauit. Aut baptiſma, quo fuerunt baptizati Apoſtoli in die Pentecoſtes, præter baptiſmum conſuetum. Aut denique innuit tria illa genera baptiſmatum; quæ, aquæ, flaminis, & ſanguinis dicuntur. Per dictionem autem illam, *impoſitionis manuum*, ſignificauit ſacramentum confirmationis. Qui igitur ad Chriſti militiam ſunt initiandi; oportet, vt accedant habentes pro fundamento doctrinã horum omnium, quæ ſunt enarrata, & hinc ad baptiſmum ſuſcipiendum tranſeant. Hæc autem inſtructio, vult Apoſtolus, vt omittatur ab ijs, qui baptiſmate iã ſint inſigniti; & quòd ad perfectionem ferantur. Interpres autem vſus eſt hac voce, *intermittentes*, quaſi inſinuans, quòd quæ enarrata ſunt rudimenta ad fidem ſpectantia, non ſunt omittenda; quando per hæc, tanquam per ianuam oportet ingredi ad Chriſtianiſmum, ita tamen, vt in his non conſiſtant baptizati; ſed ad vlteriora, ad perfectionem ipſam ferantur. Quod autem attinet ad hanc perfectionem, ad quã Apoſtolus hortatur Hebræos, ex ſententia Chryſoſtomi, (Chryſoſt. hom. 9.) perfectus ille dicitur, qui cum fide vitam habet rectam. Theodoretus autem (Theodor.) exponens hæc verba; *& hoc faciemus ſi Deus permiſerit*; adnotat, hæc dicta eſſe, pro eo, quod eſt; *ſtudiũ adhibeamus, concupiſcamus, omnem pro perfectione laborem ſuſcipiamus*. Et cum ſoleat Apoſtolus tribuere omnia diuinæ prouidentiæ; propterea adiunxit, *ſiquidem permiſerit Deus*: ex quibus verbis colligitur, quòd perfectio, ad quam Apoſtolus prouocat Hebræos, non ſolum pertinet ad doctrinam rerum præſtantiſſimarum; verum etiam ad vitæ firmitatem & integritatem, vt expoſitum eſt antea. Neque vero dubium eſt, quin, poſt baptiſmi ſuſceptionẽ, homini iam adulto, aptoque ad diſcernendum inter bonum & malũ, occaſio plurima offeratur merendi, ſuo proprio ſtudio, atque induſtria apud Deũ; Deo tamen ipſum ſemper adiuuante, vt hinc perducere ſe poſſit ad perfectionem. Quod non contingit in ipſa ſimplici ſuſceptione baptiſmi; vbi ex ſola gratia Dei, nullis ad hæc operibus proprijs ex parte hominis concurrentibus, ex impijs, in gratiam Dei recipiuntur, qui baptizantur, fide tamen illis aſſecla in Deum, & Chriſti merita, cum pœnitudine peccatorum, & propoſito vitæ ad chriſtianæ legis normam peragendæ: ſicut dicitur in epiſt. ad Tit. (Tit. 3.) *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, &c.*

B *Impoſſibile enim eſt*, &c. Quod hoc loco affert Apoſtolus, eſt eiuſmodi. Nam (tanquam iam inſinuaſſet, quòd non oportet iterum redire ad prima rudimenta, quæ ſunt tradenda ijs, qui initiandi ſunt in fide chriſtiana) iam ſubiungit, quòd id minime conuenit, aut locum habere poteſt apud baptizatos. Siquidem, qui baptiſmate inſignitus eſt, non amplius eam aggredi viam debet, quam ingrediuntur, qui accedunt ad baptiſmum: quod eſt dicere, quòd non poſſunt iterum baptizari. Quibus verbis Græca ſcholia cum Theophylacto, (Græ. ſchol. Theoph.) aiunt innui, quòd ex ijs, ad quos ſcribit Apoſtolus, eſſent aliqui cenſentes, baptiſmum poſſe ſæpius iterari; prout circa baptiſmata legalia erat conſuetudo.

C *Qui ſemel ſunt illuminati*. Ijs verbis denotatur baptiſmus: nam veteres ſacramentum baptiſmi, φωτισματῶν ſacramentum appellabant, vt habetur apud Dionyſium Areopagitam (Diony.) ex hiſtoria eccleſiaſtica. Et hoc quidem, quoniam in ſuſceptione baptiſmi, homo illuminatur, qui prius verſabatur in tenebris ignorantiæ, Deum verum ignorans, & ſalutis ſuæ exitum.

D *Guſtauerunt etiam donum cæleſte*. Ideſt, remiſſionem peccatorum, vt exponit Chryſoſtomus; (Chryſoſt. hom. 9.) *& participes facti ſunt Spiritus ſancti*. Hæc gratia ſubſequitur ad remiſſionem peccatorum, & confertur in baptiſmo.

E *Guſtauerant nihilominus bonum Dei verbum*. Secũdum Theophylactum, (Theoph.) per hæc inſinuatur vniuerſa doctrina ſpiritualis. Theodoretus (Theodor.) autem intelligit promiſſionem bonorum, quæ eſt regni æterni.

F *Virtuteſque ſeculi venturi*. Theophylactus, (Theoph.) *miraculorum*, inquit, *rerum operationes, virtutes venturi ſeculi appellantur; vel vita deſignatur, ſi quis eam agat ſecundum morem Angelorum, non egens præſentibus rebus, ſed futuris duntaxat intentus*. Thomas (Tho. Aqu.) autem inquit: guſtare virtutes venturi ſeculi, eſt, cum in ſpe reſurrectionem obtinemus: nam & reſurrectionem corporis credunt, qui ſpiritus reſurrectionem habent. Qui igitur hæc omnia bona perceperint (deſcribitur autem baptiſmi ſuſceptio in adulto, & cathechizato) ſi poſtea (inquit Apoſtolus) huiuſmodi prolapſi ſint, impoſſibile, hos rurſum renouari ad pœnitentiam, nempe ad eam modo deſcriptam,

per

per quam tranſeunt, qui ſunt initiandi ad Chriſtia-
niſmum. Quæ Apoſtoli ſententia, ab ipſo magis
explicatur, dum ſubiungit, *rurſum crucifigentes ſibi*
metipſis filium Dei, quaſi id facere, in ipſorum poſi-
tum ſit poteſtate: *& oſtentui habentes*. Ideſt, in lu-
dibrium Chriſtum exponentes. Etenim in baptiſ-
mate Chriſti mortẽ, quæ certe opprobrijs fuit onu-
ſta, deſignamus, quam ſemel paſſus eſt, & reſurrexit,
vt ei mors vltra non dominetur, vt dicitur in epiſt.
Rom. 6. ad Rom. Quam quidem mortem ſubijt pro genere
humano hac lege, vt vnicuique in ipſum credenti
ſemel applicetur pro regeneratione, & renouatione
veteris hominis in nouum: quod fit, dũ baptiſmus
ſuſcipitur. Vnde ſequitur, vt ſit, ludibrio Chriſtum
exponere, ſi quis velit baptiſmum iterare; & ita de-
nuo mortem illam turpiſſimam Chriſti (qui eſt fa-
ctus immortalis, non amplius moriturus) repręſen-
tare, eamque ſibi apponere. Nonnulli hunc locum
ita explicarunt; quòd ſit impoſſibile, ideſt difficile,
rurſum renouari ad pœnitentiam, ſi quis in pecca-
tum Spiritus ſancti ſit prolapſus, de quo eſt ſermo
1 Ioan 5. apud B. Ioannem, & in Euangelio. Verum circum-
Luc. 12. ſtantiæ orationis manifeſte reſpiciunt iterationem
baptiſmi; ita tamen, vt hoc dictum non ſit idem
cum ea ſententia, quæ habetur infra, dum dicitur:
Hebr. 10. *voluntarie enim peccantibus nobis poſt acceptam no-*
titiam veritatis, iam nõ relinquitur pro peccatis hoſtia;
quemadmodum ſuo loco explicabitur. Quidam
etiam ita interpretati ſunt; quòd poſt hanc vitã, non
ſit amplius locus pœnitentiæ. Et quidam alij quoq;
ita explicarunt; quòd non poſſit homo redire ad
primum ſtatum, in quo erat prius quàm aſſequutus
eſſet, quæ hic narrantur, ſi poſt baptiſmum ſit pro-
lapſus: nam ante, nemo ita offendit Deum, ſicuti
quando delinquit poſt agnitam veritatem. Quod
quidem eſt veriſſimum, ſed ad Apoſtoli dictionem,
ſi recte verba perpendatus, hæc interpretatio non
videtur conſentanea.

Theodor. G *Terra enim, &c.* Theodoretus vult hic oſten-
di, quæ nam bona percipiant, qui pietatis maturos
fructus producunt. Quæ nam autem ſint paſſuri,
Theoph. qui ſpinas germinãt ad terræ ſimilitudinem. Theo-
phylactus ait, oſtendi hoc loco ipſos Hebræos, ad
quos ſcribit (& ſi verbum exceperint, idque & alias
ſæpe ſint aſſequuti) nil tamen ex eo adhuc profe-
ciſſe. Verum ſi recte verba perpendantur, videntur
reſpicere dictum illud ſuperius. *Quapropter inter-*
mittentes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectio-
ctionem feramur: quibus verbis illa alia iunguntur,
& hoc faciemus, ſiquidem permiſerit Deus: vt nunc
oſtendat Apoſtolus, quomodo, & quibus nam ho-
minibus id continget, vt ad perfectionem ferantur:
illis nempe, qui ad ſimilitudinem terræ, *imbrem*, id
eſt, gratiam Dei ſæpe venientem receperint, & ger-
minarint herbam accommodam: quod fit (vt dicũt
Græ. ſchol. Græca ſcholia) per rectam conuerſationem; ita qui-
dem, vt hinc ab huiuſmodi cultoribus expectari
poſſint fructus boni: Deus ſiquidem non deeſt, ſuæ
benedictionis dans largitatem. Ex quo apparet,
Deum nunquam deeſſe ijs, qui prona voluntate
ſunt parati agere, quod in illis eſt. Et hi quidem,
qui Dei gratiam recipiunt, & colunt, a Deo ad per-
fectionem ducuntur. Poteſt autem intelligi per, *im-*
brem, doctrina, tum pro dogmatibus, tum etiã pro
inſtitutione vitæ. Vnde Theodoretus ait; imbre Theodor.
deſignari metaphorice doctrinã. Sicuti apud Eſaiã; Eſa. 5.
& nubibus mandabo, vt non pluant ſuper eã, imbrem.
Et apud Ioannem; *ſi quis ſitit, veniat ad me & bibat.* Ioan. 7.

H *Confidimus autem de vobis dilectiſſimi melio-*
ra, & viciniora ſaluti, tam & ſi ita loquimur. Dixerat
de terra reproba, atque maledicto proxima: *cuius*
conſummatio in combuſtionem; per hæc metaphori-
ce intelligens prauos homines, qui ad perditionem
ſuis prauis operibus declinant: in quibus ſi perſeue-
rauerint, vt ijs finem claudant vitæ, omnino ipſis
ſignificat, *in combuſtionem*, id eſt, in æternam dam-
nationem ſe ſe caſuros. Verum & ſi ita ſit loquu-
tus ad terrorem: attamen, vt eos conſoletur, & ſimul
excitet ad bene ſe gerendos, confidere ſe de ipſis ait
meliora; nempe, quæ de terra bene frugifera protu-
lit, quæ Dei benedictione impletur; vt ita inſinuet
Hebræis, ſe ſperare, quòd quæ ſunt viciniora ſaluti,
non quæ ſunt viciniora perditioni, ſint electuri, at-
que proſequuturi: per hoc verbum, *viciniora*, innuẽs
curſum huius vitæ humanæ variabilis, vt hinc qui
ſaluus eſſe velit, ita militet, vt bonum curſum ſuſce-
ptum numquam intermittat vſque in finem. Vnde
& ſubiunxit. *Cupimus autem vnumquemque veſtrum*
eandem oſtentare ſolicitudinem ad expletionem ſpei
vſque in finem, vt non ſegnes efficiamini. Ex inter-
pretatione huius loci, qua oſtenſum eſt, Apoſtolũ il-
lud ſtatuere; quòd ſit impoſſibile hominem baptiſ-
mate inſignitum, qui poſtea prolapſus ſit, renouari
ad pęnitentiam per iteratum baptiſmum; nõ autem
quòd non poſſit ſimpliciter per pęnitentiam Deo
reconciliari; conuincitur, Nouatum (qui voluit ex
hoc loco decerni, quòd homo, a baptiſmo relapſus
in peccatum mortale, nõ poſsit amplius in Dei gra-
tiam reſtitui per pœnitentiam) longe ab Apoſtoli
ſcopo, atque ſententia aberraſſe: cuius quidem hæ-
reſis manifeſte impugnatur ex varijs ſacræ ſcriptu-
ræ locis. Nam Paulus in priori epiſt. ad Corin. tra- 1. Cor. 5.
didit quendam inceſtuoſum ſatanæ in interitum
carnis, vt ſpiritus eius ſaluus fieret. Et in poſteriori
ad eoſdem inquit. *Quæ enim ſecundum Deum tri-* 2. Cor. 7.
ſtitia eſt, pęnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.
Ad hæc in Apocalypſi: *memor eſto itaque, vnde exci-* Apoc 2.
deris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Quę
pęnitentia ſimiliter ibidem indicitur tertio Ange-
lo, & quarto, & ſeptimo. Item B. Ioannes in priori 1. Ioan. 1.
ſua epiſtola: *ſi confiteamur inquit, peccata noſtra, fide-*
lis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, &
mundet nos ab omni iniquitate. Et in Euangelio apud
Luc. *Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cęlo ſuper* Luc 15.
vno peccatore pęnitentiã agente, quàm ſuper nonagin-
ta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. Et apud
eundem, cum Petrus dixiſſet Domino; *quoties pec-* Matt. 18.
cabit in me frater meus, & dimittam ei; vſque ſepties?
Reſpondit præceptor: *non dico tibi vſque ſepties, ſed*
vſque ſeptuagies ſepties. Et apud Ezech. *Cum auer-*
terit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, &
fecerit iudicium, & iuſtitiam, ipſe animam ſuam viui-
ficabit. Et paulo poſt: *Conuertimini, & agite pœniten-*
tiam ab omnibus iniquitatibus veſtris.

I *Inter-*

Theodor. I *Interpoſuit iuramentum*. Theodoretus inquit,
ſolo ſermone vtens Deus, implet promiſſionem,
multo magis ſermoni adiungens iuramentũ. Quòd
vero attinet ad immobilitatem conſilij Dei, de qua
hic eſt ſermo; adnotandum, quòd ſi conſideretur
conſilium Dei in ſe, id omnino eſt immobile; iuxta
Eſa. 46. illud apud Eſaiam: *Conſilium meum ſtabile, & omnis
voluntas mea fiet*: diſpoſitio autem, & proceſſus
circa conſilium, poteſt eſſe mutabilis: ſicuti patet de
Eſa. 38. eo, quod dictum eſt ad Ezechiam. *Diſpone domui
tuæ, quia morieris tu, & nõ viues*; id enim erat verum
ſecundum curſum infirmitatis, qua laborabat. Si-
Ioan. 3. militer illud Ionæ, *adhuc quadraginta dies, & Nini-
ue ſubuertetur*, peractum eſſet, ſi permanſiſſent ſine
pœnitentia: ſiquidem Dei erat conſilium, illos ſub-
uertere, niſi reſipiſſent, & conuerſos nolebat ſub-
uertere. Quando autem pronunciatur aliquid ſe-
cundum quod eſt Dei conſilium æternum, iſtud
manet firmum, & immobile, vt in ijs Deum num-
quam pœniteat, neque conſilium retrahat.

K *Adeptus eſt repromiſſionem*. Mouet Theophylactus dubium, quoniam in calce cap. 11. infra, vbi fit catalogus ſanctorum fratrum, inter quos etiam adnumeratur Abraham, dicit Apoſtolus, quòd omnes non retulerunt promiſſiones, ſed e longinquo eas ſpectarunt, & ſalutarunt: hic autem ait, quòd Abraham promiſſa eſt aſſequutus. Cui dubio Theophylactus reſpondens inquit: hoc loco eſſe ſermonem de his, quæ Abraham aſſequutus eſt in hac vita poſt diuturnum tempus; ibi autem de cœleſtibus, quæ nondum eſt aſſequutus.

L *Secundum ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum*. Theodoretus inquit, *eſt Pontifex in æternum; non quòd hoſtias, & ſacrificia offerat; ſuum enim corpus ſemel obtulit; ſed vt interceſſor, qui eos, qui credunt, ad Patrem adducit*.

PARAPHRASIS.

CAPIT. VII.

HIc enim Melchiſedech, Rex ſalem, ſacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ reuertenti a cæde regum, & illum benedixit, cui & decimam ex omnibus ſpolijs ſuis impertitus eſt Abraham: Primo quidem interpretatus, rex iuſtitiæ, deinde & rex ſalem, hoc eſt, rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia exiſtens, neque principium dierum, neque vitæ finem habens, aſsimilatus autem filio Dei, manet ſacerdos in perpetuum. Intuemini autem, & contemplamini quantus, & quàm eximiæ dignitatis ſit iſte, cui & decimas dedit de præcipuis ſuis ſpolijs Abraham virtute præclarus, & Deo acceptus. Et quidem ex filijs Leui, qui ſacerdotium accipiunt præceptum habent decimas ſumere a populo ſecũdum legem; ideſt, a fratribus ſuis, quanquam & ipſi exierint de lumbis Abrahæ. Qui autem in ipſorum genealogia non annumeratur, ipſe Melchiſedech, decimas ſumpſit ab Abraham, & ipſum habentem a Deo promiſsiones benedixit. Sine vlla autem cõtradictione, quod minoris eſt dignitatis, a præſtantiori benedicitur. Et hic quidem (iuxta præceptum legis) homines, qui moriuntur, accipiunt decimas. Ibi autem cõteſtatur ſcriptura, quia viuit, nec mortis vlla fit mentio. Et per Abraham (ita dictum ſit) decimatus eſt & Leui; quandoquidem in lumbis patris ſui Abraham erat Leui, quando obuiauit ei Melchiſedech; vnde & Leui in perſona patris ſui Abraham decimatus dici poteſt. Si ergo (hanc ex dictis deducite conſequentiam) conſummatio ſalutis per ſacerdotium Leuiticum habebatur (ſub ipſo enim populus legem, & præcepta religionis accepit) quid adhuc neceſſarium fuit, ſecundũ ordinem Melchiſedech, alium ſurgere ſacerdotem? & non ſecũdum ordinem Aaron dici? translato enim ſacerdotio, neceſſe eſt, vt & legis translatio fiat, & noua ſit inſtitutio religionis, nouo ſubinducto ſacerdotio, per quod regatur. Nam, quòd aliud a Leuitico ſit inductum ſacerdotiũ, exinde patet; nam de quo hæc dicuntur (tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech) is non de Leui, ſed de alia eſt tribu, de qua nullus altario præſto fuit. Manifeſtum eſt enim, quòd ex Iuda ortus eſt Dominus noſter, in qua tribu nihil de ſacerdotio loquutus eſt Moyſes. Verum amplius adhuc, hoc idem manifeſtum eſſe poteſt, quòd cum ſacerdotio ſimul etiam transferatur lex, ſi verum eſt ſuppoſitũ, quòd ſecũdum ſimilitudinem Melchiſedech exurgat alius ſacerdos, qui non ſecundum legem præcepti carnalis factus eſt ad iuſtificationem carnalem habendam; ſed ſecundum potentiam vitæ inſolubilis, quam & ipſe habeat, & alijs obtinere poſſit: Hoc enim conſonum eſt teſtimonio ſcripturæ, quæ ait, Quoniam tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Ita enim reprobatio quidem fit præcedentis mandati carnalis propter eius infirmitatem, & inutilitatem: nihil enim ad perfectũ adduxit lex. Introductio quin etiam per Chriſti ſacerdotium, eſt facta melioris ſpei (quàm eſſet ſpes emanans a Leuitico ſacerdotio) per quam proximamus ad Deum. Et inſuper, in quantum non ſine iure iurando eſt hoc ſacerdotium (alij ſiquidem ſine iureiurando ſacerdotes facti ſunt, hic autem iureiurando per eum, qui dixit ad illum, iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech) in tantum etiam melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Ieſus. Et alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes, quoniã morte prohiberentur permanere. Hic autem eo quòd ipſe manet in æternum, ſempiternum quoq; habet ſacerdotium. Vnde & ſaluare in perpetuum poteſt eos, qui per ipſum accedunt ad Deum, vt qui ſemper viuat ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat, vt nobis eſſet Põtifex, ſanctus, innocens, immaculatus, ſegregatus a peccatoribus, & excelſior cœlis factus, qui non habet neceſſitatẽ quotidie (quemadmodum terreni ſacerdotes) prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populo. Hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo, Dominus Noſter Ieſus Chriſtus, non pro ſuis, ſed pro mundi delictis. Lex enim conſtituit homines ſacerdotes in-

firmitatem

firmitatem habentes; ſermo autem iuiurandi, qui eſt poſt legem, conſtituit filium pontificem perfectum in æternum.

Editio vulgata.

Hic enim Melchiſedech, rex Salem, Sacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ regreſſo a cæde Regum, & benedixit ei: cui & decimas omnium diuiſit Abraham, primum quidem qui interpretatur rex iuſtitiæ: deinde autem, & rex Salem, quod eſt rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autẽ filio Dei, manet ſacerdos in perpetuum. Intuemini autem quantus ſit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha. Et quidem de filijs Leui ſacerdotium accipientes, mandatum habent decimas ſumere a populo ſecundum legem, ideſt, a fratribus ſuis, quanquam & ipſi exierint de lumbis Abrahæ. Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas ſumpſit ab Abraham, & hunc qui habebat repromiſſiones, benedixit. Sine vlla autem contradictione, quod minus eſt, a meliore benedicitur. Et hic quidem, decimas morientes homines accipiunt: ibi autem conteſtatur, quia viuit. Et (vt ita dictum ſit) per Abraham, & Leui qui decimas accepit, decimatus eſt: adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchiſedech. Si ergo conſummatio per ſacerdotium Leuiticum erat (populus enim ſub ipſo legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedech, alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecundum ordinem Aaron dici? Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt vt, & legis tranſlatio fiat. In quo enim hæc dicuntur: & de alia tribu eſt, de qua nullus altario præſto fuit. Manifeſtum eſt enim quòd ex Iuda ortus ſit Dominus noſter, in qua tribu nihil de ſacerdotibus Moyſes locutus eſt. Et amplius adhuc manifeſtum eſt: ſi ſecundum ſimilitudinem Melchiſedech exurgat alius ſacerdos, qui non ſecundum legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundum virtutem vitæ inſolubilis. Conteſtatur enim: Quoniam tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum. Et quantum eſt non ſine iureiurando (alij, quidem ſine iureiurando ſacerdotes facti ſunt: hic autem cum iureiurando per eum, qui dixit ad illum: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum) in tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Ieſus. Et alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes, ideirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium. Vnde, & ſaluare in perpetuum poteſt accedens per ſemetipſum ad Deum: ſemper viuens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, & excelſior cœlis factus: qui non habet neceſſitatem quotidie, (quemadmodum ſacerdotes,) prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit ſemel ſe offerendo. Lex enim homi-

nes conſtituit ſacerdotes infirmitatem habentes: ſermo autem iuſiurãdi, qui poſt legem eſt, Filium in æternum perfectum.

ADNOTATIONES.

Hic *enim Melchiſedech*. Scopus Apoſtoli eſt, exaltare Chriſti fidem, per quam ſalus aduenit humano generi. Et rem habens cum Hebræis; ideo, vt vel confirmaret ex ipſis eos, qui Chriſti fidem ſuſceperant, vel & alios excitaret ad eam ſuſcipiendam, illos perſtringit auctoritatibus legis, cui adhærebant. Hinc, cum ſupra conſtituiſſet de filio Dei (qui idem ſupponitur Chriſtus crucifixus) dictum eſſe; *tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech:* iam patefacit, quomodo hoc ſacerdotium figuratum in Melchiſedech, fuerit adimpletum in Chriſto, ita vt Melchiſedech, typus extiterit ſacerdotij, quod geſſit Chriſtus. Et ſimul oſtẽdit ſacerdotium leuiticum euacuatum eſſe; atque ideo ad interceſſorem Pontificem Chriſtum accedendum pro ſalute. A

B *Interpretatur rex iuſtitiæ*. Hoc nomen compoſitum *Melchiſedech*, ſignificat in lingua hæbrea, *rex iuſtitiæ*, qui vtique fuit filius Dei, qui pendens pro peccatis noſtris, Dei patris iuſtitiæ ſatisfecit, & iuſtitiam, ob ſuam paſſionem, credentibus in ipſum, & eius præceptis, obtemperantibus comparauit; qui & iudex eſt venturus, iuſtiſſime iudicaturus omnes, non reſpiciẽs perſonam hominum. Idem etiam interpretatur, *rex ſalem*; ideſt *rex pacis*, vt qui omnia Coloſſ. 1. pacificauit, vt dicitur in epiſt. ad Coloſſ. Et hæc quidem ante vaticinata ſunt a ſanctis prophetis: ſicuti apud Ierem. *regnabit rex, & faciet iudicium & iuſti-* Ierem. 2. *tiam*. Item apud Dauid, *in diebus eius orietur pax, &* pſal. 71. *iuſtitia*, & in pſal. *Dilexiſti iuſtitiam &c.* Pſal. 44.

C *Sine patre, ſine matre, ſine genealogia*. Quoniã in ſcriptura non eſt mentio de natiuitate ipſius Melchiſedech, qui nam fuerit pater, aut mater eius (vnde qui dicunt ipſum fuiſſe ſem filium Noe, rem incertam loquuntur, ſiquidem ob id dicitur eſſe ſine patre, & ſine matre, quoniam non ſciatur, qui nam fuerint parentes eius, & hoc ſupponitur ab Apoſtolo) ideo dicitur eſſe ſine patre, & ſine matre, & ſine genealogia, quoniam in Biblia non commemoratur, ex qua ſtirpe, atque familia ſit procreatus.

D *Neque initium dierum, neque finem vitæ habẽs*. Nempe, quantum attinet ad hiſtoriam, & notitiam, quæ habeatur de Melchiſedech: non enim ſcriptum apparet, quando aut ortus ſit, aut obierit.

E *Aſſimilatus autem filio Dei*. Theophylactus Theoph. inquit: poteſt dici de Chriſto, quo ad diuinitatem, quòd non habuerit patrem, quoniam modus generationis incomprehenſibilis; vti etiam ſine matre, quo ad humanitatem, propter modum etiam incõprehenſibilem, quomodo ex virgine naſcatur. Alij dicunt, quòd Chriſtus, ſine patre, quo ad generationem carnalem: ſolum enim habuit matrem Virginem, virtute Dei illam obumbrante: quo vero ad diuinitatem, non habuit matrem. Dicitur etiam ſine genealogia; nam *generationem eius, quis enarrabit* Iſa 53.

Theodoretus ait, Chriſtum eſſe ſine genealogia, qua non habet opus qui ex ingenito patre eſt genitus. Dicitur etiã ſecundũ ipſum

non

non habere initium dierum, neq; finem quo ad diuinitatem. Quo vero ad humanitatem, & ſi initium habuerit; at non habet finem: quoniã non deficiet in æternum, qui ſurrexit, non amplius moriturus.

Oecum.

Oecumenius autem inquit, Melchiſedech aſſimilari Chriſto; quoniã de ipſo ignoramus patrem, matrem, genealogiã, initiũ, & finem dierũ: nõ quòd ijs caruerit. At hæc in Chriſto in rei veritate extiterũt, quæ typo, in ipſo Melchiſedech, ſupponuntur.

Orig. hom. 3. in Matt.

Origenes autem in Matt. ꝙ Melchiſedech dicatur ſine patre, ſine matre, ſimilis filio Dei, ita interpretatus eſt: vt filius Dei dicatur ſine patre ſuper terram, ſine matre in cęlis: ſine patre ſecundũ corpus, ſine matre ſecundũ deitatem: ſine patre in ſinu Virginis in nouiſſimo tempore, ſine matre in ſinu patris ante omnia ſecula. Verum, cũ cõſtet, quòd Chriſtus dicitur filius Dei, & ꝙ de Virgine Maria ortũ duxerit, eiuſque genealogia deſcribitur in Euãgelio; idcirco nõ apte videtur dici poſſe, ꝙ ſine patre, & matre, & ſine genealogia fuerit. Quòd ſi accipiatur vt Deus, vtiq; hac ratione erit nõ habens initium, neq; finem. Vnde cenſeri poteſt, quæ dicta ſunt de Melchiſedech, ꝙ ſit ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, huc tendere, vt hinc inferatur id, quod poſtea ſubiunctum eſt: videlicet, ꝙ non habeat initium, neq; finem dierum. In qua re aſſimilatur filio Dei: ſicuti etiã Melchiſedech Chriſto aſſimilatur, quatenus manet ſacerdos in æternum, vti etiã Chriſtus eſt ſacerdos in æternum, vt infra declarabitur. Et in hoc proprie videtur conſiſtere ſimilitudo, vt Chriſti ſacerdotium, dicatur eſſe ſecundum ordinẽ Melchiſedech; nempe in æternum: & ꝙ hoc præcipue colligere voluerit Apoſtolus ex hac ſimilitudine.

Theodor.

Theodoretus autem aduertit, *Melchiſedech*, manere ſacerdotem in æternum, quoniam ad filios non tranſmiſit ſacerdotium, vt fecit Aaron, Eleazar, & alij.

Oecum.

At Oecumenius aſſignat cauſam; quoniã per panem, & vinum, per ſacerdotes Chriſti miniſtros, offeratur perpetuũ ſacrificiũ. Aut dicendũ ꝙ, quatenus Melchiſedech ſupponitur nõ habere initium dierum, neq; finẽ; ſic ſtatuitur ipſum manere ſacerdotem in perpetuum.

F *Mandatum habent decimas ſumere.* Ante legem ſcriptam, ex lege naturę, inſitum erat hominibus, vt ratione creationis, & dominij, decimas redderent Deo, nonnulla ſcilicet de rebus a Deo creatis: vt pater apud Iacob, dum dixit; *cunctorum quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.*

Gen. 28.

In lege deinde ſcripta, iuxta ceremoniam ſtatutum eſt, ſacrificari debere, aut vitulum, aut agnum, aut arietem, vel quid aliud. Similiter de lege naturæ eſt, vt ſacerdotibus, tanquã his, qui dant operam rebus ſacris, & ideo ſunt ſacratiores, ab alijs ſumptus impendãtur.

Geneſ. 14.

Vnde Abraham decimas de præcipuis obtulit ipſi Melchiſedech. Deinde vero in lege Moyſi, magis etiam diſtincte de hoc ſtatutum eſt: quod etiã in Chriſti eccleſia obſeruatur. Deo autem decimæ offerebantur, vti illi, a quo omnis perfectio obtineatur. Quæ quidẽ cõprehenditur in numero denario; cũ vnũ, duo, tria et quattuor, cõpleãt numerũ denariũ, & ipſe cõpleatur: alij vero numeri ſint repetitorij ipſius denarij.

G *Quod minus eſt, a meliori benedicitur.* Hinc layci Lugdenenſes dixerunt, a layco iuſto presbyterum iniuſtum poſſe melius benedici: quorum hæreſis fuit condemnata. Et ſane, ſi, pro confectione ſacramentorum, recta ſacerdotis vita requireretur, non poſſemus eſſe certi de ſalute, neq; quãdo ſacramenta re vera nobis eſſent collata. Cum antẽ ſacerdos benedicit panem, fit per Chriſti auctoritatem conſecratio. Et ſi Epiſcopus Hoſtienſis, vt primus in ordine Cardinalium, benedicit Põtificem, qui maioris eſt dignitatis, dicendũ, quòd id agit, vt Chriſti miniſter; aut ꝙ non benedicit proprie Pontificem, ſed Petrum, aut Ioannem in Pontificem.

H *Per Abraham, & Leui, qui decimas accepit, decimatus eſt.* Si Abraham a Melchiſedech eſt decimatus, ergo & Leui exiſtẽs in lumbis eius. Hinc deducitur, ꝙ Leuitico ſacerdotio lõge præſtãtius fuit ſacerdotium ipſius Melchiſedech, cui Abraham obtulit decimas, cũ maior ſit is, cui fiat oblatio, quàm ille, per quem fit.

I *Adhuc enim in lũbis patris erat.* Hæc eſt cauſa, cur in Abrahã decimatus quoq; fuiſſe dicitur Leui, ex eius ſtirpe proueniẽs: in lumbis enim erat Abrahæ, cũ ex ipſo originem duxerit. Quod quidem dictũ eſt ſimile ſententiæ illi ad Rom. *Quòd in Adam omnes peccauerunt*; cum ex ipſo totũ genus humanum propagarit, & ex eius delicto cõtaminatũ fuerit. Rom. 5.

Excipitur autẽ Chriſtus, tum a peccato originali, tum a prędicta decimatione, vt qui ex ſeminali parte virili, per quam trãſfunditur ad poſteros macula originalis, ortum ſuum non duxerit. Baſilius autem adnotauit, Melchiſedech antecelluiſſe Abrahæ in typo, quatenus eſt aſſimilatus filio Dei, non autem ſimpliciter, neque in alijs plurimis illi præceſſiſſe. Baſil.

K *Si ergo cõſummatio per ſacerdotiũ leuiticũ, &c.* Iuxta ea, quę Apoſtolus pręmiſit de ſacerdotio Melchiſedech, deducit, ꝙ per ſacerdotiũ leuiticũ nõ habebatur, quod itẽdebatur, ipſa ſalus, & remiſsio peccatorũ. & argumẽtũ eſt huiuſmodi. Aderat ordo in ſacerdotio leuitico, ĩ quo per legẽ inſtituebatur populus, vt hęc, & illa perageret: vt puta, circũcideretur, oblationes faceret, & hęc, vel illa ſacrificaret. Verũ, ſi his inſtitutionibus, quæ ad ſacerdotiũ leuiticũ attinebãt, obtinebatur cõſũmatio ſalutis (ipſa remiſſio peccatorũ, & apud Deũ recõciliatio) ad quid igitur opus fuit aliud inducere ſacerdotiũ ſecũdũ ordinẽ Melchiſedech? Alius ſiquidẽ ordo ĩ hoc ſacerdotio diuerſus ab ipſo leuitico inductus fuit, vt cõijci poteſt ex hoc fundamẽto, ꝙ nõ ex tribu Aarõ: ſed ex tribu Iuda venit Chriſtus, factus ſacerdos ſecũdũ ordinẽ Melchiſedech. Vnde, ſi hoc ſacerdotiũ ex Aarõ nõ prouenit, perſpicuũ eſt igitur, ꝙ mutatus eſt ĩ ipſo ordo ſacerdotij, & præceptorũ inſtitutio. Ex quo patet, ꝙ leuiticũ ſacerdotiũ nõ cõſũmabat ſalutem, quã adimpleri oportuit p ſacerdotiũ Chriſti, qđ eſt figuratũ in Melchiſedech. Adnotat autẽ Chryſoſt. ꝙ ſacerdotiũ primo fuit legale ĩ Melchiſedech: poſtea ſacerdotale in tribu Aarõ: deinde proceſſit legale in tribu Iuda. Ita Chriſtus (vt Deus) primo fuit rex, qui deinde factus eſt ſacerdos, cũ carnẽ ſuſcepit. Chryſoſt. hom. 13.

Dubiũ autẽ eſt, nũ B. Virgo Maria fuerit de Tribu Aarõ, cũ dicatur in Euãgelio, ꝙ cognata eius erat Eliſabeth, quæ fuit de filiabus Aarõ. Luc. 1.

Cui dubio occurrẽs Tho. inquit, cõſueuiſſe præclariores illas tribus iungi inuicẽ matrimonio: vnde nil prohibet, quin Maria, & Eliſabeth, potuerint eſſe cognatæ. Adnotãdũ etiã, in Tho. Aqu.

hac ſerie orationis, Apoſtolum bis hac voce, *ἀνίστασθαι*, vſum eſſe, pro eo, quod eſt, *exurgere*, tum, cum inquit: *quid adhuc neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedech alium ſurgere ſacerdotem?* tum paulo infra, vbi inquit: *& amplius adhuc manifeſtum eſt, ſi ſecundum ſimilitudinem Melchiſedech exurgat alius ſacerdos*: quæ vox, exurgere, non ad reſurrectionem, ſed ad natiuitatem, ſeu excitationem attinet. Vſus eſt quoque Apoſtolus hac voce, *ἀνατέταλκεν*, cuius trãſlatio vulgata ita habet: *ortus eſt*, veluti ſignificãs, quòd Dominus noſter ortus ſit, tanquam ſtella. Et hoc quidem; quoniam qui Deus erat ab ęterno, carnem aſſumens, in tẽpore apparuerit, veniens in propria: quaſi hoc verbo alludere voluerit prophetiæ
Num. 24. Balaam, in qua dicitur; quòd orietur ſtella ex Iacob.

L *Qui non ſecundum legem mandati carnalis factus eſt.* Per hæc innuitur, quòd ſacerdotes iubebãt præcepta ſecundum legem ad carnem pertinentia, ad iuſtificationem carnis; non ad ſanctificationem propriæ conſcientię, quod lex pręſtare non poterat, de qua re infra eſt ſermo explicatior. At Chriſtus nõ factus eſt ſacerdos, hanc iuſtitiam carnis inducens; *ſed ſecundũ virtutem vitæ inſolubilis.* Dictio hæc, *virtutem*, græce habetur, *δύναμιν*, vt hinc inſinuetur, quòd Chriſtus extitit ſacerdos habens potentiã vitæ inſolubilis; id eſt æternę. Ex quo deducitur manifeſte, ꝙ longe præſtantius eſt Chriſti ſacerdotiũ ipſo leuitico. Vnde Chriſti ſacerdotio adhærendum; leuiticum autem ſacerdotium deſerendum eſt.

M *Conteſtatur enim quoniã tu es ſacerdos in æternum, &c.* Si hoc patet per ſacram ſcripturam; patet etiã, ꝙ Chriſtus extitit ſacerdos ſecũdũ potentiã vitæ inſolubilis; quoniã eius ſacerdotiũ ptinet ad ęternitatẽ, ſicut figuratũ eſt ĩ ſacerdotio Melchiſedech.

N *Reprobatio quidem fit præcedentis mãdati propter infirmitatem eius, & inutilitatem.* Ex lege moſaica pręcipiebantur mandata carnalia de circunciſione, ablutionibus, cibis, potibus, & huiuſmodi. Nam abſolute de tota lege hoc loco non ſermo, ſed de his, quæ ſub lege ſacerdotali, & huius ſacerdotij munere continebãtur: cuius ſignũ eſt id, quod ſubiungit Apoſtolus, dicens. *Nihil enim ad perfectũ adduxit lex*; quæ infirma, & inutilis appellatur: quatenus iuſtificationem, quę eſt ſecundum conſcientiam, conſummare non poterat, iuxta illud etiã ad Romanos:
Rom. 8. *nã quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnẽ, &c.* Vtilis autem ad hoc erat lex, ad inducendos homines ad Chriſtum, qui finis eſt legis, & cu-
Rom. 10. ius interceſſione vera iuſtitia obtinetur. Aderãt autem in lege Moyſi optima illa præcepta diligendi, Deum, & proximum; quæ tamen per legem nõ perficiuntur, vt ipſa virtutẽ largiatur ad hæc exequẽda. Et de his (vti dictũ eſt) nõ eſt hic ſermo, dũ fit men-
Theodor. tio de lege. Vnde Theodoretus adnotauit, ꝙ quæ ſũt legis ſuperuacanea, ea Apoſtolus vocat imbecilla, & inutilia. Nẽpe, circunciſionẽ, ſabbata, & ſimilia. Quæ autẽ ſunt neceſſaria, nouũ quoq; teſtamẽtum etiã cũ incremento ea ſeruare præcipit. Itẽ ait: quòd ſacerdotes corpus lauabant aſpergentes eos, qui profluuio ſanguinis laborabãt, vel lepra, & pro tactu morticinij; nõ autẽ pro adulterijs, & homicidijs, &
Theoph. huiuſmodi. Theophylactus autẽ hoc loco inquit: *vt lac tenellis infantibus deſtinatis tẽporibus longe plurimũ cõfert, ætate vero prouectioribus nil prorſus cõducit: ſic lex ipſa iudæis imperfectioribus eſt profutura, cũ illos ab idolorũ cultu deterreat, & ad Deũ traditis nõnullis præceptis traducat: his vero, qui perfectiores euaſerint, nil eſt profutura.* Vnde dicendũ, ꝙ purificationes illæ legis, poſt Chriſti aduentũ, ſunt reprobatę: meliora enim inducta ſunt, quibus ad Deũ perducamur. Et licet Deus legẽ ordinauerit, non propterea eius prouidẽtia mutatur, ſi legis ceremonialia abolere voluerit, & alia inducere perfectiora. Ita enim ab ęterno cõſtituerat iuxta cõſilij ſui beneplacitũ, vt populus electus Hebræorũ ad ſe manuduceretur ſecũdũ præcepta ei tradita: quæ deinde, adueniente Chriſto, in meliorẽ formã erant cõmutanda; ita agens ſapiẽtiſſimus artifex (qui omnia diſponit ad captũ humani generis) vt, cũ iacebat cęcitate percuſſum, ſic paulatim a carnalibus ceremonijs, ad ſpiritualem Dei cultũ perduceretur. Vnde minime mirũ eſſe debet, ſi etiã in Chriſti eccleſia, ſucceſſiuis tẽporibus, ſecundũ variã tẽporũ conditionem, & ab Apoſtolis, & ab alijs Põtificibus Petri ſucceſſoribus, & a concilijs multa ſiut in melius mutata atq; cõſtituta: quod vſq; ad ſeculi cõſummationem cõtinget pro vario rerũ euento, aſſiſtẽte ſemper Spiritu ſancto eccleſiæ Dei, vt eius ductu regatur, & conſeruetur in perpetuum.

Vnde & ſaluare in perpetuũ. Dictio hęc in perpetuũ. Græce *εἰς τὸ παντελὲς* id eſt, omnino, ſeu perfecte, & conſequenter in perpetuum: idem enim ſenſus eſt.

P *Accedẽs per ſemetipſum.* Chriſtus, vt homo acceſſit ad maiorem ſe ipſo: vnde dicebat, *Pater maior* Ioan. 14.
me eſt: acceſſit autem per ſemetipſum, vt Deus; & vt Deus eſt, nõ interpellat; ſed ſecundũ humanitatem mactatã, & hoſtiã factã id agit; quam ſemper offert Patri. Aduertendũ autẽ, ꝙ Græci legunt, *accedentes per ipſum ad Deũ.* Qua lectione ſeruata, eſſet ſenſus, ꝙ Chriſtus poſſit ſaluare eos, qui per ipſum mediatorẽ accedunt ad Deũ, vt interpretatur Theophyla- Theoph.
ctus. Qua in re ſupponitur fides in homine accedẽte, quoniã (vt dicitur infra) accedentẽ ad Deũ opor- Hebr. 11.
tet credere, quia eſt. Cũ vero ſubiũgitur, ſemper *viuẽs ad interpellãdũ pro nobis*, hinc ſignificatur, Chriſtũ ſemper eſſe paratũ ad interpellãdũ pro nobis, & ꝙ viuit, ſemper viuẽs eius oblatio apud Deũ: *sãctus*: id eſt purus, & sãctitas his alijs verbis explicatur: *Innocẽs*: id eſt ſine crimine proprio; *impollutus*, vt qui nõ ſit ortus cum macula originali: *ſegregatus a pec-* Matth. 9.
catoribus: non quidem cõuerſatione; vt qui cum illis manducaret; ſed ſecundum naturã incorruptam: ſegregatus etiam a peccatoribus, vt qui aſcenderit ad cęlos, ad quos penetrare nõ poſſunt peccatores, onuſti proprijs peccatis. Vnde, & ſubiũgitur: *excelſior cęlis factus*, vt qui ſupra omnes cęlos aſcẽderit.

Q *Hoc enim fecit ſemel*: Nempe obtulit ſemel ſe pro populo: non autem pro ſe ipſo.

R *Lex enim omnes cõſtituit.* Reddit rationẽ Apoſtolus, quare Chriſtus vnica ſui oblatione cõpleuit opus redẽptionis, & nõ oportet, vt quotidie offerat, ut ſolẽt ſacerdotes legis. Nã lex cõſtituit ſacerdotes habẽtes infirmitatẽ, & ideo ineptos, q per ſanguinẽ hircorũ, aut taurorũ poſſint impetrare apud Deum recõciliationẽ. At Dei iuſiurandũ cõſtituit filiũ ſuũ ſacerdotem, perfectu in ęternũ: id eſt eũ, qui ob ſuã

perfe-

perfectionẽ, functus eſt vna oblatione, quę permanet in æternũ apud Deum pro mundi expiatione.

PARAPHRASIS. CAP. VIII.

CAPVT autem eorum, quæ dicuntur, idipſum eſt; quòd talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera throni maieſtatis in cęlis, miniſter ſanctorum,& veri tabernaculi, quod fixit immutabile Dominus, & nõ homo: ad quod vt perueniant ſancti, ipſe ſuam nauat operam, Deo patri offerens humanitatem ſuam mactatam pro expiatione peccatorum. Omnis enim Pontifex, ad offerendum munera,& hoſtias Deo conſtituitur. Quare & noſtrum hunc Pontificem, qui cęlos penetrauit, oportuit,& ipſum habere, quid offerat Deo, vt Pontificis munus præſtet; offert autem ſe ipſum hoſtiam: atq; hac ratione ſanctorum eſt miniſter, & eorũ beatitudinis procurator. In cęlis autem iure id pręſtat munus. Nam ſi in terris eſſet, neque ſacerdos foret, qualis deſcriptus eſt ſecundum ordinem Melchiſedech: cum adhuc exiſterent hic ſacerdotes, qui offerrent ſecundum legem munera: qui quidem exemplari,& vmbræ deſeruiunt cęleſtium: ſicut a Deo reſponſum eſt Moyſi, cum eſſet perfecturus tabernaculum. Vide enim (inquit Dominus) omnia facito ſecundum exemplum, quod tibi oſtenſum eſt in monte. Nunc autem eo excellentius Pontifex noſter Chriſtus ſortitus eſt miniſterium præ pontificibus terrenis, quo melioris teſtamenti mediator eſt; quod ſane in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt, non in rerum terrenarum acquiſitione, vt vetus, ſed cęleſtium. Etenim, ſi prius illud teſtamentum culpa vacaſſet, tanquã validum ad ſui obſeruatores perficiendos; non vtique ſecundi locus inquireretur. Vituperans enim eos Deus, apud Ieremiam dicit. Ecce dies veniunt, dicit Dominus,& conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Iuda (non ijs) ſed futuris tẽporibus teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum ac pactum, quod pepigi patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt adducerem illos de terra Aegypti; quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo;& ego neglexi eos: quia hoc eſt teſtamentum, quod diſponam domui Iſrael, poſt dies illos, dicit Dominus. Dabo leges meas in mentẽ eorum,& in corde eorum ſuperſcribam eas, nõ in lapidibus:& ero illis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum acceptum; & non docebit vnuſquiſque proximũ ſuum, aut vnuſquiſque fratrem ſuum dicens; cognoſce Dominum, quoniam omnes ſcient me a minore vſq; ad maiorem. Et hoc quidem pręſtabo, quia propitius ero iniquitatibus eorũ, & peccatorum eorum iam amplius non memorabor. Dicendo autem nouum, quod paciſceretur teſtamentum, iam antiquauit primum, quod autem antiquatur,& ſeneſcit, prope eſt vt intereat,& euaneſcat.

Editio vulgata.

CAPITVLVM autem ſuper ea quæ dicuntur, talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cælis, ſanctorum miniſter,& tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & nõ homo. Omnis enim Pontifex, ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur, vnde neceſſe eſt, & hunc habere aliquid quod offerat: ſi ergo eſſet ſuper terram, nec eſſet ſacerdos, cum eſſent, qui offerrent ſecundum legem munera, qui exemplari,& vmbræ deſeruiunt cęleſtium. Sicut reſponſum eſt Moyſi, cum conſummaret tabernaculum. Vide (inquit) omnia facito ſecundum exemplar, quod tibi oſtenſum eſt in monte. Nunc autem melius ſortitus eſt miniſterium, quanto & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt. Nam ſi illud prius culpa vacaſſet: nõ vtique ſecundi locus inquireretur. Vituperans enim eos, dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus,& conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Iuda teſtamentum nouum,& non ſecũdum teſtamentum quod feci patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum vt educerem illos de terra Aegypti: quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo: & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc eſt teſtamentum, quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo leges meas in mẽtem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas,& ero eis in Deum,& ipſi erunt mihi in populum: & non docebit vnuſquiſque proximum ſuum,& vnuſquiſque fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum: quoniam omnes ſcient me a minore vſque ad maiorem eorum: quia propitius ero iniquitatibus eorum,& peccatorum eorum iam non memorabor. Dicendo autem nouum, veterauit prius. Quod autem antiquatur,& ſeneſcit: prope interitum eſt.

ADNOTATIONES.

CONSEDIT *in dextera ſedis magnitudinis,* A *in cęlis.* Ideſt, in excelſiore parte cęlorum; in potioribus, vbi magis viget Dei maieſtas, ibi Chriſtus in dextris ſedet, quieſcẽs a laboribus ſuis perpeſſis in hac carne mortali, & exercens poteſtatem ſibi traditam; ſtans deinde pro tutela fidelium; ſicut apparuit Stephano, dum lapidaretur. Act. 7. Quę quidem voces ſtãdi,& ſedendi ad humanum capiũ proferuntur. Dubitat autem hoc loco Theodor. quo nã munere ſacerdotali fungitur, Theodor. qui ſe ipſum ſemel obtulit, & nõ offert amplius ſacrificiũ? & quomodo fieri poteſt, vt idem ſimul,& ſedeat,& ſacerdotali fungatur officio? Et reſpondet, dici forte poſſe, munus ſacerdotale eſſe ſalutem, quã Dominus procurat ſuis fidelibus. Gręca autẽ ſcholia inquiunt; miniſtrare Chriſti in cęlis, Gr. Schol. eſt homines a peccatis emundare, & ſanctos efficere.

B *Sanctorum miniſter.* Alludit Apoſtolus ad ſancta ſanctorum in veteri teſtamento. Et hoc dicit, quòd a Chriſto prouenit, vt ſancti efficiantur, quicunque ſancti fiũt. At dicet aliquis, quomodo Chriſtus eſt miniſter, ſi dictum eſt antea, quòd, ad differentiã filij, Angeli ſunt miniſtri Dei? Dicendum ad hoc, ꝙ Angeli ſunt omnes adminiſtratorij ſpiritus, ad hoc munus miniſtrãdi creari a Deo. Chriſtus autem eſt filius Dei, ipſum Verbum, ſecũda perſona in diuinis. Vnde ſimpliciter nõ eſt miniſter Dei, vt Angeli. Sed ſolũ in hoc ſuſcepit officium miniſtrandi, vt redemptionẽ mundi in carne mortali, morte ſua compleret; cũ etiam ipſi ineſſet poteſtas imperandi, vt omnia ſibi miniſtrarent; ſicuti, poſt tentationẽ factam ſibi a ſatana, acceſſerunt Angeli miniſtrantes ei. Vnde Chryſoſtomus hom. 3. in hanc epiſtolam

habet. *Miſſus eſt quidem & filius, ſed non ſicut miniſter, neque vt perſuncturus quibuslibet officijs: ſed ſicuti filius vnigenitus eadem cum patre volens atque deſiderans: magis autem neque miſſus eſt: neque enim de loco ad locum pertrāſijt; ſed carnem ſumpſit: iſti autē loca permutāt, et prima loca, in quibus fuerāt deſerētes, ad alia veniunt tranſeundo, in quibus non erant antea.*

C *Et tabernaculi veri, quod fixit Deus, & non homo.* Per hoc, vel intelligitur cœlum, vt interpretantur Græca ſchulia cum Theodoreto, vel ipſa veſtis immortalitatis, de qua eſt ſermo in poſteriori epiſt. ad Corint. quę eſt in cœlis æterna. Et quoniam Deus ipſam fixit, ideo immutabilis, & æterna. Hoc igitur tabernaculū verū (ad differētiā tabernaculi, quod cōſtruxit Moyſes ex ligno) Chriſtus miniſtrat, & offert, & præbet ſuis fidelibus, ſedens pontifex in cœlis.

Græ. ſchol. Theodor. 2. Cor. 5. Gen. 4.

D *Munera, & hoſtias.* Munera proprie erant de fructibus terræ: hoſtiæ autem de animalibus, quāuis in ſcriptura hæ voces confundātur. Vnde dicitur in lib. Gen. quòd Deus reſpexit ad Abel, & ad munera eius, quæ tamen fuerunt de primogenitis gregis.

E *Neceſſe eſt, & hunc habere aliquid, quod offerat.* Propterea dictum eſt in calce cap. præcedentis, quòd obtulit ſe ipſum.

F *Si ergo eſſet ſuper terram, nec eſſet ſacerdos.* Dictum eſt antea, quòd Chriſtus eſt pontifex in cęlis aſſiſtens. Nunc dicitur, quare in cęlis exiſtat Pontifex: quoniam ſcilicet, ſi eſſet ſuper terram, non eſſet ſacerdos: quoniam adhuc vigerent ſacerdotes afferentes munera ſecūdum legem, & ſeruientes exemplari, & vmbrę cęleſtium. Sacerdotium autem Chriſti, per quod eſt cōſtitutus ſacerdos, fuit oblatio ſui corporis; & ſuæ mactatæ humanitatis. Vnde oportuit ipſum mori, ad hoc, vt eſſet ſacerdos. Vnde in terra eſſe non poterat ſacerdos ſui corporis nō mactati; ſed dum in terris degebat, vigebant ſacerdotes legales, quorū ſacerdotiū leuiticū, expleta oblatione Chriſti, euacuatū eſt. Mactatam autem humanitatē, & deinde glorificatam Chriſtus offert in perpetuū Deo in cęlis. In terra vero, per miniſtros ſuos, ſub ſacramento panis, & vini, idem ipſe, incruenta hoſtia, offertur Deo, reprępſentans iuge ſacrificiū oblationis corporis Chriſti iā glorificati. Dubitat autē hoc loco Theodoretus, ſi ſacerdotiū, quod eſt ex lege, finē accepit, & ſacerdos, qui eſt ſecundū ordinē Melchiſedech, obtulit ſacrificiū, & effecit, vt alia ſacrificia nō eſſent neceſſaria, cur nunc noui teſtamēti ſacerdotes myſticā liturgiā, ſeu ſacrificiū peragūt? Et reſpōdet, *clarū eſſe, nos non aliud ſacrificiū offerre,* (quoniā illud idem vere offerunt ſacerdotes) *ſed vnius illius, & ſalutaris memoriam peragere: ſicut Dominus præcepit, vt in eius commemorationem faceremus, vt figurarum contemplationem, earumque, quæ pro nobis ſuſceptæ ſunt, perpeſſionum recordemur, & in benefactorem beneuolentiam conſeruemus, & futurorum bonorum perceptionem expectemus.*

Theodor.

Luc. 22.

G *Exēplari, & vmbrę deſeruiūt cęleſtium.* Sub typo quodā a Deo in mōte deſcripta fuit forma tabernaculi, & myſterij, ī quo typo aderat exēplar cęleſtiū: huic vmbrę ſacerdotes legis veteris inſeruiebāt, in qua cęleſtis futura oblatio Chriſti innuebatur.

Græ. ſchol.

H *Melioris teſtamenti mediator eſt.* Gręca ſcholia, per *teſtamentū* nouū, intelligunt fidē in Chriſtū per quā mediator eſt inter Deū, & homines. Chriſtus autē mediator eſt melioris teſtamenti, quàm fuerit Moyſes. Siquidē teſtamētū, cuius mediator eſt Chriſtus, eſt melioris promiſſionis, rerū nēpe cęleſtiū, quàm eſſet vetus teſtamentū, quod erat circa tēporalia. Hoc autē teſtamentū continet pacta cū hominibus; in quo teſtamēto includitur id, quod ī Chriſti morte cōpletum eſt: promiſſum autē fuit Abrahę ſummū bonum, nempe, quòd in ipſo, ex eius ſemine, benedicendæ eſſēnt omnes gentes. Non hoc idē autem eſt cum eo, quod promiſſum eſt patribus per Moyſē circa adeptionē terrę promiſſionis tēporalis.

I *Nā ſi illud prius culpa vacaſſet.* Ideſt (vt exponit Theodoretus) ſi perfectū fuiſſet vetus teſtamētū, id ipſum eſt; ſi ſufficiēs fuiſſet, vt nulli ſint reprehēſioni affines, qui eo vtuntur. Ex hoc autem quòd culpa inſinuetur fuiſſe in veteri teſtamēto, nōnulli inducti ſunt ad dicendū, quòd lex eſſet mala. Verū dicimus, quòd lex vtilis fuit ad coercendos homines a peccatis, & ad illos inſtruendos, vt cōfugerēt ad Chriſtū mediatorē. Quòd vero lex nō poſſet iuſtificare, id ex culpa noſtra prouenit, ob infirmitatē carnis noſtræ, vt dicitur in epiſ. ad Romanos. Lex certe nō cōferebat gratiā, neque poterat hominē mortuū in peccatis viuificare. Verū & illud dicere poſſumus, quòd promiſſio bonorū temporaliū, quibus alliciebatur populus Hebræorū ad Deū excolendū, nec nō permiſſio ſacrificandi bruta animalia illis facta, ne ad idololatriā cōuerterētur, & vt eſſent illæ oblationes in ſignū futuri ſacrificij in corpore Chriſti; hæc omnia quandā habebāt culpā, vt quæ neque ſpē æternę beatitudinis, quę ex nouo teſtamēto eſt expectāda, cōtinerent, nec ſacrificia vtilia præſtarēt, quibus Dei ira expiaretur de peccatis hominū. Itaq; vetus teſtamentū eatenus nō vacabat culpa, quatenus opus habebat, vt ī melius corrigeretur. Vnde de ipſo loquēs Apoſtolus infra, inquit, ipſum inſtitutū eſſe vſq; ad tēpus correctionis in melius; nēpe in nouū teſtamētū; in quo, lex ſcripta ī cordibus, gratiā ſupponit, & dona Spiritus ſancti cōferūtur, quibus corroborantur animi fidelium, vt nō ſecundum carnales ceremonias, ſed ſpiritu inſeruiāt Deo per ſacrificium, et oblationem gratiſſimam Deo, per hoſtiam filij ſui.

Theodor.

Rom. 8.

Hebr. 9.

K *Conſummabo teſtamentū nouū.* Hoc dictum reſpicit rē futurā, Etenim illi priores, qui educebantur ex Aegypto, ob eorū incredulitatē neglecti fuerunt, ita vt in alios propitiatio fuerit cōſummāda. Dicitur autē teſtamētū nouū, quo ad executionē, & cōſummationem. Nā de hoc teſtamento nouo facta quoq; fuit promiſſio Abrahæ, quòd in ipſo, in eius ſemine omnes gentes erant benedicendæ, quod in Chriſto confirmatum fuit. Atque ideo Propheta dicit, conſummabo, tanquā de re, quæ in poſterum erat perficienda, & conſummanda cum omni perfectione, quæ non aderat in priori teſtamento.

L *Quoniā omnes ſcient me a minori vſque ad maiorem.* Ideſt, non opus erit in conſummatione noui teſtamenti, vt aliquis doceat proximū de ipſo, quoniā ita erit in omnibus impreſſa Dei vera cognitio, q omnes & maiores, & minores ſcient ipſum: quod quidē in lege veteri nō cōtingebat; de qua tātūmodo Rabbini peritiā habebant, alios inſtruebant. In nouo autē teſtamēto, omnes ſcient Chriſtū, qui illu-

xit omnibus: licet deinde myſteria noo omnibus ſint cognita; & panlatim in ipſis percipiendis ſis procedendum, vt dictum eſt antea. [Theodor.] Aut hoc erit in patria, vt exponit Theodoretus. Cui conſentit [Aug lib. de ſpi. & litt. c. 24.] Auguſtinus in lib. de ſpiritu, & litt. Dicit autem Theodoretus, quòd, qui tenebris incredulitatis ſunt adhuc circundati, videbunt illic veritatem, & excidētur. Aut de reliquijs Iſrael eſt ſermo; quibus omnibus, cum ſaluæ fient, innoteſcet Dominus. [Græ. ſchol. Theoph.] Græca autem ſcholia cum Theophylacto intelligunt fidei ſuſceptionem; quę facile ſine multis ſermonibus, in his qui ſani mente erant, infigebatur: & omnes illam ſuſcipient: cum cognitio iudaica in angulum vnum orbis, in Paleſtina eſſet concluſa. [Ambr.] Ambroſius inquit, *lex moſaica non pręſtitit claram, & apertam filij Dei notitiam, ſed ex buccina Apoſtolorum per omnem terram cœpit Chriſti cognitio paulatim omnibus innoteſcere*. Et ſane, ſi reſpiciamus ad verbum [Rom. 9.] abbreuiatum, de quo eſt ſermo in epiſt. ad Roman. quòd Dominus eſſet facturus, & quòd (vt dicitur in eadē [Rom. 10.] epiſtola) *ſi confitea ris in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum ſuſcitauit a mortuis, ſaluus eris*; hinc dici poteſt, quòd omnes cognoſcere potuerunt, Chriſtum mediatorem noſtræ ſalutis extitiſſe; & ita eius Euangelium omnibus innotuiſſe.

M *Quia propitius ero iniquitatibus eorū & peccatorū. &c.* Per *iniquitates*, græce ταῖς ἀδικίαις, poſſunt intelligi offenſę in proximum: per *peccata* vero gręce ἁμαρτιῶν, intelligenda erunt, quæ perpetrātur in victu, & vſu veneris illicitæ, quæ proprias hominis actiones in ipſum relatas reſpiciunt. Græci addunt, & hanc aliam vocem, ἀνομιῶν, qua, omnia genera delictorum denotantur cōtra legis ordinem cōmiſſa.

N *Dicendo autem nouum, veterauit prius*. Ideſt, ex nouo teſtamento introducto ſtatuitur, ꝙ aliud teſtamentum ſit vetus: & quòd ipſum tendit ad interitum. Vnde aliquando ceſſare habebat: & ita corrigendum erat in aliud nouum, & in melius. Quemadmodum etiam dicere poſſumus, quòd charitas, quam aliquis obtineat in hac vita non ſine admiſta fragilitate, corrigenda erit in melius in alia vita; ſicuti & fides, & ſpes euacuabuntur, & deficiet vmbratilis, & ænigmatica præſens cognitio.

PARAPHRASIS. CAP. IX.

HABVIT quidem etiam primum teſtamentum iuſtificationes diuini cultus, & ſanctum quoddam mundanum, non ſpirituale, quo vere ſancti ſecundum ſpiritum redderētur. Tabernaculum enim factum eſt primum, quod dicitur ſanctum, in quo erant candelabra, & menſa, & propoſitio panū. Poſt velamen autem erat ſecūdum tabernaculum, quod dicitur ſancta ſanctorum, aurū habens thuribulum, & arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro; in qua inerant vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabula teſtamenti: ſuper quam arcam erant Cherubim gloriæ, obumbrantia propitiatorium: de quibus non eſt modo dicendum per ſingula. His autem ita compoſitis, in priori quidē tabernaculo ſemper introibant ſacerdotes, ſacrificia perficientes. In ſecundo autem ſancta ſanctorum nuncupato, non niſi Pontifex ſemel in anno ingrediebatur ad ſacrificium peragendum, non ſine ſanguine, quem offerret pro ſuis, & pro populi ignorantijs. Hinc illud ſignificante ſpiritu ſancto, nondum propalatam eſſe ſanctorum viam introeundi ad cęlum, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum, vt vltra illud penetrare ad ſancta ſanctorum, pręter Pontificem, nemo poſſet. Quæ parabola, atque ſimilitudo pertingit vſque ad inſtans illud tempus, in quo dona, & ſacrificia offerūtur; quæ non poſſunt (iuxta conſcientiam) perfectum facere cultorem; ſed tātummodo pro cibis, & potibus ſumendis, & pro diuerſis ablutionibus, & iuſtificationibus carnalibus impoſita fuerunt, vſque dum veniret tempus in melius corrigendi, & ad peſectionem deducendi hæc ſacrificia. Christus autem adueniens Pontifex futurorum bonorum, procurator exiſtens nobis æternæ beatitudinis, per maius, & perfectius tabernaculum, non manu factum, ideſt, non huius creationis, neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum; ſed per proprium ſanguinē introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione pro peccatis humani generis inuenta. Si enim ſanguis hircorū, aut taurorum, & cinis vitulæ aſperſus ſanctificat inquinatos ad emundationem carnis, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum ſanctum ſe ipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti? Atque ideo noui teſtamenti mediator eſt Chriſtus, vt, morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant, & non ſoluebantur ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt ad æternam hæreditatem. Vbi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt, vt intercedat teſtatoris: teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt: alioquin nondum valet, dum viuit, qui teſtatus eſt. Vnde nec primum quidem teſtamentum ſine ſanguine dedicatum eſt. Lecto enim omni mandato legis a Moyſe vniuerſo populo, ipſe deinde accipiens ſanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyſſopo, tum ipſum librum, tum omnem populum aſperſit dicens. Hic eſt ſanguis teſtamenti, quod mādauit ad vos Deus. Tabernaculum etiam, & omnia vaſa miniſterij ſanguine ſimiliter conſperſit: ac ferme omnia per ſanguinem ſecundem legem purificantur; & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Neceſſe eſt ergo exemplaria cœleſtium ordinata in veteri teſtamento, his prædictis modis per ſanguinem animalium mundari: ipſa autem cœleſtia melioribus hoſtijs, quàm iſtis. Non enim in manufacta ſancta Ieſus introijt, quæ ſunt exemplaria verorum; ſed in ipſum cęlum, ita quidem, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis hoſtia. Neque etiam ita introijt cœlum, vt ſæpe offerre ſe ſe habeat; quēadmodum Pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno. Alioquin, oportebat Chriſtum frequenter pati vſque ab origine mundi. Nūc autem ſemel in cōſummatione ſeculorum, per om-

ne tempus ad deſtructionem peccati per propriam ipſius met hoſtiam apparuit. Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autē iudicium vniuerſale; ita quoque Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. Iterum verſo ſine peccato, quod ſoluere habeat, apparebit glorioſus omnibus expectantibus ipſum in ſalutē.

Editio vulgata.

HABVIT quidem, & prius iuſtificationes culturæ, & ſanctum ſeculare. Tabernaculū enim factum eſt primum, in quo erant candelabra, & menſa, & propoſitio panum, quę dicitur ſancta. Poſt velamentum autem ſecundum tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum: aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti, ſuperque eam erāt Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium, de quibus non eſt modo dicendum per ſingula. His verò ita compoſitis, in priori quidem tabernaculo ſemper introibant Sacerdotes, ſacrificiorum officia conſummantes, in ſecundo autē, ſemel in anno ſolus Pōtifex: non ſine ſanguine quem offert pro ſua, & populi ignorantia: hoc ſignificante Spirituſancto, nondum propalatam eſſe ſanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum, quæ parabola eſt temporis inſtantis: iuxta quam munera, & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem, ſolummodo in cibis, & in potibus, & varijs baptiſmatibus, & iuſtitijs carnis vſque ad tempus correctionis impoſitis. Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum nō manufactum, ideſt, non huius creationis: neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſciētiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti? Et ideo noui teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis. Vbi enim teſtamentum eſt: mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt: alioquin nondum valet, dum viuit, qui teſtatus eſt. Vnde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt. Lecto enim omni mandato legis à Moyſe vniuerſo populo: accipiens ſanguinē vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyſſopo, ipſum quoque librum, & omnem populum aſperſit, dicens: Hic ſanguis teſtamenti, quod mandauit ad vos Deus. Etiam tabernaculum, & omnia vaſa miniſterij ſanguine ſimiliter aſperſit. Et omnia pene in ſanguine ſecundum legem mundantur: & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Neceſſe eſt ergo exemplaria quidem cęleſtium, his mundari: ipſa autem cęleſtia, melioribus hoſtijs quàm iſtis. Nō enim in manufacta Sancta Ieſus introiuit, exemplaria verorū: ſed in ipſum cęlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neque vt ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per ſingulos annos in ſanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem ſemel in conſummatione ſeculorum, ad deſtitutionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit. Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium: ſic, & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata, ſecundo ſine peccato apparebit expectantibus ſe in ſalutem.

ADNOTATIONES.

HABVIT *quidem, & prius.* Iam ſuppoſuit A Apoſtolus, vetus teſtamentum non vacare culpa: ceu illud, quod eſſent inſufficiens, ad ſalutem. Nunc docet, ipſum non fuiſſe ſine inſtitutionibus ad cultum; ita tamen vt patefaciat, quàm longe abfuerit a perfectione noui teſtamēti. Habuit igitur, inquit, & vetus teſtamentum iuſtificationes cultus, quæ ad carnem attinebant, de quibus infra eſt ſermo. Theodoretus autem dicit, iuſtificationes Theodor. culturę, eſſe mandata; quatenus faciebant ad cultum diuinum: iuxta illud Dauiticum, *doce me iuſtificationes tuas*. & Moyſes: *hæc ſunt iudicia, & iuſtificatio-* Pſ. 118. *nes, quas loquutus eſt Dominus filijs Iſrael.* Græca autem ſcholia dicunt eſſe leges, & ordinem, & ea, quæ Græ. ſchol. decentem cultum conſequerentur.

B *Et ſanctum ſeculare.* Græce κοσμικόν, quæ, vox *mundanum*, quoque verti poteſt: quod interpretantes Chryſoſtomus, & Oecumenius dicunt, circa ta- Chryſoſt. bernacula, & templum Salomonis, tria extitiſſe ta- hom. 15. bernacula. Vnum ſub Dio, in quo ingredi poterat quodque genus hominum, non ſolum Iudæi, verum etiam Gentiles: & ideo mundanum, ſeu ſeculare appellari dicunt. Aliud habens velum: & dicebatur ſanctum, vt in quo ſacrificia peragerent communia, & quotidiana. Poſtea aderat aliud velum, & ſequebatur tertium tabernaculum, dictum ſancta ſanctorum, in quo ſemel in anno Pontifex ſacrificabat. Theodoretus autem inquit: *ſanctum ſeculare*, appel- Theodor. lari tabernaculum, *vt quòd totius mundi figuram teneat. Velo enim intermedio diuidebatur in duas partes; & hæc quidem appellabatur ſancta; alia vero ſancta ſanctorum: & ſancta quidem imitabatur vitam, quæ in terra agitur: ſancta autem ſanctorum formam, & rationem vitæ, quæ agitur in cœlis: ipſum autem velum, vſum firmamenti implebat. Duos enim eſſe cœlos, diuina nos ſcriptura docuit: quorum primum quidem vna cum terra Deus fabricatus eſt: ſecundum autem ſecundo die fecit, cum dixit; fiat firmamentū in medio aqua-* Geneſ. 1. *rum, & vocauit Deus firmamentum cœlum: & hoc eſt noſtrum tectum. Poteſtatibus autem, quæ ſub aſpectu non cadunt, eſt loco ſoli, vel pauimenti. Quemadmodum* ergo, inquit Theodoretus, *hoc cœlum ea, quæ ſunt infirma ſeiungit a ſupernis, ita velum in medio tabernaculi extenſum ſeparabat a ſanctis ſancta ſanctorum.* Poſſemus etiam interpretari per *ſanctum ſeculare*: ipſam ſanctitatem, quæ aderat in veteri teſtamento, mundana illa quidem exiſtens, non ſpiritualis, de Tho. Aqu. qua Apoſtolus paulo poſt loquitur. Etenim (vt docet Thomas) veteris legis ſacramenta non conferunt gratiam,

gratiam, pro vt faciunt ſacraměta nouę legis. Et huię quidem explicationi progreſſus orationis fauere videtur, in qua affertur explicatio duorum tantúmodo tabernaculorum; de mundano autem tabernaculo, nil vltra meminit Apoſtolus; tanquam hoc ſolum voluerit ſignificare, *per ſanctum ſeculare*, ipſam ſcilicet mundanam, & carnalem ſanctitatem; vti & erant carnales iuſtificationes ex legalibus ceremonijs prouenientes.

C *In qua, vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat.* [Exod. 25. Parali. 5.] In lib. Exodi atq; Parali. nõ legitur, q̃ hęc ſeruarentur in arca; ſed ſeorſum in tabernaculo: [Gr. Expoſ.] ſed (dicunt Græci expoſitores) Apoſtolum potuiſſe ita accipere a Gamaliele; & quòd tempore Ieremiæ, propter bella, omnia conſeruabantur in arca.

D *Semel in anno ſolus Pontifex non ſine ſanguine.* Ex hoc quod dicit Apoſtolus, quòd ſemel in anno non ſine ſanguine ingrederetur Pontifex in ſancta ſanctorum, tollitur difficultas, quæ fieri potuiſſet ex aduerſo, quoniam bis ingrederetur quotidie Pontifex in ſancta ſanctorum. At dicendum, quòd hoc erat pro incenſatione; non autem cum ſacrificio ſanguinis, pro quo ſolum ſemel in anno ingrediebatur Põtifex ſancta ſanctorum, vt dicit Apoſtolus.

E *Pro ſua & populi ignorantia.* Hæc dicta eſſe aduertunt nonnulli expoſitores, ad terrendum eos, qui etiam per ignorantiam delinquunt. Vel (vt dicit [Occum.] Oecumenius) ad ſignificãdum, quòd perfectius ſit nouum teſtamentum, in quo per Chriſti ſanguinem peccata quoq; ſcienter commiſſa dimittuntur. Verum, ſi nulla peccata dimittebantur in lege, propterea quòd hoſtiæ illæ (vt dicitur paulo poſt) non poterant emundare conſcientiam, ita vt oportuerit, præuaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento fieri expiationem per Chriſtum: idcirco hoc dictũ de populi, & pontificis ignorantia idem eſſe videtur cum his, quæ ſupra ſunt enarrata: [Hebr. 4.] dum diceretur, quòd pontifex debet eſſe talis, vt condolere poſſit ignorantibus, & errantibus; quoniam & ipſe circundatus eſt infirmitate. Et id quidem præſertim videtur dicendum; [Tho. Aqui.] quãdo (vt ait Thomas) omnis peccans ignorans eſt: quamuis poſtea multum interſit, ſi peccatum ob fragilitatem, an per inueteratam malitiam committatur, propter quod maius etiam ſupplicium infertur: ſed & in hoc genere etiã peccandi ſaltem prauæ diſpoſitionis ignorantia inuoluitur. Præcipue autem ante Chriſti illuminationem, & priuſquàm eſſet publicatum Euangeliũ, ignorantia mentes hominum occupauerat. Aut forte ita etiam dici poteſt, quòd offerri non debeat hoſtia pro his, qui ſcienter, & obſtinate peccãt in Spiritu ſancto: [1. Ioan. 5.] pro quibus non vult B. Ioannes vt oretur, [Hebr. 10.] & infra dicitur, quòd pro huiuſmodi nõ relinquitur amplius hoſtia.

F *Adhuc priore tabernaculo habente ſtatum.* In prius quippe tabernaculum ingredi nõ poterat populus; ut hinc ſignificaretur, quòd nondum pateret aditus ad regnum cælorum.

G *Quæ parabola eſt temporis inſtantis.* Iure parabola dicitur, quatenus erat ſignificatio, & figura repræſentatiua alterius rei; ſimilitudo autem hæc tabernaculi habentis ſtatum, in quo non poſſit quis ingredi præter Pontificem, in ipſoq; dona, & ſacrificia offerebantur non ualentia conſcientiam perfectam facere, durauit uſq; dum ueniret borũ correctio, quæ per Chriſti hoſtiam afferenda erat; unde ceſſare habuit, poſt Chriſti oblationem, prędicta figura.

H *Quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem.* Ex his patet, quòd per ſacrificia legis ueteris emundari non poterat conſcientia. Per fidem autem habitam in Deum, & in mediatorem Ieſum in lege quoq; ueteri dimittebantur peccata: nemini autem patebat uia ad regnum cœlorũ, quæ patuit poſt Chriſti conſummationem omnibus credentibus in ipſum, & eius præceptis obtẽperãtibus: ſicuti etiam hinc detecta, & patefacta eſt iuſtitia, quæ in ſanctis patribus occluſa quodammodo tenebatur in circunciſione; pro ut explicatũ eſt in epiſt. ad Rom. in Adno. B. cap. 4.

I *Solummodo in cibis & in potibus.* Ex his intelligitur, ſacrificia in lege ueteri fuiſſe impoſita ad diſponendos, & pręparandos homines ad uſum ciborum, & potuum; ſicuti & uarijs ablutionibus, & iuſtificationibus caro mundabatur, aut a lepra, aut a profluuio ſanguinis, uel a contactu morticinij. Et cum hæc fuerint impoſita uſq; ad tempus correctionis; hinc denotatur, quòd ſacrificia illa in melius erant reformãda; ſimulq; inſinuatur, prius, ſiue uetus teſtamentum fuiſſe culpa maculatum, quatenus erat imperfectum. Quod uero habet editio vulgata, *impoſitis*: Gręci legunt ἐπικείμενα, in accuſandi caſu, ut poſſit etiam referri hęc uox ad hanc aliam δῶρα, ac ſi diceretur; *impoſita dona*: uti apud Oecumenium obſeruare licet. [Oecum.] Theodoretus autem [Theodor.] animaduertit, apparere ex his, quę affert Apoſtolus de legis ceremonijs, ipſum non totam legẽ eijcere; ſed ſolum quę conſtituta ſunt de cibo, & potu, de eo, qui profluuio ſeminis laborat, de leproſo, de puerpera, & de fluxu ſanguinis, & ſimilibus: ij enim abluebantur, & aſperſionibus mundabantur. Et hęc quidem erant obſeruanda uſque ad tẽpus correctionis, & perfectionis per Chriſti paſſionem inducendę.

K *Chriſtus autem aſſiſtens.* Gręce παραγενόμενος, ideſt, quaſi adueniens, cum ſit etiam Deus: quod fecit, cum in propria uenit, & carnem accepit.

L *Per amplius, & perfectius tabernaculum.* Sunt qui de cęlo hęc dicta interpretantur, quòd ſit plenũ beatis, & perfectis, ut non deficiat. Verum, cum dicat Apoſtolus, quòd Chriſtus per amplius, & perfectius tabernaculum ingreſſus eſt ſancta, & per *ſancta* intelligatur cœlum; ideo non uidetur conuenienter dici, quòd Chriſtus per amplius, & perfectius tabernaculum (quod eſt cœlum, ſecundum prędictam expoſitionem) ingreſſus ſit ſancta, ideſt, cœlum. Idcirco (ſicuti multi interpretati ſunt) hoc uidetur intelligendum de corpore ſuo. ſiquidem & corpus pro tabernaculo accipitur; ſicuti in epiſt. poſt. ad Corinthios. [2. Cor. 5.] Dicitur autem corpus Chriſti, *amplius*, & ita dignius, quàm eſſet tabernaculum, per quod ingrediebantur Pontifices in ſancta ſanctorum: quoniam in corpore Chriſti inhabitat diuinitas

uinitas

Coloſſ. 2. uinitas corporaliter, ut dicitur in epiſt. ad Coloſs.
& idcirco illud pſal. adducit Apoſtolus infra; *corpus autem aptaſti mihi*, unde & dignius ſupra taber-
Pſal. 39. naculum Moyſi. Idem etiã dicitur *perfectius*, quo-
Chryſoſt. hom. 15. niam perficere poſſit alia. Chryſoſtomus autem ait; *quoniam unitum illi eſſet Verbum ſubſtantialiter.*

M *Non huius creationis*. Hinc inferunt hęretici quòd Chriſtus non habuit uerum corpus, ſed aereũ & cœleſte, ſi non habuit illud huius creationis.
Aduerſus Hæreticos. Qui quidem ſunt irridendi, quaſi quòd cœlum, & aer non ſint etiam res createę ſecundum horum interpretationem: quod ſequitur, cum dicant ex uerbis Pauli, quòd non fuit huius creationis corpus Chriſti, ſed aereum, & cœleſte. Verum intelligendũ eſt, quòd corpus Chriſti nõ fuit huius creationis, quatenus non ex limo terrę formatũ eſt, pro ut fuit corpus Adę; neq; etiam ex ſemine uirili propagauit, ut cęteri omnes, qui duxerunt originem ab Adam.
Theodor. Theodoretus inquit: *tabernaculum non manufactum*, intelligi humanam naturam, quam ſuſcepit Chriſtus; quę non ſacta lege matrimonij, ſed Spiri-
Theoph. tus ſanctus tabernaculum conſtruxit. Theophylactus quoque corpus Chriſti, non huius creationis fuiſſe ait; ideſt, non harum creaturarum in modum creatum, ſed ſpiritalem & diuinum.

N *Per Spiritum ſanctum ſe ipſum obtulit*. Græci
Theodor. loco huius dictionis, *ſanctum*, habent αἰωνίου, ideſt,
Theoph. æternum. Quam vocem ſequuntur Theophylactus,
Occum. Oecumenius, & Theodoretus; qui locum explicans inquit, quòd *nulli reprehenſioni obnoxium effecit illud corpus Sanctus ſpiritus: habebat enim omnia dona ſpi-*
Ioan. 1. *ritus, & de plenitudine eius (vt dixit S. Ioannes) omnes accepimus*. Notatque, Spiritum ſanctum appellari *æternum*; & quòd æternum eſt, non eſſe creatum; quoniam nõ habet temporale eſſentię principium. Et quidem adhærendo græcæ lectioni quæ habet per *ſpiritum æternum* (& reſpondet priori dicto de æterna redemptione per Chriſtum inuenta) argumentum per locum a minori ad maius, quo probat Apoſtolus, Chriſtum per propriam ſanguinem conſecutum eſſe pro nobis redemptionem æternam, illuſtrius redderetur hũc in modum. Nam, ſi ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis uitulæ aſperſus (quę pertinent ad animantia intereuntia, quorum vita deſinit) ſanctificant inquinatos ad emundationem carnis pro obeundis munijs, legalibuſque ceremonijs (quæ virtus ſacrificandi carnem non emanat a ſanguine, aut a cinere dictorum animalium, ſed Deo ſecretius in his ipſis operante id fit:) Quanto igitur magis ſanguis Chriſti, qui eſt filius Dei, quique ſe obtulit agnum immaculatum Deo per ſpiritum æternum, nempe per animam rationalem, quę eſt ſpiritus æternus non deficiens, ſed immortalis, emundabit cõſcientiam noſtram ab operibus mortuis, quæ ſunt ipſa peccata? *ad ſeruiendum Deo viuenti?* Cui quidem ſeruire, eſt colere ipſum in ſpiritu, & veritate, vna cum fide ſita in Chriſtum noſtræ recõciliationis auctorem, & ſaluatorem noſtrum; & non per cæremonialia, ſacrificiaque legalia; quibus non vere ſeruitur Deo viuenti; cum ſint vmbra veri, & iugi ſacrificij, quod per Chriſti oblationem conſtitutum eſt; vt in illis Deus minime ſibi complacuerit; licet illa permiſerit Iudæis, ne in idololatriam
procumberent. Vnde in Pſal. de quo Apoſtolus Pſal. 39.
meminit cap. ſequenti, dictum eſt: *hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi, holocauſtomata, & pro peccato tibi non placuerunt*. Ad hæc autem, quæ offerebantur ſecundum legem, vt idonee ſacerdotes adminiſtrarent, & populus ea ſuſciperet, emũdationes in carne factæ non ad ſpiritum attinentes deſeruiebant.

O *Ideo noui teſtamenti mediator eſt*. Ideſt, ad hũc finẽ Chriſtus noui teſtamenti mediator eſt, vt morte ſua nos redimeret mundando a peccatis: hincque acciperent hęreditatem, qui ad eam ſunt vocati. Teſtamentum autem, de quo hic eſt ſermo, accipitur
(vt conſtat ex epiſt. ad Galatas) quatenus continet Gal. 3. & 4.
pactum, & promiſſionem factam a Deo; cuius tamẽ vis, & executio obtenta non eſt, niſi poſt Chriſti mortem; adeo quòd promiſsio Dei facta Abrahæ, in Chriſti conſummationem dirigebatur. Et quoniam teſtamentum continet tum hæreditatem, tum mortem teſtatoris vt confirmetur; hinc teſtamentũ, modo pro morte, modo pro pacto, & interdum etiam pro vtroque accipitur in ſacra ſcriptura.

P *Et omnia pene in ſanguine ſecundum legem mũdantur*. Dicit *pene*: vel quoniam plene non mundã-
tur in lege, vt interpretatur Chryſoſtomus. Aut Chryſoſt.
quoniam non omnia, ſed pene omnia purgarentur hom. 16.
per ſanguinẽ. Nam in lib. Numeri dicitur, *quicquid* Num. 31.
poteſt ignem ſuſtinere, purgetur igne; quod non poteſt, expiatione aquæ. Ex quo colligitur, quòd non omnia per ſanguinem mundabantur.

Q *Et ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio*. Si ſupponatur, quòd ex ſacrificijs legis fieret remiſsio peccatorum, dicendum; in ipſis effuſionem quoque illam ſanguinis ſuppoſitam fuiſſe, quæ re uera, & efficaciter pro remiſsione peccatorum facta eſt in nouo teſtamento per Chriſti mortem. Et ideo illud, quod dictum eſt antea; *ut morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento repromiſſionem accipiant, qui uocati ſunt æternæ hæreditatis*: manifeſte denotat, quòd per legem peccata non tollerentur. Quod etiam ſigni-
ficauit Paulus in Act. inquiens. *Notum igitur ſit uo-* Act. 3,
bis uiri fratres, quia per hunc nobis remiſſio peccatorũ annunciatur ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege Moyſi iuſtificari.

R *Neceſſe eſt ergo exemplaria quidem cœleſtium his mũdari*. Ideſt, oportebat homines, qui ingrediebantur tabernacula ueteris teſtamẽti, quæ ſunt exẽplaria cœleſtium, mundari per dicta ſacrificia, & hoſtias: *Ipſa autem cœleſtia melioribus*. At, ſi meliores hoſtiæ pro cœleſtibus requirebantur; ergo
(ut deducit Chryſoſtomus) ſi ipſa cœleſtia melio- Chryſoſt.
ra, conſequenter illa ſacrificia fuiſſe bona ſignificã- hom. 16.
tur; cum melius, bonum ſupponat: & ita homines, qui ſunt futuri cœleſtes, & hæredes regni cœlorum, huc prouehendi erant hoſtijs melioribus; nempe per Chriſti ſanguinem. Non autem illę hoſtiæ ueteris legis ad cœleſtia pertinebant; ſed ſolum ſigni-
ficabant. Vt autem ſentit Chryſoſtomus, eccleſia, quę Chryſoſt.
in terris extruitur, res cœleſtis appellatur. Aut ſecũ-
dum Theodoretum, cœleſtia hæc intelliguntur ſpi- Theodor.
ritualia,

ritualia, quibus mundetur eccleſia.

S *Exemplaria verorum.* Græce *ἀντίτυπα*, & iure ita appellantur, quæ erant in tabernaculis, & ſacrificijs veteris legis: typus enim ſumebatur a cœleſtibus: vnde, quæ in his ſignificabantur, cum eſſent cœleſtia, & veritas repræſentaretur in Chriſti paſſione conſummanda, optime antitypa appellanda erant; vt quæ typum referrent cœleſtium.

T *Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi.* Ideſt, ab illo initio, in quo fuit commiſſum peccatum ab Adam in exordio ſuæ creationis. Apoc. 13. Vnde illud in Apoc. *In libro vitæ Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi;* nempe figuratiue in Abel. *Vel ab origine mundi*, quoniam, ad omnia peccata exaurienda vſque ab origine mundi perpetrata, Chriſti paſſio ſatisfacit. Theodor. Theodoretus autem hunc locum explicans inquit, *oportebat ſæpius obire mortem, ſi ſe ſæpius debuiſſet offerre: per mortem enim ſe obtulit; quandoquidem per proprium ſanguinem oblationem eſſet facturus.*

V *In conſummatione ſeculorum;* Aut denotatur tempus, in quo Chriſtus paſſus eſt in extremis ſcilicet temporibus, & vltima mundi ætate: & quare in Greg. Nyſ. hoc vſque tempus diſtulerit, reddit rationem Gregorius Nyſſes inquiens. *Quemadmodum peritiſſimi medici febri adhuc in præcordijs permanente, & ægroti corporis acrius diuexante, & ægritudinis fomentis adaucta magis incenſaque, nullam afferunt languenti medelam, quæ languoris cauſas tollat; ſed vt morbus increſcat, opperiuntur, ſic & nobiſcum agit animorum medicus ille. Expectat enim vt omnis retegatur nequitia, vt nihil maneat ex his, quæ recondita ſunt, incuratum, ſic demum retectis, ille & præcedentibus malis medetur. Aut in conſummatione ſeculorum*, dictum eſt ad innuendum, quòd Chriſti paſſio, & hoſtia per omne tempus ſufficit vſque ad conſummationem ſeculi. Semel autem apparuit; quia ſemel tali die crucifixus eſt; qui quidem ſemper interpellat pro nobis, hoſtiam oſtentans ſe patri: nec non per ſacerdotes fit in dies in terris oblatio, ſub ſpeciebus panis & vini, eiuſdem hoſtiæ.

X *Quemadmodum ſtatutum ſemel eſt hominibus ſemel mori, poſt hæc autem iudicium.* Ex hoc colligitur, omnes homines ante iudicium mortem eſſe paſſuros, vel longa domitione, *vel in momento:* quod continget his, qui in die aduentus Domini viui re- Aug in lib. 20. de Ciui. Dei c. 20. periuntur: de quibus Auguſtinus in lib. de Ciuit. Dei cap. 20. ait quòd ſunt exituri de corpore, & mox ad immortalitatem redditurі. Statutum eſt autem hominibus mori ex naturæ humanæ conditione; vt quæ ex qualitatibus inuicem oppoſitis, atque ideo corrumpentibus nexum corporis, ſit conſtituta: licet deinde per donum iuſtitiæ originalis, ſi in ea Adá ſe conſeruaſſet, illæſa a morte, ſuffragio doni cœleſtis, conſeruari potuiſſet. At poſt peccatũ ſtatutum fuit verbo Dei, vt homo moreretur omni- Gen. 2. no; cum dictum fuit ipſi Adam; *in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Hãc autem mortem Chriſtus vltro ſubire voluit, & ex diſpenſatione diuina factum eſt (ſicut dictum eſt antea) vt pro redemptione mundi, mortem obiret cum tamen in Ioan. 10. eius poteſtate eſſet animã ſuã & ponere, & tollere.

Y *Secundo ſine peccato apparebit.* Ideſt, non amplius venturus eſt ſubleuaturus mundum a peccatis, tanquam ea in ſuo corpore iterum ſuſtinens, atque luens: ſed iterum veniet, mundum quidem iudicaturus.

AA *Apparebit omnibus expectantibus ipſum in ſalutem.* Apparebit cum maieſtate diuinitatis, glorioſus ipſis electis, *& ſine peccato:* ideſt, nõ grauans in ſecundo aduentu, neque terrens eos de peccatis, quæ iam exhauſerit ob ipſorum fidem; & charitatem: ſed veniet in ſalutem, quam ipſis conſummatam eſt allaturus, ſecum ipſos perducens ad cœleſtem hæreditatem. Aliter autem apparebit, nempe terribilis, & in ruinam, peccatoribus, & damnatis; qui vel increduli fuerunt, vel de peccatis pœnitentiam non egerunt.

PARAPHRASIS.

CAPIT. X.

NEQVE vero abſque cauſa Pontifex, quotannis Sancta ſanctorum ingrediens, eadem repetebat ſacrificia. Vmbram enim habẽs lex vetus futurorum bonorum, nõ ipſam obtinẽs imaginem, & ideam rerum, quæ in Chriſto perficiẽdæ erant, his hoſtijs, quas eaſdem per ſingulos annos offerunt, numquã poteſt accedentes cum his victimis perfectos facere. Alioquin ceſſaſſent offerri; quoniam nullam vltra haberent conſcientiam peccati illas ſacrificantes, per ipſas ſemel mundati. Verum in his oblationibus, per ſingulos annos commemoratio fit peccatorum, non remiſſio. neque mirum. Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum, aut hircorum auferri peccata. Ideo (vt ſcriptum eſt apud Dauid in Pſal.) Chriſtus ingrediens mundũ, ita alloquitur Patrem. Hoſtiã, & oblationem noluiſti; corpus autem aptaſti mihi; holocauſtomata, & pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi, ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam Deus voluntatem tuam. Superius dicens (quia hoſtias, & oblationes, & holocauſtomata, & pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ ſecundum legem offeruntur, tunc dixi ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam.) tollit primum, ipſa ſcilicet legis ſacrificia, vt ſecundum ſubſequens ſtatuat, ipſam Chriſti oblationem; in qua quidem Dei voluntate per Chriſtum conſummata ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel ab ipſo factam. Quin & omnis ſacerdos (vt Pontificem omittamus) præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ non poſſunt auferre peccata. Hic autem ſecũdum Melchiſedech, Sacerdos noſter Chriſtus, vnam pro peccatis offerens hoſtiam, nempe ſe ipſum in ſempiternum, ſedet in dextera Dei: de cætero expectans, donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius. Vna enim oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos per ipſum. Conteſtatur

teſtatur autem id nobis etiam Spiritus ſanctus per os Ieremiæ. Poſtquam enim dixit: hoc autem eſt teſtamentum, quod teſtabor ad ipſos poſt dies illos dicit Dominus; dabo leges meas in cordibus eorū, & in mentibus eorum ſuperſcribam eas; & peccatorum, & iniquitatum eorum non recordabor amplius. Vbi autem horum eſt remiſſio, clare patet, quòd vltra non eſt neceſſaria oblatio pro peccato. Habentes itaque fratres fiduciam in ſanguine Chriſti ad introitum ſanctorum (quam viam initiauit nobis Chriſtus nouam, & viuentem per velamen, ideſt per carnem ſuam) & ſacerdotem magnum ſuper domum Dei, qui ſunt ipſi fideles: accedamus ad eum cum vero corde, in plenitudine fidei, aſperſis cordibus a conſcientia mala; & abluti corpore aqua munda per baptiſmum, teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem: fidelis enim qui nobis promiſit, quæ ſperamus. Et conſideremus inuicem, mutuo nos inſpectantes in prouocationem charitatis, & bonorum operum; nō deſerentes collectionem noſtram; ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam; ſed contra conſolantes mutuo nos ipſos, & eo magis, quo videmus appropinquantem diem extremum. Voluntarie enim peccantibus nobis, poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia: ſed terribilis quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio; qui conſumpturus eſt aduerſarios, Dei rebelles. Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus, aut tribus teſtibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti, in quo ſanctificatus fuerit, pollutum duxerit, & ſpiritum gratiæ iam acceptum contumelia affecerit? ſcimus enim qui nam ſit qui dixit in Deut. mihi vindictam, & ego retribuam. Et iterum apud Ezechielem: iudicabit Dominus populum ſuum: horrendum quippe eſt incidere in manus Dei viuentis. Rememoramini autem priſtinos dies, in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum; partim quidem opprobrijs, & tribulationibus ſpectaculum facti, partim etiam ſocij effecti taliter conuerſantium. Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorū veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcētes vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam. Nolite igitur amittere fiduciam veſtram, quæ magnam habet remunerationem: patientia enim vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes, reportetis repromiſſionem. Adhuc enim modicum aliquantulumque, & qui venturus eſt, veniet, & non tardabit: iuſtus autem ex fide viuit. Qui autem ſubtraxerit ſe a fide, non placebit animæ meæ, dicit Dominus per Abacuc. Nos autem non ſumus ſubtractionis filij, vt deficere velimus a fide in perditionem noſtram; ſed filij fidei ſumus in acquiſitionem animæ.

Editio vulgata.

VMBRAM enim habens lex, futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtijs quas offerunt indeſinenter, numquam poteſt accedentes perfectos facere: alioquin ceſſaſſent offerri, ideo quòd nullam haberent vltra conſcientiam peccati, cultores ſemel mundati: ſed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit, impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum, dicit: Hoſtiam, & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi: holocauſtomata, & pro peccato, non tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me: Vt faciam Deus voluntatem tuam. Superius dicens: Quia hoſtia, & oblationes, & holocauſtomata, & pro peccato noluiſti: nec placita ſunt tibi, quæ ſecundum legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam, aufert primum, vt ſequens ſtatuat. In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel. Et omnis quidem ſacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ numquam poſſunt auferre peccata: hic autem vnam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei, de cætero expectās, donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius. Vna enim oblatione, conſummauit in ſempiternum ſanctificatos. Conteſtatur autem nos, & Spiritus ſanctus. Poſtquam enim dixit. Hoc autem teſtamentum quod teſtabor ad illos poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum ſuperſcribā eas, & peccatorum, & iniquitatum eorum iam non recordabor amplius. Vbi autem horum remiſſio: iam non eſt oblatio pro peccato. Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti: quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, ideſt, carnem ſuam, & ſacerdotem magnum ſuper domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda a conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem (fidelis enim eſt, qui repromiſit,) & conſideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum: nō deſerentes collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam: ſed conſolantes, & tanto magis quanto videritis appropinquantem diem. Voluntarie enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios. Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione, duobus vel tribus teſtibus moritur: quanto magis putatis, deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim, qui dixit. Mihi vindictam. & ego retribuam. Et iterum. Quia iudicabit Dominus populum ſuum. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Rememoramini autem priſtinos dies, in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum, & in altero quidem opprobrijs, & tribulationibus

tionibus ſpectaculum facti: in altero autem ſocij taliter conuerſantium effecti. Nam, & vinctis compaſſi eſtis: & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam. Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis neceſſaria eſt: vt voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem. Adhuc enim modicum aliquantulumque qui venturus eſt, veniet, & non tardabit, iuſtus autem meus ex fide viuit, quòd ſi ſubtraxerit ſe non placebit animæ meæ. Nos autem non ſumus ſubtractionis filij in perditionem: ſed fidei in acquiſitionem animæ.

ADNOTATIONES.

A VMBRAM *enim habēt lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum.* Suppoſitum eſt antea, Chriſtum ob redemptionem mundi functum eſſe officio ſuo, dum ſemel obtulit ſe in cruce hoſtiā pro peccatis; adeo quòd non opus eſt vt amplius ſe offerat, ſicuti in lege veteri quotannis ſacerdos introibat in Sancta ſanctorum, & numquam deſiſtebat ab hoc munere. Huius diſcriminis nunc hæc cauſa aſſignatur; quòd lex erat vmbra futurorum bonorum, futuræ ſcilicet redemptionis, quæ explenda erat per ſacrificium, & oblationem Chriſti. Et propterea legis veteris ſacerdos non habebat ceſſare ab opere ſacrificandi, in ſignum hoſtiæ futuræ; donec Chriſtus adueniſſet, & morte paſſionem ſuam conſummaſſet. Hinc dicit Apoſtolus, quòd lex erat habens vmbram bonorum futurorum, non ipſam rerum imaginem, græce *εἰκόνα*, dictam. Quæ ſi accipiatur, quatenus denotat ideam, & eſſentiam rei (pro vt in epi- Coloſ. 1. ſtola ad Coloſſ.) dicitur Chriſtus imago Dei, eādem cum Deo continens eſſentiam, in qua ſignificatio- Pſal. 72. ne videtur etiam accipi in Pſal. vbi dicitur, *imaginem ipſorum ad nihilum rediges;* hac ratione videretur poſita ab Apoſtolo ad diſtinctionem vmbræ: adeo quòd, per legem, vmbra exponeretur imaginis veri ſacrificij, quod futurum erat de Chriſto. Et ideo nil mirum, ſi per legalia homines non poterāt Leuit. 5. a peccatis mundari, & ſanctificari. Nam & ſi quādoque dicitur in biblia, *orabis pro eis ſacerdos, & dimittetur eis;* attameo ſupponendum, remiſſionem peccatorum intelligi debere fiendam, quoniam in fide Chriſti venturi condonarentur peccata. Si autem bona futura, de quibus hic eſt mentio, intelligantur cœleſtia, ipſa ſcilicet fruitio beatitudinis, ex Baſil. ſententia Baſilij, & Gregorij, diſtinguetur vmbra Greg. ab imagine, & imago ab ipſis cœleſtibus bonis futuris hunc in modum: vt dicatur in lege veteri fuiſſe vmbra; & quòd in lege noua ſit imago referens veritatem rerum, non autem continens virtutem bonorum futurorum in patria. Quam quidem ex- Theodor. poſitionem ſequuti ſunt etiam Theodoretus, & Tho. Aqui. Thomas. Dicebat autem Baſilius, quòd nunc in nouo teſtamento participes ſumus Paſchæ figuratiuo modo; perfectiori autem modo poſtea fruemur in patria; & quòd legale paſcha, fuit figura figuræ. Verum aduertendum, hoc loco non eſſe mentionem niſi de Chriſti immolatione, quę perfecta eſt in nouo teſtamento, afferens efficaciter & re vera bona illa, quæ ſignificabantur in lege veteri, humani ſcilicet generis redemptionem.

B *Numquam poteſt accedentes perfectos facere.* Et quare hoc? quoniam liberari a peccatis homo nō poterat per illas hoſtias. Et huius ſignum, quòd quotannis peragebantur illa ſacrificia cum commemoratione peccatorum, & numquam deſiſtebant. Vnde annua illa repetitio ſacrificiorum pro peccatis clare oſtendit, quòd hoſtiæ illæ non erant validæ ad exhaurienda peccata; quod ſolum obtinuit Chriſti oblatio ſemel facta. Quæ ſi quotidie repetitur per ſacerdotes repetitur (vti ea quæ manet in perpetuum) in commemoratione paſsionis eius, accedentibus etiam noſtris ſupplicationibus, quo nobis eius virtus applicetur, per hanc ipſamque hoſtiam protegamur, & foueamur vſque in finem: adeo quòd ſi noua in dies fit conſecratio, non nouę hoſtiæ, ſed eiuſdem eſt conſecratio: quamuis quo ad nos eiuſdem iugi ſacrificij ſit alia, & alia commemoratio.

C *Corpus autem aptaſti mihi.* Hinc colligitur quòd dictum eſt ſupra: quòd corpus Chriſti non Hebr. 9. eſt huius creationis: ſed aptatum fuit illi a Deo longe alio modo, quàm formentur aliorum hominum corpora. Quandoquidem, virtute Dei obumbrante Virginem, Deus factus eſt homo, non ex commiſtione virilis ſeminis cum muliebri, vt reliqui generantur homines; neque ex limo terræ, vt fuit formatus primus homo Adam.

D *Holocauſtomata, & pro peccato tibi non placuerunt.* In veteri teſtamēto partim erat ſacrificium de inanimatis, veluti de pane, & dicebatur oblatio: partim de animatis; & ſi erat ad placandum Deum, holocauſtum nuncupabatur, digniſſimumque erat, vt quod totum combureretur in honorem Dei. Si autem erat pro emendatione peccati, dicebatur ſacrificium pro peccato; cuius vna pars comburebatur, alia cedebat in vſum miniſtrorum. Aut erat pro beneficijs; cuius vna pars comburebatur, alia dabatur miniſtris, tertia ipſis offerentibus, & dicebatur ſacrificium pacificorum. Sed dicet aliquis: quomodo hæc non placuerunt Deo, ſi illa ipſe præcepit & ſæpe legitur in ſcriptura, quòd ea Deus in odorē ſuauitatis adoleuerit? Dicendū ad hoc, quòd Deus, hæc noluit, neque acceptanit pro ſatisfactione peccati; vt quæ non eſſent valida ad hoc perficiendum: ac propterea pſalmographus dicit; *holocauſtomata, & pro peccato tibi non placuerunt,* Simpliciter enim hæc Deus nolebat. Vnde & in prima datione legis hæc non præcepit: ſed poſtquam fecerant ſibi vitulum, conceſsit illis animalium ſacrificia iuxta legem ſacerdotalem conficienda, ne in idololatriam procumberent. Dicit autem, *& pro peccato tibi non placuerunt,* quoniam pro emundatione carnis, pro cibis, & potibus, & quibuſdam carnahbus iuſtificationibus Deus acceptabat illa ſacrificia; non autem pro emundatione conſcientię a peccatis. Vnde Theophylactus animaduertit, idipſum, quòd Deus Theoph. voluerit, & noluerit illa ſacrificia legalia, ſimile eſſe ſententij: illis Paulinis in epiſt. ad Corint. dum di- 1. Cor. 7.

cetet:

1. Timot. 5. ceret: *volo omnes eſſe, ſicut me ipſum*, nēpe ſine vxore; & in ea ad Timot. dum inquit; *volo iuniores viduas nubere*, idque condeſcendens aliorum libidini.

Tho. Aqui. E *In capite libri ſcriptum eſt de me.* Ideſt (vt Thomas interpretatur) in libro prædeſtinationis, in quo adeſt Chriſtus, per quem ſancti prædeſtinantur. Aut
Theoph. (ſecundum Theophylactum) intelliguntur tabulæ illæ lapideæ. Vel vetus teſtamentum, cum nulla ſit ſcriptura, in qua de Chriſto non ſit facta mentio. Vel inquit, caput, intelligitur veteris teſtamenti initium, cum dictum eſt in primordio libri; *faciamus*
Gen. 1. *hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*; ibi enim ſuæ diuinitatis cognitionem aperit Deus. Aut in capite libri accipi poteſt, pro eo, quod eſt dictum in primo Pſalmo: ibi enim hæc habentur, *ſed in lege*
Pſal. 1. *Domini voluntas eius*; quam voluntatem Chriſtus fecit offerens ſe in ſacrificium. Quod & denotant verba adducta hic a Paulo; *vt faciam Deus voluntatem tuam*.

F *De cętero expectans, donec ponantur inimici eius, &c.* Hæc expectatio, & mora durabit, donec compleatur numerus electorum: ita enim Deus omnia ſuauiter diſponit, non agens quidpiam violenter: ſed permittens hominibus, vt libere agant; & hoc fit in tempore, vnde & Dei expectatio ad hunc
Theodor. modum ſuccedit in tempore. Theodoretus autem ait: *quòd tandem adorabunt eum omnes hoſtes eius, vt Deum, & dominum: In primis diabolus, & dæmonum caterua: item ex Gentibus, & Iudæis, qui fidei radium non ſuſceperunt; & cum his turba hæreticorum.*

G *Viam nouam.* S: Chriſtus nobis initiauit viam nouam ad introitum ſanctorum, perſpicuum eſt igitur, quòd prius nō patebat via ad cœleſtia. Quod etiam ſignificabatur in lege veteri per velum tabernaculi, quo prohibebantur omnes, præter ſacerdotem, ingredi in ſancta ſanctorum. Cum vero ſubiungit, *viuentem*; vult innuere, quòd Chriſtus, pro nobis factus redemptor, eſt in perpetuum viuens. Vel, quoniam per ipſum vita immortalis, & indiſ-
Theodor. ſolubilis obtinetur. Theodoretus autem aduertit, eo quòd Chriſtus primus cœlos aſcendit; ideo viam ad cœlos appellari recentem, & viuentem.

H *Per velamen.* Quid per hoc intelligat Apoſtolus, explicat, inquiens: *ideſt, per carnem ſuam*; quod
Hebr. 9. eſt idem cum eo, quod dictum eſt ſupra: quòd per amplius, & perfectius tabernaculum introiuit; vt ibi nomine, *tabernaculi*, caro explicetur corporis ſui: hic vero hoc alio nomine, *velaminis*; quo denotatur, quòd lateret diuinitas corporaliter in corpore Chriſti.

Coloſſ. 2. I *Aſperſi corda a conſciētia mala.* His verbis ſupponitur conuerſio facta ab operibus malis per pœnitentiam. Per illud vero, *& abluti corpus aqua munda*, innuitur cōſequenter ſuſceptio baptiſmi emundantis nos per regenerationem.

K *Teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem.* Confeſſio nil aliud eſt, quàm fides, quam cōfitemur: in qua ſpes radicatur, cum ſit fides ſubſtan-
Hebr. 11. tia rerum ſperandarum, vt dicitur cap. ſequenti. Hanc igitur ſpem annexam fidei, tenere oportet indeclinabilem, firmam, tanquam anchoram, cui innitamur vna cum charitate.

L *Et conſideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum.* Secundum Theophyla- Theoph.
ctum, hortatur eos, vt virtute præditos pernoſcant, vt hos imitentur, non liuore capti, ſed laudabili quadam æmulatione prouocati; vt hæc prouocatio charitatis argumentum ſit, & non inuidiæ. Vel inquit, *hortatur vnum ſentire inuicem, vt ad mutuam accendantur charitatem.* Aut poſſumus interpretari, quòd hortatur illos, vt ſint mutuo intenti ad ſalutem proximi, vt prouocentur inuicem ad charitatē habendam, & ad exercitationem bonorum operum; qua in re ita præclare iuuatur proximus, vt in nulla alia æque poſſit.

M *Voluntarie enim peccantibus nobis, poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia.* Oecumenius adnotauit, Apoſtolū vſum Oecum.
hoc participio, *peccantibus*, ad denotandum perſeuerantiam in peccatis, vt obſtinatus in malo ſignificetur cum deſertione profeſſionis fidei. Siquidem id fieri ſupponitur poſt acceptam notitiam veritatis. Huiuſmodi igitur peccatoribus obſtinatis, inquit Apoſtolus, non relinquitur amplius hoſtia pro peccatis. Nam hoſtia Chriſti (quando hi voluntarij illam deſerant) non eſt ipſis profutura: nec præter hanc, vlla alia eſſe poteſt, per quam peccata diſſoluantur. Dicit autem hoc Apoſtolus de voluntarie peccantibus: nam, qui non voluntarie peccatum faceret, pro huiuſmodi peccato, hoſtia adiuuās adeſſe poteſt. Quod vero inquit, *poſt agnitam veritatem*, id multum intereſt, ſiquidem non imputatur peccatum non agnitum. Aut cum ijs, qui veritatem nō agnouerunt, mitius agetur, ſaltem in moderatione pœnæ, vt exponit Thomas. Atque ita pro his quo- Tho. Aqui.
que hoſtia aliquo modo adiuuans aderit. Vnde Theodoretus ponderans vocem hanc, *voluntarie*, Theodor.
inquit, poſitā eſſe ab Apoſtolo, vt innueret, ea, quæ præter animi ſententiam fiunt, aliquam veniam mereri. Si quis autem peccet poſt agnitam quoque veritatem ex fragilitate, non obſtinate perſeuerans in peccando, vtique & pro huius peccatis remanet hoſtia, & hoc ſemper, dum in hac vita ſumus. Vnde (vt inquit Theodoretus) non prohibuit Apoſtolus pœnitentiam, ſed dixit, quòd non relinquitur ſecunda hoſtia, ſemel enim pro nobis immolatus eſt Chriſtus. Græca autem Scholia cum Theophylacto Gr. Scho.
interpretātur, his verbis deduci ab Apoſtolo, quòd Theoph.
non poſſit baptiſmus iterari, adeo vt ſecundum hāc interpretationem, ſit hæc eadem ſententia cum illa ſuperiori: vbi dictum eſt, *impoſſibile eſſe eos, qui pro-* Hebr. 6.
lapſi ſunt poſt baptiſmum, iterum renouari ad pœnitentiam. Verum non eadem omnino eſſe videtur ſententia. Siquidem ibi aperte ſupponitur, non poſſe baptiſmum iterari: non tamen excluditur, quin prolapſus poſt baptiſmum poſſit pœnitere; nō quidem per baptiſmi viam, ſed alia via, quæ pertinet ad pœnitentiam ſecundæ tabulæ. Hic autem eſt ſermo de obſtinate peccantibus poſt acceptam veritatem; quibus (vti apoſtatis a fide ſuſcepta, & perſeuerantibus in hac prauitate) non amplius relinquitur hoſtia, quæ illis prodeſſe poſſit; ſed ſolum pro illis relinquitur acerrimum iudicium, & acerbiſſimum

ſupplicium

ſupplicium de huiuſmodi ſumendum; vti de illis, qui Chriſti humanitati ſint aduerſati: vt patet ex verbis Apoſtoli, dum inquit. *Iam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios*. Et, pro hac expoſitione, ponderanda etiam ſunt verba, quæ paulo poſt ſubiungit Apoſtolus, inquiens: *quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit*: Quibus verbis apoſtaſia a fide Chriſti cum perſeuerantia peccandi denotatur.

N *Nam & vinctis compaſſi eſtis*. Græci legunt,
Theoph. *& vinculis meis*; & Theophylactus exponens ait: *alijs conſolationi fuiſtis, & mihi in vincula coniecto*.
Valla. *Et hinc Valla*, ſumpſit argumentũ, quòd hæc epiſtola ſit Pauli; cum præſertim in eius calce dicat, dimiſiſſe ad illos Timotheũ, vt difficulter de alio, quàm de Paulo hæc intelligi poſſint.

O *Si ſubtraxeris ſe*. Nempe a fide.

P *Non placebit animæ meæ*. Hæc verba ſupponuntur, vti pronunciata a Deo.

Q *Nos autem non ſumus ſubtractionis filij in perditionem*. Sermo eſt de ſubtractione a fide.

R *Sed fidei in acquiſitionem animæ*. Ideſt, filij fidei ſumus, vt acquiſitionem animæ obtineamus.

PARAPHRASIS. CAP. XI.

EST autem fides, de qua noſter eſt ſermo, ſubſtantia, & fundamentum rerum, quæ ſperantur; argumentum, arguens, & excitans mentem humanam ad aſcenſum rerum inuiſibilium. In hac enim hunc in modum accepta fide, ſeniores, maiores noſtri, teſtimonium probationis ſuæ conſequuti ſunt. Fide intelligimus (nulla ad hoc accedentẽ probatione) verbo Dei, qui dixit, & facta ſunt, aptata, & condita fuiſſe ſecula; dum ex non apparentibus, & nullatenus exiſtentibus, facta ſunt quæ videntur, cœlum, & terra, & reliquæ omnes partes vniuerſi. Quæ vero præclara facinora, fidei huic innixi, maiores noſtri pręſtiterunt, nunc ſubijciamus. Fide Abel, quam habuit erga Deum, obtulit copioſiorẽ, atque honoratiorem hoſtiam Deo, quàm Cain frater eius: propter quam fidem conſequutus eſt teſtimonium a Deo, quòd eſſet iuſtus, teſtimonium perhibente Deo muneribus eius, quę ſibi grata oſtendit eſſe; ad hæc, & ad ipſum Abel reſpiciens, & non ad Cain, & ad munera eius. Et propter hanc eandem fidem, quamuis mortuus Abel, adhuc tamen, tanquã viuens, loquitur, vti vir iuſtus, ac Deo gratus. Fide hac eadẽ placens Enoch Deo, translatus eſt ne videret mortẽ, & nõ inueniebatur, quoniã tranſtulit ipſum Deus. Ante tranſlationem enim teſtimoniũ habuit, placuiſſe Deo; ſicut in lib. Geneſeos dicitur, ꝙ Enoch ambulauit cũ Deo. Illud autem certum eſt, ꝙ ſine fide impoſſibile eſt placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deũ, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. Fide Noe, reſponſo accepto de his, quæ adhuc nõ videbantur, metuens Dei prędictionem circa diluuium futurum, fabricauit arcam in ſalutem domus ſuę: & per hanc fidem mũdum damnauit, vt incredulum; & iuſtitiæ, quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitutus. Abraham ipſe quoque, a Deo vocatus, fide motus, quam habebat in eum, obediuit vt exiret in locum, quem accepturus erat in hæreditatem; & exiuit, propriam ac paternam domum relinquens, neſciẽs quo iret. Fide eadem ſuſtentatus, demoratus eſt in terra promiſſionis, tanquam in aliena, habitans in tabernaculis vna cum Iſaac, & Iacob, & hæredibus promiſſionis eiuſdem. Expectabant enim non terrenam, & mutabilem, ſed fundamẽtum habentem æternitatis ciuitatem, cuius artifex, & conditor eſt Deus. Fide & ipſa Sara eius vxor, cum eſſet ſterilis, virtutem in conceptionem ſeminis accepit, &, præter ætatis curſum, peperit filium; id obtinẽs, quoniã fidelem exiſtimauit, ac credidit eum, qui hoc ſibi promiſerat. Propter quod, & ex vno Abrahæ ſemine, & hoc emortuo, & ex Sara inutili ad generationem, nati ſunt filij, tanquã ſydera cœli in multitudinem, & ſicut arena, quæ eſt ad oram maris innumerabilis. Iuxta fidem cõceptã, & numquam derelictam, ij omnes, quibus diximus repromiſſionem eſſe factã a Deo, defuncti ſunt, non accipientes repromiſſiones; ſed a lõge eas aſpiciẽtes, & ſalutãtes, & confitentes ſe peregrinos, & hoſpites eſſe ſuper terram. Qui enim hoc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere: & ſiquidẽ eius meminiſſent, de qua exierant, habebãt vtiq; tempus reuertendi ad eã: nunc autem meliorem appetunt, ideſt, cœleſtem. Ideo nõ erubeſcit illos Deus, vocari Deus eorum: parauit enim illis ciuitatem in regno cęlorum. Idem Abraham, tentatus a Deo in hac magna experientia, vt vnigenitum ſuum Iſaac offerret ſibi; ipſe quidem fide roboratus, eum offerebat, in quo promiſſiones acceperat; & ad quem dictum fuit, ac de ipſo pronunciatum a Deo, quòd in Iſaac vocabitur tibi ſemen; hoc alacriter præſtans Abrahã, illud arbitrans, & ratiocinans apud ſe, Deum eius eſſe potentiæ, vt eumdem filium a mortuis excitare poſſet, vnde & ipſum in parabolam, & in hãc ſimilitudinem accepit. Fide Iſaac benedixit, & vaticinatus eſt quę ventura eſſent filijs ſuis Iacob, & Eſau. Fide Iacob moriens, benedixit ſingulis filijs Ioſeph, & adorauit faſtigiũ virgæ ipſius; præuidens regnum ab ipſa tribu Ephraim, & Manaſſe filijs Ioſeph obtinẽdum, ipſis decem alijs Tribus ſubiectis, & ſeruiẽtibus. Fide Ioſeph moriens, de profectione filiorum Iſrael de Aegipto memoratus eſt, atq; de oſſibus ſuis tranſportandis mandauit, vti & expletum eſt. Fide Moyſes, cum natus eſt, occultatus eſt menſibus tribus a parentibus ſuis, inde ad hoc motis, quòd vidiſſent elegantẽ infantẽ; & hinc arguerent, & crederent, a Deo ſeruandũ, vti & ſeruatus eſt: & non timuerunt regis edictum de infantulis Iudæorum exponendis. Fide Moyſes, grandis factus, negauit ſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens vna cum populo Dei affligi, quàm tẽporarijs peccati cõmodis frui, maiores diuitias ęſtimãs, theſauro Aegyptiorũ, ipſũ improperiũ Chriſti; aſpiciebat enim in futuram ſibi a Deo remunerationem. Fide reliquit Aegyptum, regis nõ

veritus minas, & iracundiam. Perinde enim ac ſi vidiſſet Deum, qui eſt inuiſibilis, ſuſtinuit, atque reſtitit, regis non veritus animoſitatem. Fide celebrauit Paſcha, & ſanguinis effuſionem, ne qui vaſtabat primogenitos, tangeret eos. Fide tranſierunt mare rubrum veluti per ſiccam terram; quod cum etiam Aegiptij tentaſſent, a maris aqua ſunt abſorpti. Fide muri Hierico corruerunt, circundati diebus ſeptem. Fide, Roab meretrix, quam exploratoribus pręſtitit, non perijt vna cum incredulis, excipiens exploratores Hebręorum cum pace, illoſque fideliter abſcondens. Et quid adhuc dicam? deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeone, Baruch, & Sanſon, & Hiephthę, Dauid, Samuel, & Prophetis. Qui quidem per fidem vicerunt regna, vt Ioſue, & Dauid: operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt promiſſiones rerum, quas Deus illis pollicitus erat, vt Dauid regnum Hebręorum: occluſerunt ora leonum, vt Daniel: extinxerunt impetum ignis, vt tres pueri poſiti in fornace: effugauerunt acies gladij, quemadmodum Elias, & Dauid: & conualuerunt ex infirmitate, vt Iob & Ezecchias; fortes facti ſunt in bello: caſtra exterorum inclinauerunt, ac euerterunt, vt Ioſue, Iudices, Dauid, & Machabæi: acceperunt mulieres, ex reſurrectione ad vitam excitatos, mortuos ſuos; ſicuti per Eliam Sarephtana filium ſuum, & per Eliſeum Sunnamitis, filium itidem ſuum. Alij autem, inſtar tympani, diſtenti (veluti Ieremias) cęſi ſunt, non ſuſcipientes redemptionem, ipſam ſcilicet a ſupplitijs liberationem, vt meliorem reſurrectionem conſequerentur ad vitam ęternam. Alij vero ludibria, vt Eliſeus, & verbera experti ſunt; inſuper, & vincula, & carceres, vt Ieremias, & Micheas: Lapidati ſunt, vt Naboth, & Stephanus: Diſſecti ſunt, vt Eſaias, quem ſerra lignea ſecuerunt: Tentati ſunt, vt Iob: occiſione gladij occubuerunt, vt Michęas, & Zaccharias: circuierunt, ſicut Elias, & Eliſeus, in ouilis, & caprinis pellibus, egentes victu, & amictu, anguſtiati, afflicti malis: viri electi, quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, vt Elias, in montibus, & ſpeluncis, & cauernis terrę. Atque hi omnes, ob eorum fidem, teſtimonio Dei approbati, repromiſſionem tamen non acceperunt: Deo ita pro nobis quid melius prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur, gloriam completam conſequentes: vt pote, quoniam omnium ſanctorum omnimoda gloria ſimul ab omnibus obtenta, omnium, ac ſingulorum gaudium ſit longe maius reddıtura.

Editio vulgata.

EST autem fides, ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. In hac enim teſtimonium conſecuti ſunt ſenes. Fide, intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei: vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent. Fide plurimam hoſtiam Abel quàm Cain, obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe iuſtus, teſtimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam per defunctus adhuc loquitur. Fide Henoch tranſlatus eſt, ne videret mortem & non inueniebatur: quia tranſtulit illum Deus, ante tranſlationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo. Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. Fide Noe reſponſo accepto de ijs quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam damnauit mundum, & iuſtitiæ quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitutus. Fide, qui vocatur Abraham obediuit in locum exire quem accepturus erat in hæreditatem, & exijt neſciens quo iret. Fide, demoratus eſt in terra repromiſſionis, tanquam in aliena, in caſulis habitando, cum Iſaac, & Iacob cohæredibus repromiſſionis eiuſdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem: cuius artifex, & conditor Deus. Fide, & ipſa Sara ſterilis virtutem in conceptione ſeminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit eſſe eum qui repromiſerat: Propter quod & ab vno orti ſunt (& hoc emortuo) tanquam ſydera cęli in multitudine, & ſicut arena quæ eſt ad oram maris innumerabilis. Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed a longe eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram, qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere. Et ſiquidem ipſius meminiſſent de qua exierunt: habebant vtique tempus reuertendi, nunc autem meliorem appetunt, ideſt cęleſtem. Ideo nō confunditur Deus vocari Deus eorum, parauit enim illis ciuitatem. Fide obtulit Abraham Iſaac, cum tentaretur, & vnigenitū offerebat qui ſuſceperat repromiſſiones: (ad quem dictū eſt: Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen,) arbitrans quia & a mortuis ſuſcitare potens eſt Deus: vnde eum & in parabola accepit. Fide, & de futuris, benedixit Iſaac, Iacob & Eſau. Fide, Iacob moriens, ſingulos filiorum Ioſeph benedixit, & adorauit faſtigiū virgę eius. Fide, Ioſeph moriens de profectione filiorum Iſrael memoratus eſt, & de oſſibus ſuis mandauit. Fide, Moyſes natus occultatus eſt menſibus tribus a parentibus ſuis: eo quòd vidiſſent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum. Fide, Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem: maiores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorum, improperium Chriſti, aſpiciebat enim in remunerationem. Fide, reliquit Aegyptum: non veritus animoſitatem regis, inuiſibilem enim tanquā videns ſuſtinuit. Fide, celebrauit paſcha, & ſanguinis effuſionem: ne qui vaſtabat primitiua, tangeret eos. Fide, tranſierunt mare rubrum tāquam per aridā terram: quod experti Aegyptij, deuorati ſunt. Fide, muri Iericho corruerunt, circuitu dierum ſeptem. Fide Rahab meretrix non perijt cum incredulis, excipiēs exploratores cū pace. Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Iephte, Dauid, Samuel, et prophetis: qui per fidem deuicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciē gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum: acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos: alij autem diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent reſurrectionem. Alij vero ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres,

lapidati

lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cauernis terræ. Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem. Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur.

ADNOTATIONES.

A EST *autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum.* Hortabatur Apoſtolus in in præcedenti cap. Hebræos, ne amitterent confidentiam, quæ pendet ex fide, per quam magna acquiritur, & expectatur remuneratio rerum, quæ futuræ ſunt, neque præ manibus habentur, aut videntur, ſed ſperantur. Hinc, vt illos magis confirmet in ſuſcepta fide, neque deficiant animo, aut a ſpe cadant; manifeſtat fidei conditionem; ſimulque catalogum inducens ſanctorum patrum, docet, quomodo hi omnes, ob fidem quam deſcribit, & præclara opera fecerunt, & probationem apud Deum ſunt conſequuti, ſpem habentes in remuneratione bonorum futurorum. Inquit igitur, quòd *fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum.* Vbi aduertendum, græce pro hac voce, *ſubſtantia*, haberi ὑπόστασις, qua voce vſus eſt etiam Apoſtolus ſupra bis in hac eadem epiſto-

Hebr. 3. la, in cap. 3. dum habens ſermonem de fide diceret, *participes enim Chriſti effecti ſumus, ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmũ retineamus.* Et in cap. 1. loquens de filio Dei. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.* Vbi ex ſententia Baſilij animaduertimus, hanc vocem ὑπόστασις, accipi pro natura, & pro re indiuidua ſubſiſtente: vt hinc efficaciter inſinuetur determinata rerum exiſtentia. Ac propterea, cum dicitur hoc loco, quòd fides eſt ὑπόστασις, ideſt ſubſtantia, ſeu ſubſiſtentia rerum ſperandarum, clare ſignificatur, quòd fides eſt fundamentum, in quo ſubſtitit, & fundatur ſpes rerum expectatarum; nec non homo, huiuſmodi imbutus

Abac. 2. fide. Siquidem viuit ex fide Iuſtus, vt ait Abacuc.

Gr. Scho. Vnde & Græca Scholia inquiunt: *quoniam quæ ſpei ſubſiſtunt, ſentiri nequeunt, vt quæ interim præſentia non ſint, fides eſſentia quædam ipſorum eſt, & ſubſtantia, efficiens vt ſint, & quodam modo præſentia fiant, eo quòd credat ea eſſe.* Et hæc quoque conſen-

Rom. 8. tanea ſunt ijs, quæ ſcripſit Apoſt. ad Rom. cum ait. *Spe enim ſalui facti ſumus, ſpes autem quæ videtur, non eſt ſpes; nam quod videt quis, quid ſperat?* Videtur autem hæc explicatio fidei, quòd ſit *ſubſtantia rerum ſperandarum*, attingere (vt dicunt Scholæ logicorum) definitionem eius materialem, quatenus res ſperatæ ſubſiſtunt in fide, tanquam in ſubiecto; quemadmodũ, & accenſio ſanguinis circa cor ſubſiſtit: quod pertinet ad definitionem materialem iræ.

B *Argumentum non apparentium.* Qui ita interpretantur, per fidem exhiberi inuiſibilia, vt viſibilia, & oculis mentis clariſſima apparere; &, ob id; ſidem argumentum eſſe dicant, & quandam veluti demonſtrationem; hanc magnam patiuntur difficultatẽ; quòd docere habent, quo nã modo oculis mentis appareant ea, quæ ſunt inuiſibilia. Nam ſi apparent, oportet vt ſub aliquo obiecti ſpectro appareant; alioquin non apparerent. Quòd ſi ita apparent, fit ergo, vt inuiſibilia, non ſint amplius inuiſibilia, ſed viſibilia. Idcirco aduertendum, dictionem hanc, *Argumentum*, Græce haberi, ἔλεγχος, quę etiã interpretatur redargutio, & conuictio, vt adnotauit hoc loco Thomas, & patet ex Auguſtino in Enchir. vbi dicit, quòd *fides eſt conuictio rerum, quæ non videntur.* Et Thomas perpendens ethimologiã huius vocis *argumentum*; inquit, *argumentum, quaſi arguens mentem.* Vnde dicimus his verbis definitionem fidei contineri ſecundum eius cauſam efficientem; nempe quòd fides excitetur ex redargutione, ſeu conuictione mentis, quod fit ex quibuſdam impulſibus vim rationabilem habentibus ad perſuadendum, vt credantur ea, quę non apparent. Vnde idem Thomas, expendens factum, de quo eſt mentio in hoc cap. de Moyſe, dicit, quòd fuit ſaluatus a parentibus contra regis mandatum, quoniam ex quibuſdam ſignis puer apparebat mirabilis, vt foret præſeruandus, etiam quòd ipſum in fiſcella poſitum fluminis periculo commiſiſſent. Dicitur autem fides elenchus, ſeu redargutio non apparentium, ſeu inuiſibilium, ad ſignificandum, quòd ea quæ creduntur, non percipiuntur ſenſu. Et quoniam ſenſus viſus maxime facit nos cognoſcere, vt qui plurimas rerum differentias nobis ſubminiſtret (vt tradit Ariſt. in proęmio ſuæ primæ philoſophiæ) primaſque cognitiones aſpectus inuexit humano generi, ex quibus deinde paulatim ſcientiæ ſunt conſtitutæ, quas ſenſu auditus plurimi didicerunt, & in dies diſcunt: idcirco inuiſibilia, accipienda ſunt, pro eo, quod eſt dicere, inſenſibilia, vt quæ ſenſu (a quo ortum habet omnis noſtra cognitio) percipi non poſſint, & conſequenter nulla ratione probari. Veluti, quid ſit Deus; quòd ſit vnus, & trinus; quòd mundum ex nihilo creauit; quòd Verbum caro ſit factum; & quòd Chriſtus ſie natus ex Virgine; & alia fidei dogmata. Quòd autẽ redargutio, ſeu prędicta conuictio requiratur ad fidẽ ſuſcipiendam, ex certis euidentibus ſignis cauſata, aptis, & idoneis ad mouendam mẽtem ad credendũ inuiſibilia, & minime apparentia; innumeræ prope auctoritates, quibus ſcatet ſacra ſcriptura, adduci poſſent: quibus, ob mira opera, quę Deus ante Chriſti aduentũ, deinde vero & Chriſtus prę-ſtitit, excitatos homines fuiſſe ad credendũ Deo, & in Deum, aperte ſignificatur. Verum nobis ſat erunt nonnullę quas ex Euang. Ioan. deſumemus. Nam Ioan. 1.

cap. 1. quoniam Ieſus dixerat ipſi Nathanael; *priuſquàm te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te*: Ideo hinc incitatus Nathanael reſpondit: *Rabbi tu es filius Dei, tu es rex Iſrael: reſpondit Ieſus, & dixit ei, quia dixi tibi: vidi te ſub ficu, credis.* Ex quibus verbis apparet, ex mira illa illuſtratione diuina (qua Chriſtus abſens corpore viderat Nathanael, vbi eſſet, cum non niſi a Deo poſſit id eſſe, cui omnia patent abſcondita) idcirco Nathanael redargutione quadam inductum fuiſſe ad credendum, quòd Chriſtus eſſet filius

Tho. Aqui. — Auguſt. Enchi. c. 8. — Tho. Aqui.

Dei. Item apud eumdem, ex eo quòd, in nuptijs factis in Cana Galileæ, Chriſtus aquam conuertit in Ioan. 2. vinum, ſubiunxit Euãgeliſta: *hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galileæ, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius*. Rurſus loquens diſcipulis Ieſus de morte Lazari, ad quem excitandum iam quatriduanum acceſſit, vt, ex hoc mirabili opere reſurrectionis Lazari, excitarentur quàm maxime diſcipuli eius ad credẽdum in eum, Ioan. 11. dixit eis. *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi*; quaſi hinc maximam menti eorum redargutionem iniuncturus, ad fidem in ipſum ſuſcipiendam. Et poſtquam Lazarum ſuſcitauit a mortuis, ſubiunxit Euãgeliſta, *multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martam, & viderunt, quæ fecit Ieſus, crediderunt in eum*. Ex quibus omnibus apparet, veriſſimam eſſe hanc ſuppoſitionem, quòd fides eſt redargutio, qua mẽs (niſi pertinax fuerit) coarguitur, atque conuincitur ad credenda, quæ ex Euangelio credenda proponuntur, licet non ſint apparentia; vt dicendum ſit, mentem humanam ex operibus miris, ſeu fabricæ huius vniuerſi, ſeu aliarum rerum præter cõſuetum ordinẽ operatarum (quæ miracula appellãtur, & cadũt ſub oculis) vel alia quauis impulſione, aut diuina reuelatione, ad alia, quę nõ apparent, credẽda induci, atque incitari: ita quidem, vt qui fidem ijs non Act. 1. præſtet, tanquam infidelis ſit redarguendus. Hinc in Actis Apoſt. legitur, quòd Chriſtus præbuit ſe ipſum viuum diſcipulis in multis argumentis, per quadraginta dies apparens eis; vt hinc reſurrectionem corporis ſui non amplius morituri, & vitam in æternum immortalẽ ſe adeptum (quod oculis perſpici non poteſt) in eorum animis vehementius infigeret. Hinc quoque eiſdem Apoſtolis, pro Euangelio publicando, adhoc, vt, qui ex hominibus illud audirent, excitarentur ad credenda, quæ non conſpicerent; dedit Deus poteſtatem ſigna, & prodigia operandi, vt ex ijs ipſis mens cuiuſque conuinceretur ad aſſentiendum prædicationi Apoſtolorum. Hebr. 2. Quod etiam ſuperius explicauit Apoſtolus, dum dixit. *Cum initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis, & portentis, & varijs virtutibus, & ſpiritus ſancti diſtributionibus*. In hanc quoque ſentẽtiam Auguſt. in euang. Ioã. trac. 111. & tract. 121. conſentiunt, quæ ſcripſit Auguſtinus in Tractat. Euangel. ſecundum Ioannem; vbi dicit: quòd *fides eſt conuictio rerum, quæ non videntur*. Et loquens de Beato Thoma, de quo dicitur, quòd aliud vidit, aliud credidit, inquit: *credidit mente, quod non videbat per hoc, quod corporis ſenſibus apparebat*. Et loquens, de fide, quæ in nobis ædificatur, inquit, *quòd ex rebus, quæ videntur, agitur in nobis, vt ea credãtur, quæ non videntur*. Verum ſupponendum eſt, quòd in fide concurrit aſſenſus noſtri intellectus. Et ideo fides in genere, erit aſſenſus quidam intellectus: qui aſſenſus poteſt etiam conuenire notitiæ principiorum, quæ ingrediuntur demonſtrationem, vt docet Ariſt. in libris Analyticis: vbi dicitur; quòd magis credimus principia, quàm concluſioni, quæ ex illis demonſtratur; creditur autem & concluſio ob demonſtrationem; ſed horum omnium cognitio, atque perſuaſio, vt credantur, ex his, quæ cadunt ſunt ſenſu, deprehenditur. Vnde fides, de qua hic agitur, non eſt vt fides ſcientiæ, quæ per demonſtrationem accipitur: non vt illa, quę pertinet ad aſſenſum intellectus circa principia, quę in ſcientijs adhibentur, & ſenſu per inductionem manifeſtantur: ſed eſt hęc fides, aſſenſus circa inuiſibilia, quæ ſenſu non percipiuntur, atque ideo, antonomaſtice, per excellentiam, huiuſmodi aſſenſus, fides appellatur; tum propter excellentiam credendorum, quæ in Chriſti fide ſunt reuelata; tum, quoniam aſſenſus iſte præſtatur circa inuiſibilia, nulla accedente probatione ſenſibili circa ea, quæ creduntur: licet (vt dictum eſt antea) mens ex quibuſdam ſtimulis excitetur ad ea credenda, quæ in ęnigmate, ſub quadam ſpecie rerum, quę nobis ſunt notæ, explicantur, & proprie qualia ſint a nobis non comprehenduntur. Verum, vt firmus aſſenſus præſtetur a nobis circa inuiſibilia, oportet vt Dei concurrat benignitas, quæ ſemper pręſto eſt non ponentibus obicem. Nam fides eſt donum Dei, vt dicitur in epiſt. ad Epheſ. Vnde Eph. 2. niſi Deus (vt ibi diſcurrit Theophylactus) nobis Theoph. ſubminiſtraſſet, quę eſſent credenda, atque niſi ſtimulos addidiſſet, inuiſibilium fidem nũquam obtinere potuiſſemus. Etenim Deus ſuo diuino lumine colluſtrat, & roborat mẽtem hominum, qui eius vocationibus, & illuminationibus adhęrent: vt ita fides in ipſis firma infundatur, atque vegetior in dies reddatur; ita tamen, vt ſemper liberum nobis relinquat Deus noſtrę voluntatis aſſenſum. Vnde etiam, qui non adhęrent Deo, eius vocationibus, & illuſtrationibus non obedientes, infideles dicuntur; & reprobi, ipſorum culpa, fiunt apud Deum.

Num autẽ volũtas ſit ea, quę moueat ĩtellectũ ad aſſentiendum articulis fidei, an abſque cõcurſu voluntatis, intellectus ex quibuſdam euidentibus ſignis excitatus, ex ſe ipſo huiuſmodi poſſit ſuſcipere fidem: proculdubio ſtatuendum eſt; quòd, quamquam fides ſit in intellectu ſpeculatiuo, tanquam in ſubiecto, vt docet S. Thomas in ſumma ſacrę theo- Tho. Aqui. logię; attamen, cum articuli fidei ſint de rebus non 2. 2. q. 4 ar. apparentibus, quarum nullum experimentum ab 2. humano accipi poteſt ingenio, eo quòd lumini nõ ſubdantur naturali: idcirco diuino quodã egemus auxilio, quo & mens noſtra illuſtretur, & ſimul voluntas excitetur ad aſſentiendum ijs, quę nõ apparent: vt hinc deinde, impellente voluntate, intellectus captiuetur ad huiuſmodi fidem ſuſcipiendam. Et hunc in modum ſemper eſt verum, quod protulit B. Auguſtinus, quòd nemo credit niſi volens: Auguſt. in Ioan. tract. 26. quum tamen rerum, quarũ ſumi poteſt experimentum, intellectus, lumine ſuo naturali, fidem, ſeu aſſenſum ſuſcipere poſſit etiam ſeorſum a motu voluntatis; quoniam ex ipſis met rebus certiſſimam colligat demonſtrationem: vnde conuincitur, ijs, quę demõſtratur, ſuum prębere conſenſum. Verum nõ ignorandũ eſt, fidem nõ apparentiũ, in mentibus humanis diuino (vt dictum eſt) infuſam auxilio, poſſe tum informem, tum formatam inueniri, nempe cum charitate coniunctam. Siquidem & dæmones (vt ait B. Iacobus) credunt, & contremiſcunt, qui Iac. 2. tamen nũquam bona erga Deum voluntate feruntur,

tur, quinimmo immenſo odio ipſum proſequuntur. Quòd ſi homo, ſpeciali diuino ſuffultus auxilio, ita credit in Deum (quem & remuneratorem, & ſummum bonum, ſummeque diligendum apprehendit) vt, in ipſum ita cognitum, cum omni obſequio atque cultu feratur; vtique oportet, vt, in hoc opere complendo, actus præcipuus concurrat voluntatis, quæ ab obiecto diuino permota, hinc hominem inducat ad Deũ ſuper omnia appetendum intimo affectu atque dilectione; vt ita generoſa, atque fructuoſa exurgat fides; completa, & (vt dicunt Theologi) formata; vt quæ charitatis inſigni dono ſit aſſociata. Et huic quidem fidei diſtinctioni cõ-
Tho. Aqui. ſentit doctrina Angelici Doctoris in expoſitione
13. cap. poſterioris Epiſtolę ad Corin. vbi ait, fidem
conſiderari poſſe, tum ſecundum intellectum, tum
ſecundum affectum: ibique ſtatuit, haberi poſſe fidẽ
Tho. Aqui. (licet informem) ſecundum intellectum; dum ſcimus nos tenere fidem, quã Eccleſia Catholica docet, & tenet; vt ita ſeorſum ab effectu, qui pendet a voluntate, poſſit eſſe fides, non tamen formata, quę fundatur in charitate cum volũtatis aſſenſu. Sed & non ignorandum eſt, prædicto aſſenſui fidei nonnullos præclariſſimis ſtimulis laceſſitos non adhæ-
Matt. 11. rere, vt cõtigit Capharnaitis; qui, & ſi plurima mira
Luc. 10. opera apud eos Chriſtus effeciſſet, attamen increduli permanſerunt: quoſdam vero & leuioribus ſtimulis excitatos, fidem valẽtem, atque generoſam ſuſcipere: id quidem, quoniam illi perperam ſint diſpoſiti, & illaqueati affectibus voluptatum, inui-
Ioan. 5. dia, atque ſuperbia vitæ: (vnde Chriſtus dicebat Iudæis, quòd nõ poterant credere, quoniam gloriam propriam quærebant.) Hi vero alij ratione bene vtentes, & Dei imperio ſe ſubmittentes, ex dono gratię Dei, fidẽ infuſam generoſo corde ſuſcipiunt, & in ea maxime roborantur a diuino ſpiritu commoti. Neminem autem (ſupponendum eſt) fidem, de qua eſt ſermo, ſuſcepiſſe, qui, ad eam amplexandam, aliqua perſuaſione, ſeu ſtimulo non ſit perductus, Dei gratia pręueniente: ſiue per externa ſigna, ſiue per internas inſpirationes, quibus ad cor hominũ loquatur Deus. Sed & illud dici poteſt, eos, qui poſt Chriſti conſummatam paſſionem, & poſt publicatum plene Euangelium aduenere, magis, quàm priores, excitari potuiſſe ad fidem ſuſcipiendam; vtpote illi, quibus, præter mundi fabricam, innotuerint plurima ex Chriſti, & Apoſtolorũ prędicatione: & præſertim ex ſignis, atq; portẽtis, quæ ad prædicationẽ confirmandam ſubſequebãtur. Et hæc quidem in initio naſcentis Eccleſiæ maxime viguerunt, vti & neceſſaria erant ob rerum nouarũ prædicationem; cum præſertim Gentes, quæ longe aberant a vera Dei cognitione, ad fidem eſſent euocandæ. Mox vero, ab eiuſmodi miraculis præſtãdis, ſuſtinuit ſe Deus: aut longe rarius ea præſtitit poſt confirmatum Euangelium. Et horum loco ſucceſſit conſuetudo inueteratæ religionis Chriſtianæ per manus parentum ad filios propagatæ; quam pueri, quaſi lac ſuſcipiunt. Sed & nunc maximi momenti eſſe debent, ad vnumquemque rationabilis ingenij; hominem ſtabiliendum in fide nec non & ad eam ſuſcipiendam prouocandum, teſtimonia ſacrę ſcripturæ veteris cum noua in eandem fidem mirũ in modum conſpirantia: ac tam late Chriſti crucifixi propagata religio per vniuerſum orbem; & innumerabilium prope hominum cuiuſq; ætatis, ſexus, & gradus martyrio proprij ſanguinis confirmata; & vndequaque rectę rationi circa vitę inſtitutum mirifice conueniens, atq; conſentiens lex ipſa euãgelica. Quæ omnia & ſi pueri, ruſtici, & idiotæ ita diſtincte cognita non habeant; adeo quòd (quo ad hoc) horum fides ſit infirma; attamen in fide maiorum perficitur, in qua & ipſi innituntur: vt hunc in modum, confuſe, & implicite habeant hęc omnia; dum in his quieſcunt, quę audiunt docere, & pręcipere Eccleſiam, Vnde dicendum, hos omnes, auctoritate regentium eccleſiam, & exemplo obſeruatę cum deuotione religionis excitatos, confirmari in fide, Deo illis ſpeciali gratia influente; dum ad inſtar legis euangelicę bene viuere ſtudẽt, & humiliter precibus ſe ſe Deo commendant: quibus etiã, hac cum ſimplicitate fidem valentem ſuſcipiẽtibus, maximam remunerationem obuenturam dicendũ eſt: iuxta illud Domini ad Thomam. *Beati qui non*
viderunt & crediderunt. Et enim fit ſępenumero, vt Ioan. 20.
in huiuſmodi humilibus, & ſimplicibus hominibus, & mulieribus, donum fidei maxime vigeat ob eximiam charitatem, qua Chriſtum proſequuntur, & eius præceptis obtemperare ſtudent, Itaque colligentes hęc omnia, pro expleta fidei definitione, dicere poſſumus, quòd fides, eſt liber aſſenſus ſperanda ſuſtentans, & admittens non apparentia, factus in mẽte ex quibuſdã euidẽtijs, quibus niſi adhęreat, redarguitur, ſeu conuincitur vt praua, atque rebellis. Eſtque virtus theologica, ſi cũ charitate ſit coniuncta, diuina quidem virtus, a Deo in cor hominis dimiſſa, cuius & intellectus, & affectus perficitur, & per ipſam perducitur ad regnum cęlorum.

C *In hac enim teſtimonium conſequuti ſunt ſenes.* Ideſt, antiqui noſtri maiores (qui ante legem, & in lege inſignes fuerunt ſancti) approbati ſunt a Deo, vt qui ſpe ſuſtentati per fidem, per eandem inuiſibilia crediderint, & perfecerint quę grata ſunt Deo. Cum autem Apoſtolus catalogum perſequatur inſigniorum, & illuſtrium patrum, non circa omnes percurrit (licet de aliquibus id prędſtet) quo nã modo ad fidẽ fuerint excitati: ſed commemorat quidẽ, qualia peregerint facinora, in fide magna fundati &
roboratí, ſecundum illud euãgelicum. *Si habueritis* Matt. 13.
fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.

D *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent.* Hic eſt primus, & maximus fidei noſtrę articulus, quo omnipotentia, & ſapientia, Deique bonitas manifeſtatur; quòd ex nihilo facta ſint ſecula, quibus omnia continentur. Siquidẽ (vt explicatũ eſt ſupra in cap. 1. Adnot. G) ſecula ortum habent ex motu qui neceſſario ſupponit ea, quę mouentur. Ac, ſapientiſſimo quidem cõſilio, hoc opus Dei ante omnia propoſuit Apoſtolus; quemadmodum etiam in ſimbolo primum locum tenet. Dum autem dicitur, *fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent*, hinc denotatur, quòd id non

fuit acceptum a ſenſu. Non enim (vt inquit Theodoretus) corporis oculus vidit Deum vniuerſum fabricantem; ſed tantummodo fide per reuelationem intelligitur a mente. Illud vero *ex inuiſibilibus*; v, *inuiſibilia fierent*. Nonnulli intellexerunt, quòd, ex materia prima, & chaos inuiſibili, ſint facta hæc quæ digeſta in mundo cernuntur. Vnde dicitur in
Sapient. 11. libro Sapient. *quæ creauit orbem terrarum ex mate-*
Eccleſ. 18. *ria inuiſa*. & in Eccleſ. *qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul*; quibus verbis innuitur id egiſſe Deum, cum creauit præiacentem materiam informem, & chaos. Alij interpretati ſunt, quòd ex inuiſibilibus, nempe ex ideis, quæ in mente Dei ſunt æternæ, hæc inuiſibilia facta ſunt: & hæc verbo
Pſal. 32. Dei: *quoniam dixit, & facta ſunt*. Aliqui alij ſumentes hoc, *verbo Dei*, in dandi caſu, ita interpretantur: quòd ſecula ſunt aptata verbo Dei, per quod omnia facta ſunt; vt iuxta verbum, & conceptum Dei facta ſint hæc viſibilia. Forte clarius dicere poſſemus, quòd verbo Dei, ideſt, iuxta eius potentiam, voluntatem, miſſionem atque conceptum, ea quæ non apparebant (vt quæ nullo pacto extra Deum erant) apparuerint, & facta ſint omnia ex nihilo; & ſimul & Chaos, & materia prima ſit creata. Modus autem huius admirabilis fabricationis haud comprehendi poteſt, niſi per fidem: quatenus rem inuiſibilem credimus; & ſupponimus mundum hunc non ſemper extitiſſe; ſed extra Deum eſſe cœpiſſe. Ad quod credendum ex mirabili hac fabrica, quam conſpicimus, incitamur: dum cœlum, & terra, & quæ in ipſis continentur, ducunt nos ad credendum æternam Dei potentiam nulla virtute finitam, & ſuper omnia exiſtentem, vt nihil (niſi hac ſuppoſita diuinitate) poſſit eſſe; & quòd caſu hæc non potuerunt eſſe facta; neque ex ſe ipſis. Neque vero conuenit penſare in creando mundo ſimilem in creatore extitiſſe modum, quo hæc viſibilia, & caduca in continua generatione atque corruptione verſantur: dum ſcilicet vnius rei ſubſtantia, vnam relinquens formam, in nouæ rei ſpeciem permutatur. Etenim creationis nullum con-
Theodor. ſimile exemplum habemus, vt inquit Theodoretus. Verum, qui Dei omnipotentiam perpenderit circa tam mirabilem fabricam vniuerſi, idem induci debet ad credendum, Deum hanc ipſam fabricam ex nihilo conſtruxiſſe. Accedit, quòd in biblia ita de-
Gene. 1. ſcriptum accepimus, quòd Deus in principio creauit cœlum, & terram: in qua biblia cum innumera ſcripta ſint alta Dei facinora, quæ excedunt rerum ordinem naturalem, & hæc ex cõtinuata ſerie temporum vera eſſe receperimus; hinc iure excitari debemus ad præſtandam quoque fidem ijs, quæ in exordio bibliæ deſcribuntur de mundi creatione.
Chryſoſt. hom. 22. Et (vt inquit hoc loco Chryſoſtomus) eſt magis beſitabile, ꝙ Deus ſit ingenitus, & ſine initio; quàm quòd ex nihilo fecerit omnia: iam enim hic aliquid ſupponitur faciens, & quòd factum initium habeat: at ibi Deus ſine initio ſupponitur a philoſophis, res magis dubitabilis.

E *Plurimam hoſtiam*. Ideſt, honoratiorem, vt ex-
Theodor. plicat Theodoretus: græce legitur πλείονα, ideſt, copioſiorem; vt voluerit innuere Apoſtolus, quòd Abel, largior, & liberalior, quàm Cain fuerit in offerendo ſua munera Deo. Aut dicendum, quòd maiori obſequio, & animi deuotione ea obtulerit.

F *Per quam teſtimonium eſt conſequutus eſſe iu-*
ſtus. Chryſoſtomus, quem ſequitur Theophylactus, Chryſoſt. hom. 22.
interpretatur illud, *per quam*, ideſt, per quam fidem Theoph.
Abel conſequutus eſt teſtimonium a Deo, quòd eſſet iuſtus; ſicuti propter hanc fidem mortuus eſt. Teſtimonium autem a Deo apparuit per ignem dimiſſum, qui deuorauit, vt grata Deo, ipſius Abel Gen. 4.
munera. Sunt etiam qui interpretantur illud, *per quam*, ideſt, per quam hoſtiam conſequutus eſt teſtimonium, quòd eſſet iuſtus, cum pro hac hoſtia mortuus ſit, & adhuc propter eam fama eius viuat, licet ſit mortuus.

G *Et per illam defunctus, adhuc loquitur*. Ideſt, adhuc ipſius mortui gloria permanet numquam intermoritura; cum in ore ſit omnium, quòd Abel fuerit vir iuſtus. Vel (quod etiam magis præcipuum
eſt) teſtimonio Domini id ſit comprobatum, dicen- Matt. 23.
tis in Euangelio, *vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram a ſanguine Abel iuſti*. Aut, *loquitur adhuc*. Quoniam (vt dicitur in
lib. Geneſ. vox *ſanguinis fratris tui clamat ad me* Gen. 4.
de terra: iuxta illud in Apoc. quòd ſanguis ſancto- Apoca. 6.
rum, qui effuſus eſt, clamat ad Deum vindictam, vnde & infra dicitur: *& ſanguinis aſperſionem me-*
lius loquentem, quàm Abel. Poſſunt autem verba Hebr. 12.
hæc; *& per illam defunctus adhuc loquitur*: ita conſtrui, vt ſubintelligatur; quòd, licet Abel ſit mortuus, attamen per fidem, quam habuit, adhuc loquitur apud Deum; quoniam ſcilicet, vt approbatus a Deo, ita permanet loquens, tanquam viuus ac celebris, vt pius, & gratus Deo.

H *Enoch translatus eſt, ne videret mortem*. Fit mentio de Enoch, qui fuit ante legem, & de Aelia, qui fuit in lege, ꝙ tranſlati fuerunt non morientes: vt hinc denotetur, & ante legem, & in lege, & poſt legem multo magis, ſpem æternæ vitæ diuinitus eſſe ſignificatam.

I *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. Ex his inſinuatur; a fide, initium eſſe accedendi ad Deum: & quòd, per acceſſum requirendi Deum, diligendo eum vt omnipotentem, & ſumme bonum, ſupponitur, ipſum remuneratorem eſſe credentibus, & confidentibus in eum. Quòd autem Deus ſit remu-
nerator, habetur in lib. Geneſ. vbi dicit Deus Abra- Gen. 15.
hæ, *ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*. Sed, qui Deum rerum omnium conditorem credit, & ipſum quoque remuneratorem, & benefactorem ſupponet, atque reuerebitur. Quod &
Themiſtius in lib. 2. poſt Analyt. aſſeruit, inquiens: Themiſt.
Deum eſſe æternum animal, & hominum benefactiuum. Et id quidem omnibus hominibus inſitum a natura videtur, his quoque, qui verum Deum non coluerunt, vt a Deo, vel a dijs, quos eſſe opinati ſunt, expectare beneficia conſueuerint, & ipſorum auxilium implorare. Sed id multo magis conuenit ijs, qui Deum verum colunt, & ei fide in charitate fundata adhærent. Vt autem alibi (ſed
præcipue in epiſ. ad Rom.) explicauimus, per ea quæ Rom. 1.
facta

facta ſunt, patet aditus accedendi ad Deum; vt credatur æterna potentia, & eius diuinitas; quam quicunque venerati ſunt vt decet, eam quoque experti ſunt ſibi ipſis propitiam, & ipſos fouentem gratijs diuinis; ita vt in dies maiori lumine colluſtrati, ad maiorem quoque de Deo notitiam peruenerint, quam Chriſtus ſuo aduentu cumulatiſſime patefecit.

K *Per quem damnauit mundum.* Et enim Noe per arcam ſuperſtes a diluuio, hac ratione condemnauit mundum, cum cæteri homines, Noe conſtruenti arcam, credere noluerint. Et quoniam ipſe ſuperſtes fuit, ſignum hinc quòd Deus ipſum tanti fecit, vt in eius probitate mundus condemnaretur, vt iniquus:
1.Cor. 6. iuxta illud ad Corinth. *Sancti de hoc mundo iudica-*
Theodor. *bunt.* Vnde explicans hunc locum Theodoretus inquit, quòd Noe condemnauit mundum, quoniam ſolus recta via ingreſſus ſit.

L *Et iuſtitiæ, quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitutus.* Nuncupat iuſtitiam, quæ eſt per fidem, ad diſtinctionem iuſtitiæ, quam quiſque ſibi aſſumat ex proprijs operibus.

M *Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti.* Nempe Abraham, & eius poſteri (quos Apoſtolus nominauit) mortui ſunt ſecundum fidem habitam in Deũ; quatenus illam nunquam deſeruerunt.

Oecum. N *Vnde eum & in parabolam accepit.* Oecumenius hunc locum ita interpretatur: quòd Abraham aſſimilatus eſt Deo Patri, dum voluit immolari filium; Iſaac autem Chriſto. Verum Deus immolari fecit Chriſtum; Iſaac autem non eſt immolatus; niſi quatenus non defuit patri Abrahæ voluntas illum immolandi. Vel accepit, inquit Oecumenius, eum in parabolam, vt ſignificantem Chriſtum in ariete,
Theodor. quem obtulit. Theodoretus autem, *accepit,* (inquit) *tanquam in ſimbolo, & typo reſurrectionis; prompto enim & alacri patris animo interemptus, voce eius, qui occiſionem prohibuit, reuixit: Item ipſa immortalitate ipſius Iſaac, fuit deſcriptus typus ſalutiferæ paſſionis.* Poſſemus etiam aliter interpretari; quòd Abraham, & ſi ei pollicitum fuerat a Deo, quòd in eius ſemine, in ipſo Iſaac, poſterorum numerus erat multiplicandus vt arena maris, prompto nihilominus tamen animo eum ipſe offerebat, vt qui ita ſibi pollicaretur, poſſe Deum ſuſcitare a mortuis filium ſuum; vnde, *& eum in parabolam accepit.* Græce verbum, *accepit:* eſt, ἐκομίσατο, quod etiam ad tempus præteritum pluſquàm perfectum referri poteſt, ideſt, *acceperat.* Et erit interpretatio: quòd Abraham iam acceperat, aut (ſecundum vulgatam editionem) accepit (idem enim ſeruatur ſenſus) hunc ipſum filium Iſaac a Deo in hanc parabolam, atque ſimilitudinem; nempe tanquam a mortuis ſuſcitatum, vt pote eum, quem Deus conceſſerat ipſi Abrahæ; licet virtute mortua in ipſo exiſtente quo ad prolem generandam in Sara ſterili, & mortuam habente vuluam ob ætatem iam confectam. Vnde iure excitari poterat Abraham ad ſacrificandum filium Iſaac Deo, a quo etiam acceperat, tanquam ex mortuis excitatum, eo vt dictum eſt modo.

O *Et adorauit faſtigium virgæ eius.* Ideſt Iacob, vti certus de regno, quod conſequuturi eſſent filij Ioſeph, in faſtigio virgæ quam habebat, innixus adorauit. Vel (vt alij interpretantur) ſceptrum adorauit regni futuri in filijs Ephren.)

P *Et de oſſibus ſuis mandauit.* Ideſt, pro certo credens Ioſeph quòd exirent filij Iſrael de terra Aegypti, pro confirmatione huius ſuæ fidei, ordinauit vt eius oſſa ſemper ſecum deferrent.

Q *Eo quòd vidiſſent elegantem infantem.* Parentes ipſius *Moyſi*, excitati ſunt ad credendum, quòd ipſe omnino ſaluaretur, etiam quòd flumini cõmitterent eum impoſitum fiſcellæ: excitati autem fuerunt in hanc ſpem, eo quòd infantem elegantem inſpexiſſent; cum præſertim (vt nõnulli aſſeruerunt) puer blanditijs illos alliceret, vnde eo magis eum ſaluum futurum crediderunt.

R *Magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem.* His verbis ſupponitur, peccatum eſſe, non affligi vna cum populo Dei, eligendo vitam ſecundum ſenſum iucundam, vt notat Theophylactus. Vnde apud Amos Theoph.
prophetam in exprobrationem dicitur. *Et nihil pa-* Amoſ.6.
tiebantur ſuper contritione Ioſeph. Et apud Ezech. Ezech.9.
plorantibus, & gementibus ſuper cunctis abominationibus, ne interficerentur datum eſt ſignum: & quĩ nihil huiuſmodi paterentur, concidere iuſſi ſunt Angeli.

S *maiores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorum, improperium Chriſti.* Græca Scholia ponderant, Gr.Scho.
non dixiſſe Apoſtolum, maiores duxit diuitias theſauro Aegyptiorum, bona cœleſtia: ſed probro affici, vt ita eius virtutem magis oſtenderet. Improperium autem Chriſti, intelligit Apoſtolus, vel quòd etiam talia paſſus ſit Chriſtus. Aut, quoniam, quę patiuntur ſancti pro Chriſto, ſunt Chriſti improperia; quia vt propria ſibi aſſumit Chriſtus. Iuxta illud ad
Coloſſ. *Adimpleo, quæ deſunt paſſionum Chriſti in* Coloſſ. 1.
carne mea.

T *Inuiſibilem enim tanquam vidẽs ſuſtinuit.* Ideſt, Moyſes omnia ſuſtinuit, tanquam videns Deum inuiſibilem. Aliqui dixerunt, quòd quoniam viderat inuiſibilem timorem ſibi antea conflatum ab Angelo, ideo ſuſtinuit omnia.

V *Fide Raab meretrix non periit cum incredulis.*
Per hanc mulierem ſignificari, ait Theodoretus, ec- Theodor.
cleſiam Gentium, quæ reciperet Apoſtolos.

X *Non ſuſcipientes redemptionem.* Ideſt hi (de quibus memorauit) non effugerunt mortem, vti cõtigit aliquibus alijs ſanctis.

Y *Et hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem.* Ideſt completam gloriam beatitudinis, quæ habebitur vna cum reſurrectione corporum.

Z *Vt non ſine nobis conſummarentur.* Ideſt (vt in-
terpretatur Chryſoſtomus) non acceperunt reſurre- Chryſoſt.
ctionem, neque cõſummati ſunt quo ad corporum hom. 28.
beatitudinem. Et id quidem; quoniam præſtantior omnium fratrum ſimul facta reſurrectio erit prætioſior. Vel, quoniam etiam precantur interea pro nobis, vt compleatur numerus, & ipſi conſummentur in gloria, Hoc enim ingemiſcit quiſque ſanctus:

qui tamen interim, cum deceſſerint ex hac vita, deguſtant aliquid, ſed vt opipare, & vbertim veſcantur, expectant ex alacritate, vt fratres ſimul obtineant epulas lautiſſimas; vt hoc loco docet Theo-

Theoph. phylactus. Accedit, quòd in dies, ex bonis operibus ſanctorum, augeri quoque eorum gloria poteſt, quòd ipſorum exemplo, & ex fructibus eorum, multi bona operari poſſunt, quæ in gloriam cedent ſanctorum. Sicuti & mala opera perfidorum, veluti hæreſes, eorum pœnam augebunt, ſi ob illas & alij lapſi fuerint: quarum rerum omnium finis vſque ad diem iudicij relinquendus eſt. Et hoc etiam tam bonorum Angelorum ſanctis miniſterijs, quàm prauis dæmonum ſuggeſtionibus, & operationibus conuenit; ſicut explicauit Origenes in commentario ca. 7. epiſt. ad Rom. Nonnulli autem

Orig. ex hoc loco auſi ſunt dicere, quòd nulla anima tráſeat ad gloriam, niſi poſt diem iudicij vniuerſalis, Contra quorum ſententiam eſt illud Domini ad latronem, *Hodie mecum eris in Paradiſo*, & Paulus in

Luc. 23. epiſt. ad Corint. *Audemus autem, & bonam vo-*

2. Cor. 5. *luntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præſentes eſſe ad Dominum*. Et ad Philipp. ait, *de-*

Philipp. 1. *ſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. Verum ex his dictis Apoſtoli illud quidem colligitur, quòd corporum perfecta reſurrectio non ſit facta, neque ſit futura ante diem illam iudicij vniuerſalis. Nam ſi ex catalogo ſanctorum, qui hic ab Apoſtolo adnumerantur, nullus eſt, non Abel, non Noe, non Abraham, non Iſaac, aut Iacob, aut Ioſeph, aut Moyſes, aut Dauid, aut vnus quiſpiam alius ex his, qui recenſentur, vti inſigniores ſancti, qui acceperit (vt hoc loco teſtatur Apoſtolus) corporis conſummationem; qui nam obſecro enumerari poterunt, qui dicantur vna cum Chriſto ſurrexiſſe cum corporibus, & cœlos aſcendiſſe? Neque refert, quòd in Euangelio dicatur, multa corpora ſanctorum ſurrexiſſe,

Matt. 27. & apparuiſſe multis in ſancta ciuitate. Non enim propterea inferendum, quòd ſancti illi ita ſurrexerint, tanquam corporum glorioſum ſtatum conſequuti, quem amplius nō dimiſerint; ſed ſolū quòd, in confirmatione futuræ reſurrectionis, cum corporibus tunc apparuerunt nonnulli, qui etiam deſierint eſſe cum corporibus, beati tamen interim degentes, ſecundum ſpiritum, & non ſecundum plenitudinem gloriæ corporis, ad cœlum euolantes, vt fiet in poſtremo die, cum erit vniuerſalis reſurrectio mortuorum. Et hanc quidem ſententiam expreſſe ſecutus eſt Auguſtinus ſcribens ad Euodium, huic præcipue innixus argumento, quod antea iolulimus

Auguſt. ad Euodium epiſt. 99. ex verbis Apoſtoli; & opinioni Auguſtini ſubſcripſit indubie hoc loco S. Thomas: quamuis alibi in

Tho. Aqui. q. 43. & in additionibus q. 47. oppoſitæ ſententiæ adhæſerit, quòd veram & perfectam reſurrectionē ſancti illi fuerint conſecuti: & hanc opinionem tueri profeſſus eſt Caietanus, & nonnulli alij ex recentioribus.

PARAPHRASIS.

CAPIT. XII.

IDEOQVE, & nos talem, ac tantam habentes probatorum teſtiū nubem nobis circumpoſitam ad noſtram cohortationem, & conſolationem, deponentes omne pondus, quod poſſit eſſe impedimento, & circunſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, oculos dirigentes in auctorem fidei noſtræ, & eiuſdem cōſummatorem Ieſum: qui, pro gaudio ſibi propoſito, ſuſtinuit crucem confuſione contempta, atque in dextera ſedis Dei conſedit. Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit a peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt turpiſſima morte afficeretur; vt hinc vos excitati, non defatigemini animis veſtris deficientes. Non dum enim vſque ad ſanguinem vitæ veſtræ periculo reſtitiſtis, aduerſum peccatum repugnantes. Et obliti eſtis eius conſolationis, quæ vobis, tanquam filijs, ita loquitur? Fili mi, noli negligere diſciplinam, & correctionem Domini, vt ne deficias, aut defatigeris, dum ab eo argueris: quē enim diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium, quem recipit ad ſe. In diſciplina perſeuerate; tanquam filijs, vobis offert ſe Deus. Quis enim eſt filius, quem nō corripit pater? Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt filij omnes; ergo ſpurij eſtis, & non vere filij Dei. Deinde patres quidem carnis noſtræ, eruditores & caſtigatores habuimus, & reuerebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri ſpirituum Deo, & viuemus? Et illi quidem ad paucos dies, ad arbitrium eorum erudiebant nos: ipſe autem erudit nos ad id, quod nobis eſt vtile, ad conſequendam eius ſanctificationem. Omnis autē diſciplina, ad præſens tempus, dum ei ſubijcimur, non gaudij, ſed mœroris eſſe videtur: poſtea autem fructum pacificum iuſtitiæ reddet ijs, qui per eam fuerint exercitati. Quapropter remiſſas manus a præclaris operibus, & genua ob afflictiones diſſoluta, erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret, magis autem ſanetur. Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deū. Vigilantes inſuper, ne quis deficiat a gratia Dei, ne qua radix amarulentiæ, quam continet peccatum, ſurſum germinans impediat, & per illam inquinentur multi: ne quis fornicator adſit inter vos, aut prophanus, qualis fuit Eſau: qui, propter vnam eſcam ſeſe, vendidit ius ſuæ primogenituræ: ſcitis etenim, quoniam & poſtea volens hereditare benedictionem, reprobatus eſt, pœnitentiæ enim non inuenit locum, quanquam cum lachrymis inquiſiſſet eam. Et hæc quidem a nobis maximo ſtudio curanda ſunt. Non enim acceſſiſtis (ſicuti maiores noſtri in datione legis) ad ſenſibilem, & cōtractabilem montem, & acceſſibilem ignem, ad turbinem, caliginē, & procellam, & tubæ ſonum, & vocem verborum,

quam,

quam, qui audiebant, recuſarunt ne fieret illis ſer-
H mo: non enim ferebant quod dicebatur. Et ſi beſtia (id enim quoque præceptum eſt) mortem tetigerit, lapidabitur: & ita terribile erat, quod uidebatur, ut Moyſes diceret, exterritus ſum, & tremebūdus. Non uos ad hæc terribilia acceſſiſtis. Sed ad Sion montem, & ciuitatem Dei uiuentis Ieruſalem cœleſtem: ad multorum millium Angelorum frequentiam, & ad eccleſiam, conuentumque primitiuorum in libro uitę conſcriptorum, & ad iudicem omnium Deum; & ad ſpiritum iuſtorum perfectorum, & ad noui teſtamēti mediatorem Ieſum; & ad ſanguinem aſperſionis meliora loquentem, quàm ſanguis Abel. Videte, ne aſpernamini hunc meliora loquentem. Si enim illi non effugerunt vltionem, aſpernantes eum qui ſuper terram eis loquebatur; multo magis nos hanc ſentiemus, qui auertimus nobis loquentem de cęlo; cuius vox concuſſit terram tunc in illo caliginoſo monte; nunc autem denunciat per Aggęū prophetam. Adhuc ſemel ego mouebo, non ſolum terram, ſed etiam cęlum. Porro illud, adhuc ſemel, ſignificat eorum quæ concutiuntur, tranſactionem; vt pote factorum: & ideo diſſoluendorum, ut maneant ea, quæ ſunt immobilia. Itaque regnum immobile ſuſcipientes, habemus gratiam, per quam ſeruiamus, placentes Deo cum metu, & reuerentia. Nam Deus ignis conſumens eſt, potens facile de peccatoribus ſupplicium ſumere.

Editio vulgata.

IDEOQVE & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium: deponentes omne pondus, & circunſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta, atque in dextera ſedis Dei ſedet. Recogitate enim eum qui talem ſuſtinuit a peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem: vt ne fatigemini, animis veſtris deficientes. Nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatum repugnantes, & obliti eſtis conſolationis, quæ vobis tanquam filijs loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus caſtigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. In Diſciplina perſeuerate. Tanquam filijs vobis offert ſe Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes: ergo adulteri, & non filij eſtis. Deinde patres quidem carnis noſtræ, eruditores habuimus, & reuerebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & viuemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum, ſecundum voluntatem ſuam erudiebant nos: hic autem ad id quod vtile eſt in recipiendo ſanctificationem eius. Omnis autem diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam, reddet iuſtitiæ. Propter quod remiſſas manus, & ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret, magis autem ſanetur. Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum: contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei: ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, & per illam inquinentur multi. Ne quis fornicator, aut prophanus, vt Eſau: qui propter vnam eſcam vendidit primitiua ſua; ſcitote enim quoniam & poſtea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt; non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquiſiſſet eam. Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem, & acceſſibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ ſonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excuſauerunt ſe, ne eis fieret verbum. Non enim portabant quod dicebatur. Et ſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur: Moyſes dixit: Exterritus ſum & tremebundus.) Sed acceſſiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem cęleſtem, & multorum millium angelorum frequentiam, & eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cęlis, & iudicem omnium Deum, & ſpiritus iuſtorum perfectorum, & teſtamenti noui mediatorem Ieſum, & ſanguinis aſperſionem melius loquentem quàm Abel. Videte ne recuſetis loquentem. Si enim illi non effugerunt recuſantes eum, qui ſuper terram loquebatur: multo magis nos, qui de cælis loquentem nobis auertimus: cuius vox mouit terram tunc: nunc autem repromittit, dicens. Adhuc ſemel, & ego mouebo non ſolum terram, ſed & cęlum. Quod autem adhuc ſemel dicit, declarat mobilium tranſlationem tanquam factorum, vt maneant ea quæ ſunt immobilia. Itaque regnum immobile ſuſcipientes, habemus gratiam, per quam ſeruiamus placentes Deo cum metu, & reuerentia. Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt.

ADNOTATIONES.

IMPOSITAM *nubem teſtium*. In capite præcedenti, in initio, & in fine dixit Apoſtolus, quòd ſancti illi patres acceperunt teſtimonium per fidem, quòd eſſent probati apud Deum. Hic appellat eos teſtes, & iure merito, vt, qui magnitudinis diuinæ potentiæ teſtimonium dederint, & glorificauerint Deum ſuis præclaris operibus. Vnde & Chriſtus dixit Apoſtolis: *eritis mihi teſtes in Ieruſalem*. Nubes autem appellantur ſancti (ſecūdum Thomam) propter ſublimitatem eorum conuerſationis, doctrinæ fœcunditatem, & conſolationis vtilitatem, quam afferunt alijs. A

Act. 1.
Tho. Aqu.

B *Deponentes omne pondus*. Hortatur eos, tanquam itinerantes, ſeu certamen tractantes, vt omnem cogitationem harum rerum ſecularium deponant, vt ſint tanquam hoc mundo non vtentes.

C *Et*

Chryſoſt. hom. 28.

C *Et circumſtans nos peccatum*. Chryſoſtomus circumſtās peccatum interpretatur, quòd facile depelli poſſit, cum non ſit intus, ſed circumſtans. Aut innuit Apoſtolus periculum peccandi vndequaque nos circumſtans, quum adſit diabolus, qui circuit quærens ſemper quem deuoret: & caro ſuis concupiſcentijs continue nos prouocet ad peccandum; nec non & mundus ſuis blandirijs vehementer inuitet. Vnde Theodoretus ait: *hinc denotari peccatum, quod facile contrahitur; ſiquidem oculus inefcatur, auditus demulcetur; tactus titillatur; lingua facile labitur; mens & cogitatio eſt ad malum propenſa.*

Theodor.

D *Auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum.* Theophylactus, & Græcanica ſcholia inquiunt: *Chriſtus a principio nobis fidem ingeſſit; & finem ipſe eſt impoſiturus.* Et vt id explicatius habeatur, dicimus, quòd Chriſtus auctor fuit fidei, vt qui explicite cępit eloqui, quæ ad fidem attinent; idem etiam conſummator eſt fidei, vt per quem Apoſtoli perfecerunt prædicationem. Vnde dictum eſt ſupra; *quæ cum initium accepiſſet enarrandi per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt.* Præterea Chriſtus eſt cōſummator fidei: tum quòd ſua morte obtinuit redemptionem mundi; tum quòd ſuo auxilio perducit credentes ad beatitudinem.

Theoph. Gr. Scho.

Hebr. 2.

E *Qui propoſito ſibi gaudio, &c.* Gregorius Nazianzenus locum hunc ita interpretatur. *Cum ipſi liberum fuiſſet manere in propria gloria, & diuinitate, non ſolum exinaniuit ſe ipſum vſque ad formam ſerui, ſed etiam vſque ad mortem; ob quam ſuam abiectionē nunc ad dexteram Dei ſedet.* Græca autem ſcholia inquiunt. *Cum Chriſto licuiſſet cum gaudio, & gloria degere in hoc mundo, habebat enim poteſtatem ponendi animam, & eam recipiendi, attamen voluntarie ſubijt mortem.* Cui interpretationi addi poſſet, quòd etiam recuſauit fieri rex; vt qui totus eſſet poſitus in procuranda mundi redemptione. Aduertendum autem, græce additam eſſe propoſitionem hanc, ἀντὶ, ideſt, *Pro*: vt ita legatur, *pro propoſito ſibi gaudio*; quod fuit ſecundum Theodoretum, ſalus hominum, & ita pro hoc gaudio voluit mortem obire. Aymon autem ita exponit, quòd filius Dei proponens ſibi gaudium reſurrectionis, & aſcenſionis in cęlum, & totius glorię, quam percepit poſt reſurrectionem, ſuſtinuit crucem, non erubeſcens opprobrium: gaudium namque maximum fuit illi, vt voluntatem Dei patris impleret; pro quo poſtea poteſtatem ſupra omnem creaturam accepit. Et hæc quidem etiam conſentanea ſunt ijs, quæ habentur apud Eſaiam, vbi dicitur. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Vnde Chriſtus iam proximus paſſioni, dicebat diſcipulis ſuis. *Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum.* Denique huic interpretationi conſentiunt etiam verba, quæ ſubſequuntur, dum dicitur: quòd *Chriſtus ſuſtinuit crucem confuſione contempta, atque in dextera ſedis Dei ſedet.* Chriſtum igitur ita ſe gerentem, Apoſtolus vult vt Hebræi recogitent, atque ipſum imitentur, vt nulla ipſos vexantia mala vereantur, aut recuſent pro gaudio regni cęleſtis conſequendo.

Greg. Naz. — Græ. ſchol. — Ioan. 10. — Ioan. 6. — Theodor. — Aymon. — Eſa. 53. — Luc. 22.

F *Nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis.* Et ſi dixit antea, quòd direptionem bonorum cum gaudio paſſi fuerant, & probra pro pietate; attamen eo nondum peruenerant, vt vſque ad ſanguinem reſtitiſſent, ſicut alij, quorum exempla protulit. Vnde hæc dicta, illis non ſunt contraria, vt aduertit Theodoretus. Vult autem Chriſoſtomus, dicto illi in epiſt. ad Corint. *tentatio vos non apprehendat niſi humana*, eſſe ſimile id, quod dicitur hoc loco: non paſſi eſtis vſque ad ſanguinem. Verum poſſemus etiam interpretari, quòd oportet reſiſtere vſque ad ſanguinem, etiam obeundo mortem, ne committatur peccatum. Aut aduerſus peccatum (quod committunt, qui perſequuntur iniuſte ſanctos) oportet ita reſiſtere, vt tolerentur omnia æquo animo, etiam ſi mortem obire contingat.

Hebr. 6. — Theodor. — Chryſoſt. hom. 29. — 1. Cor. 10.

G *Pacem ſpirituum.* Deus eſt pater quoque corporum: ſed præcipue ſpirituum; ſicuti & præcipua, atque eximia res eſt ſpiritus. Theophylactus autem, et Gręca ſcholia inquiunt, quòd *Deus eſt pater donorum ſpiritualium, vel animarum, & virtutum incorporearum.*

Theoph. Gr. Scho.

H *Poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ.* Forte innuit fructum conuenientem iuſtitię, ſecundum illud ad Timotheum: *in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.*

2. Timo. 4.

I *Remiſſas manus.* Operationes apud illos, deferbuiſſe denotat: *& ſoluta genua erigite*: in ijs vigor conſiſtit, quòd ſi diſſoluantur, euaneſcit virtus. Vnde taxat illos, quòd deficerent animo in aduerſis ferendis. Vnde inquit Theodoretus, hinc patet, quòd in multa pericula impingentes, ad veritatis curſum facti erant tardiores. Et hæc quidem dicta Apoſtoli deſumpta ſunt ex Eſaia, dum dicitur: *confortate manus diſſolutas, & debilia genua roborate.*

Theodor. — Eſa. 35.

K *Et greſſus rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret.* Hæc ex lib. Prouerb. ſumpta ſunt, quibus Apoſtolus Hebræos arguit, quòd claudicarent, partim adhærendo Deo, partim ſeculo. Et hinc colligunt Græca ſcholia, quòd, cum adhuc infantes eſſent, quibuſdam hærebant iudaicis in vita, & conuerſatione. Et cum illis denūciet, vt inceptum malum coerceant; hinc eadem ſcholia colligunt, contra Nouatianos, admitti pœnitentiam: quod etiam aduertit Theodoretus. Hanc vero claudicationem Theophylactus refert & ad vitam, & ad ſpem, & ad fidem.

Prouerb. 4. — Græ. ſchol. — Theodor. — Theoph.

L *Ne quis deſit gratiæ Dei*, Græce, *μή τις ὑστερῶν ἀπὸ τῆς χάριτος τοῦ θεοῦ*, Ideſt: *ne quis poſterioretur, & relinquatur a gratia Dei.* Sicuti etiam dictum eſt ſupra, ne quis noſtrum defiiſſe videatur. Et hanc gratiam explicat Theophylactus fidem, & optimum viuendi modum, & bona futura.

Hebr. 4. — Theoph.

M *Ne qua radix amaritudinis.* Theodoretus ait, intelligi mala dogmata, & vitam corruptam, vt patet in exēplo allato de Eſau, qui laborauit ingluuie. Adnotāt autem Theophylactus, & Græca ſcholia, dictum eſſe, *radix amaritudinis*: quoniam radix amara poteſt fructus dulces facere: at radix amari-

Theodor. — Theoph. — Græ. ſchol.

tudinis

tudinis; quoniam radix amara & ſibi ipſi amara, & ijs, quibus eſt radix; cum amarulentiæ radix ſit ſubſtantia, ac veluti eſſentia: & hoc dictum eſt ad magis inſinuandum amaritudinem, & malitiam peccati.

N *Ne quis fornicator*. Appellat Eſau fornicatorem, forte ex hoc, quòd cõtra legem matrimonium contraxerit cum alienigenis.

O *Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquiſiſſet eam*.
Ezech. 18. At apud Ezech. dicitur; quòd quotieſcũque ingemuerit peccator, Deus amplius eius peccata non recordabitur; quomodo igitur Eſau non inuenit pœnitentiæ locum, ſi eam cum lachrymis inquiſiuit? Dicendum, ipſum non bene pœnituiſſe; vt qui de occidendo quoque fratre cogitarit; ipſum autem pœnituit tantummodo de damno, quod pateretur; eo quòd excluſus eſſet a benedictione Iſaac: & cum lachrymis aliam benedictionem quæſiuit, ne alta ſaltem defraudaretur. Aut dicendum, Apoſtolum ita loquutum eſſe (vt interpretatur Chryſoſtomus) ad terrendos illos, qui ſe
Chryſoſt. hom. 31. præcipitant in peccata. Theodoretus autem inquit:
Theodor. *non inuenit locum pœnitentiæ*: ideſt, *viam pœnitentiæ non inuenit: fleuit enim, non agens pœnitentiam; ſed fratris fœlicitati inuidens*. Et hæc quidem commemorat Apoſtolus, admonens Iudæos, ne ſequantur iniquitatem, & reprobationem populi primogeniti: ſed imitentur benedictionem recentioris populi, ad Dei benedictionem admiſſi.

P *Acceſſibilem ignem*. Græce, κατανομένῳ: id eſt, accenſo, ſeu cremanti igni. Et forte, librariorum incuria, pro hac voce, *acceſsibilem*, ſcriptum eſt, *inacceſsibilem*. Erat ſiquidem ignis ſenſibilis, & palpabilis. Appellat autem Apoſtolus tractabilem montem: aut per antiphraſim, hinc denotans, quòd nemo auderet illum tangere. Aut dicit tractabilem montem, & ignem accenſum cum alijs quæ ſequuntur (quibus & aſpectus, & ſonus terribilis denotatur) vt hinc palam faceret diſcrimen, quod eſt inter vetus teſtamentum, & nouum. Siquidem ibi omnia plena timore agebantur. Et ſi illi tam aſpere tractati (quoniam non obedientes fuerunt) mulctati ſunt: quanto magis, qui per Chriſti fidem ad immenſa bona ſumma cum dulcedine perducuntur, deficientes ab obedientia, grauiſſimis exterminabuntur pœnis?

Q *Moyſes dixit exterritus ſum, & tremebundus*. Theodoretus ſupponit, Moyſem quoque in illo
Theodor. monte exterritum fuiſſe. Sed vbi dicatur in ſcri-
Exo. 20. ptura, non explicat. Neque enim in lib. Exod. vbi hoc factum memoratur, eſt mentio, quòd Moyſes fuerit exterritus, vt dicit Apoſtolus; ſed veri-
Exo. 4. ſimile quidem eſt ei ita contigiſſe. Sed & in libro Exod. habetur, Moyſem fuiſſe timore percuſſum; cum dixerit, quòd ab heri, & nudius tertius factus erat non eloquens, ſed impeditioris, & tardioris linguæ, poſtquam loquutus erat ad eum Dominus.

R *Eccleſiam primitiuorum*. Veluti ſunt Apo-
Chryſoſt. hom. 32. ſtoli, & præcipui, atque inſigniores ſancti. Vel (ſecundum Chryſoſtomum) intelliguntur omnes electi, qui ſunt primitiui ad alios, qui non obediunt Deo patri.

S *Et ſpiritu... iuſtorum perfectorum*. Sunt qui legant, *ſpirituum*, qu... dicatur etiam iudex Deus. Græce aliter legitur in ... numero in hunc modum ... ſandi caſu, & plurium *ctorum*, ad quos acceſſerint; vt ... *iuſtorum perfecti* bantur, qui ſunt ſpiritus iuſti, & ... ditioni deſcri- alijs electis non ita præcipuis. Sed retinentantur ab nem vulgatam, poſſemus dicere, quòd acceſſio, ad ſpiritum iuſtorum perfectorum, quales redduntur, qui baptiſmate inſigniuntur; renouantur enim ſpiritu, vt perfecti ſint iuſti, tãquam ſanctificati per baptiſmum. Aut orationis dictio ita eſt coniungenda: quòd acceſſerint ad iudicem omniũ Deum; & ad ſpiritum iuſtorum perfectorum, vt voce hac, *ſpiritum*, denotetur perſona ſancti ſpiritus, *& teſtamenti noui mediatorem Ieſum*, & in tota Trinitas comprehendatur.

T *Melius loquentem quàm Abel*. Theodoretus Theodor.
inquit; ſanguis Abel cauitur; at Chriſti ſanguis etiã ſalutem hominum operatur: Vel dicamus, quòd ſanguis Abel vindictam clamat; Chriſti ſanguis ſanctificationem loquitur, & operatur; & ita meliora loquitur quàm ſanguis Abel.

V *Non effugerunt recuſantes eum, qui ſuper terram loquebatur*. Græca ſcholia inquiunt, aut quòd Gr. ſcho.
ſuper terram Moyſes ius dicebat: aut, quoniam promittebat terrena. At de cœlis loquitur, qui hæreditatem cœleſtem pollicetur. Vel, quoniam legiſlatio Moyſi continebat corporales purificationes: & omnia erant terrena. At cœleſtia hæc alia.

X *Multo magis nos, qui de cœlis loquentem nobis, auertimus*. Chriſtus, qui cœleſtis eſt, & filius Dei, loquutus eſt nobis. Vnde dixit Apoſtolus in initio epiſtolæ; quòd Deus loquutus eſt nobis in filio. Vel etiam innuit ſpiritum ſanctum dimiſſum e cœ- Hebr. 1.
lo, per quem nobis loquutus eſt Deus.

Y *Cuius vox mouit terram*. Tunc: nempe in monte Sinai; vbi fuit terræ motus, & quaſſatio.

Z *Adhuc ſemel & ego moueho non ſolum terram, ſed & cœlum*. Hæc deſumpta ex Aggæo prophe- Agg. 2.
ta: & erunt in ſecundo aduentu Chriſti. Tunc enim omnia corporea mutabuntur, & renouabuntur, vt poſtea maneant immobilia; vt ſignificatum eſt etiam in epiſtola ad Romanos. Sed & in pri- Rom. 8.
mo aduentu Chriſti magna commotio facta eſt in Ieruſalem, & manufacta Aegypti corruerunt; vt ait Theophylactus: cum quo ſentit Hieronymus, nec Theoph. Hieron.
non & Romæ corruit templum Pacis.

Aa *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt*. Tum peccata, tum deuorans peccatores; vt dictum Heb. 10
eſt ſupra de ignis æmulatione, quæ conſumptura eſt aduerſarios.

PARA-

PARAPHRASIS.

CAPIT. XIII.

FRATERNA charitas maneat in vobis:& hoſpitalitatis nolite obliuiſci. ob hanc enim quidam (vti notū eſt de Abraham,& de Loth) placuerunt Angelis hoſpitio receptis. Mementote vinctorum, tanquam & vos ſimul cum his vincti, & laborantium ex afflictione, tanquam & vos in corpore manentes, vnde ſimilia pati poteſtis. Honorabile ſit connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores autem,& adulteros vindicabit Deus. Sint modi, ac mores veſtri ſine auaritia, contenti rebus præſentibus: ipſe enim Dominus dixit per Ioſue, non ego te deſeram, neque derelinquam. Ita quidem, vt confidenter dicamus illud pſalmographi. Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. Mementote præpoſitorum veſtrorum; qui vobis loquuti ſunt verbum Dei; quorum fidem imitamini, intuentes exitum cōuerſationis eorum. Ieſus Chriſtus heri, & hodie; idem & in ſecula, vt eius fides varia eſſe non poſſit in illis prioribus, & in vobis. Doctrinis varijs, quæ ſibi non conſtant, & peregrinis, quæ ſunt alienæ a recta fide, nolite abduci. Optimum eſt enim gratia ſtabilire cor, non eſcis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo deſeruiunt. Quorum enim animaliū infertur ſanguis pro peccato in ſancta per Pontificem, horū corpora cremātur extra caſtra, & de his edere nō licet. Propter quod & Ieſus, vt populū ſanctificaret per ſuū ſanguinem, extra portā paſſus eſt. Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium eius portantes, crucem ſuam non abhorrentes. Non enim habemus hic manentem ciuitatem; ſed futuram inquirimus. Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo: ideſt, fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficientiæ autem, & communicationis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtijs promeretur Deus. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant pro animabus veſtris, tanquam de illis rationem reddituri; vt ita, vobis obſequentibus illis, munus hoc ſuum cum gaudio perficiant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis. Orate pro nobis: cōfidimus enim, quòd bonam conſcientiam habeamus, in omnibus beneuolentes conuerſari. Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius reſtituar vobis. Deus autem pacis largitor, qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ouium in ſanguine teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, aptet vos in omni opere bono, vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram ſe per Ieſum Chriſtum: cui gloria in ſecula ſeculorum Amen. Rogo autem vos fratres, vt ſufferatis verbum ſolatij, quod attuli in hac epiſtola. Etenim perpaucis ſcripſi vobis. Cognoſcite fratrem Timotheum dimiſſum; cum quo (ſi celerius venerit) videbo vos. Salutate omnes præpoſitos veſtros, & omnes ſanctos. Salutant vos de Italia fratres. Gratia cum vobis omnibus. Amen.

Editio vulgata.

CHARITAS *fraternitatis maneat in vobis. Et hoſpitalitatem nolite obliuiſci per hanc enim placuerunt quidam Angelis hoſpitio receptis. Mementote vinctorum tanquam ſimul vincti, & laborantium tanquam & ipſi in corpore morantes. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim, & adulteros iudicabit Deus. Sint mores ſine auaritia: contenti præſentibus: ipſe enim dixit: Non te deſeram, neque derelinquam, ita vt confidenter dicamus: Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem. Ieſus Chriſtus heri, & hodie: ipſe & in ſecula. Doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci. Optimum eſt enim gratia ſtabilire cor, non eſcis: quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Habemus altare: de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo deſeruiunt. Quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra. Propter quod & Ieſus, vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. Exeamus igitur ad eum extra caſtra: improperium eius portantes. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficientiæ autem, & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtijs promeretur Deus. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri: vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis. Orate pro nobis: confidimus enim, quia bonam conſcientiam habemus in omnibus bene volentes conuerſari. Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius reſtituar vobis. Deus autem pacis qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ouium, in ſanguine teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram ſe per Ieſum Chriſtum: cui eſt gloria in ſecula ſeculorū Amen. Rogo autem vos fratres vt ſufferatis verbum ſolatij. Etenim perpaucis ſcripſi vobis. Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum: cum quo (ſi celerius venerit) videbo vos. Salutate omnes præpoſitos veſtros, & omnes ſanctos. Salutant vos de Italia fratres. Gratia cum omnibus vobis. Amen.*

ADNOTATIONES.

A CHARITAS *fraternitatis*. Admonet hoc loco Apoſtolus conuenientia ad inſtitutionem Chriſtianiſmi. Hæc autem vox, ἡ φιλαδελφία, qua vtitur Apoſtolus, conſtat ex his duabus, philos, & adelphos, id eſt amicus, & frater, vt hinc intenſam charitatem ſignificaret, vt adnotauit Theodoretus.

Theodor. B *Per hanc enim placuerunt quidam Angelis hoſpitio receptis*. Si ita quoque Græci codices legerent, res eſſet perſpicua; cum notum ſit, quòd Abraham, & Loth, placuerunt Angelis hoſpitio ſuſceptis ab eis. Et ideo in terra Sodomorum abſconderunt Loth, eum rutantes ab illo facinoroſo populo. Verum græce legitur, *Latuerunt*, quod latine non dicitur, quòd aliqui latuerunt; ſed aliquos latuit. Quidam autem interpretati ſunt, quòd Angeli abſconderunt Loth. Græci autem exponunt, quòd neſcientes quidam Angelos, ſuſceperunt eos hoſpitio, quaſi ex hoſpitalitate, cui addicti erant, ad hoc digni ſint facti, vt hoſpites haberent Angelos. Gen. 19.

C *Mementote vinctorum*. Hoc eſt vnum, quod illis commendat; *& laborantium*, & hoc eſt aliud; & cum ſubiungit, *tanquam & ipſi in corpore morantes*: innuit; quòd etiam ipſi talia pati poſſint in hac vita. Vnde illis commendat immenſam charitatem; dum vult, vt ita meminerint vinctorum, & laborantium; ac ſi ipſi in eorum corpore viuerent, tanquam ſpiritu eis coniuncti.

D *Honorabile connubium in omnibus*. Aut intelligit, quòd debeat eſſe connubium honorabile, *in omnibus*; ideſt, apud cuius vis ætatis, & conditionis hominem, vt exponunt Theophylactus, & Græca ſcholia. Aut vult, quòd in omnibus, & omni ex parte ſit honorabile connubium: quam interpretationem affert quoque Theophylactus. Theoph. Græ. ſchol.

E *Et Thorus immaculatus*. Vt non violetur matrimonium. Et cum ſubiungat; *fornicatores enim, & adulteros iudicabit Deus*: Innuit fornicationem eſſe peccatum mortale, aliud ab ipſo adulterio: & iure quidem plectendi erunt fornicatores. Nam (vt inquiunt Græca ſcholia) *ſi coniugium permiſſum eſt, & ſine peccato licet ad explendam concupiſcentiam, quis erit excuſationis prætextus ſcortatoribus, & adulteris*? quod ſane intelligendũ eſt, quo ad ſedandum ardorem concupiſcentiæ ob vitandam fornicationem, & vt concubitus cum propria vxore longe abſit ab omni & actu, & cogitatu indecenti, & illicito. Græ. ſchol.

F *Quorum intuentes exitum*. Vult, vt quam vitam tranſigerunt ſancti in huc mundo; vel quomodo nunc tranſigunt, huiuſce vitæ, & illorum fidei imitatores exiſtant. Ita interpretantur Græca ſcholia. Græ. ſchol.

G *Ieſus Chriſtus heri, & hodie*. Hac dictione, *heri*, ſignificantur præterita ſecula: per hanc vero aliam, *hodie*, præſentia. Vnde idem & in ſeculis futuris, & in præſentibus, & in præteritis Ieſus Chriſtus: quæ inquit Apoſtolus ad ſignificandum, quòd non veniet alius Chriſtus. Nam qui venit, idem qui prius erat, & eſt, & erit in ſecula. Et hinc Theophylactus colligit, quòd ex Hebræis, ad quos ſcribit, aliqui corruperant fidem Chriſti; quòd non ipſe eſſet, qui venturus eſt. Vel hoc voluit Apoſtolus ſignificare (ſecũdum Theophylactum) quòd, ſicuti ductores ſuos numquam deſeruit, ſic neque ipſos deſeret; ſicuti & fides ab illis prioribus obſeruata, ab ipſis etiam eſt obſeruanda, & non mutanda. Theoph. Theoph.

H *Doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci*. Varię doctrinæ ſunt, quæ a diuerſis afferuntur. *peregrinæ* autem, ſi extra fidem exiſtant: vnde quæ ſunt peregrinæ, variæ quoque erunt. Vel *variæ*, intelliguntur, quæ non ſint ſibi conſtantes: Aut *variæ*, ſi velint legalia ſeruare, & Euangelium.

I *Non eſcis, quæ non profuerunt*. Veluti eſus carnium immolatarum, vel aliorum ciborum purificationibus luſtratorum.

K *Habemus altare*. Nos Chriſtiani habemus altare, vbi hoſtia ponitur Chriſti ſub ſacramento ſpecierum panis, & vini; de qua non habent poteſtatem, neque digni ſunt comedere, qui deſeruiunt tabernaculo; niſi deſerant vmbram, & adhæreant veritati. Siquidem, iuxta veteris legis conſuetudinem, quæ cremantur extra caſtra, non comeduntur. Idcirco, cum Chriſtus ſit paſſus extra caſtra, extra ſcilicet vrbem Ieruſalem, iam ſecundum Hebræorum vſum, non poteſt illis eſſe pro cibo. Extra portam autem Ieruſalem paſſus eſt Chriſtus, vt qui pro omnibus ſit oblatus, & non ſolum pro Iudæis.

L *Quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*. At dictum eſt in epiſtola ad Galat. quòd vnuſquiſque reddet rationem propriorum operum. Dicendum, quòd ad actus, & ad operationes eius, qui præpoſitus ſit curæ animarum, id ſpectat, vt etiam reddat rationem ſuę adminiſtrationis, factæ erga populum ſuæ curæ demandatum. Gal. 6.

M *Orate pro nobis, confidimus enim quia bonam conſcientiam habemus*. Quaſi aliqui ex illis alieni eſſent ab Apoſtolo, quòd ipſum exiſtimarent cauſare defectionem a lege: ideo vt hanc a ſe remoueat ſuſpicionem, ab illis petit, vt orent pro ipſo, tanquam non indigno hoc ſuffragio: vt, qui ſit conſcius ſibi, quòd recte ambulat in omnibus. Vnde ſeductorem non debent eum cenſere, qui eorum precibus ſe commendet.

N *Rogo autem vos fratres, vt ſuffeꝛatis verbum ſolatij*. Ideſt, exhortationem. Ex quo colligitur, ſcopum Apoſtoli fuiſſe cohortandi, atque conſolandi Hebręos, vt qui afflictionibus obſtricti eſſent: & hoc fuiſſe thema epiſtolæ cenſuit Chryſoſtomus. Aut per verbum, *ſolatij*, intelligit ea, quæ attulit de correctione, qua Deus vtitur, caſtigans quos diligit. Vnde eſt verbum ſolatij ipſis afflictis, intelli- Chryſoſt.

gere

gere, quòd quos Deus amat, ſinit afflictionibus angi ad maiorem ipſorum gloriam in regno cęlorum. Item ea, quæ in catalogo ſanctorum, & quæ de Chriſto enarrauit, qui pro nobis turpiſſimam mortem ſuſtinuit.

O *Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum*. Hinc colligitur, epiſtolam hanc eſſe Pauli: cui ita coniunctus erat Timotheus, vt cum nullo alio talis eſſet. Et hunc dimiſſum ait: ſeu, quia ereptus eſſet e carcere: ſeu, quia dimiſſus ex Athenis, vbi antea fuerat.

P *Salutate omnes præpoſitos veſtros*. Non ſcribit Apoſtolis, qui erant Hebræorum Apoſtoli, vt qui eſſent ante ipſum Apoſtoli, neque egerent, vt hæc illis ſcriberentur: *& omnes ſanctos*, intelligens, omnes baptizatos.

Q *Salutant vos de Italia fratres*. Vnde colligitur, quòd epiſtola ſcripta fuit ex vrbe Roma.

R *Gratia vobiſcum*. Vt inquit hoc loco Chryſoſtomus, *gratia eſt remiſſio, & purgatio peccatorum, animi puritas, & participatio ſpiritus ſancti*; quæ ſeruabitur in nobis, ſi bene vixerimus ad eius normam: aliter euolabit a nobis. Chryſoſt. hom. 14.

FINIS AD LAVDEM DEI.

Errata ſic Corrigito.

Fol. 13. c. 1. Ad ea verba, *in voluntate Dei*, aduerte omiſſa hęc, quę ſubnectenda ſunt. *Opto enim videre vos, vt & vobis aliquid communicem gratiæ ſpiritualis, ad confirmandos vos in Euangelio: id ipſum eſt, conſolari me vna vobiſcum ob mutuam quæ in nobis eſt, meam, & veſtram fidem.*

Fol. 31.	c. 4.	oſtaculo.	lege,	obſtaculo.
Fol. 43.	c. 1.	vendicanda.	lege,	vendicandę.
Fol. 54.	c. 3.	diuiſi.	lege,	diuiſit.
Fol. 61.	c. 1.	mercenarius.	lege,	operarius.
Fol. 107.	c. 4.	in profundum.	lege,	in profundum maris.

Regiſtrum.

a b, A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll.

Omnes ſunt Terniones, præter Ll, qui ſunt Quaterniones, & a b, qui ſunt Duerniones.

V E N E T I I S,

Apud Dominicum Nicolinum.

M D L X X X I X.

1. H. 4.